PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

IUS CANONICUM

AUCTORE

P. FRANCISCO XAV. WERNZ S. I.

AD

CODICIS NORMAM EXACTUM

OPERA

P. PETRI VIDAL S. I.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSORIS

TOMUS V

IUS MATRIMONIALE

EDITIO TERTIA

A P. PHILIPPO AGUIRRE S. I.

RECOGNITA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PIAZZA DELLA PILOTTA, 4

1946

IMPRIMI POTEST

Romae, 20 maii 1946

P. EMMANUEL PORTA
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 24 maii 1946.

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

ROMAE — TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PRAEFATIO

Ius matrimoniale, quod in Codice sat brevi canonum numero integre proponitur, pluribus gravibusque scatet difficultatibus, ut cotidiana experientia docet in causis quae ad iudicium tribunalium ecclesiasticorum deferuntur; in quibus decidendis saepe recurrendum est ad doctrinas classicorum doctorum atque ad iurisprudentiam SS. Congregationum et Tribunalium Curiae Romanae, ut principia et praescripta Codicis ad multipliciter varias casuum circumstantias rite applicari possint.

Illas doctrinas classicorum doctorum sagaci examine delectas atque iurisprudentiae sacrae suffragiis illustratas aut firmatas R. P. Wernz collegerat in suo volumine quarto Iuris Decretalium praecipuis curis elaborato, idque ea copia ut vix occurreret casus pro cuius solutione praeclarum opus lumen doctrinae non suppeditaret.

In refundendo opere insignis canonistae eoque ad praescripta Codicis exigendo, mihi religioni fuit ut quidquid doctrinae praeclari magistri adhuc utile esse posset retinerem, eo fine, ut si fieri posset easdem ac antea pergeret utilitates praestare cum studiosis tum tribunalibus curiisque ecclesiasticis. Ubi aliqua magistri opinio aut ex mutationibus in iure factis aut ex recentiore iurisprudentia aut ex novo argumentorum examine non amplius sustineri visa est, libere fuit immutata, monito plerumque lectore.

Mens erat integram quaestionem de sponsalibus una alterave pagina absolvere atque ita voluminis molem haud parum reducere, nisi quae de sponsalium obligatione proponuntur duxissem antea oportere aut doctorum suffragiis firmari aut authentica S. Sedis declaratione decidi.

E Pontificia Universitate Gregoriana in festo S. Parentis Ignatii, 31 iul. 1924.

P. PETRUS VIDAL, S. I.

Notula ad secundam editionem. *In hac altera editione « iuris matrimonialis » de novo retractata fuit quaestio de effectibus sponsalium, aliis suppressis quae ab illa quaestione dependebant et inde visa sunt superflua. Declarationum vero S. Sedis, quae post primam editionem prodierunt, congrua ratio habita est, atque controversiae adhuc inter auctores agitatae opportunis additionibus, ubi opus fuit, sunt illustratae ad maiorem studiosorum profectum.*

Romae, in festo Epiphaniae, 6 ian. 1928.

P. V.

PRAEFATIO AD TERTIAM EDITIONEM

Quae rationes nos haud pridem induxere ad secundum huius operis volumen, quod de personis agit, denuo typis mandandum, eaedem nunc nos movent ad tertiam editionem iuris matrimonialis benevolis lectoribus offerendam. Intenditur nimirum ut commentarii ad universum Codicem sub nomine Wernz-Vidal iam evulgati possint saltem per aliquod temporis spatium integri, quales profecto ab utroque praeclaro auctore sunt exarati, studiosis iuris canonici prae manibus esse. Hoc autem volumine tertio nunc edito scopus praefixus iam plane obtentus videtur.

Qua in editione paranda illa norma est semper prae oculis habita, ut scilicet in ipsum corpus operis non nisi necessariae introducerentur mutationes — quae sane perpaucae sunt —, in notis vero asterisco distinctis novae declarationes instructionesve S. Sedis adiungerentur quae ad ius matrimoniale spectarent. Hac enim ratione consulitur tum integritati operis a PP. Wernz-Vidal conscripti, tum commoditati lectorum qui in nova editione recentiora S. Sedis de re matrimoniali documenta iure ac merito exigerent.

Faxit Deus ut etiam haec nova editio aliquid ad suam gloriam promovendam conferre possit.

Romae, in festo Resurrectionis Domini, 21 aprilis 1946.

PHILIPPUS AGUIRRE, S. I.

INDEX ANALYTICUS

PROLEGOMENA

PARS TERTIA

De consensu matrimoniali eiusque forma

CAPUT I

DE CONSENSU MATRIMONIALI EIUSQUE ESSENTIALI EXPRESSIONE

CAPUT II

DE CONSENSU VITIATO PROPTER ERROREM

CAPUT III

DE CONSENSU VITIATO OB VIM VEL METUM

CAPUT IV

DE CONDICIONE CONSENSUM VITIANTE VEL DEFICIENTE

CAPUT V

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

CAPUT VI

DE FORMA LITURGICA CELEBRATIONIS MATRIMONII

CAPUT VII

CAPUT VIII

CAPUT IX

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS MATRIMONII

CAPUT X

DE MATRIMONIO, UT AIUNT, CIVILI

PARS QUARTA

De effectibus matrimonii

CAPUT I

DE EFFECTIBUS QUI EX MATRIMONIO ORIUNTUR

CAPUT II

DE FILIIS LEGITIMIS ET LEGITIMATIS

PARS QUINTA

De separatione coniugum

CAPUT I

DE DIVORTIIS SEU DE CONIUGUM SEPARATIONE

PARS SEXTA

De matrimonio invalido et de secundis nuptiis

CAPUT I

DE CONVALIDATIONE MATRIMONII

CAPUT II

DE SECUNDIS NUPTIIS

PARS SEPTIMA

De iudiciis in causis matrimonialibus

CAPUT I

DE IUDICIO CANONICO IN CAUSA MATRIMONIALI

CAPUT II

PRAECIPUI AUCTORES CITATI [1]

Aichner — Compendium iuris ecclesiastici, (1895).
Alberti — Comment. in Decret. de sponsalibus et matrimonio, (1908).
Allègre — Le Code civil commenté dans ses rapports avec la théologie morale, le droit canon, etc., (1902).
Antonelli — Medicina pastoralis, (1932). — De conceptu impotentiae et sterilitatis, (1900). — Pro conceptu impotentiae et sterilitatis, (1901). — De mulieris excisae impotentia, (1903).
Arendt — Analysis theologico-canonica Decr. « Ne temere », (1909). — Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum, (1913). — Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae, (1923).
Ballerini-Palmieri — Opus theologicum morale, ed 3ª, (1899-1901).
Bangen — Instructio practica de sponsalibus et matrimonio, (1858-1867).
Bassibey — Le mariage devant les tribunaux ecclésiastiques, (1899).
Bernardus Papiensis — Summa de matrimonio — Summa decretalium.
Bernard — Étude historique, juridique et critique sur le consentement des ascendants au mariage (1899).
Blat — Comment. Codicis iuris canonici, (1924).
Capellmann — La médecine pastorale.
Cappello — Tractatus canonico-moralis, de Sacramentis. Vol. III. De matrimonio, ed. 4ª, (1939).
Cerato — Matrimonium a Codice iuris canonici integre desumptum, (1919).
Chelodi — Ius matrimoniale iuxta Codicem iuris canonici, ed. 4ª, (1937).
D'Annibale — Summa theologiae moralis, ed. 5ª, (1908).
De Becker — De sponsalibus et matrimonio, (1931).
De Smet — De sponsalibus et matrimonio, ed. 4ª, (1927).
Devoti — Institutionum canonicarum libri quatuor.
Duchesne — Origines du culte chrétien, (1902).
Eschbach — Disputationes physiologico-theologicae — Casus de feminea impotentia, (1899) — De novo quodam sterilitatis conceptu — De essentia impedimenti impotentiae.
Esmein — Le mariage en droit canonique, ed. 2ª, 1929.
Fahrner — Geschichte der Ehescheidung im kanonischen Recht, (1903).
Feije — De impedimentis et dispensationibus matrimonii (1893).
Ferreres — Compendium theologiae moralis, ed. 16ª (1940). — Los espon-

---

[1] Omissis classicis commentatoribus iuris Decretalium et notis textibus theologiae dogmaticae et moralis, praecipui auctores quorum frequentius occurrit citatio hic ponuntur cum operis titulo, qui proinde in ipsis citationibus iam non erit repetendus. * Hoc loco recensentur solummodo opera quibus in his commentariis exarandis usi sunt PP. Wernz et Vidal. In citationibus praeponitur littera « n. » cum indicatur numerus, nihil vero praemittitur cum refertur pagina.

sales y el matrimonio, ed. 7ª (1927). — Institutiones canonicae ed. 2ª (1920). — Derecho sacramental, ed. 4ª (1932). — De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae, ed. 2ª (1913).
Freisen — Geschichte des kanonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur, ed. 2ª (1893).
Fourneret — Le domicile matrimonial (1906).
Friedberg-Ruffini — Diritto ecclesiastico cattolico ed evangelico, (1899).
Gasparri — Tractatus canonicus de matrimonio, ed. 2ª (1932).
Gennari — Consultazioni morali, canoniche, liturgiche, (1902).
Genestal — Histoire de la légitimation des enfants naturels en droit canonique, (1905).
Giovine — De dispensationibus matrimonialibus consultationes canonicae, (1863-1866).
Hefele — Conciliengeschichte.
Heiner — Grundriss des katholischen Eherechts, (1910).
Hollweck — Das Civileherecht des bürgerlichen Gesetzbuchs, dargestellt im Lichte des kanonischen Eherechts, (1900).
Horoy — Cours de droit canonique dans ses rapports avec le droit civil.
» — Traité du mariage.
Howard — A History of matrimonial institutions, (1904).
Joannes Andreae — Summa de sponsalibus et matrimonio.
Joder — Formulaire matrimonial, (1891).
Konings-Putzer — Commentarium in facultates apostolicas, (1898).
Kugler — Tractatus theologico-canonicus de matrimonio.
Kutschker — Das Eherecht der katholischen Kirche, (1856-1857).
Laurin — Introductio in ius matrimoniale, (1895).
Lehr — Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans les principaux pays civilisés, (1899).
Lehmkuhl — Theologia moralis.
— Das bürgerliche Gesetzbuch des deutschen Reiches.
Leitner — Lehrbuch des katholischen Eherechts, (1902).
Lemaire — Le mariage civil, (1910).
Mansella — De impedimentis matrimonialibus, (1881).
Martin — Omnium Conc. Vaticani documentorum collectio, (1873).
Melata — De potestate qua matrimonium regitur et de iure matrimoniali civili apud praecipuas nationes, (1903).
Milas — Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirchen.
Moy — Das Eherecht der Christen in der morgenländischen und abendländischen Kirche bis zur Zeit Karls des Grossen, (1883).
Ojetti — Synopsis rerum moralium et iuris pontificii, (1909-1914).
— In ius ante Pianum et Pianum Decr. « Ne temere ».
Palmieri — Tractatus de matrimonio christiano.
Peries — Code de procédure canonique, (1894).
Perrone — De sacramento matrimonii, (1861).
Pitra — Historia et monumenta iuris eccl. graecorum.
Pyrrhus-Corradus — Praxis dispensationum apostolicarum, (1717).
Resemans — De competentia civili in vinculum coniugale infidelium, (1887).
Rolandus — Summa Magistri Rolandi ed. Thaner.
Rossel — De sacramento matrimonii, 6 vol. (1895-1896).
Sander — Disputationes de sancto matrimonii sacramento.

Sehling — Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe, (1885).
Scharnagl — Das feierliche Gelübde als Ehehinderniss in seiner geschichtlichen Entwicklung dargestellt (1908).
» — Das neue kirchliche Gesetzbuch, (1918).
Schäfer — Das Eherecht nach dem Codex iuris canonici, (1924).
Scherer — Handbuch des Kirchenrechts, (1888).
Schmitz — Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche, (1883).
Schnitzer — Katholisches Eherecht, (1918).
Schulte — Handbuch des katholischen Eherechts, (1855).
Sohm — Trauung und Verlobung, (1876).
Tancredus — Summa de matrimonio, ed. Wunderlich.
Tephany — Traité des dispenses matrimoniales, (1889).
Van de Burgt — Tractatus de matrimonio, (1875).
» — De dispensationibus matrimonialibus, (1865).
Vermeersch — Theologia moralis, (1933).
— De casu Apostoli, (1911).
Vermeersch-Creusen — Epitome iuris canonici, II, (1940).
Vering — Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts, (1883).
Vlaming — Praelectiones iuris matrimonii, (1919).
Westermarck — Origine du mariage dans l'espèce humaine, (1895).
Zhishman — Das Eherecht der orientalischen Kirche, (1884).
Zittelli — De dispensationibus matrimonialibus, (1887).

PROLEGOMENA

1. Ius matrimoniale, quod iam P. Wernz separato volumine tradiderat, etiam in commentariis ad Codicem a tractatione de ceteris sacramentis seiungendum peculiarique volumine explanandum duximus: id enim postulat tum magnus ipsius ambitus, tum praesertim multiplicitas quaestionum, quibus prae ceteris sacramentis est implexum.

Praestat autem in antecessum breviter indicare *quo loco* philosophi, iuristae et moderni codices civiles ius matrimoniale proponant. Et *doctores* quidem *philosophiae moralis* in *parte speciali,* finitis disputationibus de *iure privato individuorum,* mox transeunt ad principalem *societatem iuris privati,* i. e. ad societatem *domesticam,* quae triplici societate, sc. *coniugali, parentali* et *herili* componitur. Cuius societatis domesticae cum radix et fundamentum sit *societas coniugalis* sive *matrimonium,* imprimis de illa disputant solidoque fundamento iacto disserunt continuo de iure *publico civitatis,* cuius *pars* est societas *domestica.* Similiter *iuristae* et moderni *codices civiles,* sequentes iuris Romani vestigia, considerant ius matrimoniale ut *ius privatum, ubi* aut in libro primo *de personis* ilico proponunt etiam ius universae *societatis domesticae* et matrimonii, v. g. in Inst. Iustin. I. 3, sq. et cod. civ. Ital., art 79 sq., aut praemissis tribus libris de quaestionibus generalibus, reservant quartum librum *iuri familiae* sive societatis domesticae, quem sequitur liber quintus de iure hereditatis, v. g. in cod. civ. German. §§ 1297 sq. [1].

[1] *Schiffini,* Disput. philosoph. mor. II, n. 393 sq.; *Cathrein,* Moralphilosophie, II, 374 sq.; *Meyer,* Inst. iur. natur. I, n. 347 sq.; II, n. 94 sq.; *Arndts-Serafini,* Lehrb. d. Pandekten §§ 393 sq.; *Vering,* Gesch. u. Pand. d. roem. u. heutig. gem. *Privatrechts* §§ 220 sq.; *Schrader,* De hominum societate generatim commentarius.

I. Notio iuris matrimonialis

2. Ius matrimoniale Ecclesiae catholicae *obiective* spectatum est complexus *legum* a competente auctoritate ecclesiastica propositarum (ius divinum) vel latarum (ius ecclesiasticum) quibus directe causae matrimoniales christianorum, Ecclesiae iurisdictioni subiectae[2], pro foro externo ordinantur. Quo ex complexu legum sive divinarum sive ecclesiasticarum oriuntur variae facultates agendi, quae constituunt *subiectivum* ius matrimoniale.

Definitio data cum complectatur ius matrimoniale *materialiter* consideratum, sive ut est *obiectum* iurisprudentiae sacrae, facile adaptari potest iuri matrimoniali, quatenus est pars specialis universae *scientiae* canonicae.

Qua ratione ius matrimoniale est systema conclusionum demonstratarum de illo complexu legum divinarum et ecclesiasticarum in causis matrimonialibus, sive cognitio iuris matrimonialis ex causis.

II. Difficultas et momentum iuris matrimonialis

3. Difficilis semper visa est quaestio de matrimonio cum theologis tum canonistis, et iam S. Augustinus[3] scribit: « *Quaestionem tamen de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus eius vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse, vel iam posse, si urgear, explicare* ». Qua difficultate non obstante, quae nostra aetate in foro ecclesiastico magna ex parte est imminuta[4], necessitas et utilitas iuris matrimonialis huius disciplinae canonicae studium summopere commendant. Etenim causae matrimoniales in Ecclesia inter causas graves et arduas computantur et frequentissime tribunalia et consistoria ecclesiastica occupant[5], ubi, si perversa ratione definiantur, non solum felicitas *temporalis*, sed *aeterna* quoque salus coniugum periculo exponitur.

---

[2] Quae sint illae causae matrimoniales erui potest ex Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 aug. 1794, prop. 58, 59, 60; cfr. etiam *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 9, n. 3, 4, 5; *Laurin*, Introductio in ius matrimoniale, 1.

[3] De coniugiis adulterinis l. 1, c. 25 (*Migne*, P. L. XL, 469). Cfr. de controversiis et obscuritatibus apud scriptores medii aevi: *Freisen*, in Arch. f. k. K. LXVII, 381 sq.

[4] At ex altera parte propter dissidium inter forum ecclesiasticum et civile in praxi crevit difficultas ordinandi res matrimoniales, praesertim si controversiae oriantur. Cfr. *Palmieri*, Tract. de matrimonio christiano, praefat. X; *Rosset*, de sacr. matr. I, n. 2 sq.

III. Relatio iuris matrimonialis ad alias disciplinas

4. Cum ampla sit atque difficilis de matrimonio disputatio, mirum non est quod in compluribus disciplinis, sub diversa tamen *ratione*, in matrimonium inquiratur. Quibus in disquisitionibus scientificis de matrimonio primipili sunt *philosophi*, qui *solo* lumine *rationis* ducti examinant in philosophia morali *veritates* theoreticas et practicas, *iura* et *obligationes* contractus matrimonialis, sola *lege naturali* ordinati. *Theologi* vero *dogmatici*, omissis quaestionibus mere practicis, casuisticis, disciplinaribus atque iuris humani sive canonici sive civilis, potissimum disputant de *veritatibus* theoreticis matrimonii tum in Vetere tum in Novo Testamento secundum *fontes revelationis* positivae et sanam rationem. *Moralistae* exponentes breviter veritates theoreticas de matrimonio, ex philosophia morali et theologia dogmatica desumptas, definiunt secundum principia revelationis et rationis quaestiones *practicas* atque *obligationes* ex matrimonio ortas, praesertim pro foro *interno* et paenitentiali.

Denique *canonistae*, supposito solido fundamento iam in ethica et in theologia tum dogmatica tum morali iacto, matrimonium considerant ut est obiectum *legibus divinis* et *ecclesiasticis* pro foro *externo* Ecclesiae catholicae ordinatum. Quodsi illae leges solummodo attendantur quatenus sunt ius *commune* a *publica* auctoritate constitutum vel quatenus referuntur ad *bonum commune*, cui matrimonium inservire debet, sane aliquo modo ad *ius publicum* Ecclesiae pertinent; at quoniam latae fuerunt de *societate coniugali*, quae fit contractu *privato* et est pars societatis *domesticae* et *privatae, non publicae* vel perfectae, potius sub *privato iure ecclesiastico* sunt subsumendae[6].

---

[5] ASS. et Anal. eccl. longam seriem causarum matrimonialium referunt, quae in Curia Romana fuerant disceptatae et definitae. Cfr. in iisdem Act. et Anal. indicem v. Matrimonium. Nec minore utilitate consulitur Arch. f. k. K. XI, 220 sq., 337 sq., 474; XII, 37 sq., 175 sq., 240, ubi complures causae matrimoniales simul cum actis iudicialibus atque motivis decisionum iudicialium exhibentur. Praesertim vero consulenda sunt volumina decisionum novae Rom. Rotae, quae maxima ex parte respiciunt causas matrimoniales, et sunt sententiae motivatae, ideoque ad iurisprudentiam canonicam de re matrimoniali discendam optimum praebent subsidium.

[6] *Cathrein*, Recht, Naturrecht u. posit. Recht, 1 sq., 8 sq. iunct. *Pesch*,

IV. Divisio iuris matrimonialis

5. Cum in Codice singulis sacramentis assignetur proprius atque unicus titulus divisus in capita et articulos, etiam integra materia matrimonialis unico titulo absolvitur. In tractatione scientifica, quae amplior esse debet, opportunum visum est retinere divisionem totius iuris matrimonialis in partes, quae subdividantur in capita, articulos et paragraphos, servato ordine canonum, excepta materia dispensationum matrimonialium, quam ob peculiares rationes methodi ponendam duximus post explanata singula impedimenta matrimonialia.

V. Methodus tractandi ius matrimoniale

6. Si generatim in disputationibus canonicis *triplex* methodus adhibeatur necesse est, maxime in iure matrimoniali ab illa non est recedendum. Etenim ius matrimoniale frequentissime in utroque foro practice est applicandum. Quare imprimis adhibita methodo *positiva* sive *exegetica*, a methodo mere casuistica vel practica probe distinguenda, accurate constare debet quid iuris sit ex disciplina nunc in Ecclesia vigente. Quae disciplina vigens maxima ex parte ordinatur legibus ab ipsa Ecclesia latis, quae cum non paucas immutationes usque ad publicationem Codicis subierint, ut *vigentis* iuris matrimonialis perfecta habeatur cognitio, solido fundamento iacto per studia philosophica, theologica iurisque principia, in ipsius *originem* atque *vicissitudines*, applicata *historica* methodo, paulo diligentius est inquirendum [7]. At **primaria** et *fundamentalis* methodus est *manetque* methodus *scholastica* sive vere *scientifica*, qua universa materia ex *fontibus* deprompta in aptum quoddam *systema* redigatur, singulae quaestiones et conclusiones accurate *definiantur*, in suas partes rite *dividantur*, *solide probentur*, explicentur, illustrentur, defendantur ex rationibus positivis et internis, iuris

Praelect. dogm. VI, n. 231; *Scherer*, Handbuch d. Kirchenr. II, 93, not. 22. Cfr. quoque *Rosset*, De sacram. matrim. tract. *dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et iudiciarius*.

[7] Cfr. *Freisen*, Gesch. d. can. Eherechts; *Esmein*, Le mariage en droit canonique. Quemadmodum non pauci viri docti nostra aetate, sepositis principiis ordinis metaphysici et revelationis, per *historicas* et *ethnographicas* inquisitiones sibi eruendam esse putarunt notionem *religionis* (cfr. *Meyer*, Inst. iur. nat. II, n. 7), ita ab aliis idem tentatur *de matrimonio* haud dispari eventu. Cfr. *Schnitzer*, K. Eherecht, 2 sq.; *Cathrein*, Moralphilosophie, II, 381 sq.; *Leitner*, Lehrb. d. k. Eherechts, 31 sq.

matrimonialis propriis vera praecisione *iuridica*, minime neglectis disquisitionibus *philosophorum* catholicorum de *genuino* iure naturae et disputationibus *theologorum* de *sacramento* matrimonii [8].

Denique methodo scholasticae omnino est conforme, si doctrina canonica casibus particularibus solvendis iuxta methodum *casuisticam* vel *practicam moderate* sive in praelectionibus sive in specialibus conferentiis applicetur. Qua triplici vel quadruplici methodo diligenter adhibita poterit quis acquirere non solum *scientiam* sive cognitionem iuris matrimonialis ex causis, sed etiam *iurisprudentiam* sive dexteritatem illam *facile recteque* ius ad particulares casus matrimoniales applicandi.

VI. Fontes iuris matrimonialis

7. *Deus*, ut est *auctor naturae*, condidit legem naturalem, in qua non pauca de matrimonio secundum exigentiam *naturae* humanae sunt statuta et lumine rationis tanquam *per praeconem* hominibus promulgata. Quae leges *naturales* de matrimonio, sive *irritantes*, v. g. de *defectu consensus* ob sublatum usum rationis vel ob errorem substantialem vel simulationem vel appositionem condicionis contra substantiam matrimonii, aut de *inhabilitate personarum* propter impotentiam vel ligamen vel consanguinitatem, sive *prohibentes*, v. g. ob impedimentum voti castitatis vel mixtae religionis, sive *praeceptivae*, v. g. de legitima subordinatione uxoris et liberorum, cum per leges *positivas* in Vetere Testamento a Deo conditas nunquam *plene* fuerint *abrogatae*, immo a divino legislatore Novi Testamenti potius integre denuo sint *confirmatae* et ad primitivam puritatem revocatae, *etiam nunc* fontem *iuris matrimonialis* constituunt [9].

8. Quodsi Deus iam ab initio generis humani perfectas leges positivas etiam de matrimonio tulit [10], sane postea quoad *unitatem* atque *indissolubilitatem* matrimonii propter singula-

[8] Act. theolog. Oenipont. XI, 333 sq., 378 sq.; *Cathrein*, Recht etc., 1. sq., 8 sq., 15 sq.; *Hinschius*, System d. k. K., IV in praefatione.

[9] S. C. Inq., 28 mart. 1860: « *Quoad infideles pensitanda sunt impedimenta* **legis naturae,** *pro haeretico etiam impedimenta Ecclesiae catholicae, cui subicitur* » in Anal. eccl. VI, 386, not. 2; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 9; Acta theol. Oenip. l. c. 378 sq.

[10] Gen. I, 27 sq., II, 18 sq.; Matth. XIX, 4 sq.; I Corinth. XI, 7 sq., XIV, 34 iunct. Genes. III, 16; cap. 8, X, de divort. IV, 19; Concil. Trident. Sess. XXIV doctrina de sacram. matr.; Leo XIII, Encycl. « *Arcanum* » 10 febr. 1880; *S. Thom.*, Summa theol. P. I, q. 92, art. 1 ad 2; *Leitner*, l. c. 19 sq.

rem condicionem populi israelitici et proselytorum iustitiae rigorem iuris naturalis temperavit[11]; quoad alia vero novis sanctionibus positivis ius matrimoniale lege naturali constitutum perfecit[12]. At dispensationes illae legis naturalis per Christum Dominum absolute et universaliter fuerunt sublatae, et mere positivae leges divinae soli populo israelitico in Vetere Testamento de matrimonio datae una cum legibus caeremonialibus et iudicialibus pariter sunt abrogatae; ideoque libri Veteris Testamenti eatenus solum sunt fontes iuris matrimonialis, quatenus reliquas veritates de matrimonio positiva ratione comprobant et confirmant[13].

9. Legislator Novi Testamenti[14] atque Redemptor noster Iesus Christus non solum matrimonium ad pristinam puritatem

---

[11] Genes. XVI, 1 sq., Deuteron. XVI, 17, XXIV, 1 sq.; *Schegg*, Bibl. archaelog., 641 sq. Cfr. interim *Pesch*, Praelect. dogm. VII, n. 761 sq., 832, 821 sq.; *Cathrein*, Moralphilosophie II, 397 sq.; *Schiffini*, Philosoph. mor. II, n. 370 sq. Aliter *Schnitzer*, Kathol. Eherecht, 10 sq., 32, not. 3, ubi hominibus *nondum* baptizatis *etiam post* Christum ob rationes indubie inefficaces permissam esse putat *polygamiam* et *solutionem vinculi* matrimonialis per divortium. Etenim id inde colligit quod: 1) polygamia iuri naturae non sit contraria; 2) quod revocatio dispensationis, si quis illam putet esse necessariam, pro paganis non fuerit sufficienter promulgata; 3) quod verba Christi apud Matth. V, 31, XIX, 3 et Marc. X, 11 non sint *necessario omnibus* applicanda, sed *possint optime* intelligi de *solis* fidelibus postea Ecclesiae subiciendis; 4) quod ex cap. 8, X, de div. IV, 19 non sequatur polygamiam iure naturae non amplius esse permissam; 5) quod abrogatio polygamiae et divortii — apud paganos — fuerit impossibilis, nisi simul vita religiosa, moralis, socialis penitus reformaretur. Cfr. *Billot*, De Eccles. sacram. II, 363 sq., 374 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. VII, n. 762 sq., 821 sq.,; *Leitner*, Lehrb. d. K. Eherechts, 20, 32 sq., 170 sq., 581 sq., qui tamen dispensationem divinam super polygamia post Noë saltem *generalem* negat; si praxim polygamiae apud ipsos patriarchas putat sine dispensatione divina explicari posse per « *peccatum materiale* », huiusmodi explicatio certe verbis cap. 8, V, de divort. IV, 19, non satisfacit. Cfr. *Rosset*, De sacr. matrim. n. 511 sq., 713, sq.; *Pesch*, l. c. n. 832.

[12] Levit. XVIII, 6 sq. iunct. can. 3 Conc. Trid., Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr.

[13] Matth. XIX, 3 sq.; Benedict. XIV Const. « *Apost. ministerii* » 16 sept. 1747; *Suarez*, De leg. l. IX, c. 11; l. X, c. 2, n. 13. Sua utilitate non caret studium iuris iudaici de matrimonio, dummodo genuinum proponatur et ab exaggerationibus abstineatur. Cfr. Acta theologic. Oenipontan. XII, 656 sq.; *Schegg*, l. c.; *Schiffini*, l. c. n. 373, not. 1; *Freisen*, Gesch. d. can. Eher. 46 sq., 92 sq.; *Stubbe*, D. Ehe im alten Testam.; *Lichtschein*, D. Ehe nach mosaisch. — talmud. — Auffassung.

[14] Concil. Trident., Sess. VI, can. 21 una cum commentario *Suarez*, De leg. l. X, c. 1.

revocavit[15], sed etiam ad dignitatem sacramenti evexit; loco autem *libelli repudii* concessit privilegium in favorem fidei, quod a suo praecone dicitur Paulinum, Romanumque Pontificem instruxit potestate solvendi matrimonium ratum. Omnes illae leges divinae Novi Testamenti continentur in libris inspiratis atque in instrumentis traditionis divinae.

10. Ius canonicum in Ecclesia a legislatoribus humanis i. e. a RR. Pontificibus per epistolas decretales aut a Conciliis oecumenicis vel particularibus per sacros canones de matrimonio constitutum[16] primis saeculis Ecclesiae non reperitur propriis iuris matrimonialis *collectionibus* insertum, sed incidenter inter alios canones ecclesiasticos inclusum. Prima vice specialem quandam iuris matrimonialis collectionem exhibet: « *Lex Dei sive mosaicarum et romanarum legum collatio* », quae versus finem saeculi quarti vel ineunte saeculo quinto videtur fuisse composita, et saeculo nono ab *Hincmaro Remensi* tanquam primus liber legis romanae commemoratur. Alia collectio canonum Synodorum de rebus matrimonialibus ex saeculo 9 Frisingae est detecta. Postea praesertim *Burchardus Wormatiensis* (†a. 1025) in suo Decreto lib. VII et IX atque *Ivo Carnutensis* († a. 1117) in Decreto P. VIII et in Panormia lib. VI canones matrimoniales completa quadam ratione collegerunt[17].

11. Omnes praedecessores suos superavit *Gratianus*, qui in secunda parte Decreti, C. XXVII-XXXVI, universum fere ius matrimoniale, certo quodam continuoque ordine digestum, in unum corpus collegit.

Mox secutae sunt quinque compilationes antiquae[18], in quibus duce *Bernardo Papiensi* libro quarto capita iuris matrimo-

---

[15] Matth. V, 31, 32, XIX, 3 sq.; Bened. XIV cit. Const. « *Apost. minist.* »; *Rosset*, n. 725.

[16] Cuius rei antiquissimum exemplum est decretum Callixti I († a. 222), quo nobilibus matronis romanis permisit matrimonia inire cum libertis atque adeo cum servis. Id autem iure civili romanorum ipsis fuerat interdictum, et *Hippolyto* ansam dedit sine solido fundamento reprehendendi S. Callixtum. Cfr. Philosophumena, l. IX, cap. 12. Brevem accuratamque collectionem epistolarum decretalium et canonum primorum saeculorum inde a canonibus Apostolorum, Concil. I Illiberitan. (c. a. 300-306), Concil. Arelat. (a. 314), Conc. Ancyran. (a. 314), Conc. Neocaesar. (a. 314-324) compilavit et eruditis notis illustravit: *Palmieri*, Tract. de matr. christiano, 305 sq. Cfr. quoque *Hefele*, Conciliengeschichte, I, II, in indice v. Ehe; de Ecclesia Orientali, quamdiu cum Ecclesia Occidentali fuit unita cfr. *Zhishman*, D. Eherecht der orient. Kirche, 28 sq., et Arch. f. k. K. X, 322 sq.

[17] *Freisen*, Geschichte d. can. Eherechts, 15 sq.; *Esmein*, Le mariage I, 17 sq.

[18] Quinque compilationes antiquae, ed. *Friedberg*.

nialis ordine multo perfectiore inseruntur, de quibus S. Raymundus non pauca[19], licet sua utilitate non carerent, a compilatione authentica Gregorii IX exclusit.

Quae Gregorii IX compilatio, quamvis nequaquam universum ius matrimoniale comprehenderet neque omnes quaestiones principales de matrimonio distinctis titulis resolveret, tamen relative ita completa fuit ut libro IV in Decretalibus *Bonifacii VIII* non nisi tres tituli cum paucis capitibus, et in *Clementinis* unicus tantum titulus de consanguinitate et affinitate, uno item capite absolutus, adderentur, atque adeo in *Extravag. com.* liber quartus plane « *vacaret* ».

12. Ut in Concilio Lateranensi IV (a. 1215) non levis introducta est immutatio legislationis canonicae de matrimonio, ita post longam moram novae et verae formationi iuris matrimonialis consuluit *Concilium Tridentinum* Sess. XXIV de ref. matr., ubi imprimis « *doctrina de sacramento matrimonii* » uno capite atque duodecim canonibus contra protestantes definita, etiam « *decretum de reformatione matrimonii* » in decem capita distinctum eadem Sessione promulgatum est. Quo decreto ius antiquum de proclamationibus matrimonialibus est confirmatum et ampliatum atque nova *forma sollemnitatis* pro celebratione matrimonii stabilita; novum quoque introductum est impedimentum *raptus*, impedimenta vero *cognationis spiritualis, publicae honestatis, affinitatis* ex coniunctione *fornicaria* fuerunt restricta[20].

13. *Post Concilium Tridentinum* principalis fons iuris matrimonialis fuerunt Constitutiones *Romanorum Pontificum*, e quibus aliquae prodierunt, ut authentica daretur interpretatio

---

[19] Cfr. v. g. cpl. II, cap. 1 (Clem. III, a. 1187-1191), de conversione infidelium III, 20. Quod caput ut plurimum a theologis et canonistis non attendebatur.

[20] Qua ratione collectiones authenticae iuris Decretalium et decreta disciplinaria Concilii Tridentini vel RR. Pontificum in Ecclesia Orientali etiam unita cum Sede Apostolica haberentur fontes iuris, exponunt: *Papp-Szilágyi*, Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis catholicae §§ 107, 109; *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. VII, 198 sq.; VIII, 188 sq.; *Vering*, Lehrbuch d. k. Kirchenr. § 63. Cfr. quoque Concil. prov. Alba-Iul. (a. 1872), 92 sq. de sacramento matrimonii et de italo-graecis: Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 maii 1724, § 8; Arch. f. k. K. XI, 363 sq.; Collect. Lac. II, v. Matrimonium; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), 161 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891), 30 sq. — Decretum S. Congregationis Concilii « *Ne temere* », 2 aug. 1907, catholicos ritus orientalis non ligavit. Utrum ad eos esset extendendum et utrum integre an ex parte tantum esset orientalibus iniungendum, Sacrae Congr. de Propaganda Fide decidendum commissum fuit. Cfr. decret. S. C. Conc., 25 ianuar. 1908; ASS. XLI, 108.

iuris Tridentini, velut Pii V Constitutiones « *Sanctissimum* », 20 aug. 1566, « *Ad Rom. Pontificem* », 28 nov. 1566, « *Cum illius* », 28 nov. 1566, « *Ad Romanum spectat* », 28 nov. 1568. Aliae Constitutiones Apostolicae dubia iuris divini vel canonici in causis matrimonialibus resolverunt, v. g. Sixti V Const. « *Cum frequenter* », 22 iun. 1587, de eunuchis et spadonibus. Principem vero locum occupant in hac materia Constitutiones Benedicti XIV, v. g. Const. « *Dei miseratione* », 3 nov. 1741, de processu matrim., Const. « *Matrimonia* », 4 nov. 1741, (declaratio pro Hollandia) et Pii VI Const. « *Auctorem fidei* », 28 aug. 1794, prop. 58 sq. (de competentia Ecclesiae)[21].

Denique fontibus iuris matrimonialis adnumerari quoque possunt decr. *SS. Congregationum,* inter quae maximi momenti sunt decreta et instructiones S. Congr. Inq.[22], S. C. Concil.[23], S. C. de Propag. Fide[24] et S. C. de d. Sacram., per quas Sedes Apostolica modo generalibus ordinationibus modo causarum particularium decisionibus ius matrimoniale pro diversitate regionum applicabat.

Quae praxis particularis ut melius cognoscatur, consulenda quoque sunt decreta *Conciliorum*[25] *provincialium* et statuta particularia, inter quae eminet « *Instructio* » Card. Rauscher[26]. Quodsi Concilium Vaticanum iniuria temporum non fuisset suspensum, sine dubio non pauca decreta dogmatica et disciplinaria de matrimonio condidisset. At in sessionibus celebratis nihil de iure matrimoniali fuit definitum, et *schemata*[27] a theologis et canonistis praeparata, licet sua auctoritate non careant, tamen vim definitionum et legum non habuerunt. *Postulata*[28] quoque Episcoporum in Concilio Vaticano proposita optime sane ostendebant, quae essent desideria plus minusve rationabilia pluri-

---

[21] Clementis Papae VIII Decretales, ed. *Sentis*, 132 sq., ubi etiam alia decreta pontificia referuntur; *Esmein*, l. c. II, 223 sq.

[22] Instructio ad Patriarchas etc. rituum oriental. in causis matrimonial. adhibenda..., 20 iun. 1883, in ASS. XVIII, 334 sq.

[23] Instr. S. C. C., 22 aug. 1840; Thesaur. resol. S. C. C.; Conc. Trid. ed. *Richter*, 220 sq.

[24] Instr. S. C. de Prop. Fide de iudiciis eccl. circa causas matrim. pro Ordinar. foederat. Stat. Americ. sept., a. 1883, in ASS. l. c., 369 sq.; Collectan. S. C. de Prop. Fide n. 1212 sq., 2179 sq.; ASS. et Analect. eccl. v. Matrimon.

[25] Collect. Lac., I-VII incl.

[26] Collect. Lac. V, col. 1286 sq. Cfr. de valore iuridico huius Instr. *Gross*, D. Beweistheorie im canon. process. P. I, 129 sq.

[27] Collect. Lac. VII; *Martin*, D. Arbeiten d. Vatic. C. (I lavori del Conc. Vatic.), 65 sq., 101 sq.

[28] *Martin*, Collectio docum. Conc. Vatic., 145 sq.

morum Episcoporum propter necessitates vel iniuriam temporum, sed vim legum universalium sola interveniente auctoritate Rom. Pont. vel Concilii oecumenici obtinere poterant. Et sane hisce ultimis annis non paucis desideriis Episcoporum, praesertim a Leone XIII et Pio X, novis definitionibus [29] et decretis [30] satisfactum est.

Ius matrimoniale de sponsalibus et de forma essentiali in contrahendis matrimoniis servanda a Pio X immutatum fuit. Formam pro toto imperio germanico, ubi ob publicationem decreti Tridentini vel factam vel non factam vel temperatam magna erat disciplinae varietas, unicam praescripsit per Const. «*Provida sapientique*», 18 ianuar. 1906, quae vim habere incipiebat d. 15 apr. eiusdem anni, et legislationem Tridentinam de sponsalibus et matrimoniis declaravit ac temperavit pro tota Ecclesia latina per decretum S. C. C. «*Ne temere*», 2 augusti 1907, quod vigere debebat a d. 19 apr. 1908.

Decreta Sed. Apost. et Sacr. Congreg., quae spectabant ad ius matrimoniale in *terris missionum*, optime exhibent: Collectanea S. C. de Prop. F. atque novum Bullarium S. C. de Prop. Fide: Ius Pontificium de Prop. Fide.

14. Quamvis *civilis potestas* de *effectibus* mere *civilibus* matrimoniorum *christianorum* leges ferre valeat, tamen *ius civile* per se nequit esse *fons* iuris matrimonialis *Ecclesiae catholicae*. At Ecclesia interdum ius civile, v. g. ius Romanum [31] in cognatione legali, vel ius germanicum in computatione graduum adoptavit [32]. Hic ad meliorem iuris canonici cognitionem in hisce quaestionibus velut in solvendis difficultatibus de impedimento cognationis *legalis* ad fontes iuris civilis passim erat recurrendum. Quodsi moderni legislatores civiles contempta Ecclesiae

[29] Encyclica «*Arcanum*» 10 febr. 1880.

[30] Cfr. v. g. decret. S. C. Inq., 4 iun. 1889, in Arch. f. k. K. LXIII, 542; respons. S. C. C., 13 mart. 1879, approb. 17 mart. eod. a. per Leonem XIII; decretum Leon. XIII «*Consensus mutuus*», 15 febr. 1892, in Arch. f. k. K. LXVII, 467 sq. et LXVIII, 320 sq.

[31] De modo agendi Ecclesiae atque fidelium primis saeculis quoad leges romanas de matrimonio consuli possunt: *Bened. XIV*, De Synod. dioec. L. IX, cap. 10, 11, 12, 13, 14; *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. X, 329 sq.; *Freisen*, 885 sq.; *Scherer*, § 109; *Zhishman*, 9 sq. — Leges romanas de matrimonio explicant: *Vering*, Geschichte u. Pandekt. d. roem. Privatr. §§ 220 sq.; *Van Wetter*, Cours élémentaire de droit romain, §§ 532 sq.; *Walter*, Geschichte d. roem. Rechts, n. 517 sq.; *Esmein*, I, 4 sq.; *Zhishman*, 3 sq.; *Rossbach*, Untersuchungen ueber d. roem. Ehe; *Karlowa*, D. Formen d. roem. Ehe.

[32] *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 481 sq.; *Esmein*, I, 90 sq.; II, 67; *Freisen*, 53 sq., 103 sq., 371 sq. 886 sq.; *Scheurl*, D. gem. deutsche Eherecht.

iurisdictione etiam matrimoniorum *christianorum* ordinationem sibi usurparunt, illorum leges ambitum effectuum mere civilium excedentes omni valore destituuntur, sed ad vitanda mala maiora, non ob *propriam* vim obligantem vel irritantem saepe de facto sunt observandae ideoque a clero et fidelibus cognoscendae.

At cum potestas civilis ex veriore sententia nunc quoque, saltem *ex iure devolutionis*, sit *competens* ad condenda impedimenta vere dirimentia pro matrimoniis suorum subditorum *non baptizatorum*, leges civiles sunt *genuinus* iuris *fons* in causis matrimonialibus illorum hominum et consequenter in foro quoque canonico secundum *propriam vim* applicari debent, si forte propter conversionem saltem unius coniugis ad fidem catholicam a iudice ecclesiastico ferenda sit sententia de valore alicuius matrimonii in infidelitate contracti.

15. *Consuetudo* quoque legitima stricteque sumpta, ut distinguitur a traditione divina vel apostolica vel ecclesiastica, generatim fontibus iuris matrimonialis etiam particularis in Ecclesia catholica est adnumeranda [33]. Cuius consuetudinis etiam in iure matrimoniali duplex vis est omnino propria, sc. iuris novi *introducendi* [34] et iuris constituti mutandi vel abrogandi [35]. Quae efficacia si consuetudini in certis casibus negetur, id ex singulari *natura* [36] alicuius consuetudinis aut ex positiva Ecclesiae

[33] *Bouix*, De principiis iur. can., 356; Arch. f. k. K. X, 324.

[34] Alex. III, cap. 1, 3, X, de cogn. spirit. IV, 11, cuius sanctiones in laudatis Decretalibus perperam impugnavit *Huguccio;* Benedict. XIV Const. «*Singulari*», 9 febr. 1749, de imped. dispar. cult.; S. C. de Prop. Fid., 5 iul. 1841: *Benedictio nuptialis, quae est in Rituali* (Romano) *non prohibetur tempore vetito, dummodo non adsit* **consuetudo** *non contrahendi matrimonium etiam sine sollemnitate tempore vetito;* S. C. C., 10 ian. 1886, et in c. Argentin., 1 maii 1887; Leon. XIII decret. «*Consensus mutuus*», 15 febr. 1892, de *consuetudine immemoriali*, qua impedimentum clandestinitatis in aliqua paroecia inducitur; *Freisen*, 889; *Feije*. De imped. et dispens. matr. n. 459, not. 1; *Leitner*, 88 sq., 292, 300, 307.

[35] S. C. C. in c. Placent., 31 ian. 1880, et in c. Compostell., 11 apr. 1891, ubi approbata est *consuetudo introducta* in Hispania adhibendi scripturam publicam pro valore sponsalium; inde consequenter *limitatum* est impedimentum impediens et etiam impedimentum dirimens *publicae honestatis* ex solis sponsalibus *validis* oriundum. Nunc scriptura in sponsalibus communi lege ecclesiastica statuitur. Pius VII in epist. ad Arch. Mog., 8 oct. 1803; S. C. Inq., 11 mart. 1868, de *abrogatione* impedimenti *clandestinitatis* per desuetudinem; *Schmalzgr.*, Ius. eccl. l. IV, t. 16, n. 57, 58.

[36] Qua ratione S. C. Inq., 6 iul. 1892, declaravit: «*Mens est nullum temporis spatium sufficere, ut lex Tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco* **per simplicem inobservantiam haereticorum**». Huiusmodi enim *inobservantia* in foro externo habetur corruptela et rebellio contra legitimam Ecclesiae auctoritatem, quibus in praemium immunitas

lege est repetendum et comprobandum, v. gr. nunc ex c. 1041 Codicis quoad impedimenta matrimonialia.

VII. Litteratura iuris matrimonialis

16. Matrimonium, cum sit generis humani conservandi necessarium legitimumque medium, constanti praxi in Ecclesia fuit receptum. Neque mirum est quod de instituto adeo practico inde ab evangeliis atque epistolis S. Pauli — cfr. Matth. V, 31, 32; I Cor. VII — etiam apud SS. Patres scriptoresque ecclesiasticos frequenter, licet incidenter, agatur [37]. Primis quoque saeculis non desunt tractatus singulares [38], qui de matrimonio disserunt, quamvis in illis quaestiones dogmaticae, morales et canonicae nondum distinctis libris exhibeantur.

17. Postquam in collectionibus canonum iuri matrimoniali propria quaedam sedes fuit assignata, mox iam ante Gratianum prima vestigia et praeformationes litteraturae canonicae de matrimonio reperiuntur [39]. Verum *Magister Gratianus* fuit primus, qui non solum canones de matrimonio completa quadam ratione collegit et in certum redegit ordinem, sed etiam suis dictis atque animadversionibus materiam collectam simul in scientificum

a legibus ecclesiasticis non est concedenda; praeterea si ea sufficeret ad obtinendam exemptionem ab illa lege Tridentina acatholici generatim ab omnibus legibus ecclesiasticis etiam matrimonialibus pridem essent immunes. Quod profecto a mente et praxi Ecclesiae catholicae omnino est alienum.

[37] *S. Ignat. Antioch.* in epistol. ad S. Polycarp. cap. 5; epist. ad Diognet. cap. 5; *Hermae Pastor*, Mandatum IV, 1 (cfr. Opera Patrum Apostolicorum ed. *Funk*, 249 sq., 317 sq., 393 sq.); *Athenagoras*, Legatio (i. e. supplicatio) pro christianis cap. 33 (*Migne*, P. G. VI, 365 sq.); *Clem. Alex.*, Strom. lib. II, cap. 23 (*Migne*, P. G. VIII, 1085 sq.).

[38] *Tertullianus*, De monogamia (*Migne*, P. L. II, 929); *S. Augustin.*, De bono coniugali, De bono viduitatis, De coniugiis adulterinis (*Migne*, l. c. XL, 373, 429, 451). De quaestionibus ad patrologiam spectantibus utiliter consuluntur: *Fessler*, Episcopi S. Hippolyti institutiones patrologiae, quas denuo edidit *Jungmann*, *Nirschl*, et praesertim *Bardenhewer*, Patrologie et Geschichte d. altkirchl. Litterat.

[39] *Rabanus Maurus* in epistola ad Humbertum, quota generatione licitum sit connubium (a. 842), Tractatus de consanguineorum nuptiis (*Migne*, P. L. CX, 1085 sq., 1087 sq.) *Hincmarus Remens.* De divortio Lotharii regis et Theutbergae reginae (*Migne*, l. c. CXXV, 619 sq.); *Burchard. Wormat.*, Decret. lib. VII (*Migne*, l. c. CXL., 779 sq.); *S. Anselmus* († a. 1109), De nuptiis consanguineorum (*Migne*, l. c. CLVIII, 557 sq.); *Ernulfus*, De incestis nuptiis (a. 1115) (*Migne*, l. c. CLXIII, 1457 sq.); *Ivo Carnut.* († a. 1117), Decret. P. VIII, Panormia P. VI, VII (*Migne*, P. L. CLXI, 583 sq., 1293 sq.).

quendam tractatum iuris matrimonialis ordinavit. Gratiani vestigia secutus est *Magister Rolandus* [40] qui, antequam Cardinalis esset creatus, in Summa, ad instar tractatus singularis sive monographiae, etiam disseruit de matrimonio. Quae Summa sane non levis est momenti ad interpretandas Decretales Alexandri III, quo nomine Rolandus inter Romanos Pontifices atque praeclarissimos legislatores Ecclesiae recensetur. Post Rolandum tres Summae sive tractatus singulares de matrimonio specialem mentionem merentur, sc. Summa *Bernardi Papiensis*, probabiliter intra annos 1177-1191 conscripta [41], *Roberti Flamesburiensis* [42], quae circa a. 1207 videtur fuisse publici iuris facta, et praesertim Summa *Tancredi*, circa a. 1210-1213 composita [43].

18. Deinde eo tempore, quo authenticae compilationes Decretalium sunt promulgatae, praeter commentaria in librum quartum Decretalium et disputationes theologorum [44], non defuerunt tractatus singulares de matrimonio. Ita v. g. *Roffredus de Epiphanio* († a. 1243) in suo libro, cui titulus: « *Libelli de iure canonico* », tertio loco disserit: « *Super sponsalibus et matrimoniis et impedimentis eorum* ». Huc quoque spectant disquisitiones *S. Raymundi* de rebus matrimonialibus in Summa *post* compilationem Gregorii IX intra annos 1234-1245 conscripta, *Ioannis Andreae* Summa de sponsalibus et matrimonio intra annos 1296-1313 compilata (cfr. C. XXXV, q. 5), aliorumque tractatus et commentaria [45].

[40] Summa Magistri *Rolandi*, ed. *Thaner;* praeter Rolandum *Rufinus*, *Stephanus Tornacensis*, *Ioannes Faventinus*, *Sicardus Cremonensis* et *Huguccio* sunt nominandi.

[41] *Bernardi Papiens.* Summa de matrimonio, apud *Laspeyres*, *Bernardi Papiensis* Summa Decretal. 287 sq.

[42] *Roberti Flamesburiensis*, canonici et paenitentiarii S. Victoris Parisiensis, Summa de matrimonio et usuris, ed. *Schulte*. Cfr. de aliis tractat. matrimon.: *Kunstmann*, in Arch. f. k. K. VI, 3 sq.; 217 sq.; *Scherer*, Handb. d. Kirchenr. I, 264.

[43] *Tancredi* Summa de matrimonio, ed. *Wunderlich; Schulte*, D. Geschichte d. Quell. u. Litterat. d. can. Rechts.

[44] Inter theologos illius aetatis consuli possunt: *Hugo de S. Victore* († a. 1141), De sacramentis christianae fidei (*Migne*, l. c. CLXXVI, 173 sq., 479 sq.); *Petrus Lombardus* († a. 1164), Sententiarum libri quatuor (*Migne*, l. c. CXCII, 519 sq., 908 sq.); D. Sentenzen Rolands, ed. *Gietl* O. Pr.; *S. Thomas Aquin.*, Comment. in quatuor libr. sentent. Mag. P. Lomb. lib. IV, dist. 26 sq. Summa theologica P. III, Supplement. q. 41 sq.; *S. Bonaventura*, Commentaria in quat. libr. sentent. mag. P. Lomb. l. IV, d. 26 sq., edit. ad Claras Aquas 1882 sq., ubi simul textus optimus qui nunc existit reperitur quatuor libr. sent. Petri Lomb.

[45] Litteraturae iuris matrimonialis merito accensentur Glossatores et Glossae Decreti Gratiani atque compilationum Decretalium. Cfr. *Laurin*,

19. Post Concilium Tridentinum praeter theologos dogmaticos et moralistas[46] et commentatores libri quarti Decretalium speciali modo commemorandi sunt:

S. Rob. Bellarmino († a. 1621), De controversiis christianae fidei, III, De sacramento matrimonii liber unicus, in quo, praemissa litteratura, septem controversias dogmaticas cum protestantibus simulque non paucas quaestiones vere canonicas bene resolvit. *Sánchez* († a. 1610), Disputationum de sancto matrimonii sacramento libri decem. Hic auctor licet in assertionibus quibusdam merito sit derelictus et aliis quoque defectibus atque lacunis non careat, tamen etiam nunc in Curia Romana auctoribus classicis adnumeratur optimoque iure magni habetur; criticum vero iudicium contra hunc auctorem prolatum a *Schulte*, Gesch. d. Quellen, III, 1, 737 iustum non est modumque excedit. *Pontius* (Ponce) († a. 1629), De sacramento matrimonii, qui, ut ipse fatetur, « *spicas colligit a magno messore* (Sánchez) *relictas* ». Id autem ipsum minime impedivit quominus haud raro huic auctori contradiceret. Quibus in controversiis quandoque Benedictum XIV, saltem ut doctorem privatum, nactus est laudatorem et sectatorem. *Kugler* († a. 1821), Tractatus theologico-canonicus de matrimonio. Qui tractatus, etsi rarius citatus, perspicuitate et soliditate non paucos alios superat[47].

Nostrae aetati propinquiores ex canonistis[48], qui de iure

Introductio in corpus iuris canonici, 53 sq., 160 sq.; 189 sq.; *Freisen*. 15 sq.; *Scherer*, 254 sq.

[46] Quinam de quaestionibus dogmaticis et moralibus *post* Concil. Trid. praeclare scripserint, professoribus theologiae relinquimus exponendum. Facilem illorum theologorum sibi comparabit notitiam, si quis consulat librum utilissimum Hurter S. I., cui titulus est: Nomenclator litterarius recentioris theologiae catholicae, theologos exhibens inde a Conc. Trid., iunct. eiusdem auctoris et operis t. IV de theologis inde a S. Anselmo. Speciatim de theologis, canonistis aliisque scriptoribus Soc. Iesu consulendus est: *De Backer*, Bibliothèque des écrivains de la C. d. J., cuius libri alia emendata et aucta editio prodiit curante *Sommervogel* S. I. Cfr. quoque *Scherer*, l. c. II, 86, § 108.

[47] Cfr. quoque *Reutlinger* S. I. († a. 1720), Magnum matrimonii sacramentum casibus practicis expositum; *Clericatus* († a. 1717) (Chiericato), Decisiones de matrimonio, Decisiones sacramentales, ubi l. VI agitur de causis matrimonialibus; *Pitonius* († a. 1729), Const. Pontif. et Roman. Congregationum decisiones ad matrimonium spectantes; *Huth* S. I. († a. 1770), Casus iuridico-canonici de spons. et matrim.; *Schnitzer*, Kath. Eherecht, qui sapienti consilio ius matrimoniale illustrat *casibus non fictis*, sed veris atque plerumque *authentice a Sede Apostolica* solutis.

[48] Ex recentioribus theologis dogmaticis nominari possunt: *Carrière*, Praelectiones theologicae de matrimonio, contra quem scripsit *Martin*, De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli exclusive propria;

matrimoniali Ecclesiae catholicae scripserunt, initio operis ordine alphabetico ad maiorem commoditatem proponuntur.

Perrone, De matrimonio christiano libri tres; *Palmieri*, Tractatus de matr. christiano; *De Augustinis*, De re sacramentaria, II, tractat. VIII, de matrim.; *Billot*, *Pesch*, *Schanz* aliique.

Neque negligendi sunt tractatus de matrimonio, quos conscripserunt doctores theologiae moralis, velut *S. Alphonsus*, *d'Annibale*, *Gury-Ballerini*, *Lehmkuhl*, *Ferreres* et praesertim *Ballerini-Palmieri*, Opus theologicum morale v. VI, de matrimonio. Item adeundi sunt doctores iuris naturae, ubi disserunt de familia, v. g. locis iam citatis *Schiffini*, *Meyer*, *Cathrein* aliique.

PARS PRIMA

DE PRAECEDENTIBUS MATRIMONIUM

CAPUT I.

De matrimonio in genere

20. Fontes: C. XXVII, q. 2; C. XXXII, q. 1, 2 et sparsim inde a C. XXVII usque ad C. XXXII. — Cpl. I, lib. IV, tit. 1, de sp. et matrimonio[1]; cpl. II, eod.; cpl. III, eod.; cpl. IV, IV, 1, de sp. et matrimoniis; cpl. V, lib. IV, tit. 1, de sp. et matrimonio. — Decretal. Gregor. IX, l. IV, t. 1, de spons. et matrimoniis; Decretal. Bonif. VIII, eod. — Concil. Trid. Sess. XXIV, de ref. matr. iunct. declar. S. C. C. in ed. *Richt.*, 220 sq. — Decret. S. C. C. «Ne Temere», 2 aug. 1907, — Clementis Papae VIII Decretales, lib. IV, tit. 1, de spons. et matrimoniis ed. *Sentis*, 132 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 1212 sq.; Collect. Lac. v. Matrimon.; Synod. Sciarf. (a. 1888), 161 sq.

Scriptores: Commentatores iur. Decret. h. t.[2]. — *Devoti*, Inst. canonic. l. II, tit. 2, sect. 7; *Zech*, De iure rer. ecclesiast. sect. 2, tit. 9, de contractu et sacram. matrim.; *Vering*, Lehrb d. k. K. § 223; *Scherer*, §§ 107, 108, 109. — *Sánchez*. De matr. l. II, VII; *Ferraris*, Biblioth. v. matrimonium art. 1; *Schulte* l. c. §§ 1 sq.; *Giovine*, De dispensat. t. 1, §§ 1 sq.; *Feije*, n. 1 sq.; *Heiner*, Grundriss d. k. Eher., 6 sq.; *Rosset*, I, n. 1 sq.; *Lau-rin*, Introd. in ius matrim. 1 sq.; *Schnitzer*, 1 sq.; *Leitner*, 1 sq.; *Zhishman*, 3 sq., 15 sq., 93 sq.; 179 sq. — *Heuser*, De potestate statuendi imped. dirim. pro matrim. soli Eccles. propria; *Moulart*, L'Eglise et l'Etat, l. III, 5. — *Freisen*, 22 sq., 220 sq., 865 sq., *Moy*, 1 sq. — Praeterea maxime hoc titulo consulendi sunt theologi atque philosophi. — Post Codicem: *De Smet*, n. 58 sq., 260 sq., 368 sq.; *Chelodi*, n. 1 sq.; *Cappello*, I, n. 1 sq.; *Gasparri*, I, n. 1 sq., 1288 sq.; *Vlaming*, I, n. 6 sq.

---

[1] Inst. I, 10, de nuptiis; Dig. XXIII, 1, de sponsal., 2, de ritu nuptiarum; Cod. V. 1. sq. de sponsal., 4, de nuptiis; Novell. 22; cod. civ. Ital. art. 79 sq., 53 sq., 1378 sq.; cod. civ. Gall. art. 144 sq.; cod. civ. Hisp. art. 42 sq.; cod. civ. Germ. §§ 1297 sq.; *Schulte*, l. c. § 1, i. f. p. 110 sq.

[2] *Paucapalea*, Summa, ed. *Schulte;* Summa magistri *Rolandi*, ed. *Thaner*, 113 sq.; *Steph. Tornac.*, Summa, ed. *Schulte*, 231 sq. Cfr. *Gietl*, in Arch. f. k. K. LXVII, 421 sq.; *Bern. Pap.*, Summa Decretal., Summa de matrim. 130 sq., 287; *Tancred.*, *Summa* 1, 2, 11 sq.; *S. Raymund.*, Summa l. IV, tit. 1, de sponsal. tit. 2, de matrimonio.

Praenotiones

21. Definitio. Matrimonium [3] consideratur aut ut *actus transiens — in fieri*, active, causaliter — sive ut *contractus*, quo initur et constituitur societas maritalis sive coniugalis, aut ut *stabilis coniunctio* sive societas coniugalis — vinculum vel status matrimonii, *in facto esse*, passive, formaliter — quae est *effectus* productus a contractu coniugali tanquam a causa efficiente [4].

Si matrimonium *in fieri* spectetur, definiri potest: *Contractus* legitimus et individuus maris atque feminae ad generandam et educandam prolem [5]. Cui definitioni si addas: *Gratiae spiritualis collativus*, habes etiam notionem *sacramenti* matrimonii.

Vicissim matrimonium, si usu communi et etiam theologis et canonistis proprio sumatur pro *vinculo* vel societate permanente, definitur: *Coniunctio* legitima et individua maris atque feminae ad generandam et educandam prolem [6], vel brevius: Maris et feminae individua *societas coniugalis* sive maritalis [7].

Tertia quaedam definitio iuris Romani praesertim in Ecclesia Orientali recepta (cfr. L. 1, D. de rit. nupt. XXIII, 2; *Zhishman*, l. c., 93 sq.), sc. « *nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio* » quoad substantiam convenit cum secunda et solummodo partes *integrantes individuae* vitae consuetudinis, quae opponitur *divortio*, magis enuntiat [8].

22. Divisio. Matrimonium, quod ex ipsis definitionibus evidenter dispescitur in *contractum* matrimonii et *statum* matrimonii, in *sacramentale* matrimonium (ratum) et *non sacramentale* matrimonium (legitimum) praeterea dividi potest:

I. *In verum*, sive in se et obiective *validum*, et *invalidum*, *licitum — legitimum* sensu lato — et *illicitum*, *putativum* et *praesumptum* [9]. *Verum* sive *validum* vocatur illud, quod sine impedimento dirimente celebratum revera producit *vinculum* matrimoniale, et si praeterea impedimentum *impediens* non obstet, etiam *licitum* existit; secus validum quidem est, at *illicitum*.

Porro *invalidum* sive irritum sive nullum generatim est omne matrimonium, cuius valori obstat aut impedimentum dirimens

---

[3] Quatuor sunt *nomina* quibus in lingua latina matrimonium insignitur: I. *Matrimonium*, quod veteres scriptores derivant a matre et munio (cfr. *Tancred.*, Summa de matr. ed. *Wunderlich*, 11), quoniam mulier nubit viro ut mater fiat, et partus magis est onerosus matri quam patri, finisque principalis matrimonii est proles quam mater concipit, parit primisque praesertim curis educat. Cfr. cap. 2, X, de convers. infid. III, 33; Catechism. Rom., De matr. sacram. n. 2; *S. Thomas*, Suppl. q. 44, art. 2, ad 1. Cfr. de absona theoria matriarchatus etiam ex verbo matrimonii deducta: *Scherer*, § 108, not. 1, 7; *Cathrein*, Moralphilosophie II, 381 sq.; de theoria evolutionistarum, *De Smet*, n. 80 sq. — II. *Nuptiae* sive *connubium* ab obnubendo; nam sponsae cum nuberent, olim pudoris causa et in signum subiectionis sub potestatem mariti velo sese obtegebant vel uno vinculo colligabantur. Cfr. c. 7, 8, C. XXX, q. 5; *Roland*. Summa, ed. *Thaner*, 153; *Freisen*, 137. Praeterea *nuptiae* interdum designant sollemnitates vel *festivitates* cum celebratione matrimonii coniunctas; immo vocabula nubendi vel nuptiarum vel connubii in legibus romanis (cfr. L. 31, Cod. ad leg. Iul. IX, 9), et in iure canonico (cfr. c. 20, D. 34; c. 29, 40, C. XXVII, q. 2; cap. 4, X, de cogn. spirit. IV, 11; *Schmitz*, D. Bussbuecher (I.) 283, 403), etiam denotant coitum coniugalem. — III. *Consortium* a communione eiusdem sortis et condicionis honorum et iurium et bonorum inter coniuges. Cfr. L. 1, D, de ritu nupt. XXIII, 2. — IV. *Coniugium* ab effectu, quia matrimonium duos coniuges sub uno iugo coniungit et ex duobus illis quasi una caro fit. Cfr. c. 13, C. XXXII, q. 2; c. 5, C. XXVII, q. 2; *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 221 sq.; *Rosset*, n. 8 sq.; *Laurin*, l. c. p. 3. — A *graecis* adhibentur similia vocabula, v. g. γάμος, γαμικὴ ὁμιλία, συζυγία, σύζευξις. In lingua germanica matrimonium praesertim vocatur *Ehe* sive antiquitus Ewa, Ea, = aevum. Quod verbum postea significavit *legem* vel *vinculum* sive foedus et tandem *legitimam* et stabilem unionem viri et mulieris in societate maritali.

[4] *S. Thom.*, l. c. art. 1, 3; *Sánchez*, l. II, disp. 1, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, IV, 1. n. 223 sq., 256 sq., 294 sq.

[5] *Stentrup*, in Act. theol. Oenip. II, (a. 1878), 179 sq.; *Rosset*, n. 88 sq.; *De Smet*, n. 75 sq.

[6] Inst. 1, 9, de patria pot.; cap. 11, X, de praescr. II, 23, ubi quoad substantiam eadem refertur definitio: *Maris et feminae* (legitima) *coniunctio individuam vitae consuetudinem* « (exigens) *retinens* », quae *formaliter* accepta enuntiat essentiam matrimonii *in facto esse.* Nam « *matrimonium est* vinculum, *quo ligantur* (coniuges) *formaliter, non effective, et ideo non oportet quod sit aliud a coniunctione* ». Cfr. *S. Thom.*, Supplem. q. 44, art. 1, 3; q. 45, art. 1; q. 42 art. 3; *Rosset*, n. 242 sq. Quodsi *causative* accipiatur *etiam* designat *contractum* matrimonialem sive matrimonium *in fieri.*

[7] Catech. Rom. l. c. n. 3, 4, 5, 8; *S. Thom.*, l. c. q. 44, art. 3. Societas in *genere* est coniunctio *moralis* et *stabilis* plurium hominum ad communem finem *honestum* collatis viribus ex obligatione conspirantium. Porro societas *domestica*, cuius societas coniugalis est radix atque principalis *pars*, dicitur societas naturaliter instituta in ordine ad convictum cotidianum. Inde facile patet quid *societas coniugalis* habeat *commune* cum reliquis societatibus et quommodo ab iis *specifice* differat. Cfr. *Meyer*, Philos. mor. I, n. 347 sq.; II, n. 94 sq.; *Schiffini*, Philos. mor. n. 209 sq.; *Cathrein*, Moralphil. II, 368 sq.; 373 sq.

[8] *Schoedrey*, in Arch. f. k. K. XXX, 8; *Perrone*, I, 262 sq., ubi verba illa « *iuris divini* » explicat de uxore « *sacrorum socia* »: *Walter*, Gesch. d. roem. R. n. 517, 518; *Moy*, 156, not. 276, p. 3, not. 6.

[9] *Schmalzgr.*, n. 227 sq., 232 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 39 sq.; *Scherer*, 109, not. 57, ubi recte reicit illam distinctionem modernorum iuristarum inter matrimonium *invalidum* et matrimonium *non existens.*

propter inhabilitatem *personae* aut vitium essentiale *consensus* aut defectus *formae* substantialis. Deinde cum actus, qui *scienter* contra legem prohibentem vel irritantem ponitur, dicatur *attentatus*, ideo matrimonium ab utraque vel alterutra parte cum *scientia* impedimenti dirimentis invalide celebratum speciali ratione dicitur *attentatum*.

II. *a*) Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum in eo intercessit copula carnalis; *ratum et consummatum*, si copula intercessit.

b) Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum dicitur *legitimum*, quod potest esse consummatum et non consummatum.

c) Habita inter coniuges cohabitatione matrimonium *ex iuris praesumptione* censetur consummatum, donec contrarium probetur (c. 1015).

Quae terminologia de matrimonio *rato*, i. e. sacramento, quae nondum in Decreto Gratiani obtinuerat (cfr. *Dictum* ad C. XXVIII, q. 1), iam clare fuit adhibita ab Innocentio III, c. 7, X, de divort. IV, 19 ubi « *matrimonio* **vero** *inter infideles* » celebrato, quod « *non tamen est ratum* », opponit matrimonium « *inter fideles verum et ratum* », quod sit verum **sacramentum** Novi Testamenti. Pariter a Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr., matrimonia clandestina *antea* a fidelibus celebrata « *vera et rata* » dicta sunt, tametsi ab Ecclesia fuissent prohibita. Nihilominus passim a doctoribus ob commoditatem formulae vox *ratum*[10] hactenus fuerat adhibita ad excludendam consummationem *etiam* in matrimonio *legitimo*[11], ac vel ipse Codex vocem *legitimum* adhibet in significatione generica de quolibet matrimonio valido, v. gr. in c. 1075. Qui tamen usus varius in iure praecedente atque adeo in ipso iure Codicis vocum *rati* et *legitimi* non efficit ut, nisi contrarium evincatur, non debeat accipi matrimonium ratum pro matrimonio sacramento, in quo non intercessit copula carnalis, et matrimonium legitimum pro matrimonio a non baptizatis secundum leges *divinas* et *civiles* inito.

Consummatio, semel ac constat de coniugum cohabitatione, merito praesumitur ex iis quae communiter contingunt, et idcirco

[10] De aliis significationibus vocis *ratum*, cfr. *Chelodi*, n. 8; *De Smet*, n. 157; *Gasparri*, I, n. 41, ubi aperte docet saepe matrimonium solere dici ratum per oppositionem ad consummatum.

[11] Praeter communem significationem vocis matrimonii legitimi, quam firmavit Codex, non paucae erant aliae, ut iam notavit *Benedictus XIV*, De Syn. dioec. l. VIII, cap. 12, n. 5, provocans ad dictum Gratiani c. 17, C. XXVIII, q. 1, atque latius exponit *Freisen*, 71 sq. Cfr. quoque *Rosset*, n. 12; *Gasparri*, I, n. 49.

ad consummationem excludendam exiguntur probationes iuridicae[12]. Copula carnalis, per quam matrimonium consummatur, debet esse copula perfecta seu de se apta ad generationem, quae habetur per penetrationem vaginae et seminis virilis effusionem intra vas mulieris; non sufficit proinde copula onanistica aut sodomitice peracta, nec mera virgae applicatio ad partem exteriorem vulvae aut vulvae ipsius penetratio et depositio seminis ad os vaginae, quamvis inde fecundatio sequi possit. At quaelibet vaginae penetratio cum seminatione intra ipsam sufficit; et ideo, ex iis quae communiter contingunt, per retentam perfectam integritatem hymenis eliditur praesumptio de consummatione quam ius ex cohabitatione statuit, nisi in casu particulari, iudicio peritorum, valde notabilis illius membranae elasticitas permittat sine illius laceratione penetrationem virgae et certo constet de conatu copulae viri potentis. Insuper hodie ad iudicandum de consummatione matrimonii, habenda quoque est ratio an artificiosa hymenis refectio, cuius non rarus est usus, probabilis appareat. Porro etiam per copulam inconscienter passam, v. gr. in somno aut per vim extortam, matrimonium consummatur[13].

III. Putativum matrimonium appellatur, quod in se et obiective est *nullum* propter *occultum* impedimentum dirimens ab *alterutra* saltem parte *bona fide* ignoratum, ideoque saltem ab una parte fuit bona fide celebratum. Quae bona fides non praesumitur in iis, qui scienter neglexerunt formam ecclesiasticam celebrationis ad valorem requisitam[14].

[12] Cfr. Decr. « *Catholica doctrina* » S. C. de d. S., 7 maii 1923.

[13] *De Smet*, n. 157, iunct. *D'Annibale*, II, 470, not. 16.

[14] Iure praecedente requirebatur ut matrimonium *figuram* seu *speciem* matrimonii haberet. Quae externa species matrimonii *stricte* non verificabatur ubi forma fuisset neglecta ab iis qui ea tenebantur. Quod requisitum non amplius ponitur in Codice. At merito mala fides praesumitur in subdito Ecclesiae qui formam ecclesiasticam celebrationis negligit, quae si in casu particulari inculpabiliter ignoratur, ex tali bona fide etiam hoc matrimonium erit putativum. *Chelodi*, n. 9. Praeter casum duorum acatholicorum, etiam catholici possunt in certis adiunctis coram solis testibus inire validum matrimonium ideoque etiam putativum. Porro S. C. Inq., 26 sept. 1824, (Collect. S. C. de P. F. n. 1235, 1463) declaraverat matrimonia ab infideli vel haeretico *cum* parte *baptizata* invalide contracta etiam in locis, ubi vel ipsi haeretici forma ecclesiastica ligantur, *fornicariis* coniunctionibus *non* adnumerantur, sed *figuram matrimoniorum* habere dicenda sunt, si iuxta mores regionum formam matrimoniorum tenent et legitima reputantur. Facile praesumi debet bona fides in infideli vel haeretico.

Putzer vero, l. c., textum responsi S. Paenit., 14 febr. 1827, non plene refert; nam teste Palmieri, theologo S. Paen., in textu authentico post verba « *in precibus* » legitur: « *donec aliter a S. Sede non sit decretum* »

Ubi primum subintrat mala fides per hoc quod *uterque* coniux *certo* modo cognoscit matrimonii nullitatem, coniugium desinit esse putativum, et coniuges ab usu abstinere et dispensationem postulare tenentur, aut, si ea concedi nequit, sunt separandi (c. 1015 § 4).

Putativum matrimonium speciali gaudet iuris favore quoad liberos, qui legitimi habentur, ut postea uberius erit explicandum.

IV. *Praesumptum* matrimonium iure Decretalium erat, quod a *iure* propter factum quoddam *existere* obiective praesumebatur, *aut* simplici praesumptione iuris *aut* praesumptione iuris et de iure, contra quam *directa* probatio non admittitur, nisi sit *evidens*, licet probatio *indirecta* non sit exclusa [15]; ius supponebat illud factum implicite continere consensum matrimonialem. Codex nullum offert casum matrimonii praesumpti.

V. Dividi potest in contractum matrimonialem *naturalem*, qui spectatis consensu et forma et habilitate contrahentium personarum solis legibus *divinis*, sive iuris naturalis sive positivi, est conformis; in *ecclesiasticum* sive canonicum [16] — legitimum

---

i. e. facultatem dispensandi adhiberi posse in matrimoniis « *contractis* » etiam coram magistratu *civili*. At *nunc* S. Paenit. suam praxim mutavit atque pro matrimoniis *duorum catholicorum* Episcopis facultatem dispensandi dare *solet* hisce verbis: « *In matrimoniis nulliter* **coram Ecclesia catholica** *contractis* »; *Rosset*, l. c. n. 2493.

[15] Huius matrimonii praesumpti praesumptione iuris et de iure *antiquitus* tres recensebantur species: 1) Si post *sponsalia* valide et absolute contracta sponsi inter se liberam habuerunt copulam carnalem; 2) si sponsi *contracto* matrimonio *condicionato* de futuro contingente ante eventum condicionis exercent carnale consortium; 3) si *impuberes matrimonium* ratione aetatis invalide celebratum post adeptam pubertatem copula carnali vel *aliis* signis, v. g. amplexibus, cohabitatione, ratum habent. Cfr. cap. 3, 5, 6, X, de cond. appos. IV, 5: cap. unic. de desp. imp. IV, 2, in Sext.; cap. 3, X, qui fil. IV, 17; cap. 15, 30, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 232 sq. Quae matrimonia praesumpta antiqui iuris Decretalium abrogata fuerunt in omnibus regionibus formae Tridentinae cap. *Tametsi* subiectis. Immo Leo XIII, Const. « *Consensus* », 15 febr. 1892, declaravit et decrevit *sponsalia de futuro* propter *subsecutam* copulam carnalem sponsorum etiam in regionibus a forma Tridentina exemptis non amplius ex praesumptione iuris transire in vera matrimonia. Cfr. Arch. f. k. K. LXVII, 467 sq., iunct. LXVIII, 320 sq., LXXVI, 251 sq.; *Scherer*, l. c. § 134, not. 120.

[16] Quodsi quaeratur quemnam ex his tribus contractibus matrimonialibus a fidelibus celebratis Christus Dominus elevarit ad dignitatem sacramenti novae legis, respondendum est: Contractum canonicum, minime vero contractum *civilem*, cum matrimonii christiani valor et honestas a legibus *civilibus* non pendeant, neque contractum *mere naturalem*, qui nihil contineat nisi quod iure *divino naturali* vel *positivo* ad honestatem vel valorem matrimonii requiratur; secus contractus matrimonialis cum

cuius valor et honestas tantum pendent a legibus
sensu lato — in *civilem* sive legitimum sensu stricto, qui
divinis et *canonicis*; contractus naturalis ut validus atque honestus
praeter requisita quoque cum legibus civilibus habere debet.
sit, conformationem

VI. In matrimonium *publicum* et *occultum* sive *conscien-*
tiae. Publicum celebratur cum interventu *auctoritatis* ecclesias-
ticae *in facie Ecclesiae* iuxta legitimam formam ab Ecclesia ad
valorem actus praescriptam, i. e. praemissis proclamationibus,
coram parocho et testibus. Cui publicae celebrationi si accedant
sollemnitates accidentales, velut benedictio sollemnis, festiva tra-
ductio sponsae aliaque publicae laetitiae signa, nuptiae dicun-
tur *sollemnes*. Cfr. Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 10, de ref. matr.
Occultum est matrimonium, quod omissis proclamationibus et
acceptis sponsorum iuramentis de statu libero tantum coram pa-
rocho et duobus discretis testibus initur ex causa necessitatis et
servata in reliquis Bened. XIV Const. « *Satis vobis* », 17 nov. 1741.
Cfr. quoque Instr. Card. Rauscher, § 84. A matrimonio occulto
probe distinguendum est matrimonium *clandestinum*, quod ini-
tur sine interventione auctoritatis ecclesiasticae, omissis procla-
mationibus atque forma sollemni in facie Ecclesiae. Semper de-
testata est Ecclesia huiusmodi clandestina matrimonia et ex tem-
pore Concilii Tridentini etiam irrita fuerunt, si in loco quo ce-
lebrabantur *vigeret* cap. *Tametsi* eiusdem Concilii vel a die 19
april. 1908 decr. S. C. C. « *Ne temere* » d. d. 2 aug. 1907, receptum
dein in Codicem, et forma *substantialis* sollemnitatis ibidem
praescripta non observetur. Cfr. de diversa significatione matri-
monii clandestini: *Gasparri*, l. c. n. 243; *Scherer*, l. c. § 109, not. 21.

Denique matrimonium *occultum* vel *conscientiae* non est confundendum cum *disparagio* vel matrimonio *morganatico*, quod opponitur apparagio sive matrimonio inter pares. Quamvis enim matrimonium morganaticum *possit* esse *simul occultum*, tamen id de ratione illius necessario non requiritur, immo neque *de facto* ordinarie occulte contrahitur. Matrimonium *disparagium* (oppositum apparagio i. e. inter pares) quod praesertim vocatur *morganaticum* (ad morganaticam) sive salicum (lege salica, ad legem salicam) sive ad manum sinistram, nunc [17] est

---

impedimento dirimente iuris *mere* ecclesiastici celebratus verum esset matrimonii sacramentum. Hinc quoque efficitur Ecclesiam non mutare Christi institutionem, cum impedimentum dirimens constituit aut abrogat; manet enim semper immutata divina lex institutionis matrimonii: Contractus matrimonialis fidelium validus, sive legibus divinis et ecclesiasticis conformis, esto sacramentum. Cfr. *Zallinger*, h. t. § 34; *Van de Burgt*, l. c. p. 10; *Lugo*, De iust et iure disp. 22, n. 392; *Pesch*, l. c. n. 698.

[17] Disparagium vel matrimonium *morganaticum* ortum est ex antiquo

coniunctio maritalis inter personam superioris nobilitatis et personam minus nobilem vel ignobilem sive disparem, in foro ecclesiastico tum *in se* tum quoad *effectus canonicos* prorsus legitima, at ea condicione inita ut *uxor* et *filii* a *dignitatibus* civilibus et *bonis avitis* excludantur iisque honoribus et bonis contenti sint, quae ipsis ex dono matutino « *Morgengabe* » — ex quo vocabulo germanico orta esse videtur denominatio illa morganatici matrimonii, non ex hebraico verbo « *mohar* » pretium — vel ex aliis pactis specialibus obveniunt. Cfr. *Devoti*, l. c. §§ 102, 108; *Scherer*, l. c. § 109, not. 29. *Salicum* vero huiusmodi matrimonium dictum est, quia ad tramites legis salicae omnes liberi etiam *masculi* ex matrimonio morganatico procreati habentur ad instar *cognatorum*, qui non nisi exstinctis omnibus *agnatis* in hereditatem succedunt.

23. Notae historicae. I. Deus rerum omnium conditor in paradiso societatem coniugalem viri et feminae ipsa creatione instituitam positiva quoque lege promulgavit [18]. Cfr. Genes. II, 18 sq. Quae institutio positiva Dei maxime illud effecit ut matrimonium inde ab exordio mundi non tantum simplex esset *contractus*, sed *signum* quoddam *sacrum* mysterii Incarnationis atque futurae coniunctionis Christi cum Ecclesia [19]. Nam huiusmodi typica significatio neque ex natura rei matrimonio est propria neque ab ulla potestate humana illi coniungi potest. Praeter hanc singularem atque positivam praerogativam matrimonium duplicem proprietatem stricti iuris naturalis, sc. *unitatem* et *indissolubilitatem* (cfr. Genes. II, 24; cap. 8, X, de divort. IV, 19; *Schmalzgr.*, IV, 4, de spons. duor. n. 9), de iure saltem usque ad diluvium retinuit. Quamvis enim unitas de facto, v. g. a Lamech, iam illo tempore fuerit violata [20], tamen de iure fuit servata, neque ullum adest vestigium Deum extraordinaria quadam dispensatione duplicem illam obligationem unitatis et indissolubilitatis sive generaliter pro universo genere humano sive pro particulari quadam gente sustulisse. Et profecto Noe et filii eius singuli singulas tantum habuerunt uxores [21].

II. In statu *legis mosaicae* matrimonium retinuit imprimis illam significationem unionis Christi cum Ecclesia subiectumque mansit sanctionibus iuris naturalis, sed quoad *unitatem* et *indissolubilitatem* matrimonii, saltem populo israelitico, dispensatio divina fuit concessa, vel potius quod partim de iure quoad polygamiam [22], partim de facto quoad divortium iam exstitit id ex-

---

iure populorum *germanicorum*, quo mulier, non sollemniter ducta, vera quidem fuit uxor, at non coniux legitima cum omnibus *effectibus iuris civilis* ideoque dicebatur concubina, atque matrimonium non fuit « *pleni iuris* ». Cfr. *Freisen*, 53 sq. Cum *disparagium* antiquis temporibus solummodo locum haberet inter partem *ingenuam* et *non liberam*, inde ex saeculo decimo tertio praesertim illa matrimonia dicebantur disparagia vel morganatica, quae inter personam superioris nobilitatis et personam minus nobilem atque adeo ignobilem fuerunt celebrata. Quae matrimonia morganatica originem debent iuri longobardorum sive libris feudorum circa med. saec. 12 compositis, ubi l. II, tit. 29, haec leguntur: « *De filiis natis ex matrimonio ad morganaticam contracto. Quidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit: qui nolens existere in peccato eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa nec filii eius amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsalium, v. g decem libras vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit, quod mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege salica; hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt aliis exstantibus, sed nec in feudo etiam aliis non exstantibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietatem vero succedunt patri prioribus non exstantibus, succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus secundum usum mediolanensium* » Cfr. quoque l. II, feud. tit. 26, § 16; Lex salic. tit. 59, de alodis; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 237; *Walter*, D. Rechtsg. n. 502, 493; *Gerber*, System. d. d. Privatr. §§ 224, 238; *Pertile*, Storia del diritto italiano, III, p. 289 sq., 316 sq., 371; *Scherer*, § 109, not. 29; Staatslex. v. Ebenbuertigkeit; *Hollweck*, Civileher., 167 sq., unde constat huiusmodi matrimonia morganatica ex iure civili *nunc communiter vigente* ab ordinariis civibus, immo etiam a nobilibus non amplius posse celebrari, nisi excipias familias supremorum principum (sovrani) aliasque superioris aristocratiae speciali privilegio in nonnullis civitatibus donatas. Cfr. *Leitner*, 75, ubi saltem pro Germania et Austria satis accuratum exhibet catalogum, 46 sq., 193 sq.

[18] Cap. unic. de voto III, 15, in Sext.; Concil. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matrim. cap. unic. *Baier*, D. Naturehe in ihr. Verhält. zur parad., 46 sq., 193 sq.; *Scherer*, § 109; *Rosset*, n. 74; *Leitner*, 19 sq.

[19] S. Paul. ad Ephes. V, 31, 32; S. Leo M. in epist. 2, ad Rustic. Narbon.; Innoc. III, cap. 8, X, de divort. IV, 19; Leo XIII, in Encycl. « *Arcanum* », ubi de hac re provocat ad suos praedecessores Honor. III et Innoc. III; *Rosset*, n. 62 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioeces. l. XIII, cap. 21 n. 8, 9.

[20] Genes. IV, 19; *Rosset*, n. 510; *Leitner*, 21 sq., 32 sq.

[21] Genes. IV, 18, VII, 7; cfr. *Hergenroether-Hollweck*, Lehrbuch d. k. Kirchenrechts 2, 689, not. 1.

[22] Genesis XVI, 3, XXII, 24, XXX, 3, XXXVI, 12; Deuter. XVII, 17, XXI, 15 sq., XXIV, 1; *Schmalzgr.*, IV, 4, n. 10; *Zech.* §§ 355 sq.; *Palmieri*, De matr., 115 sq.; *Wilmers*, De relig. revelata, 229 sq.; *Ottiger*, Theolog. fund. I, 422 sq.; *Schegg*, D. bibl. archaeolog., 640 sq.; *Freisen*, 45. Si dispensatio illa divina facta esse dicatur *pro Noe statim post diluvium*, v. g. a *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 8, aliisque non paucis, certe non videtur esse ratio illam ita restringendi, ut descendentibus a Noe eiusque filiis, qui postea facti sunt *infideles*, omnino negetur. Cfr. *Pesch*, l. c. VII, n. 832 sq., 771 sq., qui cum Bellarmino, Billuart, Gasparri aliisque tenet polygamiam a Deo etiam gentilibus fuisse per dispensationem permissam.

At fatendum est fundamentum huius sententiae de polygamia, iam

presse a Deo (Deuter. XXIV, 1 sq.), pro futuro tempore certis limitationibus adiectis per Moysen est approbatum [23]. Praeterea Moyses tanquam legatus et praeco divinus compluribus legibus positivis in iure *naturali non expressis* solique populo israelitico impositis matrimonium magis ordinavit certisque impedimentis de consanguinitate, affinitate, disparitate cultus, nuptiis sacerdotum et praesertim summi sacerdotis illius *honestatem* atque *valorem* communivit [24].

III. Tandem *in nova lege christiana* antiqua illa significatio matrimonii transformata est in significationem realem et efficacem gratiae elevatione contractus matrimonialis baptizatorum ad dignitatem sacramenti Novi Testamenti. Id probabilius eo tempore factum est, quo Christus post resurrectionem suam

---

Noe et filiis eius permissa, non niti certis testimoniis et a gravibus auctoribus, v. g. S. Bonaventura, Zech aliisque, non levibus impugnari argumentis. Cfr. cap. 8, X, de divort. IV, 19; *Rosset*, n. 511 sq., qui dispensationem primum *Abrahae* et *soli populo israelitico a Deo* vere indultam fuisse defendit. Nec quidquam mirum est quod idem *Rosset*, n. 723 sq., sibi cohaerens propugnet cum *Sánchez, Pirhing,* aliisque contra *Laymann, Schmalzgr.* etc. Deum per Moysen *libellum repudii* solis iudaeis, non gentilibus permisisse, cum ille libellus magis repugnet sanctitati matrimonii nec apud gentiles stipatus fuisset condicionibus iuris mosaici. Quibus theoriis admissis et attento facto, quod tempore adventus Christi inter hebraeos polygamia non amplius fuerit in usu, facilem habet solutionem quaestio mota quomodo polygamus, qui ante adventum Christi plures dicitur legitime duxisse uxores, ab iisdem excepta prima fuerit solutus; etenim nullus christianus simul complures uxores unquam legitime retinere potuit. Denique nequaquam dicendum videtur polygamiam et libellum repudii a populo electo etiam indirecte in gentiles dimanasse, sed vicissim propter *exemplum gentilium*, qui iam usum polygamiae et divortii habuerunt, videbatur expedire, ut ad vitanda mala maiora et servatis certis condicionibus etiam hebraeis aliquid permitteretur. Cfr. *Rosset*, n. 520, cum S. Thoma. *Gentiles* a statu *perfectiore* matrimonii antiquorum temporum magis magisque *recesserunt* atque nequaquam a condicione vaga et silvestri progressi sunt ad civilem quandam coniunctionem maritalem, ut nonnulli viri docti et socialistae arbitrati sunt. Nihilominus usque ad nostram aetatem nulla reperta est in historia gens adeo corrupta, in qua notio matrimonii penitus evanuerit. Cfr. *Leitner*, 36 sq., ubi historiam matrimonii apud paganos breviter adumbrat et figmenta historica et sophismata darwinistarum et socialistarum solide refutat.

[23] *S. Thom.*, Suppl. q. 67; *Schegg*, l. c. 645; *Schmalzgr.*, IV, 19, n. 12 sq.; *Pirhing*, eod. t. n. 38; *Rosset*, n. 713 sq.

[24] Levit. XVIII, XX; Exod. XXXIV, 16 et Deuter. VII, 3, iunct. Benedict. XIV Const. « *Singulari* », 9 febr. 1749, §§ 3 sq.; *Tirinus*, Comment. in cit. text. Levit. Exod., Deuter.; *Hummelauer*, in eosd. text.; *Leitner*, 33 sq.; *Wilmers*, l. c., 494 sq.; *Ottiger*, l. c. 387 sq.; *Scherer*, § 109, not. 7; at iis, quae *Scherer*, § 108, not. 4, 6, asserit, plerique theologi et canonistae catholici indiscriminatim calculum non adiciunt. Cfr. *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. XIII, 21, n. 8; *Pesch*, l. c.; *Rosset*, l. c. n. 521 sq.

Apostolos de regno Dei instruxit. Porro Christus Dominus legislator Novi Testamenti duas illas dispensationes de polygamia et libello repudii absolute et in perpetuum pro omnibus sive baptizatis sive *non baptizatis* omnino abrogavit [25]. Item sustulit leges divinas Veteris Testamenti, quae fuerunt *mere* positivae neque iure naturali expressae, v. g. quaedam impedimenta. Immo etiam in illis divinis legibus positivis de matrimonio, quae ius continebant *naturale*, obligationem *sinaiticam* abrogavit. Quare licet *res* praescripta etiam nunc sit obligatoria, tamen *ratio* obligationis non est repetenda ex promulgatione sinaitica, sed ex iure naturae et ex confirmatione per Christum facta [26]. Porro Christus pro legibus divinis *mere* positivis in Vetere Testamento de matrimonio latis dedit Ecclesiae suae amplam potestatem statuendi impedimenta et condendi praecepta positiva, quae necessaria essent ad tuendam honestatem et dignitatem sacramenti novae legis; *libello* vero *repudii* ob *duritiam cordis* iudaeis concesso substituit in *favorem fidei privilegium*, quod a suo praecone sive promulgatore dicitur *Paulinum* [27]; denique Romanum Pontificem potestate donavit aut lege universali propter causam generalem semperque sufficientem, v. g. professionis religiosae, ipso iure dissolvendi matrimonium ratum fidelium [28] aut dispensandi in casibus particularibus propter causas proportionatas.

IV. Qua potestate in matrimonium christianum concessa Ecclesia de facto quoque cum moderatione et prudentia usa est. Quare ab initio religionis christianae leges positivas mosaicas de matrimonio latas neque legi christianae contrarias saltem pro fidelibus ex iudaismo conversis tacita sua approbatione videtur adoptasse [29], neque respuit iuris Romani honestas leges [30] aut con-

---

[25] Matth. V, 31, 32; cap. 8, X, de divort. IV, 19; Benedict. XIV Const. « *Apostolici* », 16 sept. 1747; *Rosset*, n. 484 sq., 725; *Billot*, De sacram., 374 sq.; *Sánchez*, l. X, disp. 1, n. 9 sq.; *Baier*, l. c. p. 103 sq.

[26] *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 10, n. 7 sq.; *Wilmers*, l. c., 191 sq.

[27] I Corinth. VII, 10 sq.; cap. 7, X, de divort. IV, 19.

[28] Cap. 2. X, de convers. coniugator. III, 32.

[29] Act. Apostol. XV, 28, 29; I Corinth. V, 1; *Freisen*, 151 sq., nimis urget vim atque efficaciam iuris hebraeorum in foro ecclesiastico. Certe Ecclesia mox potius iure Romano usa est, ut ante *Freisen* semper tenuit communis sententia doctorum, quae huius viri docti disquisitionibus non labefactata denuo a *Sehling* solide comprobata est. At *Scherer*, § 109, not. 6, 7 et *Schnitzer*, 41 sq., aliique *valorem iuridicum* legum, quas imperatores romani pro suis subditis condiderunt, quoad matrimonia *christianorum* non videntur recte explicare, nisi excipias sanctiones de *effectibus* mere *civilibus* et temporalibus. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Singulari* », 9 febr. 1749, § 7; Leon. XIII Encycl. « *Arcanum* » § Deinde consideranda.

[30] At Ecclesia omnino reiecit perversas sanctiones iuris Romani prae-

suetudines populorum germanicorum medii aevi [31]. Nequaquam vero universa Ecclesiae potestas in «*recipiendis*» legibus *alienis* quasi absorpta est dicenda, cum inde a primis saeculis proprio planeque independenti modo [32] etiam *contra* leges civiles fuerit exercita. Acri constantique pugna effectum est ut saltem in Occidente [33] perversae leges civiles de matrimonio magis magisque corrigerentur atque tandem medio aevo essent canonum pedisequae, cum Ecclesia non tantum *de iure*, sed etiam *de facto* exclusivam iurisdictionem exerceret in matrimonia christiana [34].

---

sertim de adulterio et divortio lege christiana interdictis. Cfr. c. 4, (S. Ambr. † a. 397), C. XXXII, q. 4; c. 2, (S. Ambros.), C. XXXIII, q. 2; c. 21, (S. Gregor. M.), C. XXVII, q. 2; c. 1, (Nicol. M.), D. 10. Neque unquam ius Romanum (cfr. v. g. Novell. 22), in hac re legi christianae plene conformatum est. Cfr. *Freisen*, 855 sq.; *Zhishman*, 92 sq.

[31] *Freisen*, 53 sq., 372. sq.

[32] Huius praxis vestigia iam occurrunt apud *S. Iustin.*, in dialog. cum Tryph. cap. 141, (*Migne*, P. G. VI, 798 sq.) et *Athenagor.*, Legatio cap. 33; *Clem. Alex.*, *Strom.* l. II, c. 23. Maxime vero commemoranda sunt Concilia quaedam particularia, velut Illiberitanum (a. 300-306), c. 61; Neocaesar. (a. 314-324), c. 2. Cfr. c. 10 Apostol.; *S. Basil.*, in epist. 160; *Hefele*, I, 184; *Palmieri*, 313 sq. Quibus Conciliis ex saeculo sexto et septimo complura alia accesserunt, cum post conversionem multorum populorum germanicorum, v. g. francorum et burgundionum, ad fidem catholicam sanctitas matrimonii strenue esset defendenda. Cfr. Conc. Agath. (a. 506), c. 61 = c. 30; Concil. Epaon. (a. 517) = c. 5, C. XXXV, q. 2; Conc. Avernense (a. 535) c. 11; *Palmieri*, 341 sq.

[33] Minus fortunata fuit Ecclesia *Orientalis*, quae, ut in *legibus* matrimonialibus condendis nequaquam exclusivam consecuta est potestatem, sed summopere dependentem et restrictam ab imperatoribus byzantinis, ita ne in *causis* quidem matrimonialibus *diudicandis* plena usa est libertate, exclusis iudicibus saecularibus a suis tribunalibus. Cfr. *Zhishman*, 15 sq., 179 sq. Plane aliter accidit in Ecclesia Occidentali, quae etiam in causis *iudicialibus* matrimonii christianorum inde ex saecul. 6 et 9 sibi soli iurisdictionem efficaciter vindicavit. Cfr. Pelag. I († a. 560), in c. 5, C. XXXII, q. 1. (cap. incerti temp. a. 555-560) et apud *Jaffé*, Reg. n. 1021; Ioann. VIII, (a. 880), apud *Jaffé*, l. c. n. 2546, 2549; c. 3 Conc. Liftin. (a. 743-745), iunct. cap. 3, X, de ord. cogn. II, 10; cap. 3, X, de divort. IV, 19.

[34] Quae iurisdictio exclusiva Ecclesiae in causis matrimonialibus fidelium evidenter agnita fuit a tempore, quo compilationes Decretalium prodierunt. Cfr. Grat. ad c. 7, C. II, q. 3; cap. 1, X, de spons. IV, 1 = c. 39, Conc. Tribur. (a. 895). Immo iam saeculo nono Nicolaus M. in celeberrima causa divortii Lotharii II citra omne dubium soli Ecclesiae vindicavit competentiam a. 863, (c. 4, C. XXXI, q. 2) et a. 867, (c. 4, C. XXXIII, q. 2). *Hincmarus* quoque *Remensis* non est secutus contrariam sententiam. Cfr. *Scherer*, in Arch. f. k. K. XLV, 467 sq. Non minore constantia Innocentius III contra Philippum Augustum, regem Galliae, iura divina et canonica defendit. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11, n. 5; *Scherer*, § 109, not. 28 et *Schnitzer*, 556 sq. ubi, occasione causae matri-

Magna hac in re inducta est immutatio, cum *pseudo-reformatores* [35] novas suas doctrinas de matrimonio tanquam de contractu *civili* et re mere *saeculari* protulerunt. Unde factum est ut matrimonium, secundum opiniones protestantium ex numero *sacramentorum* novae legis delendum, plane subiceretur legibus *principum civilium* [36].

Inter principes catholicos imprimis reges Galliae ex saeculo decimo sexto, v. g. Henricus II, (a. 1556), Henricus III (a. 1579), Ludovicus XIII (a. 1639), Ludovicus XIV (a. 1697), *suis* quoque ordinationibus matrimonia christiana regere coeperunt, quae, etsi haud raro tantum urgerent executionem legum ecclesiasticarum, tamen in compluribus rebus a sanctionibus canonicis fuerunt alienae et *incompetenter* auxerunt rigorem iuris matrimonialis. Prima tentamina similis legislationis civilis iam saeculo decimo sexto etiam in Austria reperiuntur, v. g. statutum Ferdinandi I (a. 1550); at non nisi ex saeculo decimo octavo frequentiora occurrunt decreta civilia, v. g. Leopoldi I (a. 1703), Mariae Teresiae (1753, 1777, 1778), donec tandem Iosephus II suo edicto, 16 ian. 1783, iurisdictionem ecclesiasticam in contractum matrimonialem non tantum limitavit, sed potius sustulit. Iosephi II exemplum secutus est Leopoldus I, magnus dux Etruriae, eisque theologi quidam catholici, novis doctrinis de contractu matrimoniali et natura sacramenti matrimonii imbuti, subsidium tulerunt [37]. Cfr. Pii VI Breve «*Post factum tibi*», 2 febr. 1782.

---

monialis Napoleonis I, de exclusiva competentia Rom. Pontificis in causis matrimonialibus supremorum principum *nunc vigente* dubia haud fundata movent. Cfr. *Feije*, n. 586; Act. theolog. Oenip. XII, 593 sq.; *Schnitzer*, 646 sq.

[35] Perfectum exercitium potestatis ecclesiasticae iam antea detrimentum passum est, cum ex tempore Philippi Pulchri praerogativae Sedis Apostolicae in Gallia impugnari coeptae sunt. Item in Germania saeculo decimo quarto sub Ludovico Bavaro exclusiva iurisdictio Ecclesiae in causis matrimonialibus in dubium est vocata. Quin immo Ludovicus Bavarus (a. 1341) rem plane inauditam aggressus est atque ex plenitudine potestatis imperialis matrimonium Margarethae tirolensis et Ioannis bohemici dissolvit. Cfr. *Scherer*, l. c. § 109, n. 33.

[36] *Friedberg-Ruffini*, Trat. d. diritt. eccl. § 139; Concil. Trid. Sess. XXIV, doct. de sacram. matr. cc. 4, 12, errores reform. damnavit et catholicam doctrinam definivit.

[37] Praeeuntibus *Sarpi* et *De Dominis*, duobus apostatis a fide catholica, antesignanus in deprimenda potestate Ecclesiae et exaggeranda supra omnem modum potestate Status civilis quoad causas matrimoniales fuit *Launoy* († a. 1678). Regia in matrimonium potestas etc., Paris, 1674, (relat. in Indic., 29 ian. 1686). Cfr. *Hurter*, Nomenclator literarius, II, 136 sq.

ad Elector. Trevir., et legem Bavariae, 24 iul. 1769, de sponsalibus.

Postquam pseudophilosophi decimo octavo saeculo [38] sua principia de *spurio* quodam *iure naturali* propagare coeperunt, legislatores revolutionis gallicae asserta philosophica ad praxim applicantes, matrimonium, quod vocatur *civile*, primum in Gallia introduxerunt. Exinde usque ad nostram aetatem novum istud matrimonium civile pro diversis suis formis in quamplurimas regiones paulatim est divulgatum.

Art. 1. — *De matrimonio ut contractu naturali et sacramento Novi Testamenti*

§ I. De origine et institutione matrimonii

24. Matrimonium habet *auctorem* ipsum *Deum*, sapientissimum creatorem atque ordinatorem naturae humanae [39]. Etenim Dei voluntas est ut conservetur et propagetur genus humanum, ut patet ex ipsa capacitate et inclinatione maris et feminae a Deo indita naturae humanae ad generandam prolem. At ille principalis finis a Deo intentus convenienter obtineri nequit, nisi per coniunctionem maritalem et *indissolubilem* viri et mulieris sive per matrimonium honestum, quod « *humano generi artificialem immortalitatem conferre* » videtur, et « *per liberorum procreationem renovata genera perpetuo manent, Dei clementia immortalitatem naturae nostrae, quoad eius fieri potest, largiente* » [40]. Nam non qualiscumque procreatio prolis sufficit, sed generationi accedat necesse est assidua cura, ut *corpus* debile infantium ad perfectionem adducatur, et *per educationem animi* proles nata ad perfectum statum hominis, qui consistit in statu virtutis et sibi et generi humano convenienti, promoveatur. Verum nisi sit coniunctio maritalis inter *determinatas* tantum personas *stabili obligatione ad officia coniugalia* et

[38] Dicitur in Dictionnaire ecclésiastique par une société de religieux et de iurisconsultes, Paris, 1765, v. Mariage: « *L'Eglise fait des lois sur le mariage comme sacrement, et le roi comme contrat civil* ». Cfr. quoque *Zallinger*, lib. IV Decretal. in praefat.; *Scherer*, 102, not. 37, unde constat similibus distinctionibus et principiis iuris naturalis etiam decreta Iosephi II fuisse defensa veluti *sacramento* matrimonii non opposita.

[39] Catech. Rom. l. c. n. 9, 10; « *Arcanum dvinae sapientiae* » n. 4; « *Casti connubii* », n. 5; *S. Thom.*, Summa theol. P. III Suppl. q. 41, art. 1, 2, 3; *Cathrein*, II, 388 sq.; *Sánchez*, l, II, disp. 2, 3, 4; *Rosset*, n. 70 sq.

[40] Novell. 22, in praef.

vitae consortium unitas, duplex illa educatio physica et moralis prolis haberi nequit. Immo abiecto vinculo matrimoniali vel ipsa generatio prolis impeditur aut saltem gravissimis periculis exponitur. Ergo ipsa ratio naturalis promulgat originem divinam matrimonii [41] legemque naturalem quae praecipit ut ab omni sexuali unione extra legitimum matrimonium abstineatur [42].

25. Deus non tantum ut *auctor naturae* matrimonium instituit atque per lumen rationis hominibus promulgavit, sed etiam in paradiso, *antequam* peccassent protoparentes, in ipso statu innocentiae positiva ratione legem matrimonii [43] per os Adami promulgavit, cum is divini spiritus instinctu diceret: « *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* ». (Genes., II, 23-24).

Atque ipse Deus sollemnibus illis verbis benedictionis: « *Crescite et multiplicamini* » matrimonium iamiam institutum ad procreandam prolem ordinari manifeste declaravit. Cfr. cap. Gaudemus 8, X, de divort. IV, 19; Conc. Trident. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr.

§ II. Matrimonii finis, proprietates, bona

26. Matrimonii *finis primarius* est propagatio speciei humanae seu procreatio atque recta educatio prolis, i. e. hominum qui sint veri cultores Dei, ita ut temporalem aeternamque beatitudinem consequantur. (Tob. VI, 22). *Secundarii* fines sunt: 1° mutua amicitia mutuumque adiutorium et solatium (Gen. II, 28) non solum in cura rei domesticae sed praesertim etiam in prolis susceptae educatione; 2° remedium concupiscentiae in praesenti statu naturae lapsae, (I Cor. VII, 9) quo fit ut per matrimonia quamplurima peccata impediantur publicaque morum honestas promoveatur (c. 1013 § 1).

[41] *Pirhing*, IV, I, n. 67 sq.; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 221 sq.

[42] Cfr. I Corinth. VI, 15 sq., VII, 1 sq.; *Palmieri*, p. 38, sq.; *Pesch*, l. c. n. 694 sq.

[43] *Petrus Lomb.*, in lib. IV sent. dist. 26, pr.; *Tancred.*, Summa d. matr. 13; *Palmieri*, 115 sq., 118 sq.; *Sánchez*, l. c. — Quare *Pabst*, Adam u. Christus, 38 sq., aliique evidenter errant, si putant sexualitatem hominum esse *sequelam peccati* Adami. Item *Hollweck*, D. Civileherecht, 40, si existimat Adamum et Evam post lapsum per se *amisisse ius ad propagandam vitam naturalem*, eo quod tantum auxissent massam damnatorum, huiusmodi opinionem neque argumentis internis neque auctoritate externa efficaciter probat. Cfr. *Rosset*, n. 30 sq., 56 sq.; *Baier*, l. c. p. 1 sq., 17 sq., 46 sq.

Qui fines sive primarius sive secundarii sunt fines *operis*, distinguendi a fine *operantis*. Qui matrimonium contrahit, licite potest intendere finem sive primarium sive secundarium operis (*Palmieri*, De matr. thes II), sed non necessario tenetur positive prosequi unum ex illis finibus operis, sed quemlibet alium finem honestum, tametsi contractui extrinsecum, intendere potest, v. gr. duarum familiarum pacem; immo etiam finis extrinsecus pravus a contrahente intentus illicitum quidem reddit actum, non tamen invalidum, modo servetur contractus substantia et positive non excludatur finis primarius [44].

Admittendum quidem est fines secundarios operis essentialiter subordinari ad finem primarium generationis et educationis prolis, ita ut ordinatio ad fines secundarios essentialiter supponere debeat ordinationem ad finem primarium, ideoque impotentes nequeunt contrahere validum matrimonium, tametsi aliquem ex finibus secundariis in matrimonio assequi possent [45*]; at

---

[44] *S. Thom.*, Suppl. q. 49, a. 3, q. 59, a. 2; *Sánchez*, l. II, disp. 29, n. 14, sq.; *Gasparri*, I, n. 10; *Schnitzer*, 7 sq.; *Leitner*, 9 sq. Profecto fuerunt nonnulli SS. Patres et theologi, qui de usu matrimonii in remedium concupiscentiae cum exaggeratione quadam locuti sunt. Cfr. *Cornely* in Comment. ad I Cor. 168 sq. At *Scherer* quoque, II, 90, modum excedit si scribit: «*Die Auffassung der Ehe als ein Mittel wider geschlechtliche Ausschweifung entspricht dem Begriffe der Ehe nicht und ist hoechstens subiectiv begruendet*». Cuius assertionis solidas rationes nullibi affert. Nam in praesenti ordine naturae lapsae *obiectivus finis operis*, non quidem primarius, sed secundarius est ut matrimonium sit in remedium concupiscentiae. Cfr. *Sánchez*, l. c.; *Pesch*, l. c., 691; paulo aliter *Rosset*, n. 473, qui *tres fines* matrimonii non satis distinguit a triplici *bono substantiali*. Verum obiectivus finis operis, licet secundarius, nequit esse contrarius notioni operis, i. e. matrimonii.

An *licite*, i. e. saltem sine peccato veniali, vel *illicite* agat qui principaliter propter vitandam fornicationem vel ob alium finem extraneum, a tribus enumeratis distinctum, v. g. ob divitias, contrahat matrimonium, moralistis relinquimus discutiendum. Cfr. *Sánchez*, l. c.; *Rosset*, n. 442 sq., 421 sq.

[45*] Haec doctrina est authentice confirmata decreto S. Officii, d. 1 apr. 1944. «De matrimonii finibus eorumque relatione et ordine, ait S. Officium, his postremis annis nonnulla typis edita prodierunt, quae vel asserunt finem primarium matrimonii non esse prolis generationem, vel fines secundarios non esse fini primario subordinatos, sed ab eo independentes. Hisce in elucubrationibus primarius coniugii finis alius ab aliis designatur, ut ex gr.: coniugum per omnimodam vitae actionisque communionem complementum ac personalis perfectio; coniugum mutuus amor atque unio fovenda ac perficienda per psychicam et somaticam propriae personae traditionem et huiusmodi alia plura. In iisdem scriptis interdum verbis in documentis Ecclesiae occurrentibus (uti sunt v. gr. *finis, primarius, secundarius*) sensus tribuitur qui cum his vocibus secundum communem theologorum usum, non congruit. Novatus hic co-

ordinatio ad finem primarium satis habetur, cum inter coniuges possibilis est actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro, seu quando habe-

---

gitandi et loquendi modus natus est ad errores et incertitudines fovendas; quibus avertendis prospicientes E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae Sacrae Congregationis, rebus fidei et morum tutandis praepositi, in consessu plenario feriae IV die 29 martii 1944 habito, proposito sibi dubio: an admitti possit quorundam recentiorum sententia, *qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes*»; *respondendum decreverunt: Negative*»... Cfr. AAS. XXXVI, 103.

De finibus matrimonii longe lateque agunt *H. Doms*, Sinn und Zweck der Ehe (1935), Breslau (cfr. praesertim versionem gallicam: Du sens et de la fin du mariage (1937), Parisiis, ab auctore recognitam et auctam); *B. Krempel*, Die Zweckfrage der Ehe in neuer Beleuchtung, (1941), Einsiedeln, Zürich. Optima expositio opinionum recentiorum circa fines matrimonii habetur in opere conscripto ab *A. Lanza*, De fine primario matrimonii (1941), Romae; cfr. etiam Nouvelle Revue théologique (1939) LXVI, 52.

Matrimonium, ait *Doms*, est unitas iuridica, moralis et effectiva duarum personarum diversi sexus (o. c., versio gallica, p. 38); in eo adest *sensus immanens*, i. e. vitae communitas inter duas personas diversi sexus, se extendens ad omnia, ita ut reducantur veluti ad unum. Actus coniugalis tendit *proxime* et *immediate* ad hanc unitatem inter coniuges efficiendam per commixtionem corporum, et simul repraesentat eandem unitatem (p. 105); aliis verbis, matrimonium dici potest actus unitatis, copula vero actus secundus specificus matrimonii (p. 104). Haec unitas tendit natura sua tum ad mutuam coniugum formationem et completionem personalem tum ad finem biologicum procreationis (p. 105). *Sensus immanens* matrimonii semper obtinetur; alii duo *fines remotiores* possunt deesse (p. 106). Iuxta *Krempel* finis matrimonii consistit in unione vitae completa et perpetua duarum personarum diversi sexus (n. 364); proles est matrimonii *primarius effectus* et *fructus*. Praeterea asserit *Doms* (p. 14) deesse claram determinationem relationis mutuae inter procreationem et educationem prolis «de ce qu'on appelle la fin première» et fines secundarios matrimonii. Legenti canonem 1013 § 1 ilico patet indicari ibi non modo ordinem successionis sed etiam inaequale momentum diversorum finium matrimonii, quod concedit etiam *Doms* (p. 92); finis *principalis*, i. e. procreatio et educatio prolis habet valorem maximum, minorem fines *secundarii;* ideo non bene apparet cur deinde idem auctor (p. 108) neget existere rationem sufficientem ad dicendum procreationem esse finem *primarium*. Verum est ex verbis canonis 1013 § 1 non posse stricte evinci fines secundarios dependere a fine primario vel esse ei essentialiter subordinatos; sed id non permittit loqui de *finibus iuxta-positis*, aliquo modo *independentibus* matrimonii et actus coniugalis multoque minus asserere a nobis non posse clare deprehendi fines secundarios esse fini primario subordinatos (pp. 104, 108). Quid secum ferat haec *essentialis subordinatio*, nunc explicite affirmata in decreto S. Officii, et quomodo ea inveniatur in quolibet matrimonio vero et in usu legitimo facultatis generativae clare et acute exponitur in *Periodica*, XXXIII, 218 ss.

ri potest copula coniugalis ordinata ad generationem, tametsi assecutio finis primarii non sit possibilis, velut in sterili, quia sola ordinatio ad finem prolis est intrinseca matrimonio vel potius copulae, ad quam matrimonium dat ius, non huius finis assecutio [46].

27. « **Proprietates** essentiales matrimonii sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti » (c. 1013 § 2).

Unitas importat ut matrimonium sit coniugium unius cum una in individua societate ad fines matrimonii proprios et excludit polyandriam et polygyniam. Utraque proinde repugnat iuri naturali quamvis diverso modo; nam polyandria repugnat *absolute*, cum opponatur primis principiis iuris naturalis utpote excludens omnes matrimonii fines, non solum secundarium, sed etiam primarium; polygynia vero, quae praesertim intelligitur sub nomine polygamiae, etiam a iure naturali reprobatur, cum saltem secundariis legis naturalis principiis repugnet, utpote secundarios matrimonii fines ex communiter contingentibus excludens, *absolute* vero iuri naturae seu primis iuris naturalis principiis non omnino repugnat. Hanc matrimonii proprietatem Deus ipse in primaeva matrimonii institutione ab initio generis humani positiva sua lege sanxit (Gen. 2, 24). Cfr. infra ubi de impedimento *ligaminis*.

Indissolubilitas opponitur divortio et excludit solutionem vinculi viventibus coniugibus. Intelligitur autem indissolubilitas *intrinseca* excludens matrimonii solutionem per mutuum consensum contrahentium ex quacumque causa factam. Haec proprietas competit cuilibet matrimonio tum iure naturae tum positiva lege divina, nam saltem secundariis matrimonii finibus opponitur. Cfr. prop. 67 Syllab. et Leonis XIII Encycl. « *Arcanum* » n. 4, 10 feb. 1880, iunct. *Palmieri*, De matr. thes. XVI, XXII.

Illa firmitas vinculi coniugalis indissolubilis peculiariter augetur in matrimonio baptizatorum ex dignitate sacramenti qua huiusmodi matrimonium donatur; quae firmitas in matrimonio *rato et consummato* fidelium est tanta, ut excludatur omnis po-

---

Quid sentiendum sit de sententia quam propugnavit Krempel vide sis in Act. P. Academiae R. S. Thomae, v. X (nova series), 133.

[46] *Cappello*, I, n. 8 sq.; *De Smet*, n. 83 sq.; *Oietti*, Synopsis v. Impot.; *S. Thomas*, Suppl. q. 42 a. 2 c. q. 58, a. 1 ad 3; *Sánchez*, l. II, disp. 29, n. 16. Longe aliter *Arendt*, « Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae », ubi rem facit dependentem a cognitione vel ignorantia possibilitatis assequendi finem, quae ignorantia in legibus irritantibus vim legis non impedit.

testas cuiuslibet hominis, etiam R. Pontificis, ad illud dissolvendum capax; at ad matrimonium fidelium, quod mansit *ratum*, ex iusta causa dissolvendum Ecclesia a Christo Domino potestatem accepit (cf. infra ubi de divortio). Ad explicandam intrinsecam rationem maioris firmitatis matrimonio accedentis ex sacramento consulendi sunt theologi, velut *S. R. Bellarmino*, De matrim. cap. 4.; *Sánchez*, l. II, disp. 13; *Palmieri*, l. c. thes. XXIV.

28. Cum finibus et proprietatibus matrimonii relationem habent tria *bona* in matrimonio post S. Augustinum distingui solita [47], quae ex illo consequuntur et assignatis finibus subserviunt sc.:

I. *Bonum prolis,* quod consistit in *potestate* generandi et educandi prolem. Quod bonum evidenter refertur ad *primarium finem* matrimonii simulque ordinatur ad *tertium,* immo etiam ad secundum finem nuptiarum.

II. *Bonum fidelitatis,* quo coniuges imprimis obtinent mutuum et exclusivum *ius* in corpus, ut vinculo matrimonii perdurante absque adulterio neque novum matrimonium attentare neque cum alia persona rem habere possint. Praeterea illud importat, ut coniuges sese sancto amore prosequantur sibique mutuum praestent *adiutorium* et *solamen,* in quo reperitur *secundus* finis matrimonii. At dubitari nequit quin bonum fidelitatis multum quoque promoveat primum et tertium finem matrimonii [48].

III. *Bonum sacramenti* habetur in *firmitate* et indissolubilitate vinculi, quae vel ipsi matrimonio infidelium competit, sed in fidelibus ob rationem veri sacramenti est *maior, maxima* au-

---

[47] S. August. in c. 10, C. XXVI, q. 2; decret. pro Armen.: « *Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est* **proles** *suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est* **fides,** *quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium* **indivisibilitas** *matrimonii propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae* »; Catech. Rom. P. II, cap. 8, n. 21 sq.; *S. Thomas*, l. c. q. 49 a. 2.; *Sánchez*, l. c. n. 1 sq.; *Rosset*, l. c. n. 410 sq.; aliter *Pesch*, l. c. n. 689 sq., ubi distinguit *tria bona naturalia* tanquam *tres fines operis* matrimonii sc. *bonum prolis, bonum fidelitatis, remedium concupiscentiae* eisque ut tertium bonum in ordine *supernaturali* addit *bonum sacramenti*. At a consueta divisione *triplicis* boni non videtur esse recedendum. Agitur enim de bonis *substantialibus*, quae salvo *valore* matrimonii excludi per intentionem non possunt. Quibus bonis praesertim adnumerandum est bonum « *indivisibilitatis* » matrimonii, non remedium concupiscentiae. Cfr. *Sánchez*, l. c. n. 8 sq., 14 sq.; *Rosset*, l. c. n. 410, 442, 453; *De Smet*, n. 370; *Scherer*, l. c. II, 91, not. 15, ubi disquisitionem *Freisen*, l. c., 36 sq., recte non admittit. Cfr. *S. Thom.*, l. c. q. 49, a. 1, 3, 5, contr. gent. l. IV, c. 77; *Palmieri*, De matr. thes. II.

[48] *Gasparri* I, nn. 9, 10; *Schnitzer*, 7, 9, sq.

tem indissolubilitas in matrimonio consummato *christianorum* habetur propter perfectiorem rationem sacramenti seu sacrae significationis in eo agnitam [49]. Quae indissolubilitas matrimonii non solum primo et secundo, sed etiam tertio fini matrimonii rite obtinendo favet [50].

Ex hisce tribus bonis substantialibus evidenter ratione *dignitatis* primum locum occupat bonum sacramenti, cum sit in ordine supernaturali *gratiae;* bona autem prolis et fidei pertinent ad matrimonium in officium *naturae*. At cum ea, quae spectant ad naturam, magis essentialia sint quam gratia, ideo bona prolis et fidei matrimonio magis *essentialia* sunt quam *sacramentum.*

Quae essentialitas boni prolis et fidei intelligenda est de suis *principiis*, quatenus sine *obligationibus* circa duo illa bona susceptis *invalide* matrimonium contrahitur. Quodsi duo illa bona solummodo considerentur *in se quoad usum* et *executionem*, matrimonium sine *prole* et *fide consistere* potest, v. g. si coniuges habeant intentionem *iura* matrimonialia *acquisita laedendi*, sive per abusum matrimonii sive per adulteria, aut ab usu iurium ob honestum finem *abstinendi*. Bonum autem *indissolubilitatis* e contra adeo essentiale est, ut si quis etiam solum-

[49] *Quod bonum sacramenti* in decret. pro armenis appellatur « *indivisibilitas matrimonii* ». Et revera nomine tertii illius boni sacramenti intelligitur *vinculum morale* matrimonii, quod *solvi* non potest. At sicut apud fideles et infideles habetur aliquod « *sacramentum* » matrimonii (cfr. cap. 8, X, de divort. IV, 19), sed diverso gradu perfectionis, ita etiam apud eosdem existit bonum sacramenti sive indivisibilitatis, at dispari perfectione. *Porro* nequaquam asserendum est matrimonium *nondum consummatum* carere *bono sacramenti*, immo ipsa *sacramentalitate*, vel ab initio celebrari ut *solubile* et non nisi *per copulam* fieri indissolubile. Etenim vel ipsum matrimonium *ratum* ante omnem copulam est *intrinsece* indissolubile et inter fideles verum sacramentum novae legis, quod, si ut solubile celebraretur, esset prorsus invalidum. Cfr. *Pesch*, l. c. n. 731 sq., 767 sq., 819; *Scherer*, p. 91, not. 19; *Gasparri*, I, n. 11, ubi huiusmodi antiquae et novae theoriae fusius refutantur, quatenus vaga terminologia antiquorum scriptorum non mitiorem admittit interpretationem.

[50] Inter bona matrimonii non est adnumerandum complementum quoddam personalitatis humanae, quod nonnulli finxerunt obtineri in matrimonio, quasi homines singulares, mas vel femina, aliqua ratione essent incompleti, et per unionem maritalem perfectionem vel complementum obtinerent; qua in re fit manifesta confusio inter complementum *sexuale*, pertinens ad generationem, cum complemento *humano*. Ad hanc generationem homines *per se* in debita aetate a natura habiles redduntur, sed a natura non omnes in particulari ad eam destinantur. Ab illa sententia non videtur esse alienus *Vermeersch*, De castitate; cfr. v. g. nn. 61, 104, 136.

modo interne *intendat* celebrare matrimonium *ad tempus* et *dissolubile*, non contraheret verum validumque matrimonium. Quare intentio contraria *indissolubilitati* matrimonii quam maxime est contraria *valori* contractus matrimonialis. Etenim ut docet *S. Thomas*, l. c. Suppl. q. 49, a. 3: « *Matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate, invenitur autem sine fide et prole, quia* **esse rei** *non dependet ab* **usu suo,** et **secundum hoc** *sacramentum* — bonum indissolubilitatis — *est essentialius matrimonio quam fides et proles* ». Quae principia ob oculos habenda sunt, si de condicionibus contra substantiam matrimonii appositis est disserendum [51].

29. Communio tori, mensae, habitationis, quamvis ad tres fines matrimonii *convenienter* et *perfecte* obtinendos necessario requiratur, tamen ad *integritatem* potius quam ad essentiam matrimonii pertinet ideoque salvis contractus matrimonialis *valore* et vinculo, est *effectus* qui ab illius substantia per se separari potest, v. g. per pactum coniugum etiam perpetuum non habitandi in *eadem* domo [52].

§ III. Matrimonii honestas et praestantia

30. I. Matrimonium in se atque in usu suo ordinato esse *honestum et licitum* iam sponte consequitur ex memorata divina institutione, cum Deus auctor peccati vinculique iniquitatis esse non possit. Cui rationi accedit quod Christus Dominus praesentia sua nuptias in Cana cohonestarit (Leonis XIII Encycl. « *Arcanum* » n. 6) atque adeo elevarit, ut mox probabitur, contractum matrimonialem ad dignitatem *sacramenti* novae legis.

Praeterea S. Paulus, infallibilis interpres iuris divini, connubium tanquam honorabile commendat, (Hebr. XIII, 4) illudque peccato carere bonumque esse declarat, (I Corinth. VII, 38; I Timoth. IV, 3) et debitum coniugale reddendum esse statuit (I Corinth. VII, 3). Denique honestas matrimonii constat ex memorata

[51] *Sánchez*, l. c. n. 8 sq.; *Rosset*, n. 414 sq.; *Lehmkuhl*. theol. mor. II, n. 688 sq.; *De Becker*, 28; *Cappello*, I, n. 16; *Palmieri*, De matr. thes. III. Cfr. recentem iurisprudentiam in Decisionibus S. R. Rotae, v. gr. 24 iul. 1909 (decis. 12); 6 dec. 1909 (decis. 18); 17 mart. 1910 (decis. 12, n. 8, 9); 1 iulii 1911 (in AAS. III, 525); 9 dec. 1911, 1 mart. 1913 et 8 febr. 1915, (AAS. IV, 146; V, 312; VII, 292); 10 aug. 1912, (AAS. IV, 707), in quibus tamen quoad aestimanda *facta* potuit adesse inter iudices diversitas opinandi.

[52] *Gasparri*, I, n. 8; *Sánchez*, l. V, disp. 10, n. 5; *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 5, n. 124.

triplici fine[53] *honesto*, ad quem ordinatur. (Catech. Rom. De matr. sacr. n. 13-15[54].

His titulis accedit quod matrimonio accrevit peculiaris honestas et dignitas ex adnexa iam a primaeva institutione sacra quadam significatione, cum « societas nuptiarum ita *ab initio* constituta sit ut, praeter sexuum coniunctionem, haberet in se *Christi et Ecclesiae sacramentum*, i. e. signum » (Leo Ep. Rustico Narbonen; *Migne*, P. L. LIV, col. 1204). Quae significatio perfectior effecta est cum a Christo Domino fuit elevatum ad dignitatem veri sacramenti novae legis, gratiam ut in coniugio sancte vivatur conferentis. Cfr. *De Smet*, n. 88.

31. II. Matrimonii nulla per se obligatio. Quamvis nuptiae honestae sint et necessariae ad generis humani conservationem, tamen haec necessitas non efficit, ut *omnibus* et *singulis hominibus* per se et semper ex lege generali incumbat etiam stricta *obligatio*[55] matrimonium contrahendi. Huiusmodi obligatio sane existere potest per accidens pro singulari quodam homine ex ratione speciali, velut ad incontinentiam vitandam vel ad damnum illatum reparandum vel ad promissionem servandam. Ab initio quoque mundi exstitit pro primis parentibus, cum finis propagationis generis humani a Deo propositus certo et necessario esset obtinendus, quod profecto alia ratione quam per matrimonium fieri non potuit. Neque opus esse videtur, ut quis admittat *legem* quandam *generalem* sive naturalem contrahendi matrimonium *generi humano* ut communitati a Deo esse impositam[56]. Huiusmodi enim lex, attenta *generali inclinatione* hominum ad matrimonium, est omnino *superflua*, et cum praeterea duas *determinatas* personas ad nuptias celebrandas non obliget, plane *inefficax* dici debet, nec auctoritati publicae ullo solido argumento vindicari potest ius binas personas, etiam invitas, *cogendi* ad ineundum matrimonium.

32. III. Status virginitatis praestantior. Ex dictis patet statum caelibatus vel virginitatis nulli legi divinae sive naturali sive positivae adversari; immo, status caelibatus anteponendus est statui coniugali. Nam melius et beatius est manere in virginitate quam iungi matrimonio, ut patet ex comparatione utriusque status instituta et ex commendatione et consilio virginitatis ab ipso Christo Domino[57] verbo et exemplo datis itemque ex doctrina per S. Paulum (I Cor. VII) tradita. Hinc iure merito Concilium Trident., Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. c. 10, doctrinam oppositam protestantium tanquam errorem in fide condemnavit[58].

33. IV. Elevatio ad dignitatem sacramenti. *Matrimonium in fieri*, sive ut actus transiens, in Novo Testamento inter baptizatos rite celebratum est vere et proprie unum ex septem novae legis sacramentis a Christo Domino institutum. Cui doctrinae catholicae, sollemniter in Concilio Tridentino[59] denuo definitae, praesertim contradixerunt pseudo-reformatores saeculi decimi sexti Lutherus et Calvinus, quorum vestigia in negando *sacramento* matrimonii omnes protestantes sequuntur usque ad nostram aetatem[60].

---

[53] *Rosset*, n. 80 sq., 365 sq.; *De Smet*, n. 87 sq.; *Palmieri*, 12 sq.; *Pesch*, l. c. n. 687 sq. *Gasparri*, I, n. 11; *Scherer*, § 108, IV, not. 14, paulo aliter de tertio matrimonii fine; *Leitner*, 9 sq.

[54] Unde patet obsoleta habenda deliramenta veterum quorundam haereticorum, velut gnosticorum, manichaeorum et Albigensium. Cfr. cap. 1, § 3, X, de SS. Trin. 1. 1; *Hefele*, V, 382; *Palmieri*, in praef.

[55] Multoque minus dicendum est matrimonium, quo per marem *et* feminam profecto constituitur adaequatum et *completum principium generationis* et *educationis* et vitae domesticae, esse *complementum* quoddam *personalitatis* humanae, quasi homo non coniugatus, ut *perfectus homo* sit, indigeat aliquo complemento ad instar hominis imperfecti et dimidiati, quemadmodum opinatus est *Fichte*, Saemtliche Werke, IV, 332: « *Die* (christliche) *Ehe ist die lebenslaengliche, untrennbare Verschmelzung zweier Personen zu einer sittlich religioesen Persoenlichkeit* ». Cfr. *Meyer*, Inst. iur. nat., II, n. 96; *Laurin*, D. Caelibat. d. Geistlichen, 51 sq.; *Schnitzer*, 9; *Leitner*, 11 sq.

[56] *Petr. Lomb.*, l. c. lib. IV, dist. 26, § Quando secundum praeceptum; *Palmieri*, 31 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 14; *Pesch*, l. c. n. 854 sq.; paulo aliter *Rosset*, n. 80 sq.

[57] Matth. V, 10 sq., XIX, 27 sq.; Catech. Rom., l. c. n. 12.

[58] *Laurin*, l. c., 27 sq.; *Palmieri*, 26 sq.; *Pesch*, l. c. n. 858 sq., 898 sq.; *De Smet*, n. 90 sq.; *Vermeersch*, De castit. n. 145 sq. Cfr. quoque *Leitner*, 11 sq.; *Ribbing*, D. sexuelle Hygiene, ubi solide refutantur obiectiones contra caelibatum petitae 1) ex *physiologica* organismi corporis humani natura et legibus; 2) ex *invincibili* ad generationis actus eliciendos uniuscuiusque *propensione;* 3) ex damno quod inferatur saluti corporis et animi, morum honestati vel bono publico.

[59] Conc. Trid. l. c. iunct. can. 1; Catech. Rom. l. c. n. 16, 17; *Sánchez*, disp. 7, 8, 9, 10; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 282 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 26 sq.; *Rosset*, n. 30 sq.; *Pesch*, l. c. n. 698 sq.; *De Smet*, n. 162 sq.

[60] *Friedberg-Ruffini*, Diritto eccl. § 139. V. g. *Calvinus* accusat Gregor. M. quod primus in Ecclesia praedicarit matrimonium esse *sacramentum*.

Leitner, 61 sq., post admissam et probatam existentiam sacramenti matrimonii inquirit utrum Christus gratiam sacramentalem *immediate* alligarit ipsi *contractui* matrimoniali — duorum baptizatorum — an etiam *baptismus* contrahentium sit non solum *condicio* praevia, sed *pars constitutiva* contractus matrimonialis efficientis gratiam sacramentalem. Cl. auctor concedit *ex communi* sententia doctorum *contractum matrimo-*

Relicta theologis quaestione an ex S. Scriptura [61] et specia-
tim ex epist. S. Pauli ad Ephesios V, 22 sq. efficaciter possit pro-

---

nialem (baptizatorum) esse causam (immediatam et completam) gratiae
(essentialem) atque in not. 3 remittit ad *Lugo*, De iustitia et iur., disp. 22,
n. 392. Et revera *Lugo*, l. c. docet: « *Noluit Christus variare conditiones*
illius contractus, sed illum, qualis erat, elevare, ut quoties **validus** *esset*
in ratione contractus **inter baptizatos,** *haberet etiam rationem sacramenti* ».
Quandonam autem validus sit, id pendet a lege divina seu naturali seu
positiva et a lege humana competenti. Nihilominus *Leitner*, l. c., opinatur
huic communi doctrinae *haud leves* obstare difficultates. At tres difficul-
tates ab ipso allegatae adeo graves et clarae rationes dici non possunt,
ut ad dimittendam sententiam *communem* efficaciter cogant.
Etenim illae « *haud leves* » difficultates videntur niti aliqua aequivo-
catione circa rectam intelligentiam sententiae communis.
Profecto ut docetur in decreto pro armenis: « *Omnia sacramenta tri-*
bus perficiuntur, sc. rebus tanquam materia, verbis tanquam forma et
persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod
facit Ecclesia ». At tria illa non *aequali* ratione ad perficienda sacramenta
requiruntur; etenim solummodo res et verba spectant ad causas *intrin-*
secas, minister vero ad causas *extrinsecas*. Deinde attendenda est *singu-*
laris natura sacramenti paenitentiae et matrimonii, in quibus *sensibiles*
actus humani habent locum *rerum*, et verba (forma) rebus adiuncta repe-
riuntur in verbis sacerdotis absolventis et coniugum fidelium *acceptan-*
tium traditionem alterius partis. Cfr. *Billot*, De Eccl. sacram. I, 26 sq.;
II, 308 sq., 334 sq., 343 sq.
Deinde impugnatio huius communis sententiae omnino cohaeret cum
alia singulari opinione, qua *Leitner*, 69 sq., etiam a communi sententia
de *materia* et *forma* matrimonii recedit; immo tandem saltem *ex parte*
incidit in gravem difficultatem a se ipso, p. 70, contra *Oischinger* motam,
quod non admittat *sacramentum matrimonii proprium* et a sacramento
baptismi vere distinctum. Neque cap. 7, X, de divort. IV, 19, Innocen-
tius III, ut putat *Leitner*, hanc novam et singularem theoriam *clare* expri-
mit. Nam R. Pontifex ibidem solummodo declarat a contrahentibus ma-
trimonium tum solum perfici *sacramentum* matrimonii novae legis, si ipsi
fuerint *baptizati*. Inde certe sequitur baptismum esse *condicionem* essen-
tialem, ut *partes contrahentes* sint *capaces ministri* et *subiecta habilia* ad
sacramentum matrimonii; nequaquam vero inde colligi potest praeter
traditionem (causam materialem) et acceptationem (causam formalem)
utriusque sponsi baptismum esse *tertiam* quandam *intrinsecam* sive *cons-*
titutivam causam matrimonii christiani.

[61] Concilium Trid., l. c., docet: « *Cum igitur matrimonium in lege*
evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter
novae legis sacramenta annumerandum. Sancti Patres *nostri, Concilia et*
universalis Ecclesiae traditio semper docuerit »: theologis quoque dogma-
ticis relinquimus, ut quod in *definitione* Concilii Tridentini de Sanctis
Patribus enuntiatur, id ipsi *scientifica ratione* comprobent. Nam argu-
menta patristica a theologis quandoque allata, ut vim probandi habeant,
secundis curis videntur esse expolienda. Cfr. *Muellendorff* in Act. theol.
Oenip. II (a. 1878), 633 sq.; *Freisen*, 29 sq.; *Pesch*, n. 669 sq., 703 sq.;
De Smet, n. 165.

matrimonium a Christo esse elevatum ad dignitatem veri
bari matrimonium a Christo esse elevatum ad dignitatem veri
sacramenti novae legis, existentia sacramenti luculenter demons-
tratur ex *traditione* divina. Nam ante ortas haereses pseudo-re-
formatorum per plura iam saecula publico Ecclesiae magiste-
rio traditum est matrimonium esse sacramentum, ut constat ex
decreto Eugenii IV in Concilio Florentino (a. 1439-1445) armenis
dato, ex professione fidei a Michaële Palaeologo in Concilio Lug-
dun. II (a. 1274) exhibita et ex decreto Lucii III [62] in Concilio
Veronensi (1184) contra albigenses promulgato. Quibus decretis
authenticis, saltem ex saeculo XII, accedit communis et constans
in hac veritate catholica asserenda theologorum consensus [63],
cum quibus iam diu omnes canonistae catholici concordant. Cfr.
Pirhing, l. IV, t. I, n. 72. At huiusmodi traditioni in Ecclesia se-
cundum principia in theologia fundamentali stabilita falsum su-
besse nequit. Quod argumentum directe ex traditione catholica
petitum confirmatur ex consensu schismaticorum orientalium
cum Ecclesia catholica. Nam indubitatum est schismaticos orien-
tales ex multis saeculis tenere atque docere matrimonium esse
unum ex septem sacramentis novae legis. Cuius traditionis in
Ecclesia Orientali testis est *Balsamon*, unus ex celeberrimis ca-
nonistis schismaticis, Patriarcha Antiochenus et Ecclesiae latinae
summopere contrarius, qui c. a. 1170 matrimonium ceteris Ec-
clesiae sacramentis adnumerat. Versus finem saeculi XIII a *Iob*,
monacho orientali, inter septem sacramenta quinto loco recen-
setur ὁ τίμιος γάμος. In confessione fidei *Ioannis Palaeologi* (a.
1369) de septenario numero sacramentorum sextum locum occu-
pat matrimonium, dum *Simeon Thessalonicensis* († a. 1429) ipsi
septimum locum tribuit. Quae doctrina de vero sacramento ma-
trimonii inde a censura Orientalis Ecclesiae contra confessionem

---

[62] Cap. 9, X, de haeret. V, 7; *Hefele*, V, 726 sq.
[63] *De Smet*, n. 164. A qua doctrina communi nec *Petrus Lombardus*,
immo nec ipse *Durandus* alieni fuerunt, ut evidenter probat *Pesch*, n. 708.
Quare si *Schmalzgr.*, IV, I, n. 283, dicit Durandum suis assertionibus
favere haereticis, non satis attendit a Durando *iuristarum* quorundam
opinionem fuisse *relatam*, sed mitiore forma *reprobatam*. *Freisen* quoque,
41, perperam tradit Durandum docuisse matrimonium esse *merum* signum
sacrum, sed *non* conferre gratiam. At Glossa, v. g. ad c. 101, C. I, q. 1,
et aliquot canonistae antiquiores v. g. *Goffred. de Tran.*, *Summa* l. I, t. 16,
n. 2 et *Henr. Ostiens.*, Summa l. I, t. 16, n. 17, revera docent per sacra-
mentum matrimonii *non conferri* gratiam, cum in contractu matrimoniali
pretia interveniant. Cfr. de similibus parum accuratis vel obscuris locu-
tionibus: cap. 3, X, de presbyt. non bapt. III, 43 — in parte historica
de quorundam sententia *sacramenta* coniugii et eucharistiae a non bapti-
zatis posse recipi —; *Scherer*, § 108, not. 9; *Freisen*, 29 sq.; *Billot*, II,
329, not. 3, 331.

Augustanam a Ieremia II Patriarcha Constant. intra a. 1576-1581 publicata, per varias Synodos, velut per Synodos Constantinop. a. 1638 et a. 1643 atque per Synod. Hierosolymit. a. 1672, aliisque modis sollemniter contra protestantes asserta et vindicata est[64]. Cuius consensus inter utramque Ecclesiam alia ratio reddi nequit, nisi ipsa institutio Christi per traditionem Apostolorum et Ecclesiae accepta[65]. Denique praecedentibus documentis auctoritatis ecclesiasticae accedit sollemne principium in c. 1012 sancitum de contractu ipso matrimoniali ad sacramentum evecto, ita ut inter baptizatos contractus validus consistere nequeat quin sit eo ipso sacramentum.

§ IV. Natura matrimonii

34. Matrimonium legitimum in fieri est *verus* atque proprie dictus *contractus bilateralis* inter marem et feminam celebratus[66]. Recentiores quidam catholici optima intentione ducti efficaciter impugnandi falsas theorias de contractu matrimoniali iustos limites trangressi sunt, cum matrimonium verum contractum esse negarent[67]. Etenim contractus vere bilateralis nihil aliud est quam *legitimus consensus* duarum vel plurium personarum iure habilium in idem placitum, obligationem inducens in utraque parte ex iustitia commutativa aliquid praestandi vel faciendi vel omittendi. At matrimonium apud omnes gentes celebratur per *verum legitimumque consensum* viri et feminae iure habilium, quo sibi *verum* et *mutuum* tradunt *ius* in corpora *in ordine ad generandam* et educandam prolem[68]. Ergo ex sim-

---

[64] *Zhishman*, 124 sq.

[65] *Palmieri*, 51; *Pesch*, n. 714, 717; *De Smet*, n. 163. Cfr. quoque *Rosset*, n. 75 sq., de *tempore* institutionis huius sacramenti.

[66] *Sánchez*, l. II, disp. 25 sq.; *Palmieri*, 6 sq., 197; Acta theol. Oenip. XIV (1890), 533 sq.; *Rosset*, n. 88 sq.; *Schnitzer*, 24 sq.; *Zallinger*, Inst. iur. nat. § 177; *Leitner*, 4 sq.

[67] *Scherer*, § 108, V et not. 21; *Vering*, *Laemmer*, *Schulte*, *Breda* aliique. Quomodo de huiusmodi sententia alii scriptores iudicent, patet ex severa censura a *Gasparri* I, n. 3, hisce verbis lata: « *Nonnulli recentiores scriptores de matrimonio disputantes a voce contractus veluti abhorrent, quasi tale nomen aut matrimonium dedeceat aut matrimonii conceptum minus rectum ingerat. Horum assertores dum ex una parte magnam ostendunt temeritatem, ex alia longe a veritate aberrant, quippe quod matrimonium est verus contractus, licet ordinis longe superioris praesertim inter christianos* ».

[68] Cap. 7, X, de cond. IV, 5; Catech. Rom. l. c. n. 4, 5; S. C. Inq., 3 apr. 1889, in ASS. XXV, 711 sq.; *Sánchez*, l. V, disp. 10, n. 2; *Gasparri* I, n. 7 sq.; *Schnitzer*, 6 sq. Quodsi scriptores quidam recentiores tenent

plici analysi notionis matrimonii et contractus evidenter deducitur matrimonium esse contractum[69].

Cuius contractus matrimonialis *obiectum materiale* sunt ipsae contrahentium *personae*, at obiectum *formale* sive ratio, sub qua attinguntur, est *vitae consuetudo individua*. Quae vitae consuetudo principaliter et *essentialiter* consistit in *iure* atque *officio* mutuo, aequali, exclusivo et perpetuo in corpus alterius coniugis *in ordine* ad prolem generandam et educandam, non ad alios quoscumque scopos; at salva maneat necesse est *subiectio* uxoris, cuius caput est maritus. Deinde, ut communio illa essentialis suam obtineat *integritatem*, accedat necesse est com-

---

apud *omnes* gentes formam celebrandi nuptias primitivam fuisse *raptum* mulierum, quem deinde secuta sit *emptio* uxorum atque progressu temporis *celebratio* matrimonii etiam cum *consensu* sponsae, asserunt res solidis argumentis et generaliter non probatas, ut recte defendunt *Scherer*, 232, et *Leitner*, 38 sq.; *De Smet*, n. 80 sq.

[69] Immo matrimonium in fieri in *solo illo consensu* consistit sive *matrimonium* essentialiter *solo consensu* de praesenti *contrahitur*. Cfr. cap. 14, X, de spons. et matr. IV, 1; cap. 10, eod. IV, 1 in cpl. I (Innoc. II, a. 1130-1143); cap. 6, 23, 25, 26, 32, X, eod.; c. 1 (S. Chrysost.), c. 3 § 1 (S. August.), C. XXVII, q. 2; c. 2 eod. = cap. 3 ex responsis Nicolai I ad consult. bulgar. (a. 866): « *Sufficiat solus secundum leges* (i. e. Romanas, cfr. v. g. L. 30, D. d. div. reg. iur. L. 17; *Scherer*, § 112, not. 15), *consensus eorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur. Qui solus si defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur* »; decretum pro armenis apud *Denzinger-Bannwart*, Enchiridion n. 702; Catech. Rom. l. c. n. 4, 5, 8; *Tancred.*, l. c. p. 12, 16; *Sehling*, D. Unterscheidung d. Verloebnisse, 106. Profecto *Freisen*, 151 sq. magno cum eruditionis apparatu repristinare studuit obsoletam opinionem antiquorum quorundam canonistarum, sc. *praeter* consensum, qui est condicio sine qua non, etiam *copulam carnalem* esse requisitum essentiale ad matrimonium vere perfecteque *contrahendum*. Quae sententia *Freisen*, si accuratius sit exponenda, quatuor principalibus continetur assertionibus, sc. 1) contractus matrimonialis essentialiter est *promissio* futurae copulae; 2) ille contractus matrimonialis nondum est matrimonium, sed potius sponsalia, quae *fiunt* matrimonium per copulam affectu maritali habitam; 3) sacramentum matrimonii perficitur per copulam; 4) repugnat matrimonium cum virginitate coniunctum. Quicumque istas assertiones modice expenderit, non mirabitur quod *Freisen* tantum paucos suae theoriae nactus sit sectatores, immo a plerisque viris doctis fuerit impugnatus, ideoque tandem ipse suam sententiam sapienter retractarit. Etenim haec sententia continet assertiones, quae partim cum obvio verborum sensu S. Scripturae pugnant, v. g. de matrimonio B. M. V. (cfr. *Flunk*, in Act. theol. Oenip. XII, 656 sq.; *Rosset*, n. 256 sq.; *Palmieri*, 41 sq.); partim expressis declarationibus Ecclesiae sunt manifeste contrariae (cfr. textus supra hac nota allegatos et Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 1 et can. 6 de ref. matr.) et cum principiis sanae iurisprudentiae canonicae nequeunt conciliari atque plane inefficacibus propugnatae fuerunt rationibus. Cfr. *Pesch*, n. 731 sq.; *Scherer*, § 112, I, III; *Schnitzer*, 199 sq.; *Rosset*, n. 242 sq.; *De Smet*, n. 98, not. 6.

munio tori et cohabitationis, quae, salva essentia matrimonii, quandoque abesse potest. Denique *unio animorum* per mutuum amorem sponsorum, quamvis sit *condicio* ad felicem exitum matrimonii, tamen *obiectum contractus* matrimonialis non est, nec *vinculum matrimoniale* in re adeo mutabili consistere potest, ut voluit *Fichte*. Similiter *unio* quaedam *bonorum* est condicio ad sustinenda matrimonii onera, sed inter obiecta stricti contractus matrimonialis non recensetur specialique pacto distincto ordinari potest. Cfr. *Schmalzgrueber*, h. t. n. 316 sq. iunct. *Gasparri*, I, n. 7.

35. Matrimonium vero esse legitimum contractum plane *singularem suique generis* minime in dubium est vocandum [70*]. Ete-

[70*] Optime exponitur in Encycl. « *Casti connubii* » n. 6, quidquid spectat ad matrimonium, quatenus est verus *contractus, sui tamen generis.* « At quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu: qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est ut nulla humana potestate suppleri valeat. Haec tamen libertas eo tantum spectat ut constet utrum contrahentes re vera matrimonium inire et cum hac persona inire velint an non; libertati vero hominis matrimonii natura penitus subducitur, ita ut, si quis semel matrimonium contraxerit, divinis eius legibus et essentialibus proprietatibus subiciatur ». Vindicatur ergo ex una parte absoluta necessitas consensus libere praestiti ab iis qui volunt uniri vinculo coniugali; sed ex alia parte subducitur penitus libertati contrahentium potestas immutandi ullo modo huius vinculi vel naturam vel proprietates essentiales ab ipso Deo determinatas. Sunt iuristae civiles qui amant loqui de *matrimonio-instituto* potius quam de *matrimonio-contractu*, cum tandem aliquando, aiunt, matrimonium non sit nisi ingressus voluntarius in regimen iuridicum, cuius *constitutio* vel *natura* subducitur penitus voluntati contrahentium (cfr. La Vie intellectuelle, juillet-septembre 1938, p. 117). Hic loquendi modus utilitate fortasse non carebit, quoties iuristae civiles inter se agunt, ut sic tandem desinant considerare matrimonium veluti *quemlibet alium contractum;* theoria enim institutionalis videtur proponere terminis magis familiaribus iuristis civilibus ea omnia quae iure naturae *debent* adesse in *omni vero vinculo matrimoniali*. Quod vero attinet ad canonistas non est cur mutent modum loquendi hucusque adhibitum, tum quia matrimonium *in fieri*, de quo agitur, consistit in vero actu contractuali tum etiam quia summopere convenit indicare aperte necessitatem absolutam consensus liberi, immo, saltem lege ecclesiastica immunis ab influxu metus gravis iniuste incussi. Id autem melius praestari per terminos a canonistis hucusque adhibitos quam per locutiones recenter propositas in comperto esse videtur; *contractus* enim sponte prae se fert necessitatem consensus libere praestiti a partibus (cfr. Collat. Namurcenses (1934) XXVIII, 332).

nim ratione *originis* est contractus *naturalis*, qui ipsa natura nititur singulari modo et in bonum naturae totiusque generis humani ordinatur; ratione *consensus* praestat, cum nulla potestate humana consensus matrimonialis unquam suppleri valeat, (c. 1081 § 1), neque iura ex contractu matrimoniali quaesita per auctoritatem publicam, ut fit in praescriptione, transferri possint (cfr. Pii VI epist. ad Episcop. Agriens., 11 iul. 1789); ratione *obiecti* principalis, condicionum, obligationum et effectuum in aliis contractibus multa *privato* contrahentium arbitrio determinari possunt atque transactionibus et compensationibus est locus, sed in contractu matrimoniali quoad *substantiam* omnia *a natura* sunt determinata partiumque arbitrium est exclusum. Denique ratione *durationis* et *firmitatis* in *aliis* contractibus utraque pars retinet ius *mutuo consensu* aliisque legitimis modis *recedendi* ab obligatione contracta, in contractu vero matrimoniali voluntates contrahentium ita ligantur, ut rescissio contractus matrimonialis valide initi, etsi rati tantum, per contrahentes solos ex mutuo consensu absolute fieri nequeat. Quibus accedit, quod iste contractus, etiam praecisione facta a sua elevatione ad dignitatem sacramenti, non sit contractus *mere civilis* et *profanus*, sed sua natura *sacer* et *religiosus* [71].

[71] Leo XIII, Encycl. « *Arcanum* » n. 11; *Gasparri*, I, n. 11; *Billot*, II, 310 sq., 421 sq.; *Leitner*, 21 sq.; *Rosset*, n. 116 sq. Recte quidem *Schiffini*, n. 389, docet contractum matrimonialem spectare ad naturalem ordinem *iustitiae* et *temperantiae;* at si ulterius asserit matrimonium, quod non est sacramentum, per se non pertinere ad *virtutem religionis* atque non nisi « *sensu valde lato* » posse dici *sacrum*, huic sententiae non auserim subscribere. Etenim Leo XIII in cit. Encycl. « *Arcanum* » etiam de matrimonio, quatenus *non est* sacramentum, disertis verbis tradit, quod « *sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum* ». Quod tanta emphasi dicitur *natura sua* sacrum, si verbis naturalis sensus sit relinquendus, non tantum « *sensu valde lato* » est sacrum. Accedit ratio interna, quod *finis principalis* matrimonii sit non solum qualescumque homines procreare, sed *instruere* et *educare cultores* et *servitores Dei;* huiusmodi vero *finis* matrimonium per se refert etiam ad virtutem religionis illudque reddit sacrum et religiosum, ut multae res ecclesiasticae ratione finis sunt sacrae et idcirco auctoritati Ecclesiae subiectae. Cfr. *Cathrein*, Moralphil. II, 413 sq.; *Billot*, De Eccles. sacram. II, 421 sq. Quodsi *Schnitzer*, 28 sq. solummodo velit cavere ab *exaggerando* charactere *religioso* naturalis matrimonii, ei omnino est adstipulandum. At defectus *caeremoniarum* religiosarum apud multos populos barbaros est in se argumentum debile contra naturam religiosam matrimonii, et insuper alii populi aliam secuti sunt praxim. Praeterea non ex adiunctis *caeremoniis* religiosis, sed ex *natura* ipsius contractus colligitur matrimonium esse sacrum; secus tandem aliquando vel ipsum matrimonium clandestinum ac validum, utpote ab obligatione contrahendi in facie Ecclesiae immune, absque *aliis* caeremoniis

36. Subiectum contractus. Ad contractum matrimonialem *valide* et *licite* celebrandum ius habent *omnes homines*, qui impedimento dirimente vel impediente iure divino naturali vel positivo aut lege humana, a competente auctoritate lata, specialiter non prohibentur. Nam contractus matrimonialis versatur circa materiam in genere permissam; ergo quicumque legitime non prohibetur, libertate matrimonii contrahendi praeditus est (c. 1035).

Praeterea oportet ut contrahens ea polleat mentis discretione et voluntatis libertate, quae generatim requiritur in quolibet ineundo contractu et speciatim in hoc contractu perpetuo et indissolubili, per quem suscipitur status vitae gravibus obligationibus obnoxius. Positivae qualitates consensus itemque vitia ipsius, quae iure Codicis non amplius vocantur impedimenta, infra sub propria rubrica de consensu matrimoniali erunt exponenda. (P. III, cap. 1 sq.).

Effectus. Cum contractus sit matrimonium *in fieri*, eius effectus iuridicus immediatus est matrimonium *in facto esse*, i. e. vinculum coniugale permanens, unde exurgit societas coniugalis seu nexus moralis variis iuribus constans et obligationibus, cuius proprietates essentiales sunt unitas et indissolubilitas. Singula iura et officia coniugum et prolis quae ex illo vinculo oriuntur inferius sub propria rubrica de effectibus matrimonii exponentur.

37. Scholion. *De individuitate contractus matrimonialis.*

I. Matrimonium, cum sit sensu stricto contractus, nequit esse validum nisi consensus legitimus *utriusque* partis habilis conveniat in *idem obiectum essentiale* [72]. Hoc sensu quilibet contractus, non solum matrimonium, est contractus *individuus*, i. e. pro utraque parte aut validus aut invalidus, sive bilateralis

religiosis a christianis celebratum, quod certissime est sacramentum, non posset adnumerari rebus sacris. Cfr. de matrim. in antiqua lege: *Billot*, l. c., 332 sq., iunct. *Rosset*, n. 56. — Denique sunt doctores (cfr. *Pesch*, nn. 887, 892), qui ad probandam naturam religiosam matrimonii non baptizatorum provocant v. gr. ad Innoc. III, cap. 8, X, de divort. IV, 19, ubi matrimonia quoque infidelium vocantur *sacramenta*. Cui argumento minus insistendum esse videtur. Nam Innocentius III nomine sacramenti intelligit illam significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia, quae *extrinsece* ad matrimonium accessit illudque vero quodam sensu effecit sacrum, at *internam* eius naturam non mutavit. Quare aliunde colligendum est quod matrimonium etiam infidelium sit res *natura sua* sacra et religiosa. Cfr. *Rosset*, n. 819; *Schnitzer*, 28, quod *symbolum* rei sacrae nondum *in se* sit sacrum.

[72] Cfr. *Schmalzgr.*, l. I, t. 35, n. 1 sq., 34 sq., *Boeckenhoff*, De individuitate matrimonii, 5 sq.; *Scherer*, II, 444 sq.; *Feije*, n. 315 sq.

sit sive unilateralis; nam tametsi contractus unilateralis in *una* solummodo parte paciscente obligationem ex iustitia efficere possit, tamen valida *conventio* sive *unio* voluntatum prorsus impossibilis est, si *consensus* legitimus vel *habilitas* personae tantum existit ex *una* parte contrahente, non ex utraque.

II. Salva hac individuitate cuiusvis contractus, ceteri tamen contractus bilaterales nonnunquam possunt *claudicare* sive retinere vim pacti *unilateralis*, in quo penes unam partem *solam* sit obligatio iustitiae. Id v. g. fit in certis contractibus pupillorum, ubi altera pars plene obligatur; at pupillus etsi ab auctoritate publica ad *acceptandam* obligationem alterius contrahentis non inhabilitetur, tamen ipse ad validam firmamque obligationem neglecta forma legitima *in se* suscipiendam inhabilis efficitur. At contractus bilateralis matrimonii nullo unquam tempore *claudicare* potest, sed de iure naturali habet absolutam individuitatem; idcirco si vel *una* pars est inhabilis ad validum contractum matrimonialem ineundum, *hic pro utraque parte per se et ex natura rei est invalidus* [73].

III. Quare Ecclesia licet suis legibus irritantibus infideles *directe* ligare non possit, tamen homines baptizatos ita inhabiles reddere valet, ut v. g. propter impedimentum disparitatis cultus etiam cum *infidelibus* valida matrimonia celebrare nequeant. Nam ad valorem matrimonii requiritur habilitas *utriusque* sponsi; per *directam* autem inhabilitationem partis fidelis etiam *indirecte* pars infidelis incapax efficitur ad validum matrimonium cum fideli contrahendum. Propter eandem rationem duo *infideles*, qui subsunt legibus *diversarum* civitatum, per se nuptias valide celebrare nequeunt, si vel unus ipsorum ex iure *suae* Civitatis ligetur impedimento dirimente [74].

IV. Atque hic effectus **negativus** nullitatis contractus est unicus, quem *individuitas* contractus in casu inhabilitatis *unius* partis **ex natura rei** producit. Nam nullus supremus princeps potest legem alterius potestatis a se omnino independentis, qua illa proprios subditos inhabilitat, sua vi privare. Nihilominus antiquo iure *individuitas* pariebat effectum **positivum** communicandi parti inhabili habilitatem alterius partis, si una pars immunis esset a lege Tridentina *quoad formam celebrationis;* quo in casu pars illi legi subiecta participabat immunitatem alterius partis, ita ut matrimonium initum sine forma praescripta inter partem

[73] Cfr. *S. Thom. Suppl.* q. 47, art. 4; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 1, n. 423, 425; *Billot*, 353.

[74] Cfr. Bened. XIV Const. « *Singulari* », 9 febr. 1749, § 8; *Gasparri*, I, n. 17; *Scherer*, 444 sq.; *Boeckenhoff*, l. c., 9 sq., 41 sq.

legi Tridentinae obnoxiam et partem immunem ab ea esset nihilominus validum. Quae vis producendi effectum positivum unice erat repetenda ab statuto legislatoris ecclesiastici, qui partem inhabilem reddebat habilem pro casu matrimonii cum parte habili initi [75].

V. Similitudinem cum effectu positivo individuitatis habebat dispensatio implicita data in aliis impedimentis a quibus exempta erat pars infidelis, dum dispensabatur fidelis in disparitate cultus ad hoc ut cum illo infideli posset validum matrimonium contrahere, ad tenorem resp. S. C. Inq., 16 sept. 1824, ad Arch. Quebec.: «*Ecclesia dispensando cum parte* **catholica** *super disparitate cultus ut cum infideli contrahat,* **dispensare** *intelligitur ab* **iis** *etiam impedimentis, a quibus* **exempta** *est pars infidelis, ut inde huius exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri*». Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 784. Quae verba reperiuntur in parte *argumentativa* responsi *particularis;* (cfr. S. C. Inq., 20 sept. 1854, in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1449, ubi pari ratione commemoratur *praevia dispensatio disparitatis cultus* **et** *primi gradus affinitatis* in linea collaterali). Nihilominus factum implicitae dispensationis iam videbatur pertinere ad stilum Curiae Romanae et amplissimam confirmationem receperat ex responso S. Offic. ad Vicarium Ap. Kiangsi, 23 apr. 1913, quod refert *Chelodi,* n. 81. At pariter illa exemptio non est repetenda ex *naturali* vi individuitatis contractus. Nequaquam enim ex *natura rei* sublato impedimento disparitatis cultus etiam *alia* impedimenta, v. g. consanguinitatis vel affinitatis, si quae erant, tollebantur a parte *fideli,* sed solum intercedente benigna relaxatione Ecclesiae. Et revera non *pars infidelis,* cui Ecclesia suos favores *directe* concedere non solet, sed potius *pars fidelis,* obtenta dispensatione,

---

[75] Illud ius de positivo effectu individuitatis relate ad clandestinitatem fuit quidem propugnatum a nonnullis canonistis argumentis non idoneis. Cfr. *Boeckenhoff,* 14 sq., 21 sq., 32 sq.; *Mifsud,* La deroga all'impedimento di clandestinità, 104 sq.; *Sánchez,* l. III, disp. 19, n. 2; *Schmalzgr.,* l. IV, t. 3, n. 134, 140 sq. At alii canonistae innixi nonnullis decisionibus S. C. C. (v. gr. responsa 19 mart. 1572 et a. 1588) relatis a *Farinacio, Pontio et Pignatelli* (cfr. *Pignatelli,* t. V, c. 79, n. 22 iunct. *Rosset,* n. 2085), principium claris apertisque verbis enuntiarunt, velut *Eugel, Reiffenst., Schmalzgr.* Postquam autem illi opinioni maximam conciliavit auctoritatem Benedictus XIV (cfr. De Syn. dioec. l. VI, cap. 6, n. 12) in scholis et tribunalibus communiter admissa est et ex stilo Curiae Romanae et iteratis declarationibus Rom. Pontificum, v. gr. Clementis XIII, 15 maii 1767, et Pii VII, 27 iun. 1805, omnino certa evasit. Cfr. *Boeckenhoff,* 16 sq., 21 sq., 25 sq.; *Feije,* n. 340.

auferebat a parte infideli inhabilitatem, qua *indirecte* impediebatur a valido matrimonio cum fideli celebrando.

Illa dispensatio implicita, cum stilo Curiae potius quam expressa lege fuerit inducta, minime extendi poterat ultra terminos in stilo Curiae non comprehensos. Quare dispensatio implicita non se extendebat: 1°) ad impedimenta iuris divini; 2°) ad ea super quibus Ecclesia nunquam dispensat; 3°) ad impedimenta absoluta quibus pars fidelis erat personaliter ligata, v. gr. voti, ordinis; 4°) ad clandestinitatem, propter clausulam ante apponi solitam in rescripto dispensationis super cultus disparitate [76*].

Multo minus dispensatio tacita vel implicita *aliorum* impedimentorum, quae in cit. responso S. C. Inq. pro casu disparitatis cultus admittebatur, transferri poterat ad dispensationem super impedimento *mixtae religionis.* Quae si concedebatur, minime tacite comprehendebat etiam relaxationem aliorum impedimentorum, etsi Ecclesia in iisdem dispensare *possit* et *soleat.* Quare matrimonium mixtum, in quo de impedimento mixtae religionis vel ab ipsa Sede Apostolica dispensatum fuit, etiam forma servata, invalide celebraretur, si *praeterea* subesset *aliud* impedimentum canonicum, v. g. consanguinitatis, expressa et speciali *dispensatione* non sublatum. Immo si pro aliqua regione matrimonia mixta declarata fuissent immunia a forma servanda, nequaquam in casu celebrationis clandestinae reputanda fuissent valida, si *aliud* obstaret impedimentum canonicum [77].

[76*] Post Codicem nonnulli canonistae asserebant hanc dispensationem implicitam, utpote innixam stilo Curiae et non expressa lege, haud videri abrogatam solo silentio Codicis. Alii vero scite animadvertebant rationem esse habendam solummodo stili curiae *nunc* vigentis, de quo adhuc nihil constare poterat ob defectum longioris spatii temporis; silentium autem Codicis hac in re aequivalere posse abrogationi antiquae declarationis eo quod detur in c. 1036 § 3 regula generalis, iuxta quam sufficit ut impedimentum se habeat ex una tantum parte ad matrimonium reddendum illicitum aut etiam invalidum et nulla fiat mentio de hac dispensatione implicita, quae tamen, si etiamnunc subsisteret, debuisset, ut videtur, ibidem saltem aliquo modo memorari. Id autem confirmatur ex eo quod in c. 1053 de alia implicita dispensatione, quam Codex concedere intendit, expressa fiat mentio. Unde deduci posse videbatur in iure vigente dispensationes implicitas non esse admittendas, nisi quando de iisdem certo constaret. Nunc ex responso S. Officii transmisso a S. C. de P. Fide ad Praefectum Apostolicum districtus centralis promontorii Bonae Spei certo constat de stilo Curiae in praesens vigente, i. e. S. Sedes dispensando super impedimento disparitatis cultus *non intelligitur* dispensare ab impedimentis a quibus exempta est pars acatholica. Cfr. Periodica, XXI, 16.

[77] Cfr. Bened. XIV declarationem pro Hollandia, 4 nov. 1741.

Art. 2. — *De matrimonio ut sacramento in particulari*

38. Sacramentum est ipse contractus. Matrimonium, *ut est sacramentum proprie dictum,* essentialiter consistit in illo *actu transeunte,* quo mas et femina iure habiles per legitimum consensum mutuam potestatem in corpora ad actus coniugales in perpetuum sibi tradunt. Quare nequaquam cum *S. Rob. Bellarmino, Laymann* aliisque dicendum est sacramentum matrimonii ad instar sacramenti eucharistiae consistere etiam *in re quadam permanente,* i. e. in vinculo permanente ex contractu orto. Nam sacramentum est ex divina institutione signum practicum gratiae ex opere operato sanctificans hominem; iam vero haec gratia sanctificans ex opere operato coniugibus tantum confertur in ipso *contractu* matrimonii, non per vinculum matrimoniale, quod idcirco non simpliciter est dicendum sacramentum, sed res et sacramentum [78].

39. Quin immo contractus matrimonialis *a fidelibus baptizatis* celebratus adeo essentialis est sacramento matrimonii, ut nihil intersit inter contractum et sacramentum, nullumque verum inter christianos celebretur matrimonium, quod non sit pariter Ecclesiae sacramentum. Quare sacramentum matrimonii *nequaquam* componitur ex *contractu* matrimoniali, tanquam *materia,* et *benedictione* sacerdotis, ut *forma,* multoque minus adaequate consistit in *sola* benedictione sacerdotali.

Quemadmodum *Melchior Canus* nova sua doctrina asserente matrimonium constare actibus contrahentium, tanquam materia, et verbis a sacerdote ut ministro huius sacramenti prolatis, tanquam forma, inter theologos catholicos nactus est sectatores [79], ita etiam nonnullis canonistis catholicis haec sententia placuit [80]. At illi scriptores, qui adeo separant contractum matrimonialem a sacramento, ut in sola benedictione sacerdotali totam rationem sacramenti reperiri dicant, non nisi in castris acatholicorum, velut *De Dominis,* aut inter theologos et canonistas aulicos reperiuntur, ut v. g. Launoy, Nuytz, Vigil. Huiusmodi theorias Cani

---

[78] *Schmalzgr.,* IV, 1, n. 294 sq., 305; Act. theol. Oenipont. II, 638; *Pesch,* n. 725; *Rossel,* n. 254; aliter *Schnitzer,* 38, not. 2.

[79] *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. VIII, cap. 13, n. 1 sq., *Perrone,* I, 48 sq., fuse de hac re disputat; *Pesch,* l. c. n. 714 sq.; *Rosset,* n. 295 sq.

[80] *Zech,* § 294; *Gibertus,* Consult. canon. de matrim. I, cons. 55. Cfr. quoque *Zhishman,* 160 sq., 124 sq., ubi de similibus sententiis apud schismaticos orientales disserit.

et Launoy iam pridem canonistae [81] quoque communiter et constanter reiecerunt. Ea sane doctrina, quae in ipso contractu matrimoniali sacramentum collocat, maxime nostra aetate per declarationes S. C. Inq., 6 iul. 1817, (in ASS. XXV, 700 sq.), Pii IX [82], Leonis XIII et Pii XI [83] tam sollemniter et universaliter est confirmata, ut etiam media illa sententia, quam iam in Concilio Tridentino defenderunt *Fernández, Lucensis, Granatensis* et postea *Platel, Billuart* aliique, sc. fideles contrahentes *sua intentione* posse efficere, ut solus contractus naturalis *sine* sacramento existat, plane sit exclusa omnisque controversia sublata [84].

Et profecto contractus matrimonialis in fieri nihil aliud est quam *consensus* sponsorum, quo mutua *datur* et *acceptatur* potestas in corpora ad generandam prolem [85]; at teste Eugenio IV in decreto pro armenis ille idem mutuus consensus, regulariter per verba de praesenti expressus, est « *causa efficiens matrimonii* », de quo in contextu illo agitur, i. e. sacramenti matrimonii; ergo contractus matrimonialis et sacramentum in fidelibus non sunt duae res vere distinctae. Cfr. quoque Innoc. III, cap 23, X, de spon. IV, 1: « *Cum ad matrimonium sufficiat solus consensus, de quorum quarumque coniunctionibus agitur* ».

Praeterea matrimonia clandestina non tantum occulta, etsi forte coram sacerdote quodam celebrata, sed etiam illa, quae *solo privato* contrahentium consensu fuerunt inita, ante Conc. Tridentinum, nisi aliud obstaret impedimentum canonicum, valida habebantur veraque simul sacramenta [86]. At benedictio sacerdotis omnino non data nequit constituere formam sacramenti matrimonii. Neque ulla alia causa efficiens gratiae potest assignari, nisi ipse consensus sponsorum, qui simul est contractus matrimonialis.

Inde etiam efficitur quod, si nupturientes baptizati intentionem habent contractum matrimonialem vere talem ineundi, hoc ipso recipiant sacramentum quod a tali contractu re non distinguitur; quodsi praedominante omnino voluntate a contractu rationem sacramenti prorsus excluderent, ita ut exclusio sacramenti redundet in veram condicionem sine qua non, nec contractum

---

[81] *Schmalzgr.,* n. 291 sq., n. 300 sq.; *Pirhing,* n. 77, 74; *Schulte,* § 2, 7; *Scherer,* § 112, not. 1; *Schnitzer,* p. 36 sq.

[82] *Syllab.,* prop. 66, 73.

[83] Encycl. « *Arcanum* » 10 febr. 1880, n. 7; « *Casti connubii* », 31 dec. 1930, n. 39.

[84] *De Smet,* n. 172 sq.; *Scherer,* l. c., 71; *Theiner,* Acta C. Tr. II, 241 sq., 331, 392.

[85] *Stephan. Tornac.,* l. c., 236.

[86] Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr. n. 321 sq., 326 sq.

quidem efficerent, cum illum non vellent nisi sub condicione impossibili. Quae inseparabilitas contractus et sacramenti provenit ex positiva voluntate institutoris, cum ex natura rei aliter quidem fieri potuisset; sed positiva voluntas institutoris fuit voluntas absoluta et antecedens, qua non hoc vel illud matrimonium, secundum suam essentiam contractus ad sacramenti dignitatem sed matrimonium christianum seu omne christianorum matrimonium, secundum suam essentiam contractus ad sacramenti dignitatem evexit, vim tribuens conferendi gratiam; quod non satis attenderunt pauci illi doctores catholici, velut *Billuart*, *Pontius* etc. qui separabilitatem propugnarunt. Cfr. *Palmieri*, De matr. thes. X.

40. *Personae habiles ad contractum sacramentalem* valide et licite celebrandum ut *subiecta activa* sive ut *ministri sacramenti* sunt soli contrahentes, vir et mulier. Nam *contractus* matrimonialis fidelium baptizatorum a *sacramento* matrimonii non est realiter distinctus; et causae efficientes contractus sunt ipsi contrahentes, ergo ipsi quoque sunt huius sacramenti *ministri*, non ut subministrant *materiam*, sed ut apponunt *formam* [87].

Subiecta passiva sacramenti matrimonii non sunt homines non baptizati, utpote incapaces recipiendorum sacramentorum; at iidem, etiam post legem evangelicam promulgatam, inire valent vera et legitima matrimonia, quibus ratio simplicis contractus veri, sacri et religiosi propria est [88]. Omnes autem valide baptizati nulloque impedimento iuris divini vel canonici obstricti ad sacramentum matrimonii suscipiendum habiles sunt, saltem si cum fideli vere baptizato matrimonium contrahant [89].

---

[87] *Sánchez*, lib. II, disp. 6; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 291 sq; *Palmieri*, d. 81 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 13, n. 4 una cum iudicio *S. Alphonsi*, Theol. mor. l. VI, n. 897, de verbis Benedicti XIV, « *quae profert ut doctor privatus* »; *Gasparri*, I, n. 33; *Scherer*, § 112,, n. 1, § 105, not. 4, ubi putat ne proponendam quidem esse quaestionem de *ministro* sacramenti matrimonii. At *Lugo*, De sacram. disp. 8, n. 230, *Pesch*, VI, n. 231, VII, n. 868 sq., *Rosset*, n. 295 sq., *Billot*, De Ecclesiae sacram. II, 346 sq., *Leitner*, 63, *De Smet*, n. 182, aliique theologi et canonistae citati quaestionem propositam rite solvunt; aliter *Hollweck*, D. Civileher. d. b. G., 81, not. 1.

[88] Cfr. c. 7, X, de divort. IV, 19 = Innoc. III (a. 1199: « *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum et ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum ut ipsum in coniugibus illo durante perduret* »: cap. 8, X, eod. tit.; cap. 3, X, de presbyt. III, 43; Eugen. IV in decr. pro armen.; *Sánchez*, l. III, disp. 7, 8; *Pesch*, VII, n. 726, 840; *Scherer*, § 108, not. 10.

[89] Cap. 20, 23, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 300, 303 sq.; *Pesch*, l. c. n. 840.

41. Quodsi *duo* coniuges infideles ad fidem christianam baptismo suscepto convertantur, non solum *sacramenti* matrimonii suscipiendi fiunt capaces, sed etiam ipsorum matrimonium, dummodo *valide* in infidelitate contractum fuerit, *statim cum baptizantur* ipso facto fit ratum verumque sacramentum, etiam sine expressa vel tacita consensus matrimonialis *renovatione* [90]. Quare sententia, quam sustinuit *Schmalzgr.* IV, I, n. 309 sq., praeeuntibus *Vázquez*, *Wiestner*, suo quondam professore, sc. huiusmodi matrimonium in infidelitate contractum *etiam post* utriusque coniugis conversionem *nunquam* transire in verum sacramentum, nostra aetate ut improbabilis videtur esse plane derelinquenda.

Nam RR. Pontifices, ut constat ex praecedentibus, sine ulla limitatione declararunt *omne* matrimonium inter christianos esse sacramentum; ergo perperam a doctoribus privatis statuitur exceptio de matrimonio fidelium neophytorum. Porro exceptio illa odiosa, qua neoconversi dicuntur incapaces recipiendi sacramenti matrimonii et consequenter, privati gratiis sacramentalibus, relinquuntur in simplici contractu matrimoniali et in quadam inferiore condicione coniugum christianorum, iam ex sese est parum probabilis et insuper solidis argumentis non innititur. Etenim quae opponuntur sane probant non requiri *novum* quendam *consensum* nec sufficere *prioris* consensus *approbationem* ad explicandum sacramentum matrimonii in neoconversis, at non demonstrant *ipso facto* baptismi recepti inter coniuges fideles non haberi sacramentum matrimonii. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 310.

Neque concludentibus argumentis probari potest necessitas expressae vel *tacitae renovationis consensus*, quam exigunt *S. R. Bellarmino*, *Laymann*, *Schmier* aliique. Nam ut unio maritalis duorum infidelium *perfecte* repraesentet unionem Christi et Ecclesiae, unice requiritur *character baptismalis* in coniugibus. Quae condicio impletur ipso facto baptismi, et ex altera parte consensus mutuus ante baptismum *valide* datus virtualiter et irrevocabiliter perseverat; ergo nihil obstat quominus ipsorum matrimonium ilico transeat in sacramentum matrimonii absque ulla consensus renovatione. Cfr. *Rosset*, n. 344.

Praeferenda igitur est sententia quam tenet *Sánchez*. Etenim imprimis conformior est praxi Ecclesiae, quae a fidelibus conver-

---

[90] Quae sententia inde a *Sánchez*, l. II, disp. 9, defenditur communiter a theologis et canonistis, v. g. *Pirhing*, IV, I, n. 71; *Perrone*, II, 295 sq.; *Pesch*, n. 727; *Billot*, l. c., 347 sq.; *Scherer*, § 110, not. 10; *Rosset*, I, n. 340 sq.; *Giovine*, I, 510; *Leitner*, 65 sq.; *Cappello*, I, n. 35; *Chelodi*, n. 6; *De Smet*, n. 178; *Gasparri*, I, n. 36.

sis renovationem consensus non solet exigere. Et revera S. C. Inq. in responso d. 20 sept. 1848 et 27 sept. eiusd. an. a Pio IX approbato declaravit: « *Quodsi dubium nullitatis* — sc. matrimonii in infidel. contracti — *non sit vere fundatum, renovatio consensus non est necessaria* » — si uterque coniux aut una tantum pars baptizatur — [91]. At idem Pius IX generaliter et absolute declaravit: « *Inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum* ». Hinc renovatio consensus cum dicatur esse *non necessaria nec debere* exigi a ministro sollemnitatis, qui etiam abstinere iubetur a proferendis verbis « *Ego vos coniungo* » certe ad dandum sacramentum matrimonii neoconversis omnino non requiritur.

Porro consensus coniugum conversorum in infidelitate valide datus, qui est sacramentum sensu lato (cfr. cap. 8, X, de divort. IV, 19), ita virtualiter perseverat, ut a partibus *efficaciter* revocari non possit; coniuges enim iuncti sunt vinculo *valido* et *indissolubili*. Hinc ut hac in re non requiritur *renovatio* consensus, ita etiam prioris consensus dati *revocatio* sive superveniens dissensio non est attendenda, etsi forte non ob rationes, quae interdum a theologis afferuntur, sed ob alias diversas. Neque quidquam mirum; sunt enim et alii quidam contractus, « *in quibus nec* **valide** *potest contrahens* **resilire** *ante condicionem impletam, nec* **impedire** *quod adveniente postea condicione purificetur et perficiatur contractus* » [92].

At quamprimum ille consensus matrimonialis *moraliter* perseverans et *efficaciter irrevocabilis* informetur a duobus subiectis baptizatis ipso facto iam consecutus est perfectam significationem theoreticam, ut nihil iam obstet quominus sit etiam signum practicum gratiae sanctificantis et vinculo matrimoniali iam existenti conciliet, accedente *nova consummatione* matrimonii, eam firmitatem et *indissolubilitatem*, quae solius matrimonii christianorum consummati propria est. Quae explicatio etiam illustratur analogiis petitis ex *sanatione* in *radice* atque *reviviscentia sacramenti matrimonii*, et ex matrimonio condicionato vel per procuratorem celebrato; quae analogiae licet claudicent, ut omnes comparationes, tamen ad dilucidationem huius quaestionis sunt utilissimae, dummodo convenientiae et differentiae in comparatione ob oculos habeantur. Neque illud omittendum est quod huiusmodi argumentatio potissimum innitatur singulari

[91] Cfr. quoque S. C. de Prop. Fide, 21 iul. 1841 et S. C. Inq., 20 iul. 1860, in Collectan. S. C. de Prop. F. n. 1551, 1557; *Gasparri*, I, n. 36.

[92] Cfr. *Lugo*, De iust. et iur. disp. 22, n. 381 sq.; 384 sq.; *D'Annibale*, l. c. P. I, n. 41, not. 32; *Lehmkuhl*, l. c. III, n. 661.

indole sacramenti matrimonii, ut *contractus*, atque principiis a *Lugo*, l. c., de contractibus in genere atque speciatim prolixe de contractu *matrimoniali* stabilitis, penitus omissis theoriis quae res claras et certas videntur potius reddere obscuras et dubias. Cfr. *Rosset*, n. 340 sq., 344 sq.

42. Si *unus* tantum ex *duobus* coniugibus infidelibus legitimo matrimonio iunctis fidem christianam amplectatur, *aut* fidelis baptizatus ex *dispensatione* Rom. Pontificis cum infideli non baptizata matrimonium contrahit, probabilius ne *fidelis* quidem baptizatus sacramentum matrimonii recipit; verum in utroque coniuge existit *vinculum* coniugale ortum ex *simplici* tantum *contractu* matrimoniali, non ex sacramento matrimonii. Quae est sententia, quam duce *Sánchez*, l. II, disp. 8, plerique theologi et canonistae tenuerunt atque etiam nunc defendunt [93]. Contra vero alii, praeeuntibus *Dom. Soto* et *Catharino*, existimant matrimonium in coniuge *fideli* esse sacramentum, non in parte infideli [94].

At immerito. Nam sacramentum matrimonii consideratur aut ut *contractus transiens* aut ut *vinculum permanens;* iam vero sub neutro respectu in *solo fideli* coniuge existit *sacramentum*. Non sub priore respectu; nam sicut contractus matrimonialis est numero unus et individuus, ita etiam sacramentum matrimonii est unum, non duplex; ergo sicut contractus matrimonialis non potest existere in uno, nisi simul etiam sit in altero, ita idem valet de sacramento matrimonii, quod a contractu matrimoniali omnino separari non potest et certe in infideli esse nequit ideoque etiam in fideli excluditur. Praeterea perperam de signo imperfecto idem praedicatur atque de signo *perfecto* unionis duorum fidelium. Denique ex mera analogia baptismi sine sufficienti fun-

[93] *Pirhing*, IV, I, n. 71; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 306 sq.; *Wiestner*, IV, I, n. 165; *Billot*, l. c., 353 sq.; *Hurter*, Compend. theol. dogm. III, 526; *Boeckenhoff*, 46 sq.; *Leitner*, 67 sq.

[94] *Rosset*, n. 346 sq.; *Perrone*, II, 306 sq., ubi suam opinionem ita limitat ut neget contractum matrimonialem fieri sacramentum in fideli coniuge *converso*, altero coniuge in infidelitate permanente; *Pesch*, n. 728; *Scherer*, § 108, not. 10, ubi ex sententia, quae tenet sacramentum matrimonii magis esse *habitum* quam *actum* et excludit consensus renovationem in baptizatis coniugibus « *consequenter* » deducendum esse existimat iam baptismo unius coniugis matrimonium in illo fieri sacramentum. Eidem sententiae etiam calculum adiciunt *Palmieri*, *Sasse* atque praesertim ex ultimo saeculo illi scriptores, qui contractum matrimonialem a sacramento matrimonii separari posse sustinuerunt, v. g. *Tournely*, *Collet*. Cfr. *Boeckenhoff*, 49 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 3, n. 5. Tertia quaedam sententia, quae etiam in infideli videtur admittere sacramentum, solummodo ob suam singularitatem est commemoranda. Cfr. cap. 3, X, de presbyt. III, 43; *Schell*, Kath. Dogm. III, 688.

damento parti non baptizatae vindicatur capacitas ministri sa-
eramenti.
Quodsi attendatur *vinculum* matrimonii, illud in utraque
parte debet habere eandem firmitatem; sed vinculum sacramen-
tale, quod adversarii *supponunt* in fideli, esset *firmius* quam vin-
culum naturale in infideli; ergo aequiparatio inter coniuges non
existeret. Nec iuvat excipere quod etiam in infideli haberetur
aeque firmum vinculum; illius enim *aequalis* firmitatis in infideli
deest *fundamentum*, i. e. sacramentum; ergo asseritur effectus
sine causa proportionata. Ex altera parte *firmius* illud vincu-
lum in fideli, quod adversarii consequenter admittere debent,
non existit. Nam matrimonium fidelis conversi, etiamsi post
baptismum consummatum fuerit, per privilegium Paulinum *dis-
solvi potest*, si pars infidelis non vult amplius pacifice cohabi-
tare; ergo vinculum matrimoniale etiam in fideli non est sacra-
mentale; nam vinculum matrimonii consummati est in persona
christiana absolute indissolubile [95]. Cfr. S. C. de Prop. F., 30 ian.
1807, in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1322.

Sane *Perrone*, l. c., vult salvare rationem sacramenti saltem
in fideli, qui cum *dispensatione pontificia* celebravit matrimo-
nium cum infideli; id autem exinde *deducere* vult quod tale ma-
trimonium per privilegium Paulinum — vel per R. Pontificem —
non amplius dissolvi possit. Cfr. S. C. Inq., 5 aug. 1759, in Col-
lectan. S. C. de Prop. F., n. 1312, ad 4. At haec conclusio *de sa-
cramento* logica non est. Nam per se et a priori iam vix proba-
bile est Deum *neoconversis negare sacramentum* matrimonii et
e contra *fidelibus* illis *tepidis*, qui regulariter talia matrimonia
cum *dispensatione* celebrare solent, in praemium *negligentiae*
etiam *concedere sacramentum*. Praeterea negatae solutionis ma-
trimonii in casu *aliae* multoque meliores reddi possunt rationes.
Etenim privilegium Paulinum et iura R. Pontificis, quae in *favo-
rem fidei* sunt concessa, nequeunt applicari ad promovendam

[95] Utrumque illud argumentum, cui etiam alii viri docti, v. g. *Billot*, *Gihr* recte vim tribuunt, a *Boeckenhoff*, 55 sq., reicitur. At in re controversa subsidia patronorum eiusdem causae non videntur esse tam facile repellenda. Difficultati contra prius argumentum iam responsum est in textu; immo si adversarii adiguntur ad defendendas res non connexas — sc. ad *eandem* vinculi firmitatem in utroque — exinde potius denuo refutantur. Multo minus difficultatem facessunt rationes contra alterum argumentum allatae. Nam sententiae partim plane *falsae* vel *non cohaerentes* quorundam virorum doctorum non sunt legitimae exceptiones contra argumenta in se solida, ut tandem aliquando vel ipse *Boeckenhoff*, l. c., 56, fatetur, cum scribit: « *Qui auctores, quomodo hac in re sibi constent equidem non video* ».

negligentiam in fide et *morum corruptionem*, v. g. si fideles spe
illecti futurae dissolutionis matrimonii facile contraherent ma-
trimonia cum infidelibus. Ergo conclusio illa ex *facto* negatae
solutionis ad *existentiam sacramenti* vi caret, ut etiam aliis re-
sponsis confirmari potest [96].
Neque efficaces sunt rationes, quas adversarii in suum favo-
rem allegant. Nam imprimis exinde arguunt quod potestas Eccle-
siae in haec matrimonia, v. g. ad statuendum impedimentum
disparitatis cultus, solummodo defendi possit, si matrimonium
saltem ex parte fidelis sit sacramentum. At ex Leon. XIII Encycl.
« *Arcanum* » matrimonium licet non sit sacramentum, est tamen
natura sua sacrum et religiosum; sed in *religiosas* et *sacras res*
fidelium Ecclesia est exclusive competens et consequenter habet
potestatem in causas et personas, ut eruitur ex eadem Encycl.;
hinc *indirecte* propter individuitatem contractus suis impedimen-
tis potest etiam ligare *infideles*. Praeterea urgetur illa ratio quod
effectus gratiae possit existere in *uno* coniuge independenter ab
altero, ergo etiam sacramentum. Qua in argumentatione tacite
sumitur falsa propositio minor; nam quod certissime valet de
effectu, perperam transfertur etiam ad *causam* sive *contractum*
matrimonii et *vinculum* matrimoniale. Aliis rationibus adversa-
riorum minus insistendum videtur; habent enim obviam solu-
tionem; nam v. g. dispensatio Ecclesiae facile explicatur, quia
huiusmodi matrimonia, obtenta dispensatione, sunt vera matri-
monia valida et licita, in quibus coniuges absque *peccato* forni-
cationis vivere possunt.

43. Sacramenti materia et forma. *Consensus* contrahentium,
sicut est causa efficiens vinculi matrimonialis, ita etiam est *ma-
teria* et *forma*, quibus constituitur *sacramentalis* ritus matrimo-
nii efficax gratiae [97]. Quae sententia est nunc extra controversiam,
ac sententia Cani similesque theoriae indubitanter ut falsae sunt
reiciendae, certoque constat ipsum validum contractum matri-
monialem inter fideles esse sacramentum. Quare solummodo ex-

[96] *Billot*, l. c., 354; *Boeckenhoff*, 59, ubi tamen, 55 sq., contra *Billot* et *Gihr* non satis videtur distinguere *intrinsecam* firmitatem et *defectum extrinsecae auctoritatis* et *causae proportionatae*. Quae intrinseca firmitas potest esse *eadem*; at stante *defectu* allegato auctoritatis *vel* causae, diversitas quoad maiorem vel minorem facilitatem solutionis vinculi est omnino fundata; ergo duo auctores allegati nihil tenent quod sit difforme a praxi Ecclesiae, i. e. ab alleg. resp. S. C. Inq., 5 aug. 1759, ad 4. Quae responsio etiam iis confirmatur, quae ipse *Boeckenhoff*, 59, sapienter disputat. Cfr. quoque *Pesch*, n. 761 sq., 785 sq. praesertim n. 817 sq.

[97] Decret. pro armen. iunct. *Lugo*, De sacram. in genere disp. 2, n. 7 sq., 31 sq.; *Gasparri*, I, n. 34.

plicandum restat, quid in illo contractu habeat rationem materiae et formae. Omissis aliis sententiis, recte materia sive elementum *indeterminatum* in sacramento matrimonii dicitur consensus ut *mutuam* contrahentium *traditionem* iuris in corpora continet, *forma* vero sive elementum determinans est *acceptatio mutua* illius traditionis per contrahentes eodem consensu matrimoniali expressa[98].

[98] Apud Bened. XIV, Const. «*Paucis*», 19 mart. 1758, legitur: «*Legitimus contractus materia insimul et forma est sacramenti matrimonii, mutua nempe ac legitima corporum* **traditio** *verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus* **materia**, *et mutua pariter ac legitima corporum* **acceptatio forma**»; *Sánchez*, l. II, disp. 5, n. 1 sq., 6; *Schmalzgr.*, h. t. n. 289; *Pirhing*, h. t. n. 75; *Gasparri*, I, n. 34; *Pesch*, l. c. n. 758 sq.; *Billot*, l. c. p. 345; *Rosset*, n. 351 sq.

Scherer, § 112, not. 4, explicationem ex cit. Const. Bened. XIV depromptam de materia et forma matrimonii appellat «*tautologiam*», quae nihil explicet, atque *Schnitzer*, 33, not. 1, opinatur Scherer sententiam in textu propugnatam *merito* dicere tautologiam. Seposita auctoritate Benedicti XIV, qui verba illa l. c. magis per transennam et potius ad instar dubii aliorum, non ut propriam sententiam proponit, alibi vero (De Synod. dioec. l. VIII, cap. 13) pro *sua aetate* in seligendis opinionibus hac in re concedit libertatem, contra illam assertionem imprimis grave est praeiudicium quod tot viri docti nunc multo communius sententiam, quam proposuit *Sánchez*, defendentes, exceptis duobus canonistis Germaniae, non intellexerint se loco solidae explicationis suppeditare ineptam *tautologiam*. Quodsi res ipsa spectatur, multo magis mirum est duos cordatos canonistas, adeo insistentes methodo iuridicae, id appellare tautologiam quod plane aptam vereque canonicam continet explicationem. Etenim ut in aliis contractibus mutua promissio et acceptatio, traditio et acceptatio sunt *vere distinctae*, ita idem obtinet in contractu matrimoniali, in quo intercedit mutua corporis *traditio*, quae complenda et determinanda est per mutuam *acceptationem*; manifeste igitur verificatur ratio *materiae*, i. e. elementi indeterminati, et *formae* sive elementi determinantis. Neque ullo modo requiritur ut traditio et acceptatio *duobus* actibus *formaliter distinctis* fiant et exprimantur. Nam in formali actu traditionis contractuum bilateralium virtualiter continetur acceptatio, v. g. si qui utantur breviore formula: «*Do tibi centum aureos et accepto equum a te tradendum. — Accepto tuos centum aureos et do tibi equum*». Id multo magis obtinet in contractu matrimoniali, qui *claudicare* plane nequit. Quare quicumque dicit: «*Volo esse tuus maritus*» eo ipso dicit: «*Volo te habere uxorem*»; iisdem igitur verbis, quibus *exprimit suam obligationem*, etiam *acceptat obligationem alterius*, neque quidquam praeterea est necessarium ad valorem contractus sive ad validum sacramentum. Cfr. *Lugo*, l. c. disp. 2.

Denique iidem duo canonistae opinioni Sánchez, perperam reiectae, substituere student sententiam omnino improbabilem Navarri, sc. *materiam esse consensum, formam* vero ipsius *declarationem*. At *materia* sacramenti debet esse res aliquo modo *sensibilis*, sed consensus internus est in se insensibilis. Porro verba sive declaratio, quae ad consensum accedunt, illum non magis determinant, sed solummodo extrinsecus manifestant. Restat igitur explicandum quid in hac extrinseca manifestatione vel declaratione consensus habeat rationem *materiae* et *formae*. Hinc consequitur duos adversarios ad explicandam materiam assumere principium falsum, quoad formam vero assignare rem nimis vagam et indeterminatam. Ergo sententia Sánchez hisce novis et antiquis opinionibus praeferenda est. Quodsi *Leitner*, l. c., 69 sq., pariter asserit contractum matrimonialem esse materiam et formam, ita rem explicat ut contractum matrimonialem dicat *materiam*, quatenus est contractus inter *homines*, *formam* vero, quatenus est contractus inter *baptizatos*. At haec opinio videtur esse singularis; nullus enim doctor pro illa citari potest frustraque provocatur ad c. 7, X, de divort. IV, 19, et si auctor suis theoriis, 69 sq., insistere velit, tandem aliquando trahetur ad sententiam falsam, sc. contractum matrimonialem baptizatorum esse rem *realiter* distinctam a *forma* sacramenti ipsoque sacramento matrimonii,

44. Scholion. *De iuris favore quo gaudet matrimonium. Can. 1014.* «*Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127*». Quibus legislatoris verbis satis declaratur in quo consistat ille iuris favor, videlicet: semel celebratum matrimonium habendum est ut validum donec contrarium probetur, sive dubium sit iuris sive facti, quia ut dixit Innocentius III «Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare» (cap. 47, X, 2, 20); ubi *statuta hominum* sunt hominum testimonia firmitate necessaria destituta ad concludendum matrimonium iam contractum esse irritum (*Sánchez*, l. VII, disp. 103; *Gasparri*, I, n. 18). Cuius iuridica ratio est quod matrimonium, certo celebratum, est in possessione et maxime interest boni prolis ac praesertim publici boni honestatis morum, ne matrimonia solvantur, quamdiu certo modo de eorum nullitate non constat. Quae ratio valet pro quolibet matrimonio etiam infidelium (cfr. Instr. S. Offic., 18 dec. 1872, ad Vic. Apost. Oceaniae Centr. in Collect. S. C. de P. F. II, n. 1392,) et pro foro tam externo quam interno.

Quodsi dubium versetur circa factum celebrationis matrimonii, profecto factum celebrati matrimonii, sicut cetera facta, de se non praesumitur sed probari debet; nihilominus in casibus dubiis non est statim properandum ad contrarium principium; sed si matrimonium, de cuius existentia dubitatur, nomen matrimonii et *possessionem* pro se obtendere possit, etiam in hoc casu, cum iura possessionis servanda sint, donec de contrario perspicue constet, standum erit in dubio pro matrimonio. Id accidit cum reputati coniuges, praesertim in infidelitate, vivunt in statu coniugali et se tanquam coniuges gerunt, sine offensione populi censentis eos esse in iusto coniugio[99].

[99] Cfr. cit. resp. S. Offic. et eiusdem S. C. Instr. ad Ep. Nesquellien., 24 ian. 1877, in Collect. cit., n. 1465.

Cui principio, quod in dubio standum sit pro valore matrimonii, favet constans iurisprudentia SS. CC. et Rotae Romanae, etiam ante Codicem illud principium applicantium in decisionibus causarum per responsum *non constare de nullitate*, quando certae probationes pro ipsa non fuerunt allatae [100].

Exceptio a principio generali, quod in dubio standum sit pro valore matrimonii, fit pro casu quo subintret privilegium fidei, nam in tali casu « in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris » (c. 1127). Idcirco quando alteruter ex coniugibus infidelibus ad religionem christianam convertitur et dubium exurgit de valore matrimonii in infidelitate contracti, standum erit pro nullitate matrimonii quando hoc redundat in favorem fidei, v. gr. quia infidelis conversus vult ducere aliam mulierem christianam. Quae dispositio Codicis innititur pluribus responsis S. Offic. [101]; eius autem iuridica explicatio nequaquam eadem est ac explicatio principii cuius constituit exceptionem; nam sententia iudicis decernentis non constare de nullitate matrimonii, ad normam principii generalis huius canonis, nullam mutat obiectivam veritatem propter dubium subiectivum exortum; at si in casu dubii ob favorem fidei per sententiam iudicialem declararetur nullitas matrimonii, sententiae humani iudicis tribueretur vis immutandi obiectivam rei veritatem pro casu in quo dubium subiectivum de valore matrimonii coniungeretur cum obiectivo ipsius valore. Ergo ad exceptionem explicandam interveniat necesse est, quatenus opus sit, pontificia dispensatio seu matrimonii dubii solutio, nisi iam casus sit manifeste comprehensus sub privilegio Paulino.

Praeter hanc exceptionem Codex nullam aliam memorat: quare antiqua opinio *Schmalzgr.* IV, 1, n. 401, quod matrimonio ex metu inito in dubio iuris non sit favendum, non amplius videtur posse sustineri. Cfr. infra, ubi de influxu metus in consensum matrimonialem [102], n. 499 sq.

---

[100] Cfr. v. gr. S. R. R., 6 dec. 1909, (decis. 18); 19 ian. 1910 (decis. 3); 17 mart. 1910 (dec. 12); 22 mart. 1910 (decis. 10); 20 iun. 1912; 13 iun. 1911; 1 febr. 1913.

[101] S. Offic. 18 maii 1892, 26 april. 1899, 18 maii 1892. Cfr. Collect. S. C. de P. F. n. 2184, 2185; *Cappello*, I, n. 55.

[102] Cfr. quoque *Cappello*, I, n. 55.

CAPUT II

De potestate qua matrimonium regitur

Fontes et Scriptores iidem qui in capite praecedenti.

Art. 1. — De potestate Ecclesiae in matrimonium

§ 1. De exsistentia, natura et ambitu potestatis Ecclesiae in matrimonium

45. Ecclesia catholica *sola* habet iure proprio et nativo ab ipso Christo Domino *immediate*, non conniventia principum saecularium, accepto, *potestatem legislativam* ordinandi *validam* et *licitam* matrimonii christiani celebrationem sive legibus *prohibentibus*, quibus fideles per impedimenta *dirimentia* aut *mere impedientia* a matrimonio contrahendo ex iusta et proportionata causa arceantur, sive legibus *positive praescribentibus* rationabiles condiciones, v. g. ritus, formam, sollemnitates ad *liceitatem* vel etiam ad *valorem* matrimonii requisitas [1].

Sponsalia quoque fidelium, quatenus sunt actus promissionis de *sacramento* recipiendo et ita disponens atque *obligans* ad *sacramentum*, et *effectus* habent etiam vi canonicarum sanctionum ex ipsis profluentes, soli iuri Ecclesiae subsunt. Quare perperam Synodus Pistoriensis statuit sponsalia proprie dicta actum *mere civilem* continere, qui ad matrimonium celebrandum disponat, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere.

46. Quodsi huiusmodi ius *soli Ecclesiae* vindicatur, illa reservatio nequaquam repetenda est ex *positiva* quadam lege *ab Ecclesia* lata, quemadmodum v. g. causae mere civiles inferiorum clericorum, per se potestati civili non subductae, non nisi per *positivam* legem Ecclesiae *soli* foro ecclesiastico saltem ex antiquo iure communi fuerunt reservatae. Nam causae matrimoniales christianorum *antecedenter* ad omnem positivam legem *reservatoriam Ecclesiae* ex ipsa natura sacramenti matrimonii *iureque divino* soli potestati ecclesiasticae subiciuntur [2], penitus

---

[1] Cfr. Pii VI Const. « *Auctorem fidei* », 28 aug. 1794, prop. 58, 59; *Laurin*, Introd. in ius matr. eccl., 69 sq.

[2] Aliter *Schnitzer*, 46 sq., not. 3, ubi opinatur ex argumentis a se allatis sequi « *rationem incompetentiae Status non in sacramentalitate matri-*

exclusa competentia potestatis civilis. Hinc leges civiles in hisce causis solummodo vim atque valorem obtinent, si postea ab Ecclesia vere fuerint « *canonizatae* »[3], vel si quid potestatis Ecclesia principibus saecularibus *delegaverit*.

Saepe theologi atque canonistae disertis verbis soli Ecclesiae tribuunt potestatem statuendi impedimenta *dirimentia*[4]. At hic loquendi modus minime ita explicandus est ut quasi tacite *exclusiva* potestas Ecclesiae *restringatur* ad sola impedimenta *dirimentia*, potestas vero *civilis* saltem ad statuenda impedimenta *mere prohibentia* matrimonii christiani dicatur esse competens. Etenim ex genuina certaque doctrina catholica ad condenda etiam impedimenta mere prohibentia matrimonii fidelium *sola Ecclesia* habet auctoritatem, omnisque competentia potestatis civilis, quam scriptores quidam catholici parum consequenter admiserunt, prorsus est reicienda[5].

Porro in assertione impedimentum matrimonii intelligitur defectus condicionis, sive in *consensu* eiusque *forma* sive in *persona*, a competente legislatore aut ad *validam* aut ad *licitam* celebrationem matrimonii requisitae. Quodsi defectus condicionis *valorem* matrimonii impedit, habetur impedimentum *dirimens;* si solummodo *liceitati* matrimonii obstat, impedimentum dicitur *impediens* vel prohibens.

---

monii, i. e. mediate in iure divino (numquid non dicendum fuisset *i. e.* immediate *in iure divino*?), *sed* in positivo iure ecclesiastico *sitam esse,* quod *ex gravibus causis illam potestatem Ecclesiae* reservavit ». Quod positivum ius ecclesiasticum recte diceretur *mediatum ius divinum*, cum vi potestatis a Deo concessae per Ecclesiam esset constitutum. Cfr. *Rosset*, l. c. n. 730, 795; *Palmieri*, De R. Pont. 565; *Nussi*, Convent. 197 sq.; *De Smet*, n. 411 sq.; *Cappello*, I, n. 57 sq.

[3] *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 10, n. 1 sq.; cap. 11, n. 2 sq.; cap. 12, n. 1 sq., 6 sq.; cap. 13, 14; *Nussi*, l. c.; *Leitner*, 76 sq., 85 sq.

[4] *Billot*, l. c., 426 sq.; *Pesch*, VII, n. 874 sq.; *Rosset*, n. 743.

[5] Leon. XIII Litt. Apost. ad Episc. Venetae prov., 8 febr. 1893, in ASS. XXV, 459 sq., 461. « *Onde nasce, che appartenendo esclusivamente alla Chiesa l'amministrazione dei Sacramenti*, ogni *ingerenza dell'autorità politica* nel contratto matrimoniale, *e non semplicemente nei suoi effetti, è sacrilega usurpazione* » et l. c. 462. « *Niun'altra potestà, che quella a cui spetta siffatta amministrazione, può e deve giudicare delle condizioni richieste per celebrare il matrimonio, dell'attitudine e della capacità dei contraenti e* delle altre circostanze, *dalle quali dipende che il matrimonio si contragga* lecitamente e validamente », ubi in versione latina minus accurate legitur « *honeste ac sancte celebratur* »; *Biederlack*, in Act. theol. Oenip. XVII, 645 sq.; *De Becker*, 37; *De Smet*, n. 420; *Scherer*, II, § 109, not. 47, 49, 55, 56, 60, 61, § 131; paulo aliter De *Angelis*, l. IV, t. 1, n. 14; *Schnitzer*, 49 sq. aliique.

Deinde *valor* contractus matrimonialis duplici modo impediri potest, sc.: aut *directe*, si *Ecclesia* vel in *intellectu* vel in *voluntate* vel in *externa consensus manifestatione* sive in *forma*, *praeter* condiciones *iuris divini*, novam quandam condicionem ad valorem matrimonii lege sua positiva exigit, aut *indirecte*, si personae quae matrimonium contrahere volunt, ab Ecclesia redditae sunt *inhabiles*. Uterque irritandi modus Ecclesiae est vindicandus[6].

Pariter Ecclesia in usu potestatis sibi commissae ad unicam legum speciem non restringitur, sed illam exercere potest modo per veras leges *irritantes* vel simpliciter *prohibentes* vel *praescribentes*, modo per *praecepta particularia* aut simpliciter *prohibentia* vel *praescribentia* aut *clausula irritante* munita. Quae animadversiones servata proportione ad sponsalia quoque sunt applicandae.

Denique potestas statuendi impedimenta dirimentia vel prohibentia sive directe sive indirecte Ecclesiae tantum vindicatur ex *causa iusta* et *proportionata*. Nam matrimonium iure naturali permissum est omnibus hominibus, nisi agatur de casibus ipsis legibus divinis exceptis. Quae libertas sane legibus humanis ordinari et restringi potest, sed non arbitrarie et absque ulla causa. Atque haec causa gravior esse debet, cum non tantum lege prohibente, sed etiam irritante matrimonium interdicitur. Quare, si R. Pontifex absque causa matrimonium prohiberet vel irritaret, non tantum illicite, sed etiam invalide ageret, ut in dispensatione voti absque causá data. At in casibus particularibus huiusmodi vetita pontificia practice vix sunt timenda, et a condendis *legibus universalibus* de disciplina ecclesiastica, quae sint *contra* fidem et bonos mores vel ipsum ius naturale, R. Pontifex sua infallibilitate praeservatur, neque etiam facile admittendae sunt universales leges disciplinares *minus opportunae*[7]. Praesertim vero nostra aetate summopere desideratur ut in impedimentis canonicis non solum *littera*, sed etiam *ratio* legis ecclesiasticae solide explicetur.

Coronidis loco animadvertere iuvat quod potestas *legifera* Ecclesiae ad statuenda impedimenta matrimonii christiani probe sit distinguenda ab ipsius *potestate magisterii*, qua authentice et infallibiliter declarat vim et ambitum suae potestatis legiferae, naturam matrimonii, impedimenta dirimentia et prohibentia

---

[6] *Schiffini*, n. 489; *Suárez*, De leg. l. V, cap. 19, n. 1 sq., 10; *Pirhing*., IV, I, n. 148; *Palmieri*, De matrim., 232.

[7] Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 1, n. 5 sq.; *Schmalzgr*., l. IV, t. 1, n. 381 sq., 383; *Rosset*, n. 763 sq. contra aliquot antiquiores scriptores.

iure divino sive naturali sive positivo constituta. Quoad illa impedimenta iuris divini Ecclesia, praeter auctoritatem *declarandi*, aliam quandam potestatem *abrogandi* vel *derogandi* vel *dispensandi* exercere nequit, nisi probari possit ex speciali Dei ordinatione eidem aliquid esse concessum, velut ad solvendum matrimonium ratum christianorum vel forte etiam matrimonium ante conversionem in infidelitate contractum et consummatum.

Quae limitatio potestatis Ecclesiae in alia impedimenta canonica non est asserenda. Quare sicuti aliae leges mere humanae a competente auctoritate ecclesiastica rite abrogari vel immutari vel dispensari possunt, ita idem valet de impedimentis matrimonii iure mere ecclesiastico constitutis.

47. *Errores* de potestate Ecclesiae in matrimonium christianum ad *triplicem* quandam speciem reduci possunt.

I. Imprimis recensenda sunt falsa dogmata pseudo-reformatorum saeculi decimi sexti, qui matrimonium sacramentum esse negarunt eique tantum vim simplicis contractus vindicarunt. Quare ordinatio matrimonii ex ipsorum opinione spectat ad potestatem civilem, non ad Ecclesiam, cui tantum competit facultas urgendi impedimenta, cap. 18 in Levitico, ex iure divino constituta [8].

II. Deinde veniunt assertiones illorum scriptorum *catholicorum* et *acatholicorum*, qui, admisso matrimonio tanquam sacramento, *vere* et *realiter* distinguunt inter contractum matrimonialem et sacramentum matrimonii, atque *illum* per se soli auctoritati civili, *sacramentum* vero Ecclesiae subesse defenderunt [9]. Quam doctrinam, improbabili Cani sententia de ministro sacramenti matrimonii praeformatam, ampliavit apostata *De Dominis* in libro de republica christiana (a. 1617) acriterque defen-

[8] *Friedberg-Ruffini*, Diritt. eccl. § 139. « *La Riforma negò al matrimonio il carattere di sacramento. Ond'essa deve relegare fondamentalmente il matrimonio nel campo dello Stato* ». In praxi quandoque protestantes ab istis principiis videbantur deflectere atque suas habuerunt *ordinationes* ecclesiasticas et etiam *consistoria ecclesiastica* in causis matrimonialibus; at tota illa iurisdictio cum exerceretur « *nomine Status* » quoad rem sub alia forma fuit potestas derivata ab Statu. Nostra aetate theologi et iuristae protestantici competentiam potestatis civilis ad ordinanda matrimonia christianorum communi consensu admittunt nec suae societati religiosae vindicant propriam quandam potestatem legiferam. Cfr. *Friedberg-Ruffini*, l. c.; *Sehling*, D. Untersch. d. Verloebn., 34; *Hollweck*, l. c. 21 sq.; *Scherer*, 110, not. 61; *Rosset*, n. 726.

[9] Leo XIII, Encycl. « *Arcanum* », 10 febr. 1888, n. 12; *Rosset*, n. 727 sq.; *Scherer*, 102, n. 3,, 36, 50; *Feije* n. 3 sq.; *Zhishman*, 132 sq., ubi tandem *contractum civilem* matrimonii dicit esse *materiam*, ad quam accedit ritus coronationis ut *forma* sacramenti.

dit *Launoy* (a. 1674) in opere « *de regia in matrimonium potestate* » sophisticis innixus interpretationibus Concilii Tridentini.

Quodsi Ecclesia saltem ex temporibus Gregorii M. statuit impedimenta dirimentia *contractus matrimonialis*, id primum ex usurpatione Ecclesiae, deinde ex praescriptione et ex tacita piorum principum *concessione* derivandum esse dixerunt. Postea iansenistae et regalistae levibus inductis modificationibus in falsa interpretatione *Launoy* canonum Tridentinorum, item Synodus Pistoriensis, (a. 1786), theologi et canonistae aulici Iosephi II in Austria, Leopoldi Magni Ducis in Etruria, *Le Plat* in Belgio, iosephinistae et febroniani in Germania, *Dupin* in Gallia, in Italia *Tamburinus* et denique etiam *Vigil* et *Nuytz*, professor taurinensis, eandem theoriam adoptarunt.

III. Tertio demum loco commemorandae sunt opiniones scriptorum *catholicorum*, qui etiam post Concilium Tridentinum *tum* Ecclesiae *tum* potestati civili tribuerunt *ius proprium* statuendi impedimenta dirimentia matrimonii christiani; etenim Concilium Tridentinum saltem expressis verbis nihil videbatur statuisse de iure civilis potestatis.

Cui sententiae multi gravissimi theologi et canonistae [10] adhaeserunt, licet omnino tenerent contractum matrimonialem fidelium a sacramento non distingui.

Attamen nonnulli patroni huius sententiae suas assertiones ita limitarunt [11], ut dicerent principes fideles non posse uti hac potestate in matrimonium *christianum*, nisi consentiente Ecclesia. Etenim ex illorum opinione Ecclesia *potest* sibi *reservare* et *de facto* sibi reservavit potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonii *fidelium propter conexionem* huius matrimonii *cum sacramento*. Quam reservationem *Sánchez* [12] ad princi-

[10] Ita *Sánchez*, l. VIII, disp. 1, 3, *Pirhing*, IV, I, n. 150 sq., quem *Rosset*, n. 796, perperam inter patronos sententiae *nunc* communis recenset, aliique multi, v. g. *Victoria, Petr. Soto, Pichler, Zech, Gerbais, Tabaraud, Muenchen*. Cfr. *Scherer*, 104, not. 41 sq.; *Baier*, Die Naturehe, 142 sq., 148 sq., *Feije*, n. 16 sq.; *Bauduin*, De consuet., 200 sq.

[11] *Sánchez*, l. VII, disp. 3, n. 2 sq., aliique, v. g. *Salmanticenses, Billuart*. At *Petrus Soto* et theologi Galliae *factum* illud *reservationis* quod *Sánchez* propugnavit, ob rationes intrinsecas reiiciunt. Cfr. *Rosset*, n. 796. Vicissim *Schnitzer*, l. c., 46, not. 3 i. f., denuo ex reservatoria quadam lege ecclesiastica deducit quod Status in causis matrimonialibus sit incompetens, Ecclesia vero exclusive competens.

[12] Cuius assertionis *Sánchez*, disp. 3, n. 5, 7, hanc reddit rationem quod Ecclesia in *principes infideles* non ea gaudeat iurisdictione, ut sibi potestatem legiferam in matrimonia christiana *reservare* possit. Verum *Pirhing*, l. c. n. 151, cum *Salmanticensibus, Tanner et Laymann* tam as-

pes *infideles* mira inconsequentia *non* extendit falsoque asserit
fideles, subditos principum *infidelium*, impedimentis dirimen-
tibus ab ipsis constitutis omnino ligari [13]. Fundamentum huius
opinionis est quod *materia* sacramenti matrimonii sit *contractus*
civilis, quem princeps saecularis pro sua potestate irritare valet.
Cfr. *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 3, n. 2. iunct. *Feije*, l. c. n. 52.
Quodsi idem *Sánchez*, l. c. l. II, disp. 10, tenet nihilominus con-
tractum matrimonialem fidelium a sacramento non distingui,
in novam incidit incohaerentiam suaeque sententiae omne funda-
mentum subducit. Cfr. quoque *Leitner*, l. c., 61 sq., 69 sq.

48. Quae tres theoriae sine exceptione sunt reiciendae, et
post tot sollemnes declarationes Ecclesiae inde a Concilio Triden-
tino promulgatas non nisi doctrina supra, n. 45, enuntiata tan-
quam communis et certa nunc teneri potest [14]. Id imprimis ef-
ficitur ex ipsa *natura sacramenti* matrimonii, a quo ratio *con-
tractus separari nequit* [15]; iam vero administratio sacramento-

---

sertioni quam rationi allatae contradicunt, cum Ecclesia vi suae potestatis
indirectae in contractum sacramentalem fidelium etiam principes *infide-
les* privare possit iurisdictione in *subditos fideles*. Cui impugnationi lo-
gica consequentia non esset neganda.

[13] S. C. de Prop. F., a. 1753 in (Paris.) Collect. Const. S. Sed., n. 849; *Schmalzgr.*, h. t. n. 368 sq.; *Gasparri*, I, n. 235.

[14] *Schmalzgr.*, IV, I, n. 357 sq., 361 sq.; *Feije*, n. 1 sq., 22 sq.; *Cavagnis*, l. c. P. II, 246 sq.; *Rosset*, n. 796.

[15] Quare non ex *sola* ratione *sacramenti* deducitur exclusiva compe-
tentia Ecclesiae ad statuenda *impedimenta dirimentia*, sed ex singulari
indole sacramenti matrimonii, quod consistit in *contractu* plane *insepa-
rabili a sacramento*. Nam *contractui* matrimonii pro sua natura impedi-
menta etiam dirimentia a competente auctoritate sociali statui possunt.
Ergo cum Ecclesia sit unice competens in *sacramentum* matrimonii, a *con-
tractu* non distinctum, unice quoque pollet potestate statuendi impedi-
menta etiam dirimentia matrimonii christiani. Hinc quamvis Ecclesia pro-
cul dubio possit sua iurisdictione ordinare administrationem sacramenti
ordinis et statuere *irregularitates* sive impedimenta prohibentia, tamen ex
abstracta notione competentiae in administrando *sacramento* deduci ne-
quit Ecclesiam posse condere *incapacitates* sive impedimenta dirimentia
vel ad ipsos *ordines hierarchicos* recipiendos; etenim sacramentum ordi-
nis nequaquam simpliciter aequiparari potest *contractui sacramenti ma-
trimonii*. Cfr. *Billot*, l. c. 428 sq., 431 sq.; *Baier*, l. c. 148 sq., 56 sq.; *Feije*,
n. 57, 58; sed *Schnitzer*, 46 sq., not. 3, opinatur « *sacramentalitatem* » con-
tractus matrimonialis *non* esse *rationem* exclusivae competentiae eccle-
siasticae, et incompetentiam potestatis civilis ad statuenda impedimenta
dirimentia in disciplina vigente ex *reservatione* quadam *Ecclesiae* esse
repetendam. Quam sententiam tribus argumentis probare conatur.

Primo loco exinde arguit, quod Ecclesia *antiquo* tempore et prae-
sertim Ecclesia graeca inde ab initio per omnia saecula praeter pro-
prium ius divinitus concessum etiam admiserit competentiam (propriam

rum *soli* Ecclesiae est reservata; *omnis* igitur ordinatio contrac-
tus matrimonialis et sacramentalis sive per leges simpliciter im-

---

et nativam?) Status ad ferendas leges in causis matrimonialibus. Qua in
re non satis distinguit competentiam quoad *infideles* — quam Ecclesia
numquam in dubium vocavit — a potestate in matrimonia *fidelium*.
Porro confundit canonizationem legum civilium ab Ecclesia factam et
implorationem brachii saecularis cum *recognitione* iuris cuiusdam *pro-
prii* in Statu. Quae canonizatio legum civilium, quam Ecclesia *libere* et
independenter peregit (cfr. c. 1080, ubi *nunc* similis canonizatio fit
quoad impedimentum *adoptionis*), potius per se supponit *nullitatem* illa-
rum legum, non proprium quoddam ius Status quoad matrimonia *fide-
lium*. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11 sq. et Const. « *Sin-
gulari* », 9 febr. 1749 § 7, ubi de lege matrimoniali imperatoris Theodo-
sii docet: « *Quod haec lex, utpote a laico principe condita, nullam ha-
bere vim in matrimoniis debet* ». Immo si quis diversitatem inter antiquam
et novam Ecclesiam nimis urgeat, non solum arguere debet de errore
historico (cfr. *Scherer*, l. c. § 109, not. 6), sed tandem aliquando admittat
necesse est errorem dogmaticum et iuridicum. Nam Ecclesia antiqua id
affirmasset in re *doctrinali* quod Ecclesia nova negat, atque tribue-
retur « *valor iuridicus* » legibus, quae latae sunt a legislatore ex iure
proprio et nativo plane incompetente. Multo minus aliquid sequitur ex
praxi Ecclesiae Orientalis. Non enim quaeritur quid *ipsi imperatores*
byzantini de sua potestate *opinati* sint, qui tandem aliquando sese *reges
et sacerdotes* dixerunt atque caesaro-papismum imperatorum Russiae prae-
formarunt. Cfr. *Zhishman*, 18 sq. *Receptio* vero legum civilium etiam
in foro Ecclesiae Orientalis schismate nondum separatae, ut patet ex
praecedentibus, non probat *recognitionem propriae* potestatis legiferae
in Statu; at illa facilitas et diuturnitas receptionis sane demonstrant
maiorem dependentiam Ecclesiae Orientalis ab Statu, non perfectius ius
imperatorum byzantinorum.

Altera quoque *ratio Schnitzer*, sc.: gravissimos theologos, immo
etiam undeviginti Patres Tridentinos, concessisse cum sacramentalitate
matrimonii posse conciliari potestatem legiferam Status non est ad rem.
Nam isto argumento etiam alia non pauca possent in dubium vocari,
quae nunc sunt certissima, v. g. potestas Ecclesiae stabiliendi impedi-
mentum clandestinitatis. Porro auctoritas S. Thomae perperam invoca-
tur. Nam in textibus allegatis S. Thomae agitur de matrimonio hominum
non baptizatorum, quod a potestate civili *irritari* posse docet. Quare
ut argumentum *Schnitzer* subsisteret, deberet tribuere S. Doctori sen-
tentiam plane falsam, sc.: potestatem civilem gaudere iure *irritandi* ma-
trimonia *fidelium*. Quam alienus sit S. Thomas ab huiusmodi opinione,
ipse adversarius optime probat per alterum textum a se allatum, cuius
vim frustra elidere conatur; etenim non satis distinguit *adoptionem* ab
impedimento adoptionis. **Illa** tantum *lege civili*, **hoc** pro fidelibus sola
lege ecclesiastica statui potest. Cfr. *Schiffini*, n. 386. Alii auctores a
Schnitzer allegati iam ante Sess. XXIV Conc. Trid. de ref. matr. mor-
tui sunt, v. g. Petrus Soto, aut certe ante clarissima decreta Sedis Aposto-
licae praesertim ex ultimo saeculo publicata, ideoque *bona fide errarunt* et
vix *nunc* suas opiniones indubitanter falsas sustinerent, memores privatae
fallibilitatis. Hinc *Rosset*, Episcopus Maurianensis, l. c. n. 795, scribit: « *Et
nos illum prolixum textum* (i. e. Petri Soto) *produximus, ut pateat quanta*

pedientes vel prohibentes sive per leges irritantes, item *soli* Ecclesiae competit [16].

Praeterea historice certo constat Ecclesiam potestate statuendi impedimenta praesertim dirimentia ex compluribus saeculis saepe et pro universis fidelibus etiam independenter a potestate civili, immo quandoque contra leges civiles, usam esse suamque legislationem praxi confirmasse [17]. At Ecclesia catholica nequit errare in constanti sua et universali legislatione et praxi; quare iure asseritur eius exclusiva potestas legislativa in matrimonium christianum.

Denique quod natura sacramenti matrimonii atque legislatio et praxis Ecclesiae edocent, idem praeclare comprobatur solemnibus *magisterii ecclesiastici* declarationibus. Cfr. Conc. Trid.,

---

arctitudine intellectus humanus limitatur, et quomodo ingenia haud mediocria facile hallucinantur ».

Deinde *tertia ratio* a *Schnitzer* inde depromitur quod matrimonium christianum a matrimonio non christiano *nequaquam sit substantialiter diversum*. Quae mira ratio per benignam interpretationem ad alteram videtur reducenda, sc.: matrimonium christianum est *etiam fundamentum societatis civilis* et *continet rationem naturalis coniugii*, ideoque *subsidiaria* quaedam potestas legifera Status ad condenda impedimenta matrimonii christiani, non obstante eius sacramentalitate, admitti debet. At haec quoque difficultas iam pridem ab antiquis et modernis doctoribus est soluta. Cfr. *Schmalzgr.*, n. 366; *Feije*, n. 61; *Billot*, 431 sq.; *Baier*, 56 sq., 183 sq. Nam ratio *boni publici* profecto probat quod illa *ab Ecclesia* in statuendis impedimentis sit attendenda, sed minime ex *utilitate* societatis deduci potest *competentia* auctoritatis civilis; secus in quamplurimis aliis rebus religiosis, quibus promovetur *utilitas civitatis*, eidem competentia esset vindicanda, quod prorsus falsum est. Neque quidquam efficitur quod *praecisione mentis* rationem *naturalis coniugii* distinguere possim a *sacramento matrimonii;* at *obiective* atque *realiter* haec duo non sunt distincta, sed prorsus indivisa. Quare potestas civilis, cum in *sacramentum* nullam omnino habeat iurisdictionem, coniugium quoque christianum sub *ratione naturali* irritare nequit; at *effectus civiles* a substantia matrimonii *separabiles* ordinare non prohibetur.

Quare cum tres rationes *Schnitzer* non sint solidae, eius conclusio de incompetentia Status in matrimonia fidelium ex *reservatione Ecclesiae* derivanda non subsistit, et cum quoad rem sit repristinatio sententiae, iam pridem antiquatae, *Pirhing* aliorumque, non iam probabilis haberi potest.

[16] Leo XIII, Encycl. « *Arcanum* » n. 11 « **De** *sacramento autem* **statuere et praecipere** *ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam* ».

[17] Cfr. supra not. histor.; *Perrone*, II, 374 sq.; *Palmieri*, 258 sq., 280 sq.; *Pesch*, n. 874 sq.; *Scherer*, II, 95 sq., 99 sq.; *Schnitzer*, 40 sq.; *Freisen*, 885 sq.

Sess. XXIV, doctr. de sacram. matrim. can. 3, 4, 9, 12 [18]; Benedict. XIV epist. ad Cardinal. Eboracen. « *Singularis nobis* », 9 febr. 1749; Pii VI epist. ad Episcop. Motul., 16 sept. 1788, ubi claris conceptisque verbis docetur « *ad solam Ecclesiam* » spectare « *omnes* » causas matrimoniales; Pii VI Const. « *Auctorem fidei* », 28 aug. 1794, prop. 59, 60 [19]; Pii IX Syllab. prop. 68, 69, 70,

---

[18] Qui canones sunt evidenter *dogmatici* ,cfr. Instr. S. C. Inq., 6 iul. 1817, in ASS. XXV, 700 sq.; *Feije*, n. 8 sq.), non *disciplinares*, ut perperam tenuit *Launoy*. Id cuicumque ipsos canones legenti patet; nam aperte continetur sub rubrica: « *Doctrina de sacram. matr.* » et *docent* quid sit *credendum* et *condemnandum*. Porro nomine « *Ecclesiae* » falso dicuntur significari « *principes saeculares* », atque potestas illa Ecclesiae, quae fide divina *credenda* proponitur, nequit dici concessa vel mutuata a principibus civilibus, sed est propria et originaria Ecclesiae. Cfr. quoque « Esposizione dei sentimenti di S. S. Pio VII », 10 aug. 1819, n. 29; Syllab. Pii IX, prop. 70. — *Scherer*, 105, not. 45, postquam concessit in cit. « Esposizione » illos canones Tridentinos dici canones fidei, addidit de hac quaestione: « *Nihil sequitur* (?) *ex Syllabo* errorum, a. 1864, n. 70; *Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata* potestate... *intelligendi sunt... auctores citati in not. 42 canones, de quibus agitur,* (recte?) *reputant disciplinares. Ex formula: Anathema sit, non potest ilico concludi ad definitiones dogmaticas* (etiam in can.: Si quis *dixerit*?); *secus impedimentum temporis clausi, quod Trid. cit. can. 11 sub anathemate proponit, esset dogma fidei* (?) *Inter errare et errare non posse* (in re vel quoad opportunitatem? Si quis dix. esse *superstit.*?) *est distinguendum; Ecclesiam in excolendo suo iure matrimoniali fuisse infallibilem non sequitur ex cit. can. 4* (?). *Certe canones enuntiant dogmata in sensu iuris* ». (At numquid sensu theologico?). Haec partim obscure, partim parum accurate dicta sunt.

[19] *Feije*, n. 11, not. 2, et *Schnitzer*, 46, not. 1, animadvertunt in cit. prop. 59 et 60 expresse illam doctrinam dici *haereticam*, quae *Ecclesiae* potestatem in matrimonium christianum *propriam* esse *negat*, non vicissim alteram doctrinam, quae (etiam) in principe civili *agnoscit propriam* quandam potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonii. At inde nullo modo sequitur doctrinam de huiusmodi potestate in principe civili non esse saltem improbabilem et *falsam*. Cfr. *Feije*, l. c. n. 41. Nam ista *propria* potestas principis civilis in hisce causis manifeste refutatur per legitimas conclusiones ex declarationibus ecclesiasticis et sacramentalitate matrimonii deductas, immo, probata propria Ecclesiae potestate, etiam ipsa ratione reicitur; etenim *duplex* potestas suprema de iisdem causis non solum in eodem foro est aperta absurditas, sed etiam in diverso foro, sc. ecclesiastico et civili, de eodem obiecto *indiviso* (contractu sacramentali), sub eodem respectu (validitatis vel liceitatis), absque laesione iurium Ecclesiae, ut societatis superioris, et sine incredibili perturbatione in re adeo gravi admitti omnino non potest. Id autem luculenter demonstratur moderno dissidio inter matrimonium religiosum et civile introducto. Cfr. quoque cit. Const. « *Auctorem fidei* » prop. 60; *Feije*, n. 59 sq., 66.

71, 72, 74; Leon. XIII Encycl. « *Arcanum* », n. 9; *Feije*, l. c. n. 22 sq.

49. Quibus argumentis a fortiori demonstratur Ecclesiam habere *propriam* et *exclusivam* potestatem statuendi impedimenta mere *prohibentia*. Inde consequitur, ut infra latius probatur, potestati *civili* ius quoddam *proprium* et *nativum* condendi impedimenta mere impedientia pro matrimoniis fidelium omnino esse negandum [20].

50. Neque ulla ratione dubia est potestas Ecclesiae *in sponsalia* fidelium. Etenim sponsalia fidelium, inspecta ipsorum natura, (*Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 9, n. 4) « *praevia sunt ad matrimonium celebrandum obligatio* » ideoque ad ipsum *sacramentum* matrimonii recipiendum obligant atque directe et interne tanquam praeparatio quaedam disponunt. At in talem actum Ecclesia optimo iure exclusivam sibi vindicat iurisdictionem. Quod ius Ecclesiae sollemniter definitum est a Pio VI in Const. « *Auctorem fidei* » prop. 58, atque denuo a Pio IX in Syll. proposit. 74 damnata est: « *Causae matrimoniales et* **sponsalia** *suapte natura ad forum civile pertinent* ». In ipsis demum Concordatis non defuerunt principes civiles, qui hanc Ecclesiae potestatem etiam in sponsalia sollemniter agnoscerent. Cfr. *Nussi*, Conventiones, 171, 178, 198, 200; *Rosset*, n. 752, 1078; *Scherer*, § 110. not. 88.

51. Scholion. Non solum lege scripta, sed *iure* quoque *consuetudinario* in Ecclesia praeter ius divinum impedimenta matrimonii dirimentia et prohibentia inducta [21] vel abrogata [22] sunt.

---

[20] Leon. XIII Encycl. « *Arcanum* » n. 11; *Biederlack*, in Act. theol. Oenip. XVII, 645 sq.; *Feije*, n. 71 sq.; *Scherer*, II. 106 sq.; not. 47 sq., 56, 429 sq.

[21] Cap. 11, X, de consuet. I, 4 iunct. cap. 1, 3 de cogn. spir.; cap. 3, X, de cons. IV, 14; Bened. XIV, Const. « *Singulari* », 9 febr. 1749; *Feije*, n. 75, 459; *Freisen*, 888 sq.

[22] *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 16. n. 57, 58; *Gasparri*, I, n. 264 sq., 475 sq. Qua in re tamen exaggeratae opiniones propugnatae sunt. Ita complures auctores praesertim in Germania falso extendebant illam *abrogationem* per consuetudinem factam etiam ad impedimentum prohibens *mixtae religionis*. Quae consuetudo ab Ecclesia constanter *tanquam corruptela reprobata* est. Cfr. S. C. Inq., 3 ian. 1871, in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1434; *Feije*, n. 567; *Scherer*, II. 130, not. 62; *Gasparri*, I, n. 441; Instr. S. C. Inq., 15 dec. 1888, n. 9 in ASS. XXII, 649. Perperam quoque ante decreti « *Ne temere* » promulgationem propugnatum fuerat *haereticos* per consuetudinem sese liberasse ab impedimento *clandestinitatis*, si eodem vi legitimae promulgationis fuerant adstricti. Cfr. v. g. *Schmalzgr.*, l. IV. t. 4, n. 99. Nam S. C. Inq., 6 iul. 1892, in ASS. XXV, 118, suam *mentem* hisce verbis declaravit: « *Nullum temporis spatium sufficere ut lex Tridentina vim*

Ita v. gr. impedimentum disparitatis cultus tanquam impedimentum pro universa Ecclesia irritans, non scripta lege, sed praxi seu consuetudine universali inductum fuerat (Bened. XIV Const. « *Singulari nobis* », 3 febr. 1749). Ita etiam impedimentum temporis feriati nonnullis in locis, v. gr. in Belgio, fuerat consuetudine particulari extensum ad *quamlibet* matrimonii celebrationem. Porro S. C. C. in caus. Placentina, 31 ian. 1880, admiserat sollemnem *formam* sponsalium *vi consuetudinis* in Hispania introductam, qua indirecte ibidem etiam impedimentum publicae honestatis restringebatur. Notum praeterea est quaedam impedimenta impedientia, velut catechismi, criminis, iamdiu consuetudine fuisse abrogata, et S. C. Inq., 11 mart. 1868, admisisse pro Iaponia impedimentum clandestinitatis ex cap. « *Tametsi* » Conc. Tridentini ibi promulgato in desuetudinem abiisse et inde fideles immunitatem a forma Tridentina celebrationis matrimonii obtinuisse.

Nihilominus iam ante Codicem, ad *observandam uniformitatem disciplinae*, praxis Ecclesiae erat non recognoscere in consuetudine *particulari* ordinariam efficaciam iuris constituendi vel abrogandi quoad impedimenta matrimonii, v. gr. illam non agnovit S. C. Inq. in memorato responso, 11 mart. 1868, quoad impedimenta consanguinitatis in Iaponia; consuetudo vero universalis, aucta facilitate communicationis cum Romana Sede, vix poterat induci sine positivo interventu R. Pontificis, illam consuetudinem iam ante tempus requisitum expresse approbantis aut eam penitus reprobantis.

Quod iam ultimo tempore erat in praxi, minus tamen certa et secura, Codex generaliter sancivit c. 1041 reprobando quamlibet consuetudinem, quae novum impedimentum inducere tentaret aut impedimentis in Codice constitutis sit contraria; qua stante reprobatione omnis vis iuridica consuetudini in hac parte detracta est ad normam c. 27 § 2. Quae reprobatio, si agatur de consuetudine particulari, suum habet solidum fundamentum in me-

---

obligandi amisisse *censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam haereticorum* ». Neque *generaliter* defendi potuit *acatholicos baptizatos*, v. g. in Anglia et Germania, impedimentis dirimentibus iuris mere ecclesiastici, in eorum terris *non receptis propter consuetudinem contrariam*, non amplius ligari, ut putavit *Schmalzgr.*, l. IV, t. 1, n. 378 sq. cum aliis non paucis. Cfr. *Gasparri*, I, n. 257 sq.. Item S. C. Inq., 11 mart. 1868, quamvis pro Iaponia impedimentum clandestinitatis in desuetudinem abiisse affirmaret, tamen noluit declarare alia impedimenta, v. g. consanguinitatis, ab Ecclesia instituta, propter longissimam consuetudinem vi carere, immo indirecte potius negavit: Cfr. Collect. S. C. de P. Fide, II, nn. 1325, 26.

morato studio servandae uniformitatis disciplinae, cui Ecclesia magis quam antiquo tempore merito insistit; quoad consuetudinem universalem, vis novi impedimenti inducendi merito negatur, dum ob summam difficultatem retinendi impedimenta constituta, eorum imminutio seu restrictio fieri debuit. Quodsi de consuetudine *universali abrogatoria* agatur, attenta diminutione impedimentorum iam facta, post diligenter consideratas nostri temporis circumstantias, talis consuetudo merito irrationabilis haberi et reprobari potuit.

52. In decretis Sedis Apostolicae ad demonstrandam *exclusivam potestatem legiferam* Ecclesiae statuendi impedimenta pro matrimoniis fidelium constanter provocatur ad duplex argumentum sc.: matrimonium christianorum esse *rem sacram* atque adeo elevatam ad dignitatem sacramenti novae legis[23]. Inde facile quoque deducitur Ecclesiam esse *exclusive* competentem ad condenda impedimenta pro matrimoniis inter homines *baptizatos* et *non baptizatos*. Quod ut demonstretur non est necessario supponendum in parte baptizata matrimonium esse verum sacramentum, quemadmodum sine sufficienti fundamento arbitrati sunt *Pesch*, VII, n. 728, aliique, v. g. *Palmieri et Sasse*. Etenim matrimonium fidelis cum infideli quamvis verum sacramentum ne in fideli quidem existat, tamen est « *sua natura, sua vi, sua sponte sacrum* »; at res sacrae fidelium exclusivae iurisdictioni Ecclesiae sunt subiectae; idem igitur valet de sacro contractu matrimoniali fidelis cum infideli; verificatur enim utraque competentiae condicio, sc. subiectio causae, i. e. rei sacrae, et personae, i. e. subditi fidelis Ecclesiae. Quod argumentum luculenter confirmatur Leon. XIII Encycl. « *Arcanum* » ubi R. Pontifex iam ex *sola* natura rei sacrae in matrimonio fidelium et non attenta sacramentalitate eruit exclusivam competentiam Ecclesiae[24]. Quae exclusiva competentia Ecclesiae etiam demonstratur ex certa et exclusiva potestate *iudicum ecclesiasticorum* in huiusmodi matrimonium fidelis; etenim post tot declarationes Ecclesiae, quibus *omnes* causae *fidelium solis* iudicibus ecclesiasticis vindicantur, dubium existere non potest. At exclusiva potestas *iudicialis* supponit exclusivam potestatem *legiferam;* nam ius fori sequitur ius condendi leges.

[23] Cf. v. gr. Instr. Pii VII, a. 1808, Nuntio Ap. pro Polonia datam; Pii VIII, Encycl. *Traditi*, 24 maii 1829; Leon. XIII. Encycl. *Arcanum; Feije*, n. 45 sq., 66; *Gasparri*, I, n. 225; *Chelodi*, n. 12; *De Smet*, n. 411 sq.

[24] Cfr. *Gasparri*, l. c. n. 225; *Billot*, l. c. 246; *Lehmkuhl*, in Inst. theol. de sacr. *P. Sasse* a se editis, II, 391; *Leitner*, 76 sq., 24 sq.; *De Smet*, n. 412.

Ergo idem dicendum in hisce causis matrimonialibus. Neque *Sánchez*, l. VII, disp. 4, n. 10, recte statuit illam limitationem, quod pars fidelis ut *actor* debeat reum *infidelem* in foro civili accusare; nam confundit normam quandam ordinis iudiciarii in *eadem societate* cum quaestione *iuris publici* diversarum societatum diversique ordinis. Cfr. *Boeckenhoff*, De individuitate matrim., 39 sq. Eadem doctrina luculenter comprobatur ex constanti praxi Curiae Romanae in concedendis dispensationibus ab impedimentis disparitatis cultus, qua impedimentis iuris *civilis* pro *utroque* sponso nulla tribuitur vis ad irritandum matrimonium. Denique a Bened. XIV, Const. « *Singulari* », 9 febr. 1749, § 7, lex imperatoris Theodosii, qui *prohibuerat* — non irritaverat — matrimonium inter christianum et partem hebraeam, simpliciter dicitur *nulla* « *utpote a laico principe condita* ».

Quo principio stabilito atque omissis argumentis, quibus minus insistendum est, facile iam patet in casibus particularibus quandoque diversum dandum esse iudicium; v. g. in casu matrimonii viri christiani, *dispensati* ab impedimento disparitatis cultus, cum muliere hebraea, irretita impedimento civili, standum est *pro valore* actus. Cfr. *Boeckenhoff*, l. c., 43 sq.; *Cappello*, I. n. 67; *De Smet*, n. 412 cum not. 3 et n. 438. Aliter opinantur *D'Annibale*, III, n. 429, *Gasparri*, I, n. 250, *Linneborn*, 72, et *Vlaming*, I, n. 195.

53. Quodsi de *potestate iudiciali* Ecclesiae in matrimonium christianum quaeratur, respondendum est omnes[25] causas matrimoniales christianorum ad *solos* iudices ecclesiasticos spectare. Nam eius quis sortitur forum, cuius ligatur legibus, cum potestas iudicialis data sit ad efficax subsidium potestatis legiferae, ideoque in omnia illius obiecta sese extendit; at Ecclesia sola est competens ad leges condendas de sacramento matrimonii, ergo omnes causae, quae spectant ad sacramentum matrimonii soli quoque potestati iudiciali Ecclesiae sunt subiectae. Idem deducitur ex Conc. Trid., Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. can. 12, in quo disertis verbis illud saltem definitur sc.: causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare; at hic canon sensu obvio vult dicere *omnes* causas matrimoniales ad *solos* iudices ecclesiasticos spectare. Nam verba canonis sunt *adeo generalia* ut omnes cau-

[25] Causae illae matrimoniales ad tres species revocari possunt: 1) Controversia de existentia, valore et effectibus canonicis *sponsalium;* 2) quaestiones de *valore vinculi coniugalis;* 3) lites de *consortio vitae coniugalis* dissolvendo quoad *torum* et *cohabitationem*. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 9, n. 3, 4; *Schulte*, Eher. § 2; *Laurin*, l. c., 80 sq.; *Rossel*, l. c. n. 725 sq.; *De Smet*, n. 416; cod. civ. Hisp. art. 80, 81, 82.

sas comprehendant, et unica ratio, ob quam iudices ecclesiastici sunt competentes in his causis, reperitur in *sacramento* matrimonii; causae vero sacramentales pertinent ad solos iudices ecclesiasticos; ergo manifeste idem dicendum est de causis matrimonialibus. Quo duplici argumento usus est Pius VI in epistola ad Episcop. Motul., 16 sept. 1788, data — qui officii episcopalis oblitus in causa matrimoniali delegationem potestatis civilis acceptarat — ut interpretationem Concilii Tridentini modo propositam comprobaret et iudicibus laicis denegaret vel ipsam facultatem cognoscendi causas matrimoniales etiam *meri facti*. Idem Pius VI in Const. « *Auctorem fidei* » prop. 58, potestatem Ecclesiae etiam in *sponsalia*, eo quod sint actus disponens ad *sacramentum* matrimonii, contra errores Synodi Pistoriensis definivit. Accedit Pii VII Breve « *Etsi fraternitatis* », 8 oct. 1803, ad Archiep. Mogunt., in quo declarat: « *Sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur... nullum robur vimque nullam penes Ecclesiam consequi posse* ». Cuius assertionis inter alia eam affert rationem, « *quod ad ecclesiasticos iudices* **privative** *spectat de huiusmodi causis iudicium ferre, prout est a Tridentina Synodo speciali canone sancitum* ». Alii quoque RR. Pontifices praedecessores suos in asserenda et defendenda potestate iudiciali Ecclesiae in causas matrimoniales secuti sunt, velut Pius IX in Syllabo, prop. 74, et Leo XIII in cit. Encyclica « *Arcanum* », n. 11.

Quod ex doctrinalibus declarationibus et definitionibus Ecclesiae constat, id non minus comprobatur diuturna et *universali praxi* ecclesiastica [26] qua ipsa causas matrimoniales in suo

---

[26] Cum Christus Dominus novas et naturae corruptae difficiles leges promulgasset de unitate et indissolubilitate matrimonii, quibus Ecclesia praeter honestas sanctiones hebraeorum et romanorum, a se *receptas*, mox pro suo iure alia adiecit decreta de matrimonio christiano, dubitationes atque controversiae particulares publica Ecclesiae auctoritate solvendae iam primis temporibus religionis christianae non penitus defuerunt. Cuius rei vestigia iam occurrunt apud S. Paulum, (cfr. I Cor. V, 1 sq., VII, 10 sq. iunct. *Cornely*, Comment. in I Cor., 119 sq.), ubi agit de privilegio fidei et de viro incestuoso, qui videtur *vivente* (?) patre cum noverca *matrimonium* (?) attentasse. Cfr. quoque c. 66 Conc. Illiber. (a. 300-303). Alia exempla causarum particularium reperiuntur, v. g. c. 25 Conc. Ancyr. (a. 314), ubi evidenter casus quidam specialis deciditur. (Cfr. *Hefele*, Concilieng. I, 242 iunct. 159, 210). Deinde c. 25 Conc. Agath. (a. 506) = c. 1, C. XXXIII, q. 2, quo laici, non expectata *sententia* Episcoporum comprovincialium ab uxoribus adulteris divertentes ut alias ducant, per excommunicationem a consortio fidelium excluduntur. Cfr. c. 2 Conc. Venetic. (a. 465) iunct. *Hefele*, l. c. II 594, 654. Postea Pelagius Papa (a. 555-560) duos delegavit Episcopos, qui inquirerent in matrimonium

foro sola cognovit ordinemque iudiciarium in illis procedendi definivit [27].

Pariter sollemni modo idem sancit Codex cc. 1553, 1960.

54. Tandem Ecclesia potestate *coercitiva* in causis matrimonialibus non est destituta. Ut enim matrimonium *contrahendum* ob crimen commissum sive absolute sive relative prohibere [28] et etiam irritare potest, velut in impedimento criminis, ita *post* matrimonium contractum, in *poenam* criminis, matrimonii usum interdicere [29] atque ad tempus certum vel incertum [30], immo in casu adulterii vel haeresis in perpetuum, separationem a toro et cohabitatione decernere valet.

Praeterea ius est Ecclesiae etiam poenis inflictis cogendi fideles ut *sponsalia* rite inita opere compleant [31] neque in favo-

---

a moniali, ut dicebatur, contractum, atque c. 5, C. XXXII, q. 1, fert iudicium de adultero et de separatione a toro. Cum reges et principes facti essent christiani, ipsorum quoque causae matrimoniales iudicio *Ecclesiae* fuerunt subiectae, recteque *Scherer*, l. c., 99, reicit sententiam *Sohm* aliorumque, quasi in regno francorum causae matrimoniales spectassent ad forum civile. Cfr. Arch. f. k. K. XLV, 470 sq. In imperio autem byzantino Ecclesia plenam illam independentiam a tribunalibus civilibus non est consecuta. Cfr. *Zhishman*, l. c., 189 sq. At in Ecclesia Occidentali RR. Pontifices, quamvis ex antiqua disciplina certe causas matrimoniales supremorum principum relinquerent iudicio Episcoporum nec sibi exclusive reservarent (cfr. *Zhishman*, 180; *Hefele*, l. c. IV, 259, 884; V, 214, 230, 264 sq.; *Schnitzer*, 557 sq.), tamen mox sive per Legatos sive per se, in causis difficilioribus per appellationem ad S. Sedem delatis, etiam contra luxuriosos reges intrepidi suam supremam interposuerunt auctoritatem. Cfr. c. 4, 1, C. XXXI, q. 2; c. 4, C. XXXIII, q. 2; *Hefele*, l. c. IV, 650, 653, 884 sq., V, 182, 214 ,897 sq. Quae exclusiva potestas iudicialis in decidendis causis matrimonialibus inde a iure Decretalium usque ad nostram aetatem constanter ab Ecclesia fuit asserta et propugnata. Cfr. de sponsalibus: cap. 5, 10, X, h. t. et *Rosset*, n. 1078; de declaratione nullitatis: cap. 3, X, de divort. IV , 19; de separatione a toro et cohab.: cap. 2, 4, 5, 6, X, eod.; Instruct. Card. Rauscher § 205. Cfr. *Scherer*, II, 136, not. 88, quoad mentionem expresse factam in Concord. Austr. (a. 1855), art. 10 de Const. « *Auctorem fidei* » ad vindicandam competentiam Ecclesiae *de sponsalibus*.

[27] Cfr. c. 4, C. XXXI q. 2; c. 5, CXXXII, q. 1; c. 4, C. XXXIII, q. 2; c. 2 de iudic. II, 1 in Clem.; *Bened. XIV* Const. « *Dei miseratione* » 3 nov. 1741; *Freisen*, 769 sq., 847, not. 9; *Schulte*, Eher. § 4; *Rosset*, n. 3709 sq.

[28] Cfr. antiquas per modum poenae prohibitiones: c. 2, 5, C. XXX, q. 1, c. 16, 19, C. XXXIII, q. 2; c. 13, C. XXVI, q. 1; c. 5, 7, 8, C. XXXIII, q. 2; cap. 1 X, de div. IV, 19; *Suarez*, De leg. l. V, cap. 19.

[29] Talis interdictio iure praecedenti facta est ob incestum. Cfr. cap. 1, 4, X, de eo qui cognovit consang. IV, 13.

[30] Concil. Trident. Sess. XXIV doctr. de sacr. matr. can. 8.

[31] De facto iure praecedenti obligatio sponsalium erat obligatio iuridica, quae per media coactiva exigi poterat.

rem tertiae personae *fidem* datam *violent*, deinde ut *vitae consortium*, ab uno vel ab utroque coniuge illegitime derelictum, denuo restauretur [32], denique ut coniugia invalide contracta nec convalidata omnino dissolvantur [33].

§ II. De subiecto activo potestatis Ecclesiae in matrimonium

55. Potestas ecclesiastica [34] statuendi *ex iusta causa* impedimenta *dirimentia* vel *prohibentia*, sive per modum *legis* universalis aut particularis sive per modum *praecepti*, competit tum Rom. Pontifici tum collegio Episcoporum coniuncto cum R. Pontifice in Concilio oecumenico [35]. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. XII, cap. 5, n. 2. Ex disciplina nunc in Ecclesia vigente *Episcopi soli*, etiam in Conciliis particularibus congregati, nullo potiuntur iure statuendi impedimenta *dirimentia* matrimonii ne pro suis quidem dioecesibus vel provinciis absque consensu Sedis Apostolicae (c. 1038). Cfr. decretum S. C. C., 2 dec. 1628, ab Urbano VIII, 20 mart. 1629, approbatum, apud *Bened. XIV*, l. c. n. 9 sq. [36]. Quare sub hoc quoque respectu falsum est principium iansenistarum, Episcopos posse pro suis dioecesibus quod R. Pontifex possit pro universa Ecclesia. Attamen Episcopi non prohibentur quominus observantiam iuris communis poenis adiectis urgeant. Cfr. *Bened. XIV*, l. c. n. 3, l. VIII, c. 14, n. 5, l. XIII, c. 23, n. 3 iunct. c. 2221.

Immo Episcopi soli nunc ne impedimenta quidem *impedientia* plane nova pro suis dioecesibus vel provinciis per modum regulae vel *legis* statuere valent. Quae restrictio potestatis Episcoporum nititur maxima convenientia uniformitatis disciplinae ex mente Ecclesiae procurandae et retinendae [37].

---

[32] Cfr. cap. 8, 13, 14, X, de restit. spoliat. II, 13 iunct. can. 1699 § 3.

[33] Cfr. cap. 5, 6, 7, X, de frigid. IV, 15; *Sixt. V*, Const. *Cum frequenter*, 22 iun. 1587.

[34] *Palmieri*, 115 de lege divina institutionis matrimonii.

[35] Concil. Trid. Sess. XXIV doctr. de sacr. matr. can. 4 et cap. 1, 6 de ref. matr.: *Sánchez*, l. VII, disp. 1, n. 1 sq.; *Rosset*, n. 794 sq.; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 360 sq., 381 sq.; S. C. C. in caus. Agrigent., 15 mart. 1727; *Riganti*, l. c. R. C. 49, n. 103 sq.

[36] At *Giovine*, I. § 47, aliique hac in re modum excesserunt, si ex *iure divino* et *per se* putant R. Pontifici *reservatam* esse potestatem condendi impedimenta *dirimentia*. Nam primis saeculis Episcopi certissime pro sua ordinaria potestate impedimenta dirimentia statuerunt. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 1, n. 9; *Cappello*, I, n. 63. Quare reservatio illa spectat ad eam partem *disciplinae ecclesiasticae*, quae *mutationi* est obnoxia.

[37] *Feije*, n. 73 sq.; *Rosset*, n. 2378 sq.; *Leitner*, 87 sq.; *Bouix*, De Episc. II, 142, aliique; aliter *Schmalzgr.*, n. 362, aliique.

At Episcopi possunt ob rationes in iure fundatas vel ex iusta et gravi causa etiam in iure non praevisa per modum *praecepti* in casibus particularibus, vel mandato v. g. ad parochos misso, celebrationem matrimoniorum quorundam interdicere vel vetare [38]; non tamen in perpetuum, sed ad tempus dumtaxat quo gravis illa causa perdurat. Quam potestatem vetandi in casu particulari matrimonium exercere possunt in omnes actu in suo territorio commorantes; in proprios vero subditos vetitum dare possunt, tametsi ii extra territorium versentur ibique matrimonium inire praetendant. At vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest (c. 1039).

56. Potestas *iudicialis* in causis matrimonialibus *christianorum* supremo gradu et universaliter inest *Rom. Pontifici* [39], qui vi primatus iurisdictionis iudicare et avocare ad se potest omnes causas matrimoniales christianorum totius orbis. In Curia Romana, salva competentia S. Offic. procedendi in causis respicientibus quovis modo privilegium fidei et in certis causis matrimonialibus cum haeresi connexis, quales sunt eae quae respiciunt impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis, post Const. Pii X « *Sapienti consilio* », 20 iunii 1908, causae matrimoniales etiam e regionibus, S. C. de Propag. Fide subiectis, ad S. C. de d. Sacr. delatae sunt. Quaestiones scilicet de validitate matrimonii S. C. de d. Sacr. dirimit, incolumi iure S. Officii. Si tamen eadem S. Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad S. R. Rotae tribunal remittat. Const. « *Sapienti consilio* » nn. 3, 6. [40]

Extra Curiam Romanam: *prima* instantia habetur penes Ordinarium loci; *altera* instantia penes Metropolitam, vel si prima instantia in Curia Metropolitae habita est, appellatio fit ad illum loci Ordinarium quem ipse Metropolita, probante S. Sede, semel pro semper designaverit; ab Archiepiscopo carente Suffraganeis et ab Ordinario loci immediate S. Sedi subiecto appellatio fit ad Metropolitam electum ad normam c. 285.

Aliae personae infra Ordinarics locorum non habent competentiam in causis matrimonialibus, salvo praescripto c. 1576, 1°.

---

[38] *Bened. XIV*, l. c. VIII, cap. 14, n. 5; Instr. Card. Rauscher § 50; *Schulte*, Eher. § 39; *Gasparri*, I, n. 230 sq.

[39] *Laurin*, 86 sq.; *Cugnoni*, « Scritti varii di Sala », Romae 1888: *Civiltà Cattolica*, fasc. 1268 (1903), 169 de exclusiva competentia R. Pontificis in causis matrimonial. supremorum principum civilium; aliter *Scherer*, § 109, not. 28, et *Schnitzer*, 557 sq. Cfr. can. 1557 § 1, ubi illa exclusiva competentia sancitur.

[40] Cfr. cc. 247, 249 iunct. cc. 1962, 1963.

Sed de his inferius, ubi expressius agetur de causis matrimonialibus.

Qui instructi sunt potestate iudiciali in causis matrimonialibus, iidem generatim etiam gaudent potestate quadam *coercitiva*. At parochus, iurisdictione fori externi carens, per modum stricti vetiti nullum matrimonium vero quodam sensu impedire potest; at ex officio pastoris potest et nonnunquam debet pastorali quodam vetito provisorie nuptias interdicere ut rem prius deferat ad Ordinarium, quod tamen improprium vetitum non valet *poena* quadam *ecclesiastica* communire [41].

§ III. De subiecto passivo potestatis Ecclesiae in matrimonium

57. Quamvis *omnes* omnino *homines*, sive catholici, schismatici, haeretici, sive iudaei, mahumetani et infideles qualescumque coarctentur impedimentis *iure divino* naturali vel positivo constitutis [42], tamen homines *nondum* baptizati, etsi catechumeni iam sint, legibus mere ecclesiasticis matrimonia *irritantibus* vel *prohibentibus directe* non subiciuntur, neque ullo pacto *directe* ligantur sententiis iudicialibus, vi solius iurisdictionis ecclesiasticae latis [43]. Id autem non impedit quominus homines non baptizati variis modis *indirecte* et ratione conexionis causarum potestati ecclesiasticae etiam in causis matrimonialibus subiciantur [44]. Multo minus *directa* subiectio fidelis baptizati est neganda, etiamsi cum *infideli* inire matrimonium, quod iuxta communiorem sententiam sacramentum non est [45].

Quodsi *infideles* ad fidem catholicam baptismo suscepto convertuntur, omnibus impedimentis *post* baptismum ortis ligantur, v. g. impedimento voti sollemnis; porro iis quoque afficiuntur impedimentis dirimentibus iuris *ecclesiastici*, quae nituntur *vinculo naturali* existente iam ante baptismum, v. g. impedimento

[41] Cfr. *Gasparri*, I, n. 231; *Bened. XIV*, De Syn. dioec. l. VIII, cap. 14, n. 5.

[42] *Schmalzgr.*, h. t. n. 375 sq.; *Gasparri*, I. n. 258; *Melata*, in Anal. ecclesiast. V, 263 sq.; *Leitner*, l. c., 89 sq.

[43] Cfr. I Corinth. V, 12; c. 8, 9, 10, 11, 12, C. XXVIII. q. 1; cap. 4, X, de consang. IV, 14; cap. 7, 8, X, de divort. IV, 19; *Rosset*, l. c. n. 779; *Boeckenhoff*, l. c., 41, ubi recte dissentit a *Scherer*, 107 sq., not. 53, qui Ecclesiae videtur vindicare potestatem in theoria et praxi non fundatam.

[44] *Bened. XIV* Const. *Singulari*, 9 febr. 1749, (ratione disparitatis cultus) cap. unic. de iud. V, 2 in Clem.; cap. 13, 14, 16, X, de iud. V, 6; *Cappello*, I, n. 67; aliter quoad partem *Vlaming*, I, n. 195.

[45] *Leon. XIII* Encycl. *Arcanum*; *Boeckenhoff*, l. c., 33 sq., 37 sq.

consanguinitatis [46]. Impedimenta vero, quae nituntur *vinculo*, *iure ecclesiastico* constituto, non ligant infideles conversos, qui ante baptismum illud *factum* posuerunt, ex quo vinculum ortum est. Hinc non ligantur v. g. impedimento *spiritualis* cognationis, si ante baptismum prolem alterius infidelis baptizassent [47].

Scholion. Cum haud raro incidere possit dubium in ordine ad matrimonium, sive contrahendum sive iam contractum, num quis sit infidelis sive non baptizatus, illud dubium in praxi solvendum est per principium sancitum c. 1070 § 2, de quo inferius cum sermo erit de impedimento disparitatis cultus.

58. *Omnes valide baptizati*, vi characteris indelebilis, ex ordinatione Christi iurisdictioni Ecclesiae in rebus ecclesiasticis ita irrevocabiliter sunt subiecti, ut ipsi neque privata sua voluntate sese iurisdictioni ecclesiasticae subducere neque ab Ecclesia universaliter et absolute a propria iurisdictione liberi atque independentes declarari possint. De facto [48] impedimentis quoque vel

[46] Cfr. S. C. de Prop. F., 23 aug. 1852; *affinitas* in infidelitate contracta, etiam ex copula illicita, in conversis constituit impedimentum dirimens, non vero *crimen* adulterii et uxoricidii ante baptismum utriusque patratum; S. C. Inq., 19 apr. 1837; impedimentum honestatis publicae non oritur in conversis ex sponsalibus vel matrimonio rato ante baptismum initis. Quae responsa loquuntur de affinitate et honestate iuris praecedentis. Cfr. Collectan. S. C. de Prop. Fid. nn. 1237, 1254. Sed de hac re expressius infra, n. 367.

[47] S. C. Inq., 16 sept. 1824, ad 2 in cit. Collect. n. 1235 iunct. *Ballerini-Palmieri*, l. c. VI, n. 650, 681.

[48] Quamvis scriptores catholici de *iure Ecclesiae* in hac quaestione consentiant, tamen acris quondam exstitit controversia inter praeclaros theologos et canonistas, an Ecclesia *de facto* usa sit iure suo et haereticos vel schismaticos ligare velit impedimentis canonicis matrimonii. Profecto *Pichler* († a. 1736), Ius canonicum IV, 1, n. 98 docet: « *Probabilius de facto non ligantur in nostra Germania impedimentis matrimonii iure tantum ecclesiastico statutis* ». Eandem sententiam tenuerunt iam *Schmalzgr.* IV, 1, n. 378 sq. aliique antiquiores doctores, qui suam sententiam restringere videntur ad sola impedimenta inter ipsos heterodoxos *non retenta* sive *recepta*. Nostra quoque aetate non defuerunt aliqui scriptores, qui sub terminis plus minusve cautis patrocinium susciperent huius opinionis. Quodsi interdum auctores quidam *extra Germaniam*, ut probabilitatem isti sententiae concilient, ad *Schmalzgr.* aliosque *antiquiores* canonistas Germaniae provocant, haec non satis attendunt: I. *Ipsi protestantes* in Germania non pauca impedimenta canonica usque ad nostra fere tempora in suo iure suisque moribus retinuerunt: cfr. *Friedberg-Ruffini*, l. c. §§ 140 sq. At quis dicet Ecclesiam acatholicos exemisse ab impedimentis inter ipsos theoretice et practice retentis, vel liberasse in praemium rebellionis ab *antiquo* et *novo* iure matrimoniali? Ergo assertio adversariorum quorundam est saltem nimis universalis. II. Nostra aetate in Germania theologi et canonistae communiter, si unum alterumve excipias, contrariam defendunt sententiam. Cfr. *Schulte*, Eher. § 32.

solo iure ecclesiastico constitutis generatim *certo* ligantur haere-
tici vel schismatici baptizati; nam legibus ecclesiasticis generalis
vis obligandi omnes baptizatos tribuitur cc. 12, 87; eadem gene-
ralis vis in specie de impedimentis matrimonii significatur c. 1038
§ 2, et exceptio c. 1099 § 2 proposita, argumento a contrario,
confirmat exemptionem in favorem acatholicorum baptizatorum
non admitti; denique praecedens legislatio [49] et praxis Eccle-
siae [50] eidem exemptioni est contraria.

Scholion. Quae sententia certe a nimia severitate excusatur,
si quis etiam principia canonica de matrimonio *putativo* ob
oculos habeat, neque oblivioni mandet quanto rigore Ecclesia
vel contra ipsos *fideles catholicos* observantiam impedimento-
rum matrimonii dirimentium urgeat.

Nam dubium existere non potest quin impedimenta dirimen-
tia iuris ecclesiastici ligent *fideles*, qui laborant *ignorantia* etiam
invincibili (c. 16) et sunt constituti in *bona fide* atque adeo in
impossibilitate sive privata sive *communi petendi dispensatio-*

III. Antiquiores quoque scriptores in Germania, velut *Busenbaum, Reif-
fenstuel, Gobat, Zech, Zallinger* aliique magno numero hanc sententiam
adversariorum reiecerunt. P. *Wiestner* vero, magister P. *Schmalzgr.*, in
hac controversia nihil ausus est decidere, sed decisionem apostolicam
expectandam esse putavit. IV. Illae decisiones apostolicae praesertim inde
a tempore Benedicti XIV supervenerunt. Quare solida argumentatio ca-
nonica non habetur, si quis neglectis omnibus antiquis et novis decretis
apostolicis et sententiis iudicialibus, neglectis opinionibus recentiorum
scriptorum in Germania, ad antiquiores quosdam canonistas illius regio-
nis provocat, qui *ante Benedictum XIV* scripserunt et argumentis satis
debilibus suas opiniones probare tentarunt. Contraria vero sententia recte
tanquam *certa propugnata* iam fuit a *Rosset*, n. 781 sq.; *Gasparri*, I, n.
257 sq., aliisque, v. g. *Leitner*, 91. Multo magis ex iure Codicis, v. g. a
Chelodi, n. 37 et *Cappello*, I, n. 66.

[49] Benedict. XIV Const. « *Singulari nobis* », 9 febr. 1749, Const. « *Ad
tuas manus* », 8 aug. 1748, Const. « *Magnae nobis* », 29 iun. 1748, Pii VII
cit. Litt. Apost., 8 oct. 1803; responsum S. C. C. ad Episcop. Rosna-
viens., 20 aug. 1780; rescriptum Pii VI ad Card. de Frankenberg, Ar-
chiep. Mechlin. Episcoposque Belg., 13 iul. 1792. Cfr. *Sentis*, l. c., 138 sq.;
Gasparri, I, n. 257 sq.

[50] S. C. C., 26 sept. 1602; S. C. Inq., 17 nov. 1830 et 20 iul. 1840;
Zech, l. c. § 302, ubi refert exempla declarationum nullitatis matrimo-
niorum protestantium propter impedimenta canonica. Ita v. g. a. 1663.
matrimonium Christiani, ducis Mecklenburgensis, cum Christiana ducis-
sa Mecklenburgensi initum ex mandato Alexandri VII declaratum est
nullum et irritum propter impedimentum consanguinitatis et duci ad
religionem catholicam converso data est facultas novas nuptias cele-
brandi; *Feije*, n. 464. Neque admissum est hac in re haereticis vel schis-
maticis suffragari contrariam consuetudinem, quae potius corruptela est.
Cfr. S. C. Inq., 6 iul. 1892 in ASS., XXV, 118 iunct. *Gasparri*, I, n. 260.

nem. Quare quamvis ignorantia et bona fides, si revera adsint,
possint excusare illos fideles *a peccato*, tamen efficere nequeunt
ut matrimonium sit *validum*, si obstet impedimentum *dirimens* [51].
Quodsi S. C. Inq., 4 iunii 1851 (cfr. Collect. Paris. Const., decr.
etc. Sanctae Sedis, n. 899) Vic. Ap. Manchuriae respondit: « *In
propositis circumstantiis non esse inquietandos, facto verbo cum
Sanctissimo* » — agebatur de christianis adeo dissitis et inter
solos paganos viventibus, ut cogerentur *aut* caelibes manere *aut*
cum paganis inire matrimonia — sane concessa est largior et
generalior *dispensatio*, ut ipsa verba « *Facto verbo cum SS.* »
docent, at non videtur data esse *declaratio in illis* circumstantiis
cessasse impedimentum disparitatis cultus; secus responsum dif-
ficulter conciliaretur cum altero resp. eiusdem S. C. Inq., 11 mart.
1868. Neque *singularis* dispositio de praesentia parochi ad for-
mam celebrationis non requisita, si adsit diuturna et *communis*
impossibilitas (cfr. c. 1098, 1°), potest extendi ad impedimenta,
proprie dicta, v. gr. ad impedimentum consanguinitatis. Nam
si praesentia parochi, v. g. tempore revolutionis gallicae, *abso-
lute* fuisset necessaria, *omnia* matrimonia in huiusmodi regio-
nibus caruissent valore; at si quidam nequeunt ducere suas con-
sanguineas in uxores, non coguntur contra ius naturale simpli-
citer manere caelibes. Cfr. S. C. Inq., 18 dec. 1872, Collect. S.
C. de Prop. F. n. 1392.

Art. 2. — *De potestate principum civilium in matrimonium*

§ I. De potestate principum civilium in valorem et honestatem matrimonii christianorum

59. *Principes civiles sive fideles sive infideles* nec dirimen-
tia nec prohibentia impedimenta, quae valori vel honestati ma-
trimonii christianorum obstant, iure proprio et nativo instituere
possunt. Quare matrimonii christianorum *valorem* et *honesta-
tem* [52] secundum leges canonicas diudicare debent, ut ab Eccle-

---

[51] Cfr. S. C. Inq. ad Vic. Ap. Siam., 4 iul. 1855, ad Vic. Ap. Iap., 11
mart. 1868, ad Ep. S. Alberti in Canad., 9 dec. 1874, n. 18, ad Vic. Ap.
Iap. merid, 4 febr. 1891, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1344, 1226, 1300,
1304. * Cfr. tamen quae dicit *Cappello*, I, n. 139, de casu speciali, in quo
simul habeantur et impossibilitas *communis* petendi dispensationem et
damnum grave item *commune*, vel, si agatur de casu particulari, mori-
bundus versetur in periculo amittendi vitam aeternam.

[52] Impedimenta, quae in *Gallia iure civili* fuerunt statuta ut dirimen-
tia, iuxta complura edicta regum tantum referebantur ad *effectus civiles*.

sia ad singula matrimonia applicantur; at non prohibentur quo-
minus legibus *poenalibus* tanquam per *brachium saeculare*, Ec-
clesiam *non invitam* iuvent in exsequendis sacris *canonibus* de
matrimonio christianorum constitutis. Pariter principes civiles
excluduntur ab ordinandis sponsalibus fidelium [53]. Consequenter
causae matrimoniales christianorum *iudicibus* saecularibus sunt
subductae, i. e. nequeunt ipsi iudicare de sponsalibus, de vinculo
matrimoniali, et de separatione a toro et cohabitatione. Causae
vero mere criminales delictorum communium, quae etiam in ma-
trimoniis christianis locum habere possunt, v. g. delictum adul-
terii, incestus, uxoricidii, quatenus agitur ad *poenam* infligendam,
non v. g. *civiliter* ad separationem a toro propter adulterium
pronuntiandam, sunt *mixti* fori [54], in quibus obtinet principium
c. 2198.

60. Cum in praecedentibus iam satis demonstratum sit prin-
cipibus saecularibus non inesse ius condendi leges *irritantes* ma-
trimonium christianum, principaliter hoc loco solvenda est quaes-
tio num potestas civilis iure proprio et nativo saltem possit ferre
leges, quibus fideles a matrimonio per impedimenta *impedientia*
directe prohibeantur.

Qua in controversia tres possunt distingui sententiae. Prima
est illorum, qui huiusmodi ius *proprium* principibus civilibus ita
tribuerunt, ut « *vetita reipublicae* » *directe obligent* fideles *vi le-
gum civilium* [55]. Secunda sententia impedimentis prohibentibus

---

Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11, n. 5; *Schulte*, Eher. § 38,
not. 3. At, ut fusius exponit *Bauduin*, De consuetud., 200 sq., ad com-
probandam nullitatem matrimonii *Gastonis*, fratris Ludovici XIII, ob
defectum consensus regii, provocatum est ad legem vel consuetudinem
iuris civilis in Gallia. Cfr. quoque S. C. Inq., 17 nov. 1835, in Collect.
S. C. de Prop. F. n. 1448.

[53] Cfr. cap. 1, X, h. t.; *Urban. VIII* apud *Feije*, l. c. 22 sq.; *Bene-
dict. XIV*, Const. *Singulari*, 9 febr. 1749, § 8; S. C. de Prop. F. a. 1753,
l. c. iunct resp. eiusd. S. C., 1 apr. 1816, et S. C. Inq., 17 nov. 1835, 12
ian. 1881, in cit. Collect. n. 1446 sq.; *Pii VI* cit. Const. *Auctorem fidei*
prop. 58 sq.; S. C. C. ad Episc. Brixin., a. 1804, in ed. *Richt.* C. Tr. p.
271, n. 119; Instr. C. Rauscher § 69; *Pii IX* Syllab. prop. 68, 71, 74 et
Litt. Ap. ad reg. Sard., 19 sept. 1852; *Leon. XIII.* Encycl *Arcanum*, n. 10 et
Litt. Ap. ad Episc. prov. Venet., 8 febr. 1893; *Giovine*, I, 38 sq.

[54] Conc. Trid. Sess. XXIV doct. de sacr. matr. can. 12; *Pius VI* in
epist. ad Ep. Motul., 17 sept. 1788; *Gasparri*, II, n. 1234 sq.

[55] *Binder-Scheicher*, Hdb. d. k. Eher., 12; *Schulte*, Eher., 328; *We-
ber*, D. kan. Eher., 514; qui tanto rigore hanc obligationem vetitorum
reipublicae urgent, ut *illicitum* esse existiment illa negligere, si concubi-
narius moribundus velit legitimum celebrare matrimonium. A simili ex-
cessiva severitate pro ipso articulo mortis alienum non fuit Vindobo-
nense folium dioecesanum, (a. 1868) p. 91. *Fessler*, in conventu Wirce-

vim obligandi non tribuit, sed illam repetit
reipublicae *ex sese* vim obligandi non tribuit, sed illam repetit
ex canonizatione Ecclesiae, qua fideles vetita reipublicae servare
iubentur [56]. Denique tertia sententia [57] potestati civili ius directe
statuendi impedimenta prohibentia matrimonii christiani omnino
negavit, at facile concessit honestas prohibitiones vel praescrip-
tiones civiles, *non vi legum civilium*, quae invalidae sunt ideoque
ex se obligare nequeunt, sed propter ordinatam legem caritatis
avertendi a se et a prole gravia damna et ex mente Ecclesiae, re-
gulariter esse servandas, nisi ex iudicio Episcopi agatur de casu
a regula excipiendo.

61. Quibus ex sententiis *prima* ut plane erronea est reicien-
da; nititur enim imprimis falso illo principio, quód ex *honestate*
alicuius actionis sequatur in principe civili *competentia* ad prae-
cipiendum; deinde perperam provocat ad *silentium*, quo Eccle-

---

burgensi Episcoporum Germaniae, a. 1848, (cfr. Collect. Lac. V, col. 1105)
quamvis *talem* celebrationem matrimonii per concubinarium moribundum
non videatur habere *illicitam* sive prohibitam, tamen putat eandem esse
superfluam vel *non obligatoriam* propter rationem plane insufficientem,
sc. quod istae nuptiae *effectus civiles* non habeant. At hac in re primo loco
attendenda est *salus animarum* et vitatio periculi proximi peccati. Cfr.
Leon. XIII Litt. Ap. ad Episc. prov. Venet., 8 febr. 1893. Porro non solum
ratio habenda est *concubinarii moribundi* forte vere paenitentis, sed etiam
mulieris et *prolis superstitis*, quarum *honori* et *legitimitati* est consulen-
dum. Nec iuvat urgere defectum civilium effectuum; nam coniuges atque
filii saltem habent *effectus canonicos* haud spernendos, atque tanta est
etiam nunc publica aestimatio matrimonii ecclesiastici, ut effectus civi-
les negati abunde compensentur. Inde patet nequaquam solidas esse ra-
tiones, quas *Scherer*, II, 430, not. 2, in favorem sententiae *Fessler* affert,
licet ipse, l. c. et p. 108, not. 56, ab extremo rigore recte sit alienus.
Non raro patroni huius sententiae provocarunt ad Instr. Card. Rau-
scher, § 69. Concedendum est laudatam § 69, propter verba « *de civilibus
matrimonii effectibus* » aliam admittere interpretationem, ut exponit *Bie-
derlack* in Act. theol. Oenip. XVII, 648 sq. At si quis consideret *sollemne*
exordium § 69, item expressam negationem competentiae civilis quoad
solum *valorem* matrimonii, demum § 70 eiusdem Instr. aliaque adiuncta,
mitior illa interpretatio difficulter admitti potest. Quibus rationibus acce-
dit quod haec Instr. propter difficultates praecise de §§ 69 et 70 Romae
ortas saltem supremam et expressam *R. Pontificis* approbationem non
videatur accepisse. Cfr. *Scherer*, § 190, *not.* 55, 80.

[56] Quae sententia a *Biederlack*, l. c., 652, tribuitur *Laemmer*, Instit.
d. k. K., 514. At quemadmodum *Aichner*, Comp. iur. eccles., 544, asserit:
« *Canonistae plerique* (?) *potestati saeculari ius attribuunt statuendi im-
pedimenta matrimonii impedientia* » (?) sed postea eas dat explicationes,
quae re a *tertia sententia* non differunt, ita etiam *Laemmer* mitiore modo
videtur intelligendus.

[57] *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 365, ubi cum aliis antiquis scriptoribus *si-
mul* negat competentiam principum civilium condendi impedimenta,
quae *valori et honestati* matrimonii christiani obstant; *Feije*, n. 71 sq.;

sia illud ius principum videatur approbasse; praesertim vero refutatur peremptoria ratione S. Thomae: « *Quia sacramenta Ecclesiae, quale etiam est matrimonium, humanis legibus non subduntur* ». Cuius rationis ea est vis ut non solum leges irritantes, sed etiam *prohibentes* principum civilium excludat. Nam illi neque de valore neque de honesta administratione vel receptione *sacramentorum legislatores* vel *iudices* sunt competentes. Denique haec sententia cum doctrina in can. 12 Conc. Trid. Sess. XXIV proposita conciliari nequit atque *Leonis XIII* Encyclicam *Arcanum*, n. 12, sibi habet contrariam. Cfr. quoque S. C. Inq., 17 nov. 1835, in Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1448.

62. Praeterea quicumque concedit principes civiles posse condere *leges prohibentes* matrimonium christianum, eo ipso admittit illorum *competentiam* ad leges ferendas de hac re. Qua competentia admissa ex logica consequentia pariter concedat necesse est potestatem civilem esse competentem ad statuenda impedimenta *dirimentia* matrimonii christiani. Nam nulla potestas publica vere competens ad leges ferendas, nisi singularis plane probetur exceptio, restringitur ad solas leges *prohibentes* condendas. Ergo adversarii, si sibi constare velint, incidunt in errorem ab Ecclesia damnatum, i. e. coguntur negare *exclusivam* competentiam Ecclesiae ad statuenda impedimenta *dirimentia* matrimonii christiani.

Heiner, Grundr. d. k. Eher., 27 sq.; *Biederlack*, l. c., 245; *Scherer*, § 109, not. 47, 55, 56, § 131, I; *Lehmkuhl*, D. buerg. Gesetzgb. d. d. R., 344; *Leitner*, 78 sq.

Veteres quidam auctores quandoque modum excesserunt in vindicandis iuribus principum civilium ad ipsa impedimenta dirimentia, cum alii expresse potestati civili *tantum* negarent ius ad condenda impedimenta *dirimentia;* eadem diversitas etiam postea extitit. Nam v. g. *Perrone*, II, 345 sq.; *De Angelis*, IV, 1, n. 15, aliique potestati civili nimium videntur concedere. *Rosset* quoque, n. 788, scribit: « *Potest, quando id exigit bonum publicum, inducere quaedam impedimenta matrimonii impedientia, v. g. prohibere quominus minores contrahant sine consensu parentum* (?), *ne militiae mancipati nubant, nisi servatis certis regulis obtentaque auctoritatis militaris venia* (?). *Talia vetita communire poenis, v. g. mulcta, carceris poena, quorumdam iurium amissione prorsus habet ius* » (?). Denique alii scriptores tertiam sententiam a se propugnatam postea indirecte et practice magna ex parte deserunt. Etenim permittunt ut potestas civilis *praevias quasdam condiciones* exigat, quibus non servatis valeat fidelibus coniugibus maiore minoreve ambitu negare *effectus civiles* vel alias imponere *poenas*. Ita *Schnitzer*, 49 sq., ubi not. 2 etiam suam facit opinionem *Freisen* et praeterea alia vetita reipublicae admittit, quae *legitima* tantum haberi possunt, si neglecta quaestione *de competentia* causa deciditur ex aliqua utilitate practica.

63. Neque iuvat dicere « *poenis saltem civilibus* » principes posse animadvertere in christianos, qui servatis legibus divinis et canonicis matrimonia contrahunt contra patrias leges [58]. Etenim nemo poenas iure proprio infligere potest, nisi sit *competens* ad praescribendum vel prohibendum [59], ut in simili materia de festis sacris docent *Suarez* et *Fagnanus*, secundum sana principia iurisprudentiae etiam a *Bened. XIV* approbata [60]; iam vero potestas civilis non est competens, ut patet ex praecedentibus, ad praescribendum vel prohibendum ex iure proprio in re sacramentaria; ergo etiam potestate propria infligendi *poenas* in hac re est destituta.

64. Frustra allegatur ius principum civilium procurandi *prosperitatem temporalem* civium; inde enim illi consequuntur ius ad illa sola media, quae suae potestatis propria sunt; at non fiunt *competentes* quidquam statuendi de susceptione vel administratione *sacramenti;* secus propter utilitatem, ex religione supernaturali redundantem in societatem civilem, sibi totum regimen eiusdem religionis vindicare possent. Si principibus civilibus tribuitur facultas *suis legibus* saltem *praevias quasdam condiciones in nupturientibus requirendi,* per ambages et mutata verba denuo introducuntur *impedimenta prohibentia* de administratione et susceptione *sacramenti*, non de *effectibus civilibus*. Illae enim « *condiciones praeviae* » applicata vulgari *definitione* impedimenti sunt vera non improprie dicta impedimenta quibus attingitur ordo *sacramentarius* ex Dei ordinatione extra competentiam potestatis civilis positus, nisi quis ludere velit verbis aut controversias moveat de rebus sine haesitatione admittendis. Nam nemo profecto negabit potestatem civilem posse in materia, *suae competentiae directe subiecta*, dare praeceptum unde *per accidens* impediatur matrimonium christianum, v. g. si fur, qui statuerat feria tertia celebrare nuptias, propter delictum suspendatur in patibulo feria secunda, vel dux legionis eadem hora iubeatur aggredi hostes, qua matrimonium inire proposuerat; item non prohibetur apponere *pacto* de servitio *condicionem libere acceptatam* de caelibatu ad tempus servando, v. g. a magistra in schola elementari [61]. At inde nequaquam sequitur gubernia ci-

---

[58] *Feije*, n. 71 sq.; *Giovine*, I, 38.

[59] Acta theol. Oenipont. IX, 168, XIV, 536 sq.

[60] *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. II, l. 2, c. 12; *Fagnan.*, Commentaria lib. II, tit. 9, de feriis c. 5, n. 71 sq.; *Bened. XIV* Const. *Quemadmodum*, 23 mart. 1743.

[61] Id locum habet v. gr. in clericis beneficiariis minorum ordinum et in magistris catholicis Angliae, quibus matrimonium non absolute pro-

vilia posse omnibus adolescentibus, non mercede ad militiam libere allectis sed *per legem coactis, prohibere* nuptias ante militiam vel tempore servitii militaris. Nam ista prohibitio civilis est *directum* impedimentum nunquam ab Ecclesia approbatum, immo nec in omnibus Statibus receptum. Quodsi prohibitio illa *politica* directe milites obligaret, certe *sponsalia* ab ipsis inita de matrimonio celebrando, non obstante impedimento civili, indubitanter essent *invalida*, quia promissio de re prohibita est irrita. At Ecclesia in suo foro sponsalia, neglectis impedimentis politicis contracta, omnino habuit *valida;* ergo evidenter illis impedimentis non tribuit *directam* vim obligandi. Cfr. *Scherer*, II, 127, not. 48; *Schnitzer*, 89, not. 7.

65. *Secunda* quoque *sententia* sustineri nequit; erravit enim in *facto* illius approbationis sive canonizationis vetitorum reipublicae per Ecclesiam generaliter asserendo. Nam quamvis *R. Pontifex possit* canonizare vetita quaedam reipublicae, quae *in se* sunt honesta, tamen *de facto* talis canonizatio nulla lege pontificia generaliter est data ante Codicem nec in Codice continetur. *Episcopi* vero etiam in Conciliis particularibus congregati, cum ex disciplina vigente careant potestate condendi impedimenta prohibentia, illam canonizationem concedere non possunt. Quare decretum in Concilio prov. Rothomagensi (a. 1850) hisce verbis conditum: « *A nullo matrimonium ecclesiasticum celebretur quin de civili constiterit* », ex mandato S. C. C. fuit reformandum. Nam Cardinales inter alia ponderarunt: *Che quella generica ed assoluta proibizione poteva sapere di un nuovo impedimento, che volesse introdursi in quella provincia su li matrimonii.* Cfr. Arch. f. k. K., XLIII, 33. Quodsi iam *Bened. XIV* in Litt. Apost. *Redditae*, 17 sept. 1746, *commonet*, *Leo XIII* in Encycl. *Arcanum*, n. 25 « *vult atque exoptat* », S. C. Inq., 12 ian. 1881, « *curandum* » esse dicit ut fideles observent praescriptiones civiles, quae salva honestate servari possunt, tamen id nunquam repetunt ex *competentia* potestatis civilis vel ex *canonizatione* quadam *legum civilium*, sed unice ad *rationem naturalem* provocant, qua quis a se, ab altero coniuge et a prole gravia damna avertere tenetur, neque *absolute* pro *omnibus* casibus illi normae insistunt. Gubernio hispanico S. Sedes declaravit, sine praeiudicio doctrinae ecclesiasticae de matrimoniis baptizatorum acatholicorum, se posse *tolerare* ut gubernium opportunas de eorum matrimonio statue-

---

hibetur, sed illi post celebratas nuptias nequeunt retinere beneficium (c. 132 § 2, 188, 5°), his a munere in scholis est recedendum.

ret dispositiones [62]. Quare S. C. C., 15 dec. 1877, (cfr. ASS. X, 504, sq.) in difficili casu impedimenti impotentiae, a iure gallico non admissi, respondit: « *Vivant uti frater et soror; quodsi id fieri non possit sine peccati periculo,* **separentur omnino** » [63].

66. Unice igitur vera et certa est *tertia sententia*, quae iuxta explicationes datas penitus denegat principibus civilibus potestatem statuendi impedimenta prohibentia celebrationem matrimonii christiani. Nec opus est ut novis argumentis demonstretur; ratio enim principalis ex natura *sacramenti* matrimonii petita aliaeque probationes positivae in refutatione primae et secundae sententiae sufficienter fuerunt iam explicatae.

Quae sententia, licet non videatur aperte proponi in c. 1038, qui, praesertim si conferatur cum sequenti videtur potius agere de Superiore ecclesiastico competente determinando, clare tamen colligitur ex cc. 1016, 1960, 1961.

§ II. De potestate principum civilium in matrimonia hominum non baptizatorum [64]

67. Principes civiles vi potestatis *publicae* etiamnunc pro suis subditis non baptizatis, inter se matrimonium celebrantibus, rationabilia et iuri divino conformia [65] impedimenta *dirimentia* et *prohibentia* statuere valent [66]. Nihil quoque obstat quominus

---

[62] « Con la precedente aprobación no se entiende de ningún modo prejuzgada la doctrina de la Iglesia acerca de los matrimonios de los *heterodoxos;* pero el Santo Padre podrá *tolerar* que acerca de esto el Gobierno adopte las disposiciones oportunas »; *Diario de las Sesiones de Cortes;* Senado, 14 marzo 1888; cfr. *Razón y Fe*, VII, 464.

[63] *Biederlack*, l. c., 664 sq.

[64] Codex de hac materia nihil statuit; at c. 20 ad illam tractandam inducit, cum praesertim sit valde practica pro casu conversionis infidelium.

[65] Impedimenta matrimonii in imperio Sinensi a Confucio partim irrationabiliter partim contra expressum ius divinum constituta qualificatores S. Officii, a. 1674, declararunt *non esse impedimenta dirimentia.* Cfr. Collect. Paris. Const. decr. etc. S. Sed. n. 848; *Gasparri*, I, n. 240; *Rosset*, n. 803.

[66] *Resemans*, De competentia civili in vinculum coniugale infidelium, 1 sq., statum huius controversiae inter catholicos libere agitatae fusius exponit. Certe non omnes scriptores sententiae textus adhaerentes eodem modo illam explicant. V. g. *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 367, aliique contendunt principi civili competere talem potestatem, eo quod contractus matrimonialis infidelium sit *civilis* — melius certe dixisset « *naturalis* » — non sacramentum. *Schiffini* quoque, *Philosoph. moral.* II, n. 384, not. 1, n. 389, ab ista doctrina non videtur esse alienus; nam matrimonium, iuxta ipsum, est res quae per se non pertinet « *ad virtutem religionis,*

causae matrimoniales illorum infidelium, qui cum infidelibus sponsalia contrahunt vel nuptias celebrant vel iam celebrarunt, a *iudicibus* fori civilis definiantur, salva tamen competentia fori ecclesiastici in causis matrimonialibus, si unus ex coniugibus esset baptizatus. Consequenter foro civili non est neganda potestas *coercendi* delicta forte ab infidelibus in hac materia commissa.

At *utrum* principes, praesertim in modernis codicibus civilibus, *revera* usi sint hoc iure condendi leges *irritantes*, quibus etiam in conscientia et coram Deo *dirimantur* matrimonia hominum non baptizatorum, v. g. hebraeorum, *an* potius contenti

---

sed ad naturalem ordinem iustitiae et temperantiae » atque non nisi « *sensu valde lato* » sacra dici potest. Cfr. *Billot*, l. c., 425, ad 4. Ex qua expositione sane sponte consequitur principes civiles iure proprio et nativo atque *formaliter vi potestatis* civilis sive politicae condere impedimenta matrimonialia.

Alii scriptores, v. g. *Lehmkuhl*, II, n. 727, idem ius principum inde repetunt quod apud infideles habeant curam religionis naturalis ideoque *non vi potestatis mere civilis* sive politicae, sed per publicam *potestatem religiosam*, ad instar *partis* universae *potestatis publicae*, ipsis propriam condant illa impedimenta. Cfr. *Schiffini*, l. c. 389, i. f. n. 507 **sq.**, 510, obiect. III; *Cathrein*, Moralphil. II, 538 sq., 407 sq.; *Suarez*, De leg. l. III, cap. 12, n. 9, l. IV, cap. 2, n. 3, cap. 11, n. 10.

Tandem *Gasparri*, I, n. 255, cum *Cavagnis* aliisque, v. g. *Leitner*, 29 sq., *Cappello*, I, n. 78, putat *iure devolutivo*, at originario et ordinario, quamvis hypothetico, istam potestatem spectare ad principes civiles, cum tanta sit necessitas causas matrimoniales ordinandi, et ante Ecclesiam Christi vel extra illam religiosa auctoritas independens et competens non existat. Idem *Gasparri* opinatur secundam sententiam a tertia non differre, si res intimius examinetur.

Billot, l. c. 425, ad 5, tandem non negat penes principes esse ius ordinandi contractum matrimonialem infidelium: « *Non quod auctoritas ista sit pars* **civilis** principatus, sed *quia per accidens et ratione necessitatis* **devolveretur** in supradictis adiunctis *ad eum, qui solus ibidem legitime praeest* ». Cfr. quoque *Melata*, in *Anal. eccl.* V, 272.

Schnitzer, 26 sq., *competentiam* potestatis *civilis* admittit, sed non *exclusivam* propter *naturam religiosam* matrimonii; immo opinatur sub respectu religioso potius interponendam esse auctoritatem *sacerdotalem* atque hac in re *substantialiter* nihil immutari ex eo quod suprema potestas sacerdotalis et politica saepe in eodem *subiecto* sit unita. At intelligi nequit in ista opinione quomodo *duae* potestates *in ordine suo* supremae et independentes *directe* eandem causam regere possint. Cfr. *Billot*, l. c., 424, ad 2; *Cathrein*, l. c., 413 sq.; *Baier*, l. c. 144 sq., *Boeckenhoff*, l. c., 42 sq. 38 sq. Haec varietas explicationum ostendit inter patronos huius sententiae non vigere perfectam concordiam; unde ad vitandas inutiles difficultates verba textus selecta sunt, in quae omnes facilius conspirant. Et revera potestas *publica* non est simpliciter confundenda cum *potestate mere politica*, neque universa communitas sive respublica humana cum civitate sive societate mere civili. Cfr. *Suarez*, l. c.; *Cathrein*, l. c., 409 sq.; *Laurin*, l. c. p. 76, 82.

fuerint legibus simpliciter *prohibentibus* vel mere *poenalibus* vel sola *confirmatione* atque sanctione iuris naturalis, est *quaestio facti* in singulis regionibus per accuratum examen iuris civilis ibidem vigentis solvenda [67].

68. Antiqui theologi et canonistae communi consensu docuerunt principes civiles pro suis subditis *infidelibus* vel ipsa impedimenta dirimentia statuere posse, et absque haesitatione, hanc sententiam defenderunt ut *certam* [68]. Concedendum vero est aliquot illorum velut *Sánchez, Pirhing*, ut supra probatum est, iustos limites excessisse cum huiusmodi ius principum civilium extenderent etiam in matrimonium *christianum*, vel iis argumentis usos esse, quibus attento rigore verborum vis tribui non potest, v. g. si *Schmalzg.* vel *Schmier* rem evincere student ex eo quod matrimonium inter infideles sit contractus *mere civilis* mereque *politicus et profanus*. Paulatim vero praesertim ex ultimo saeculo non defuerunt viri docti inter catholicos, qui veterum theologorum et canonistarum placita impugnantes ius illud principum civilium, etiam quoad subditos infideles, saltem statuendi impedimenta *dirimentia* omnino negarent [69].

Quae sententia saeculo XVIII prima vice, ut videtur, propugnata fuit, v. g. a *De Pey*, « De l'autorité des deux puissances » (a. 1780), *Barruel, Muzzarelli;* at saeculo XIX antesignanus in eadem doctrina defendenda factus est *Martin*, De matrimonio et potestate ipsum dirimendi solius Ecclesiae propria (a. 1844). Qui auctor in illo opere, contra alias falsas theorias *Carrière* recte scripto, in hac *singulari* quaestione ab antiquis doctoribus discessit et postea non paucos invenit asseclas, v. g. *Heuser, Gallo, Feije, Taparelli, Liberatore, Zigliara*, et praesertim *Perrone*, qui in vol. II, 442, haec docet: « *Arbitror nullius vis leges esse, si quas* (principes civiles) *tulerint ad* **infirmanda** *coniugia, si illas excipias, quae ipsum* **confirmant** (interpretantur) **naturae ius**, *seu quibus vetant* aut **irritant** *illas nuptiales coniunctiones, quae iam nullae et irritae forent lege ipsa naturali ac divina* ». Cum complures ex illis scriptoribus magna valerent auctoritate, cui haud exiguus saltem *numerus* accessit argumen-

---

[67] Cfr. S. C. de Propag. Fide, 23 iun. 1830, in Collect. eiusd. S. C. n. 2145, et S. C. Inq., 20 sept. 1854, l. c. n. 1449; *Lehmkuhl*, D. buerg. Gesetzb. d. d. R., 340, 351 sq.; *Allègre*, l. c. I, 75; *Leitner*, l. c., 37 (de imped. consang. usque ad tertium gradum in India).

[68] *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 21, n. 5, De relig. tract. VI, l. 4, cap. 9, n. 10; *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 367. Cfr. *Resemans*, l. c., 55 sq.; *Schiffini*, l. c. n. 384, not. 1; *Baier*, l. c., 142 sq.; *Schnitzer*, 28.

[69] *Perrone*, II, 439, sq.; *Feije* n. 67 sq.; *Lehmkuhl*. n. 727.

torum, facile intelligitur cur nova illa opinio ab aliis quoque posterioribus scriptoribus, v. g. *Pezzani, Marc, Costa-Rosetti, Craisson, Desjacques* adoptaretur, atque adeo contraria veterum doctorum sententia aliquantulum redderetur odiosa. Nihilominus, re denuo discussa, alii scriptores recentiores, v. g. *D'Annibale, Ballerini-Palmieri, Laurin, Cavagnis, Resemans, De Angelis, Santi, Baier, Zitelli, Grandclaude, Gasparri, Rosset, De Becker, Schiffini, Cathrein, Hammerstein, Schnitzer, Boeckenhoff, Leitner*, antiquam doctrinam inter *legitimos terminos* retinendam esse sibi optimo iure arbitrati sunt [70]. Idem tenent *Cappello*, I, n. 75; *De Smet*, n. 433 et *Vlaming*, I, n. 51.

69. Et revera si abstrahatur ab unico argumento [71] *ex natura religiosa* matrimonii pro contraria sententia repetito, reliquae rationes, quae non raro a quibusdam afferuntur, probabiles dici non possunt [72]. Quin immo, quae *Perrone* ab initio suae disputa-

[70] *Resemans*, 4 sq.; *Gasparri*, I, n. 240 sq.; *Rosset*, n. 804 sq.; *Schnitzer*, n. 26 sq.; *Schiffini*, l. c.; *Cathrein*, l. c.; *Laurin*, l. c., 78 sq. *Scherer*, l. c., 106 sq., dissentit; putat enim ex principiis formalis logicae neutram (!) sententiam posse efficaciter refutari; at si res *historice* spectetur, theoriam negantem ius principum omni fundamento carere; nihilominus non obstante libertate opinandi, saltem in foro civili, efficaciam illarum legum civilium non posse in dubium vocari; in foro autem ecclesiastico tandem Ecclesiam *decidere* quousque procedere *velit* (?) in applicando *suo iure* (?) ad matrimonia ante conversionem contracta (?). At *talem* potestatem Ecclesia sibi nunquam tribuit nec tribuere potest. Cfr. cap. 8, X, de divort.; *Boeckenhoff*, 41, not. 3.

[71] *Billot*, l. c., 442 sq. omissa longa serie argumentorum, quae *Perrone* adducit, cum prudenti moderatione huic rationi *unice* insistit; *Leitner* vero, 27, n. 2, 3, duas alias rationes urget ex *sacramento* matrimonii et ex *fine* — minus accurate definito — Status, quae non videntur esse efficaces ad excludendum Statum.

[72] Arguunt v. g. exinde quod matrimonium existat *ante* societatem. Quae ratio optime probat *prioritatem* et *independentiam* matrimonii quoad *originem*, sed non *independentiam a potestate ordinativa et iudiciali* societatis civilis; secus eodem argumento demonstrari posset omnes homines qui certe existunt ante quam societatis civilis fiant membra, in celebrandis contractibus non pendere a legibus civilibus; id autem plane falsum est. Quare v. g. *Billot*, l. c., 424, ad 3, concedit istam rationem vi probandi esse destitutam.

Porro adversarii provocant ad *supernaturalitatem* matrimonii etiam inter infideles, cum sit signum unionis Christi et Ecclesiae. At illa ratio plane aliena est a modo loquendi Ecclesiae, quae contractum matrimonialem infidelium appellat *naturalem* (cfr. Epist. Pii VI ad Episcop. Agriens., 11 iul. 1789), non supernaturalem; porro confundit *extrinsecam* quandam relationem ad matrimonium accedentem cum *intrinseca* eius natura; nam non obstante significatione illius unionis matrimonium infidelium *in se* mansit naturale. Cfr. *Rosset*, n. 819.

tionis concedit in hac controversia validum suis adversariis subministrant argumentum. « *In quem finem*, inquit, *non solum possunt* (sc. principes civiles) **prohibere** *nuptias, quas noxias ha-*

Insuper cum tenore quodam philosophico verborum contenditur, ea quae sunt *in individuo* de iure vel officio naturae non subiacere iuri civili, sed iuri naturae et soli Deo; at *matrimonium* hisce rebus omnino esse adnumerandum nemo negabit. Quae argumentatio imprimis confundit *iura substantialia* ex matrimonio *orta*, v. g. unitatem et indissolubilitatem, cum ipsa matrimonii celebratione. *Illa iura* sane in individuo a Deo statuta sunt nec lege civili et humana possunt immutari: *celebratio* vero matrimonii, etiam quoad partem *negativam* impedimentorum, non quoad omnia et singula est iam ipsa *lege* naturali plene *determinata*, sed ex parte remanet *indeterminata;* quare *ob rationes* ab ipsa natura suggestas nihil obstat quominus ab auctoritate publica per maiorem quendam numerum impedimentorum illa indeterminatio naturalis magis determinetur. Aliis verbis: in universa ista probatione adversarii non satis distinguunt ea quae a Deo in individuo *praescripta* vel *prohibita* vel *specialiter permissa* sunt, ab iis quae iure naturae *generaliter* sunt *permissa*. Quae generalis et naturalis permissio, v. g. contrahendi, ab auctoritate publica potest limitari.

Denique patroni contrariae sententiae frustra urgent, quod iura *personalia et domestica* ideoque etiam matrimonium sint independentia ab ordinatione legum *civilium*. Nam concessa huiusmodi independentia quoad iura *mere* personalia et domestica — v. g. quomodo in singulis domibus parandum sit prandium — nequit illa certe extendi ad iura personalia et domestica, quae attingunt *ordinem publicum* et *bonum commune;* at certe recta matrimonii ordinatio refertur ad bonum commune.

Ab aliis difficultatibus ex professo refutandis abstinendum videtur. Nam quaedam si quid valerent, etiam de *Ecclesiae catholicae* iure statuendi impedimenta actum esset; aliae *confundunt* ius condendi *impedimenta* cum iure duas personas ad matrimonium *cogendi* vel coniuges legitime unitos *separandi*. Nec desunt auctores, qui propter *possibilitatem abusus* in statuendis impedimentis *irrationabilibus* negant ius ad condenda *legitima* impedimenta, atque adeo celebrationem matrimonii, quae evidenter est actus *mixtus*, volunt reducere ad actum *internum* (!), ut eo certius potestatem civilem excludere possint. Denique si allegatur Benedicti XIV Const. *Postremo*, 28 feb. 1747, § 68, examinato textu et contextu inde a §§ 60 facile patet non solum nihil posse colligi in favorem adversariorum, sed potius non leviter confirmari sententiam in textu propugnatam. Etenim R. Pontifex docet ibidem in *iudiciis* de sponsalibus inter hebraeos celebratis, non iuri pontificio vel civili (i. e. Romano), sed legibus et consuetudinibus mosaicis — in Statu pontificio — esse attendendum. At leges et consuetudines mosaicae *ex se* non amplius habent valorem legalem; aliunde autem illum repetere non potuerunt, nisi ex approbatione *auctoritatis publicae* in Statu pontificio. Quae auctoritas publica certe non est iurisdictio spiritualis R. Pontificis, quae in hebraeos sese non extendit; unice igitur restat auctoritas publica R. Pontificis ut principis civilis. Quodsi Benedictus XIV, Const. *Singulari*, 9 febr. 1749, § 7, legem romanam declarat invalidam, *utpote a laico principe latam*, non tradit doctrinam contrariam; illa enim lege non fuit

bent, sed praeterea decernere **poenas** in legum, *quae connubium attingunt, transgressores eosque* **privare** *civilibus effectibus ipsius connubii eosque ut* **innuptos** *habere* ». Quibus verbis evidenter admittitur *competentia* principum civilium ad *leges prohibentes* et *poenales* in hac materia ferendas. Atqui quamprimum admittitur competentia potestatis *publicae* ad *veras leges ferendas* de contractu ex natura sua *irritationis capaci*, sine ullo solido fundamento haec potestas publica restringitur deinde ad solas leges prohibentes et poenales. Nam *irritatio* nihil aliud est quam *efficacior* quidam modus aliquid praescribendi vel prohibendi vel puniendi. Nec dici potest irritationem per principes civiles in hac re non esse *necessariam* ideoque illos carere iure condendi leges irritantes. Etenim *necessitas* illa nequit negari, ut patebit ex sequentibus. Cfr. *Laurin*, l. c., 39.

Porro etiamsi eadem necessitas asserenda non esset, exceptio nihil probaret, cum nulla potestas *publica* limitetur tantum ad illa negotia legibus ordinanda, quae *strictae* sunt *necessitatis*. Ergo cum *Perrone* aliique admittant *competentiam* principum civilium ad statuenda impedimenta prohibentia pro matrimoniis subditorum infidelium, ex logica consequentia etiam admittere debent veritatem sententiae a se impugnatae.

70. Nec positivae rationes desunt, quibus sententia affirmans ius principum civilium probetur. Id enim imprimis eruitur ex absoluta *necessitate*, qua matrimonium etiam hominum non baptizatorum *ordinationi, iudiciis, coercitioni publicae* auctoritatis debet esse subiectum.

Etenim ius matrimoniale *legis* naturalis ex se est incompletum nec sufficienter determinatum; multo minus in *causis* matrimonialibus praesertim nullitatis atque separationis, tam facile cum caeca passione agitatis, possunt homines esse arbitri vel iudices in propria causa. Coercitione quoque opus est, si quis attentaret matrimonium, v. g. cum filia vel sorore, a quo ipsa natura abhorret.

Verumtamen ad haec efficienda potestas *domestica* est prorsus impar; *Ecclesia* autem in infideles nullam habet iurisdictionem; tertia quaedam auctoritas publica in praesenti rerum ordine omnino non existit praeter potestatem *civilem*; ergo ad illam, sicut ante adventum Christi ita etiam post fundatam Ec-

statutum impedimentum matrimonii inter *duas personas infideles*, sed inter partem *christianam* et *iudaicam*. Quo in casu, ut supra demonstratum est, competentia principum civilium non est asserenda. Cfr. *Rosset*, n. 805 sq.; 818 sq.; *Baier*, l. c., 164 sq.; *Schiffini*, n. 387 sq.; *Leitner*, 30 sq.

clesiam, universum hoc negotium spectabit, donec per susceptum baptismum homines in causis matrimonialibus iam soli foro ecclesiastico subiciantur.

Quae adversarii huic argumento opponunt magnam vim non habent, immo tandem aliquando candide necessitatem competentiae civilis fatentur. Cfr. v. g. *Billot*, l. c. 425 ad 5. Porro si Christus *matrimonium* ipsum apud infideles reliquit in ratione legitimi contractus naturalis, nulla fuit ratio cur ob institutam Ecclesiam inter gentes infideles, v. g. apud romanos, tolleret *honestas leges civiles* et competentiam principum civilium. Quae competentia ante Christum videtur esse indubitata, et haud sine fundamento *Scherer*, l. c., contrariam sententiam vocat *historice improbabilem*. At numquid omnes populi hac in re errarunt? Certe Ecclesia antiquas leges romanorum non reprehendit, sed potius laudavit. Cfr. *Schnitzer*, l. c. 41 sq. Quare sicut per introductam *novam* legem suavi modo abrogata fuit lex Veteris Testamenti (cfr. *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 12 sq.), ita similiter in causis matrimonialibus potestatis civilis competentia *non cessat*, nisi *incipiat* competentia Ecclesiae.

71. Porro *legislator* dici potest *competens* ad ferendas leges etiam irritantes de aliqua materia, *si personae*, quibus leges illae sunt imponendae, ipsi vere subiectae sint, et si *materia*, de qua est disponendum, capax sit ordinationis etiam per leges irritantes et potestati legislatoris non subducta; etenim vera competentia consistit in potestate tum in *personam* tum in *causam sive materiam*.

At principes civiles hac in re sane habent potestatem ratione *personarum;* agitur enim de propriis ipsorum *subditis*. Auctoritas quoque non deest ratione *materiae;* haec enim in contractu *etiam* per leges *irritantes* ordinari potest, et cum matrimonium in hominibus non baptizatis non sit sacramentum, sed contractus *naturalis*, auctoritas civilis limites proprios non egreditur. Neque nimis urgeri potest illa ratio quod matrimonium etiam infidelium aliqua ratione sit *res sacra* et *religiosa;* secus tandem totus homo baptismate consecratus potestati civili esset subductus. Insuper principes civiles in hypothesi adversariorum nihil statuere possent de *iuramento* [73], quod sane res sacra est, et ni-

[73] Cui argumento opponebatur quod non sit *paritas* inter iuramentum et matrimonium; illud enim esse, aiebatur, ordinis *naturalis*, hoc ordinis *supernaturalis* etiam apud *infideles*. At illa supernaturalitas ad legitimos terminos fuit supra reducta, unde adversarii nihil colligere possunt; immo, si verum fateri velint, *iuramentum in se* multo magis est actus religiosus quam matrimonium; est enim unus ex quatuor principalibus actibus cultus divini. Cfr. *Pesch*, l. c. n. 891.

hilominus de aetate, sollemnitate et forma, qua praestandum est v. g. a testibus, nemine reclamante condunt leges et poenis quoque statutis illud exigunt. Quare sub praetextu religioso non nimium etiam in hac materia limitanda est potestas civilis inter infideles, ut patebit legenti *Suarez,* De legib. l. III, cap. 12; *Lugo,* De virtute fid. div. disp. 19, n. 54 sq., 63; *Schiffini,* l. c. n. 507, 510. Denique principes civiles illa impedimenta potissimum condunt sub ratione boni physici ad conservationem generis humani (cfr. *Suarez,* l. c. l. IV, c. 11, n. 7, 11) et propter publicam morum honestatem, in quibus, cum ratio veri sacramenti in infidelibus desit, competentia principibus civilibus, *deficiente alia potestate publica,* non est neganda.

72. Praeter illas rationes intrinsecas commendatur haec sententia ab extrinseca auctoritate, quae ipsi accedit ex communi praxi populorum [74] et communiore saltem theologorum [75] et canonistarum consensu atque imprimis ex praxi et doctrina in Curia Romana magis recepta et probata. Deinde concedendum quidem est in hac controversia *generalem* et *definitivam* et expressam quandam decisionem a Sede Apostolica non esse datam. Immo neque tot uniformes constantesque videntur haberi responsiones particulares *diversarum* Congregationum Romanarum, praesertim in causis matrimonialibus competentium, ut haec doc-

[74] Exemplum eiusmodi legislationis pro non baptizatis leges visigothorum praebent. Liber iudiciorum sive lex visigothorum edita a Recessvindo rege c. a. 654, renovata ab Ervigio anno 681, lib. XII, tit. 2, lege 6, ita habet: « Nemo ex iudaeis propinquitatem sanguinis sui coniugio copulet, adulterio polluat, incestu commaculet. Nullus usque ad sextum generis gradum coitu personam quamcumque contingat. Nullus festa nuptialia aliter quam christianorum mos habet vel adpetat vel usurpet. Nam detectus damnationis date ultionibus punietur ». (Recens K. Zeumer, Hannoverae 1902. Monum. Germ. hist. LL. Sect. 1 Leg. Nation. German. tom. 1). Ibid. tit. 3 lex 8: « Nulli iudaeorum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris sue atque etiam virorum iuxta legem, que in christianis est lata, usque ad sexti generis gradum conubia ducere vel incesti maculam operari ». Cfr. c. 7, c. XXXV, q. 2, conc. Aurel. a. 538. A Esmein, « Le mariage », I, 378; *Baier,* l. c. 170 sq.; *Scherer,* II, 107.

[75] *Feije,* n. 368, et saltem plerique adversarii id aperte concedunt. Quodsi *Perrone* cum aliis in suum favorem allegat S. *Thomam,* ut in citando *Fagnano* parum fortunatus exstitit (cfr. *Rosset,* n. 804, not. 1), ita etiam perperam provocat ad auctoritatem S. Thomae. Nam alii textus ab eo allegati, cum evidenter referantur ad matrimonium *fidelium,* sunt extra statum quaestionis; in aliis locis S. Doctor aut nihil de hac re habet, aut v. g. l. IV sent. dist. 39, art. 2, ad 3, sententiae a Perrone propositae potius est contrarius. Cfr. *Rosset,* n. 813; *Gasparri,* I, n. 242; *Schiffini,* l. c. n. 386, 387; *Cappello,* I, n. 79.

trina ex *stilo Curiae Romanae,* vi talium responsionum [76], tanquam principium *absolute* certum possit dici recepta et approbata. At cum adversarii pro *sua* opinione non possint afferre *ullum* expressum responsum SS. CC., patroni nostrae sententiae subsidio favorabilium decisionum saltem S. C. de Prop. F. non carent.

Dubia enim plane *negativa,* quae *Perrone* suo tempore movit de ipsa existentia illarum decisionum, nostra aetate post reperta et publicata documenta sustineri non amplius possunt [77]. Etenim certissime authentica est responsio S. C. de P. F., data 26 iunii 1820, et licet de Instructione eiusdem S. C. a. 1821 nondum omnia dubia soluta sint, tamen ea non caret sua vi probandi [78].

[76] *Boeckenhoff,* l. c., 23 sq.; *Scherer,* § 109, not. 52.

[77] *Gasparri,* I, n. 244 sq.; *Rosset,* n. 811 sq.

[78] Collect. S. C. de Prop. F., n. 744. Quae sententia S. C. de Prop. F., 26 iun. 1820, Vicario Apost. *Tunk. Occid.* in causa particulari data eo maiorem habet vim quod lata fuerit *pro nullitate* illius matrimonii cum expresso addito « *esse locum novo matrimonio* »; at ut nullitas matrimonii etiam a Congregatione Romana pronuntiari possit, omnino requiritur *certa* probatio *iuris* et *factorum.* Iam vero in citata causa *Tunkinensi,* ut patet ex specie facti proposita a Vicario Apostolico, tota difficultas fuit in *quaestione iuris* de vi et efficacia *legum civilium.* Quare si auctores quidam vim huius argumenti elidere student dicendo Sacr. Congregationem dedisse *practicam decisionem,* non *definitionem* doctrinae theoreticae, asserunt quoad *secundam* partem rem in se verissimam; nemo enim dicet S. C. Inq. vel S. C. de Prop. F. in causis iudicialibus dare *definitiones* dogmaticas; at quoad partem de *practica* decisione non videntur satis perspectum habere modum procedendi SS. CC. Nam « *practica decisio* » i. e. **declaratio nullitatis** matrimonii cum plena libertate transeundi ad **secundas** nuptias a Cardinalibus *nec datur nec dari potest* sine *certa* probatione *iuris et facti;* secus gravissime violaretur *ius divinum* de impedimento ligaminis. Quare recte scribit *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 782. « *Si vero* **in praxi** *sententia fertur pro nullitate,* **theoretice** *ne leve quidem dubium superesse potest; secus enim sententia ecclesiastica est* **de nullitate non constare.** Similiter Romae haud sine fundamento dicitur *unam* sententiam pro *nullitate* matrimonii *plus* probare quam *decem* sententias pro *validitate.* Hinc Cardinales S. C. de Prop. F. illam sententiam nullitatis non tulissent, nisi ex ipsorum opinione fuisset *certa* probatio *iuris* et *facti.* Nec dici potest Cardinales matrimonium declarasse nullum, eo quod gentiles *putassent* se propter impedimentum civile non posse celebrare validum matrimonium ideoque in ea fuisse *intentione,* sc. vivendi tantum in *concubinatu.* Quae explicatio adversariorum est mera *fictio,* atque in specie facti Vicarii Apostolici nullum habet fundamentum; tota enim difficultas, in fine cum praecisione proposita, versatur *in impedimento dirimente a principe infideli sancito.* Praeterea in ista suppositione Cardinales dicuntur nimia facilitate admisisse principia et facta *alias reiecta,* sc: propter *errorem* in exsistentia impedimenti credenda matri-

73. Huc quoque spectant quae circa matrimonia gentilium polygamorum fuerunt considerata et resoluta in Congregatione particulari habita die 8 oct. 1631. Etenim S. C. de P. F. [79] statuit missionariis Indiarum illa communicanda esse, non ut decretum huius S. C., sed ut sententiam theologorum et canonistarum... Iam vero ibidem haec leguntur: « *Indi polygami, qui cum omnibus uxoribus suis convertuntur ad fidem et baptizantur, tenen*-

---

monium esse nullum, vel cum huiusmodi *errore* necessario esse coniunctam *intentionem* tantum vivendi in *concubinatu*. Cfr. S. C. C. in caus. Smyrn., 9 sept. 1752, in ed. *Richter* Conc. Tr., 254 sq., n. 92; *Resemans*, l. c., 68 sq. iunct. c. 1085.

[79] Quodsi *Rosset*, n. 811 et *Gasparri*, I, n. 245, etiam allegant responsum S. C. Inq., 20 sept. 1854, Vic. Apost. Yun-Nan (cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1104) pariter in casu particulari datum, inde argumentum peremptorium peti nequit. Etenim solummodo sequitur Cardinales in casu hanc sententiam non habuisse *certo* et indubitanter *falsam*, sed stante controversia aliquo modo *probabilem* et vere *dubiam*. Porro nequaquam agebatur de declarando *nullo* et *irrito* matrimonio cum permissione *aliarum* nuptiarum, verum de convalidando matrimonio antea in infidelitate contracto, et in quo difficulter separatio institui poterat. Nec reticendum est etiam in quaestione *facti* non omnem difficultatem fuisse sublatam. Nam quamvis lex *civilis* sub poena *mortis* prohiberet fratri minori ducere uxorem maioris fratris defuncti, sane gravissima illa *sanctio* cum aliqua *probabilitate* insinuat legem fuisse *irritantem*, at cum plena *certitudine* id non evincit. Nihil enim obstat quominus ista lex a principe infideli lata fuerit mere *prohibitiva et poenalis*, ut satis patet ex dubio modo loquendi ipsius Vicarii Apostolici. Cfr. quoque Instr. S. C. de Prop. F., 23 iun. 1830, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 2145. Quare optime intelligitur cur S. C. Inq. saltem *ad cautelam* dederit duplicem dispensationem simulque praescripserit *consensus renovationem*, ut matrimonium *forte* invalidum eo certius convalidaretur.

Multo minorem vim probandi videtur habere Instr. S. C. Inq., 29 oct. 1739, cui *Rosset*, l. c., *Gasparri*, I, n. 245, et novissime *Cappello*, I, n. 76, insistunt. Quo in loco sane matrimonium Titii et Berthae in infidelitate contractum declaratur legitimum et indissolubile, si fuerit celebratum « *cum illis sollemnitatibus*, **quae iuxta leges et consuetudines communiter receptas in imperio Sinensi** *necessariae sunt* ad verum *et legitimum matrimonium* ». Nam S. C. Inq. denuo ex professo nihil statuit de *nullitate* matrimonii, sed de eiusdem *valore*. Porro verba illa *de sollemnitatibus* optimam accipiunt interpretationem, si referantur ad *signa*, ex quibus apud paganos constet de *intentione* verum celebrandi matrimonium, ut fit etiam in aliis Instr. S. C. Inq. (cfr. v. g. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1291; *Scherer*, § 113, I); at quaestio de competentia imperatoris sinensis statuendi impedimenta *dirimentia* pro hominibus infidelibus in illa Instructione vix videtur attingi. Cuius disquisitionis generale corollarium est quod S. C. Inq. in responsis *huc usque publicatis* in hac controversia mentem suam nondum sufficienter manifestarit. Quod quidem gravissimi momenti est. Nam ad illam supremam S. Congregationem pro sua speciali competentia spectat de huiusmodi principiis iuris divini declarationes dare, quae vel ab ipsa S. C. de Prop. F. non raro fuerunt expetitae.

tur dimittere omnes uxores praeter primam, quae sola est vera uxor, **si illius in matrimonio nullum intervenit impedimentum iuris naturalis vel positivi conditi ab eorum principe** » [80].

Cui sententiae tandem accedit gravissimum testimonium [81] Superioris Seminarii parisiensis, qui asserit omnes missionarios in terris infidelium opinionem illam de iure principum civilium in praxi sequi.

Scholion. Probata *competentia* principum civilium ad condendas *leges* irritantes et prohibentes de matrimoniis infidelium, ex natura rei etiam sequitur competentia *iudicialis* in causis litigiosis et criminalibus eorundem matrimoniorum. Cfr. Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 43, 44, in Collect. S. C. de P. F. n. 1572.

§ III. De potestate principum civilium in effectus mere civiles matrimonii (cc. 1016, 1961)

74. *Principes saeculares* effectus mere civiles matrimonii christianorum multoque magis infidelium suis legibus partim *ordinare* partim *constituere*, poenis quoque positivis adiectis, ex potestate propria possunt [82], et consequenter de iisdem causis etiam *iudices* competentes existunt [83]. Praeterea non prohibentur quominus illos effectus civiles, qui a valore et honestate matrimonii *separari* possunt, *iustam ob causam denegent* [84]. Minime vero toleranda est illa theoria vel praxis, secundum quam matrimoniis christianis valide et licite iuxta leges divinas et canonicas initis, propter legem quandam civilem in hac re violatam etiam *effectus civiles inseparabiliter* cum valore et honestate ma-

---

[80] Collect. Paris. Const. decr. etc. S. Sed. n. 921.

[81] *Gasparri*, I, n. 243.

[82] *Leon. XIII* Encycl. *Arcanum;* Instr. S. C. de Prop. Fid. (a. 1883) n. 2; Instr. *Card. Rauscher*, §§ 249, 69; *Gasparri*, I, n. 237 sq.; *Rosset*, n. 785; *Biederlack*, l. c. p. 670 sq.: *Laurin*, Introd. in ius matrim. eccles., p. 70 sq., 39, not. 90; *De Smet*, n. 427.

[83] Cfr. cap. 7, X, qui fil. IV, 17; *Pirhing*, l. IV, t. 18, n. 17; *Bened. XIV*, De Synod. dioeces. l. IX, c. 9, n. 4 sq.; *Laurin*, l. c., 71, 91 sq., cui allegatus *Benedictus XIV*, de *incidentibus* causis temporalibus in foro ecclesiastico ex mera concessione civitatis definiendis, non favet. Nam causa *incidens* censetur causa *mixta*. Cfr. l. IV, tit. 20, de donationib. inter virum et uxor.: *Scherer*, § 109, p. 101, not. 30 sq., 60 sq.; § 110, 104, 116, 123.

[84] Qua ratione negantur v. g. certi *tituli honorifici* et *plenum ius successionis* proli natae ex matrimonio *morganatico*, aut non datur matrimonio subsequenti vis legitimandi prolem illegitimam in ordine ad successionem in hereditatem paternam, v. g. in Anglia et America septentrionali.

trimonii coniuncti sine ullo fundamento legitimo denegantur. Id valet potissimum de negatione legitimitatis uxoris et mariti atque prolis natae ex matrimonio secundum ius canonicum licite et valide inito. Iam illa extensio ad effectus *inseparabiles* manifeste excluditur c. 1016 per locutionem « *mere* civiles effectus »[85]. Cuius iuridica ratio illa est quod qui denegat tales effectus *inseparabiliter* cum licito et valido matrimonio christiano coniunctos, is coniugibus veram gravemque infligit *poenam*; sed poenam infligere nemo potest, nisi sit competens ad praescribendum vel prohibendum illud quod poena sancit; ergo cum princeps civilis quoad *honestatem* vel *valorem* matrimonii christiani nihil iure proprio praescribere vel prohibere possit, etiam inflictio poenae ipsi non competit[86].

75. Denique potestas civilis, cum habet ius *ordinandi* effectus civiles etiam matrimonii christiani pro suo iure praescribere potest ut *coniuges* matrimonium suum coram Ecclesia iam valide et licite celebratum in regesta Status referendum curent.

Quod si neglexerint vel ultra tempus legitimum distulerint, poenis quoque convenientibus a magistratu civili multari possunt. Quae poenae nunquam eo extendi possunt ut matrimonium non nisi a tempore relationis in regesta civilia habeatur valide atque licite celebratum. Sed ut sponsi a formalitatibus inutiliter multiplicatis liberentur, oportet ut hoc negotium rationabili quadam conventione inter Ecclesiam et Status expediatur[87] *.

---

[85] *Giovine*, I, 36 sq.; *Scherer*, § 109, not. 49. Cfr. quoque *Cappello*, I, n. 73.

[86] *Feije*, n. 71, videtur ab hac sententia saltem ex parte recedere; *Rosset*, n. 788, *Gasparri*, I, n.238, et *Cappello*, I, n. 72, non solum *denegationem* effectuum civilium *separabilium*, sed etiam veram *punitionem* pro contrahentibus et testibus admittunt propter omissionem *praescriptionum civilium* in matrimonio *valide* et *licite* coram Ecclesia celebrato, ideoque nimium videntur concedere.

[87] * Vi art. 34 Concordati italici parochus intra spatium quinque dierum post celebrationem matrimonii debet transmittere auctoritati civili exemplar actus matrimonii integre exscriptum ut in tabularia civilia referatur matrimonium canonice celebratum. Pariter in art. 22 Concordati lusitani imponitur parochis obligatio transmittendi intra tres dies auctoritati civili exemplar integre exscriptum actus matrimonii. Officialis civilis debebit facere annotationem matrimonii intra duos dies ac die immediate sequenti nuntium authenticum peractae transcriptionis mittere ad parochum. Vi sequentis articuli matrimonium producet effectus civiles a die celebrationis, si intra septem dies peracta fuerit transcriptio praedicta; secus solummodo a die peractae transcriptionis quoad personas extraneas; hinc quod tam parochus, qui absque gravi ratione exemplar intra tempus praescriptum non transmiserit, quam officialis civilis qui transcriptionem non fecerit, poenis subiciantur.

CAPUT III

De Sponsalibus

76. Fontes: C. XXVII, q. 2 et sparsim usque ad C. XXXVI, v. g. C. XXXI, q. 2, 3[1] — Quinque compil. antiquae et Decretal. Gregor. IX et Bonif. VIII, l. IV de spons. et matrim. — Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 3, de ref. matr. — Pii V Const. *Ad Romanum spectat*, 1 iul. 1568; S. C. C., 31 ian. 1880 et 11 apr. 1891, (pro Hispania) atque S. C. pro neg. eccl. extraord. 1 ian. 1900, (pro America latina). Decr. *Ne temere*, S. C. C. 2 aug. 1907. — Casus practici de sponsal. decisi a S. C. C. referuntur in ed. *Richt.* Conc. Trid., 220 sq., et in ASS.; cfr. v. Sponsalia in indice. — Instr. Card. Rauscher §§ 2 sq.; Collect. Lac. in indice v. matrimonium; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 161 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in h. t.; *Bernard Pap.*, Summa Decret. 1, IV, t. 1, 130 sq.; *Tancr.*, Summa de matr. t. 1-5; *S. Raymund.*, Summa l. IV, t. 1, de sponsal. — *Zech*, De iur. rer. eccl. sect. 2, t. 8, de sponsal.; *Devoti*, Inst. l. II, sect. 8, de sponsal.; *Aichner*, Comp. iur. eccl., §§ 159 sq.; *Scherer*, § 110. — *Schulte*, Eher., § 33; *Schnitzer*, 85 sq.; *Leitner*, 511 sq., 101 sq., 346 sq.; *Feije*, n. 384 sq., 556 sq.; *Giovine*, De dispens., I, 301 sq., 101 sq., 251 sq.; *Gasparri*, I, n. 51 sq.; *Rossel*, n. 823 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor., t. VI, de matr.; *Zech*, Dissert. iuridico-canon. de sponsal. academicorum absque consensu parent. contractis; *Gallade*, De doctrina acathol. et erroribus protestant. circa spons. de fut. et de praes.; *Muscettula*, Dissert. de sponsal. et matrim., quae a filiisfamil. contrahuntur parentibus insciis vel iuste invitis; *Ferraris*, Biblioth. v. sponsalia. — *Freisen*, l. c. in ind. v. sponsalia; *Sehling*, D. Unterscheidung der Verloebnisse im kanon. Recht; *Esmein*, « Le mariage en droit canonique » I, 151 sq.; *Zhishman*, l. c. v. Verloebniss. — *De Smet*, n. 1 sq.; *Chelodi*, n. 15 sq.; *Ferreres*, Derecho sacram., n. 413 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 280 sq.; *Cappello*, I, n. 81 sq.; *Vlaming*, I, n. 74 sq.

Praenotiones

77. Nomen et definitio. I. Vox « *sponsalia* » ex iure praxique romanorum desumpta in foro quoque ecclesiastico adoptata est. Sponsalia autem dicta sunt a spondendo, ut recte monet *Ulpianus* in L. 2, D. de sponsalibus XXIII, 1. Nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores, unde, ait *Florentinus* L. 3, D. l. c., et sponsi sponsaeque appellatio orta est. Qui modus loquendi iuris Romani fundabatur in praxi apud romanos recepta. Etenim qui puellam quandam ducere voluit in uxorem, is patrem puellae vel eum, in cuius potestate constituta fuerat, interpel-

---

[1] Dig. XXIII, 1, de sponsalib.; Cod. V, 1, de sponsal.; cod. civil. Ital., art. 79 sq.; cod. civ. Gall., art. 172; cod. civil. German. §§ 1297 sq.; cod. civ. Hisp., art 43, 44.

lavit sollemni formula: « *Spondesne* », cui ille respondit: « *Spondeo* ». Hinc quae spondebatur, *sponsa;* cui spondebatur, *sponsus;* qui spondebat *sponsor;* dies, quo spondebatur, *sponsalis;* totus vero actus sive contractus promissorius *sponsalia* appellabatur. Praeter hanc appellationem aliae in fontibus et praxi iuris praecedentis occurrunt, velut *desponsatio*[2], *fides pactionis*[3] vel fides, *spes nuptiarum* vel matrimonii vel vota[4], praeambulum sive praevia dispositio matrimonii[5], sacramentalia matrimonii[6]. Quibus nominibus apud graecos aequivalet μνηστεία[7]. Quae si benedictione sacerdotali confirmatur, dicitur μνηστεία ἐντελής, cui opponitur μνηστεία ἀτελής i. e. contractus sponsalitius privatim et sine benedictione initus.

II. Sponsalia, quamvis etiam significaverint *arrham* sive *munera* sponsae a sponso data[8] ipsumque matrimonium ratum — sponsalia de praesenti —[9], tamen usu loquendi iamdiu in fontibus iuris vitaeque consuetudine retento, ordinarie et sensu proprio sunt: « *Mentio et repromissio futurarum nuptiarum* »[10] sive mutua promissio futurarum nuptiarum. Quae definitio iuris Romani probata in responso *Nicolai M.* ad cons. bulgarorum (a. 866) — ubi, c. 3, haec leguntur verba: « *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissa foedera* »[11] — enucleatius ita proponi potest: *Sponsalia sunt promissio vera, mutua utrinque acceptata futuri matrimonii deliberate atque libere facta signoque sensibili expressa inter personas determinatas et de iure habiles.* Quare sponsalia sunt in *genere contractuum promissionum stricte bilateralium*[12]; nihil tamen vetat quominus de matrimonio

---

[2] Lib IV, tit. 2, de desponsatione impub.

[3] Cfr. c. 51, (Psd.-Aug.) C. XXVII, q. 2; cap. 1, X, de sponsa duor. IV, 4; cap. 15, X, de sponsal. IV, 1.

[4] L. 6, D. l. c.; cap. 5, X, de spons. IV, 1.

[5] *Pirhing*, IV, 1, n. 1.

[6] *S. Thomas*, in IV lib. sent. dist. 27, q. 2, artic. 1 ad 6; *Sánchez*, l. I, disp. 1, n. 8; *Rosset*, n. 823, 824.

[7] *Papp-Szilàgyi*, Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis catholicae, 414; *Zhishman*, 137 sq., 145 sq., 384 sq., 603 sq. Cfr. quoque Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 162 sq.

[8] L. 3, C. de sponsal.

[9] Cfr. summar. cap. 22, 31, X, h. t. cap. 13, X. de praesumpt. II 23; Freisen, 179 sq., sepositis iis quae huc non spectant.

[10] L. 1, D. de sponsal., ubi *Mommsen*, non « *mentio* » sed « *conventio* » legendum esse putat. Cfr. *Sánchez*, l. I, disp. 1, n. 7 sq.; *Pirhing*, n. 1; *Gasparri*, I, n. 52; *Hollweck*, D. Civileher. d. b. G., 86 sq.; *Friedberg*, Recht der Eheschl., 206 sq.

[11] Cfr. c. 3, C. XXX. q. 5.

[12] Instr. S. C. de Prop. F. (a. 1883), n. 34; *Zallinger*, h. t. § 8; *Gasparri*,

ineundo promissio *unilateralis*, carens vi contractus, intercedat (c. 1017 § 1).

78. Divisio. Sponsalia dividuntur: I. In *sollemnia*, quae celebrantur adhibita forma ad valorem actus requisita, et *non sollemnia* cum illa forma non fuit servata[13]. — II. In *publica*, quae aut sollemniter coram magistratu publico, v. g. coram notario vel parocho in facie Ecclesiae ineuntur[14], aut ob testium praesentiam aliave ratione ita manifesta sunt ut de iis in foro externo certo constare possit, et in *occulta* vel *clandestina*, quae ita secreto fiunt, ut in foro externo certo probari non possint, quamvis usque ad ius per decretum *Ne temere* inductum valida fuerint atque coram Deo in foro conscientiae habuerint effectus validorum sponsalium. — III. In *absoluta*, quorum valor actualis nec condicione de futuro suspenditur nec apposita condicione resolutiva minus firmus est, atque in *condicionata*, quae ob dependentiam a condicione de futuro actualem valorem non ilico acquirunt aut propter condicionem resolutivam adiectam minus firma existunt. — IV. In sponsalia *cum die* et *sine die* (cfr. cap. 16, X, IV, I). — V. In *nuda* vel *simplicia*, quae solo contractu mutuae promissionis perficiuntur, et in *firmata*, si promissioni sponsalitiae accedant arrhae vel iuramenta vel modi aliaeque stipulationes. Cfr. *Hostiens.*, Summa, h. t. n. 4[15].

I, n. 51 sq; *Ballerini-Palmieri*, Op. theol. mor. IV, n. 2 sq.; *Lugo*, De iust. et iure disp. 23, n. 1 sq.; *Rosset*, n. 825 sq.

[13] Vox *sollemnis* applicata contractui nonnunquam opponitur contractui *privato;* quo sensu sollemnis est qui fit cum interventu publicae auctoritatis; qui interventus ubi deficit, contractus manet in condicione contractus privati. Cfr. *Waffelaert*, De iustit. I, n. 339 ,388.

[14] Quare sponsalia *sollemnia* sunt eminenti quadam ratione *publica;* sed publicitas, praeterquam ex forma ad valorem actus praescripta, potest provenire ex aliis quibusvis circumstantiis, quibus facta iuridice probari possunt. Nec sunt confundendae formalitates ad valorem actus requisitae cum formis praescriptis ad actus probationem vel cum iis quae afficiunt ipsum actus instrumentum.

[15] Divisio sponsalium in sponsalia de praesenti et in sponsalia de futuro quae iure Decretalium obtinebat, non est vere logica partitio sponsalium proprie dictorum in duas *species coordinatas* et sub *eadem notione generica* comprehensas; cfr. *Schmalzgr.*, n. 3, 4; *Scherer*, § 112, II. Quae distinctio sponsalium, quantum hucusque ex documentis erui potest, prima vice adhibetur ab Hug. a S. Victore († a. 1141). Quare *Freisen*, 179 sq., *Petrum Lombardum* huius distinctionis primum inventorem fuisse falso existimavit. Cfr. *Sehling*, l. c., 60 sq. Postquam eadem vel similis distinctio a glossatoribus saeculi XII adoptata fuit, v. g. a *Bernard. Pap.*, l. c. 131, 145, 299, etiam saltem quoad *rem* in Decretales RR. Pontificum et in Corpus iuris canonici transiit (cfr. cap. 3, X, de coniug. lepr. IV, 8; cap. 31, X, h. t.) licet praesertim ex tempore Concilii Tridentini antiqua

79. Scholion. Codex, praeter sponsalia quae sunt *mutua* promissio, considerat etiam promissionem *unilateralem* futuri matrimonii (c. 1017 § 1), cuius specialis ratio non habebatur in iure praecedente. Ex peculiari natura matrimonii istae promissiones unilaterales, ut communiter fiunt, non solent habere rationem contractus gratuiti promissionis, quo promittens vere intendat suam fidem stricte obligare ac multo minus in promissarium transferre verum ius; sed plerumque solum intenditur enuntiatio firmi propositi, facile quidem transformandi in verum contractum sponsalitium, si altera pars repromittat. At etiam in casu in quo promittens vere intendat suam fidem stricte obligare, iure Codicis promissio omni caret valore, nisi fiat servata forma pro veris sponsalibus praescripta, nec ea servata promissario competit actio ad exigendum matrimonium. At quisnam promissarius se subiciet, nisi forte per iocum, sollemni formae, si non intendat cum promittente matrimonium inire et uti iure ex promissione adquirendo?

80. Notae historicae. Cum magna sit ex natura rei convenientia sponsalium, historiae documenta nobis produnt illa, saltem aliqua ratione, populorum moribus fuisse recepta, v. g. apud hebraeos [16], graecos [17], romanos [18] et germanos [19]. Hinc facile intelligitur cur primi quoque christiani morem contrahendi sponsalia retinuerint eaque abiectis superstitionibus ethnicis sanctificarint sacris Ecclesiae ritibus. Quibus in sponsalibus celebrandis honestas leges et consuetudines patrias secuti sunt, v. g. quoad *aetatem* [20], *tempus, testes* [21], *tabulas nuptiales* [22], neque a moribus christianorum aliena fuerunt *traditio arrhae* et *annuli, coniunctio* utriusque dexterae, *osculum* etc. [23].

terminologia et divisio *matrimonii et sponsalium* denuo fuerit fere exclusive recepta. Cfr. *Scherer*, § 112, p. 170, not. 27 sq.

[16] Deuter. XXII, 24; *Patrizi*, De prima Angeli ad Ios. Mariae sponsum legatione commentatio, cap 1; *Flunk*, in Act. theol. Oenip., XII, 656 sq.; *Schegg*, Bibl. archaelog., 635 sq. Cfr. de praxi hebraeorum celebrandi sponsalia saeculo XVIII, descripta a Bened. XIV, Const. *Postremo*, 28 februar. 1747, §§ 62 sq.

[17] *Zhishman*, 137; Arch. f. k. K. LXIV, 239.

[18] L. 16, C. de donat. V, 3; *Walter*, Gesch. d. roem. R. n. 520. — Solebant celebrari in Foro, coram testibus qui dicebantur sponsores, quorum loco postea introductus est usus tabularum sponsalium; porro tradebatur annulus cum arrhis et etiam osculum.

[19] *Walter*, Deutsche Rechtgs. n. 482; *Habicht*, Altdeutsche Verloeb.; *Scherer*, § 110, II, not. 13, 14, VIII, § 113, I.

[20] Const. Apost. lib. IV, cap. II, apud *Card. Pitra*, Iur. eccles. graecor. hist. et mon. I, 254.

[21] *S. Ambros.*, De lapsu virg. consecr. cap. 5 (*Migne*, P. L. XVI, 372).

[22] *Tertull.*, De virginib. vel. cap. 12 (*Migne*, P. L. II, 906).

Quodsi promissio data sancta fuit primis christianis, cum memores essent verbi Domini: « *Sit autem sermo vester est, est, non, non* » (Matth. V, 37), sane haec promissio de matrimonio religiose ab ipsis fuit servanda. Quod profecto elucet ex Concil. Illiberit. (a. 300-303) c. 54, atque ex Concil. Ancyrano (a. 314) c. 11 et ex epist. S. Basilii ad Amphiloch. c. 22 [24]. Praeterea cum fideles illa aetate magni facerent consilium Episcopi, iam pronum est concludere intentionem contrahendi matrimonium ab ipsis cum Episcopo fuisse communicatam [25]. Id revera testatur S. Ignatius Martyr [26], atque testimonio quoque Tertulliani [27] comprobatur sponsalia ab Episcopo cum presbyterio fuisse examinata. Quibus testibus accedit S. Augustinus asserens [28] pacta nuptialia tabulasque matrimoniales publice in Ecclesia lecta fuisse. Vestigia quaedam non desunt de *benedictione sacerdotali* qua sanctificarentur sponsalia [29].

81. Quae principia de sponsalibus toto medio aevo non fuerunt mutata, sed potius iure communi vel particulari denuo inculcata et accuratius definita. Hinc saepe reprobatur ab Ecclesia *violatio* fidei sponsalitiae [30], atque adeo paulatim *impedimentum dirimens* constitutum est, si cum consanguineis alterius sponsi

[23] *Tertull.*, l. c. cap. 11, (*Migne*, l. c. 905); *Kraus*, Real-Encykl. d. chr. Alter. v. Eheschliessung; « Diction. d'Archéol. chrét. » V, col. 1473 sq., De usibus popularibus medii aevi cfr. *Pertile*, « Storia del diritto italiano », III, 92 sq.; *Colin*, « Des fiançailles », 134 sq.

[24] *Pitra*, l. c., 589.

[25] *Casalius*, De ritib. veter. christ., 156.

[26] Epist. ad Polycarp. cap. 5 (ed. *Hefele-Funk*, 251).

[27] De monogamia cap. 11, (*Migne*, l. c. II, 943).

[28] Serm. 51, de concord. Evang. cap. 13 (*Migne*, l. c. XXXVIII, 345).

[29] Siricius in epist. ad Hymer. cap. 4 = c. 50, C. XXVII, q. 2; c. 10, Conc. Patav. (a. 850). At quamvis non videatur esse plene indubium, ut ait *Freisen*, 129 sq., qui simpliciter negat in Ecclesia antiqua sponsalia fuisse *benedicta*, tamen certe huiusmodi praxis non fuit ubique vel saltem communiter recepta, immo etiam nunc in *Rituali Romano* propria quaedam benedictio sponsalium non reperitur, nec Romae et in Italia est in usu. Cfr. *Scherer*, 120, not. 12; *Schnitzer*, 149 sq., 156, not. 3; *Leitner*, 514. In Ecclesia vero Orientali disciplina celebrandi sponsalia cum ritibus et precibus ecclesiasticis et benedictione sacerdotali multo frequentior fuit ipsisque parochis nunc iniungitur ut proprios habeant *libros sponsalium*. Cfr. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 160, 280; Synod. Sciarfens. (a. 1888), 162; *Zhishman*, 152 sq.

[30] Concil. Turon, (a. 1236) c. 8; Synod. Aquisgran. (a. 789), cap. 51; Concil. Trullan. (a. 692), c. 98 (cum poena adulterii!); *Sehling*, l. c. p. 35, not. 4; *Zhishman*, 142.

vel sponsae matrimonium attentaretur [31]. Quod impedimentum ex iure antiquo Decretalium, usque ad quartum gradum extensum, vel ex ipsis sponsalibus invalidis ortum est, dummodo haec non fuerint nulla *ex defectu consensus* [32]. Cum sponsalia clandestina non levia inducerent damna, variis modis Ecclesia illa impedire studuit [33]; at toto medio aevo nunquam eo progressa est, ut certam *sollemnitatis formam* ex iuris communis sanctionibus requireret ad *valorem* sponsalium. Inde vero a Concilio Tridentino [34], pro negotii gravitate, modo in elucubrationibus virorum doctorum [35], modo in ipsa Curia Romana ad instantiam Episcoporum [36], discussa fuit et necessitas et convenientia *sollemnis formae* praescribendae ad *valorem* contractus sponsalitii. At RR. Pontifices constanter ad eam devenerunt conclusionem etiam pro particulari quadam provincia vel dioecesi: *nihil esse innovandum*. Quodsi Episcopi, propria auctoritate confisi, pro celebratione sponsalium sub poena nullitatis vel aliis gravibus sanctionibus, v. g. excommunicationis, praescripserunt specialem formam sollemnitatis, huiusmodi statuta Episcoporum a Sede Apostolica constanter fuerunt reprobata et irrita declarata. Id factum est, et quidem cum singulari rigore, nomine *Pii VII* a Cardinali Consalvi, 16 oct. 1817, contra eiusdem generis decreta per Wessenberg, Administratorem dioecesis Constantiensis, a. 1804 publicata [37]. Ab ista praxi Sedes Apostolica coepit recedere, cum S. C. C. in causa Placentina, 31 ianuar. 1880, declararet [38] *sponsalia*, quae in *Hispania* contrahuntur absque publi-

---

[31] *Freisen*, 497 sq.; *Devoti*, Inst. can. lib. II, tit. 2, § 139.

[32] Cap. unic. h. t. in Sext.

[33] Cfr. cap 5 Synod. Trevir. (a. 1227); c. 3 Synod. Langesiensis (a. 1278); c. 5 Synod. Lambeth. (a. 1330); *Schulte*, l. c., 277 sq., iunct. *Scherer* 121, not. 16. Cfr. quoque *De Smet*, 8, not. 1.

[34] *Feije*, n. 558.

[35] *Ferd. de Mendoza* (a. 1594); *Rosset*, 866 sq.

[36] Archiepiscopi Bracarensis precibus S. C. C., 16 ian. 1715, non annuit; Archiepiscopo Coloniensi *Benedictus XIV*, 19 iul. 1755, negativum dedit responsum; Episcopus Lausanensis, a. 1789, in cuius causae disceptatione *Cardinalis Gerdil* votum conscripsit, non fuit fortunatior — cfr. *Feije*, l. c. — nec Archiepiscopus Quebec. in rescripto accepto a S. Offic., 11 aug. 1852; aliorum *Episcoporum* petitioni ad Cardinal. Paenitent. Maior. datae 24 nov. 1865, ex audientia SS.mi responsum est: *Nihil esse innovandum*. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XII, cap. 5, n. 1; *De Angelis*, l. c. h. t. n. 3; postulata quorund. Episcop. Italiae apud *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatican., 189 sq.

[37] Alia exempla reperiuntur in resp. S. C. C., 27 iul. 1863, 8 iulii 1865, 23 mart. 1878, in ASS. I, 528 sq., XI, 227 sq. et in c. Anconit. in *Anal. eccl.*, VI, 189 sq.

[38] ASS. XIII, 185 sq.; *De Angelis*, h. t. n. 3. — In Hispania per *Ca-*

ca scriptura i. e. coram *notario*, non coram parocho vel alio quacumque magistratu confecta, invalida esse et hanc suppleri non posse per instrumentum in Curia dioecesana confectum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium. Quae disciplina hispanica a *Leone XIII*, 1 ian. 1900, extensa fuit ad universam Americam latinam [39].

Dispositio particularis pro Hispania et America latina data viam stravit formae scriptae ubique praescribendae sollemnium ac saltem publicorum sponsalium. Quae lex universalis lata est a *Pio X* per decretum S. C. Conc. « *Ne temere* » d. d. 2 aug. 1907. Quae disciplina firmata fuit in Codice adiuncta denegatione actionis ad petendam celebrationem matrimonii per contractum sponsalitium promissi.

Art. 1 — De necessitate atque convenientia sponsalium

82. Sponsalium ante celebrationem matrimonii ineundorum *necessitas* ex *natura rei* non existit. Nihil enim obstat quominus solummodo *propositum* contrahendi matrimonii aut *punctatio* sive tractatio praevia, quae vim sponsalium minime habent, immo nulla specialis praeparatio, v. g. in concubinario moribundo, celebrationem matrimonii praecedant. Ex *iure* quoque *communi* [40] huiusmodi necessitas nunquam extitit; quin immo in iure Decretalium cap. 9, 22, 31, X, h. t. potius supponebatur etiam sine praeviis sponsalibus matrimonium licite et valide ce-

---

roli IV ordinationem pragmaticam, 28 apr. 1804, fuit statutum ea tantum valitura sponsalia, quae per *publicam scripturam* contracta fuissent. Quae lex, etsi disciplinae ecclesiasticae parum consona et, utpote ab incompetente potestate lata, plane *irrita*, in praxi fuit admissa et inde in foro ecclesiastico vim iuris consuetudinarii obtinuit. Quibus fere verbis Concil. prov. Vallisoletan. (a. 1887) 145, bene rem explicat. Cfr. quoque decis. S. C. C. in c. Compostellana, 11 apr. 1891, qua declaravit consuetudinem Hispaniae in c. Placentina approbatam, etiam post immutationes iuris civilis in novo codice (a. 1889) factas, suam vim retinere. De antiquiore praeformatione illius iuris in Hispania, cfr. *Ferreres*, n. 413 sq.

[39] Cfr. *Anal. eccl.*, VIII, 167 sq. ad 5; Act. et Decr. Conc. Plen. Americ. lat., n. 592 cum nota.

[40] Ad summum *iure particulari* in nonnullis Synodis dioecesanis vel Conciliis provincialibus ante Concilium Tridentinum celebratis aliqua ratione cautum fuerat, ne matrimonia sine praeviis sponsalibus contraherentur. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 161, ubi ad *licitam* matrimonii celebrationem requiruntur praevia sponsalia, quae saltem per unam hebdomadam praecedant matrimonium.

lebrari. Nec per decretum «*Ne temere*» obligatio proprie dicta praemittendi matrimoniali contractui sponsalia est imposita. Dubium autem non est quin necessitas formae publicae, ut sponsalia coram Ecclesia valerent, multum conferre posset ad morem universalem praemittendi sponsalia firmandum. Quare *Card. Soglia*, Inst. iur. priv. eccl. § 134, *debitum* quoddam nuptiis praemittendi sponsalia nimis suo tempore urgere visus est.

Decens vero atque *conveniens* est sponsalium contractus ante matrimonii celebrationem. Etenim ita sponsi opportunitatem nanciscuntur *mores suos* atque *indolem* explorandi. Nam cum de matrimonio ineundo agatur, quod inducit vinculum *perpetuum* et *indissolubile*, summa circumspectione maturaque deliberatione opus est, ne, si qui dispares sunt moribus sibi in perpetuum coniungantur, matrimonia infelices sortiantur exitus. Cfr. cc. 1, 3, C. XXX, q. 5. Porro nuptiarum celebrationi praeparationes quaedam praeeant necesse est, et ne dilatio inde oritura *incertam* reddat *spem matrimonii* futuri, apte *fides sponsalitia* interponitur Cfr. quoque c. 39, C. XXVII, q. 2. Praeterea cum sponsalia ineuntur, facilis habetur occasio ut interveniat *consensus parentum* vel eorum, qui auctoritatem in sponsos habent. Qui consensus, etsi saltem ad valorem non necessarius, tamen summopere est utilis, atque sponsalia clandestina aut tractatus inconsulti offendere solent parentes. Cfr. cit. cc. 1, 3, C. XXX, q. 5. Denique publice celebratis sponsalibus iusto quodam tempore ante matrimonium, facilius deteguntur *impedimenta*, quae forte matrimonio contrahendo obstant. (Cfr. *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 10; *Rosset*, n. 822; cap. 3, pr. X, de cland. despons. IV, 3; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr.; Conc. prov. Col. (a. 1860) in Collect. Lac. V, col. 352).

Art. 2 — De personis habilibus ad contrahenda sponsalia

83. Cum Codex nihil expresse statuat de contractu sponsalitio, cuius non meminit, nisi ut definitiva ratione aboleat sponsalia privata et ut etiam sponsalibus publicis et sollemnibus actionem deneget ad exigendum matrimonium promissum, speciales quaestiones de personis habilibus non amplius habent locum, sed sponsalibus applicanda sunt generalia principia de contractibus et specialia de promissione, quae hic in particulari non sunt proponenda.

84. Cum ex una parte promissio rei impossibilis aut illicitae ex ipso iure naturali sit nulla et irrita, ex alia autem parte impedimenta matrimonialia, reddentia matrimonium aut impossibile aut illicitum, possint et quoad plura soleant dispensari, specialis occurrit quaestio de sponsalibus initis a personis quae *impedimento dirimente* vel *impediente* sunt ligatae, si contrahentes apposuerint condicionem: «*si R. Pontifex dispensaverit*».

Quae condicio, cum tota sit posita quoad verificationem in potestate Superioris ecclesiastici, specialem meretur considerationem.

Atque in hac quaestione, si impedimentum sit tale ut Rom. Pontifex in eo dispensare *possit* et *soleat*, sufficientesque adsint dispensandi *causae*, et sponsalia ineantur sub expressa vel tacita *condicione*: «*si R. Pontifex dispensaverit*», controversia est inter doctores de valore istorum sponsalium, generali decreto nondum dirempta. Si solum *rei natura* attendatur, praeferenda esset ea sententia quae defendit promissionem illam condicionatam futuri matrimonii, *absque consensus renovatione*, validam *evadere posse*[41] promissionem stricte sponsalitiam, *quamprimum condicio* apposita perfecte sit verificata, i. e. post obtentam et fulminatam et acceptatam dispensationem[42]. Nam illa sponsalia sunt verus contractus sponsalitius cum *condicione* in se honesta et possibili. Iam vero contractus condicionatus *ex natura rei* valet, quamprimum condicio est verificata, neque ulla requiritur consensus renovatio; idem igitur per se valet de allegato contractu sponsalitio. Nec iuvat dicere sponsos esse *certo* inhabiles atque *privata* auctoritate non posse habiles se efficere. Etenim qui ita sponsalia contrahunt, si matrimonium promittunt *pro illo tempore*, in quo per dispensationem obtentam facti sunt habiles, neque pro tempore inhabilitatis nec privato arbitrio usurpant habilitatem, sed eam a *publica auctoritate* Ecclesiae legitime impetrare student. Aliae rationes internae a nonnullis allegatae non probant condiciones adiectas esse *inhonestas* vel *impossibiles*, sed ad summum Ecclesiam *posse* augere rigorem iuris. Nam quamvis Ecclesia hac in re nihil statuere possit *contra naturam rei*, tamen *ultra* ea quae ex natura rei requiruntur, valet alias exigere condiciones, v. g. suos fideles absolute consti-

---

[41] *Ante* impletam *condicionem* ex omnium sententia vera validaque sponsalia nondum habentur. Cfr. *Lehmkuhl*, l. c. II, n. 660; *Gasparri*, I, n. 82 sq.

[42] Ita *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 96 sq.; *De Angelis*, l. c. lib. IV ,tit. 5, de condic. appos. n. 4; *Gasparri*, l. c. n. 84; aliique praesertim *Reiffenstuel*, lib. IV, tit. 5, n. 25 sq.; *Schmalzgr.*, eod. tit. n. 78 sq.; *Pirhing*, eod. tit. n. 26; *Sánchez*, lib. V, disp. 5, n. 2 sq.; *Rosset*, n. 831 sq. Quorum auctorum sententiam *Scherer*, § 110, not. 61, ex rationibus *intrinsecis* parum efficaciter impugnat.

tuere inhabiles ad huiusmodi sponsalia condicionata ineunda, vel dispensationi a se concessae eam apponere condicionem, quod sponsi post executionem dispensationis *plena libertate denuo* in sponsalia consentiant. Hinc liquet illis solis argumentis, *ex natura rei* petitis, hanc controversiam non posse definiri atque ius quoque *positivum* omnino esse consulendum.

Praeterea ex natura rei, ut alio modo eadem res explicari potest, huiusmodi promissio sponsorum *valeret* in ratione *contractus* simpliciter, non autem in ratione *contractus* sponsalitii. Quare utraque pars *stricta obligatione* [43] ligaretur et teneretur praestare necessaria ad dispensationem obstinendam et interim expectare eventum. Qua ex doctrina consequeretur sponsalia, pendente supplicatione cum *tertia* persona contracta, esse *invalida* cum sint promissio de re *illicita* et *iniusta*, quae non obligat. Cfr. *Rosset*, n. 831. Quodsi Ecclesia *de facto ea tantum condicione daret dispensationem, ut plena libertate post obtentam* dispensationem renovaretur consensus, atque *antea* partes *libere* possent transire ad *alia* sponsalia, profecto illa *stricta obligatio* petendi dispensationem et expectandi eventum non existeret, quia conciliari omnino non posset cum *plena libertate* transeundi ad alia legitima validaque sponsalia.

Si attendantur verba S. C. in nota allegata: « *etsi non sit secundum honestatem promissis deficere* », profecto aliqua *aequitas* et *decentia* petendi dispensationem et expectandi eventum non videtur esse neganda, sed *stricta obligatio iuridica* inde colligi nequit; secus S. C. secum pugnaret, quoniam *ante* dispensationem permittit *liberum* transitum ad *alia* sponsalia. Cfr. S. C. de Prop. F., 18 august. 1816, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 205 « *decere ex caritate* »; Gloss. ad cap. 1, X, de desp. imp. IV, 2 « *de debito honestatis, non necessitatis* »; *Rosset*, n. 836. Quare

---

[43] Absolute nullitatem illorum sponsalium condicionatorum affirmant, ita ut nulla omnino oriatur obligatio ne petendi quidem dispensationem et expectandi eventum: *Feije*, n. 394, aliique non pauci, velut *Card. De Luca*, Theatr. verit. et iust. in discursu 7 de matrim.; *Zallinger*, lib. IV, tit. 5 de cond. app. § 89; *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. II, sect. 122; *Van de Burgt*, de matrimon., 312 sq., 331; *Aichner*, § 159; ASS. I, 121. Cui sententiae non solum contradicunt patroni primae sententiae, sed etiam verba S. C. allegata a *Giovine*, I, 306, videntur creare difficultatem. Etenim illa S. C. (*quae* fuerit a *Giovine* non dicitur), 2 octob. 1857, respondit: « *Decernit talia sponsalia nulla esse omnino* — at sponsalia illa condicionata non possent vocari: « *Omnino nulla* », si vera esset sententia prima — *etsi agitur de consanguinea violata, cui etiam sit facta promissio dispensationis obtinendae, et ideo obtenta dispensatione necessarium esse novum consensum, et interim utrique contrahenti liberum esse alia inire sponsalia, etsi non sit* secundum honestatem promissis *deficere* ».

serio ponderatis verbis S. C. in causa modo citata et argumentis in disceptatione complurium causarum prolatis (cfr. ASS. I, 78, 79, 80, 121) sententia illorum doctorum [44] bene est fundata, quae tenet *de facto* et *ordinarie* Ecclesiam sua dispensatione ad valide ineunda huiusmodi *sponsalia* tantum *ea condicione* habilitare partes contrahentes, si obtenta dispensatione *libere novus consensus* ponatur, ut fit regulariter in causis analogis convalidationis matrimoniorum. Cfr. quoque *Van de Burgt*, De dispensat. matrim., 205 sq.

Art. 3 — De consensu, obiecto et forma contractus sponsalitii

85. Consensus. Ut sponsalia valida oriantur, praeter personas habiles requiritur *vera promissio futuri matrimonii ex iustitia obligans* [45], non merum *propositum* vel desiderium celebrandi nuptias vel simplex tractatus hac super re habitus.

In praxi multarum regionum sponsalia ita celebrantur, ut quantacumque demum sit eorum sollemnitas, sive profana sive forte etiam religiosa, qui ea celebrant non intendant se graviter obligare ad matrimonii celebrationem saltem absolute, licet in communi persuasione incongruum, aequitati contrarium et minus honestum reputetur a promisso matrimonio recedere sine serio ac rationabili motivo. Atque hac praxi, quam legislatio civilis, sponsalitiam obligationem frequenter non admittens, reddit in dies frequentiorem, evidenter verus contractus sponsalitius non celebratur, licet externa ipsius forma servetur, sed potius datur manifestatio propositi cum tractatu de matrimonio contrahendo, in quo elementa essentialia contractus sponsalitii non sunt requirenda [46].

At ubi fit contractus verus inter ipsos sponsos, elementa essentialia consensus sive ex parte intellectus sive ex parte volun-

---

[44] *Giovine*, I, 306, 531; *Lehmkuhl*, Theolog. moral. II, n. 660; *Schnitzer*, 90 sq.; *Santi*, lib. IV, tit. 5, de cond. n. 32 sq., qui ceteroquin argumentis non semper concludentibus utitur. Quodsi *Gasparri*, l. c. n. 104, argumento ex allegata declaratione 2 oct. 1857 petito tantum respondet nos latere dubium, cui S. C. responderit, sane responsum ipsum S. C. videtur in se adeo clarum, ut, si eius authentia non infirmetur, interpretatione ex dubio proposito non indigeat. Cfr. quoque *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 508, not. 26.

[45] *Lugo*, De iust. et iure disp. 23; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 6 sq.; *Schnitzer*, p. 87 sq.

[46] Cfr. *Lugo*, De iust. et iure, disp. 23, n. 1 sq. de discrimine inter propositum et promissionem.

tatis perinde requiruntur atque in ceteris contractibus; quae elementa rigorosius exigenda sunt in sponsalibus quam in contractibus de re oeconomica initis, ita ut maiore cum libertate et spontaneitate iniri debeant, cum agatur de contrahenda obligatione ad vinculum personale perpetuum et indissolubile, per quod non tam duo corpora quam duae animae copulari debent in societatem familiarem, quae nequit apte conciliari sine mutua coniugum dilectione.

Quare nihil mirum si: 1°) Ex parte intellectus, praeter errorem qui ad normam cc. 103 et 104 alios contractus reddit aut nullos aut rescindibiles, etiam error *accidentalis*, si vere sit notabilis et causam dederit contractui sponsalitio, parti in errorem inductae det ius recedendi a contractu, et idem a fortiori dicetur de promissione unilaterali; quod tamen non est extendendum ad errorem mere concomitantem aut circa res plane exiguas [47].

2°) Ex parte voluntatis, praeter metum, qui aut nullos aut rescindibiles reddit ceteros contractus ex praescripto c. 103, etiam metus *levis* iniuste incussus, si unica causa fuit ineundi sponsalia, parti metum passae tribuit ius resiliendi [48].

Quae duae causae sufficiunt, ut privata auctoritate legitime fiat rescissio, nec est necessarium ut ea imploretur a iudice, quemadmodum iure Codicis valet pro omnibus causis legitimae rescissionis.

Libertati personali promissionis sponsalitiae non praeiudicatur, si sponsalia per *procuratorem* ineuntur, dummodo procurator mandatum ad hoc habuerit *speciale* quoad *determinatam* personam, et *personaliter*, non per alium a se substitutum, mandatum exsecutus sit, nisi huiusmodi substitutio ipsi specialiter fuerit concessa, et antequam sponsalia contraxerit, a domino non fuerit revocatum mandatum, licet tam ipse quam ea pars, quacum contraxit, revocationem penitus ignoraverint [49].

86. Obiectum. Ex parte *obiecti* promissio sponsalitia fiat necesse est de *futuro matrimonio valide et licite* contrahendo cum *determinata in individuo persona;* sunt enim sponsalia via quaedam et incohatio matrimonii, quod non nisi cum *una* eaque *cer-*

[47] S. C. C. in caus. Tarentina 3 oct. 1705 in ed. *Richt.* Conc. Trid. 222, n. 17; *Gasparri*, l. c. n. 67.

[48] *S. Alphonsus*, l. c.; *Van de Burgt*, l. c., 304; *Rosset*, n. 845 sq. At *Ballerini*, l. c. cum aliis (cfr. *Rosset*, n. 846) ex iure naturae haec quoque sponsalia ipso facto invalida esse putat, sed obligationem *nullam* ab obligatione *vera*, at ex iusta causa *rescindibili*, non satis distinguit frustraque provocat ad *Lugo*. Cfr. *Lugo*, De iustit. et iure disp. 22, n. 70, 74, 75, 81, 135 sq. *Rosset*, n. 1274 sq.

[49] Cfr. cap. 9 de procur. I, 19, in Sext.

ta et *determinata* persona iniri potest. Quae promissio de tali obiecto non constituet vera sponsalia, nisi sit *mutua* et *utrimque acceptata.* Qua de re multae quaestiones antiquiores sunt nunc superfluae, cum omnes promissiones matrimonii sint nullae, nisi fuerint factae per determinatam scripturam, ex qua eruendum erit utrum habeant necne condiciones requisitas.

87. Sponsalium forma iuridica. Ex parte *formae externae* promissio matrimonii, si natura rei spectetur, sufficit ut vera, deliberata, libera et personalis voluntas quolibet signo externo apto et certo — i. e. verbis, scriptura aliove signo — manifestetur.

Abrogatis autem iam per Decretum *Ne temere* sponsalibus privatis seu sine iuris sollemnitate initis, sola sponsalia *publica* eaque scripta forma, inita fuerunt admissa. Quod ius in Codice fuit firmatum can. 1017; ex quo novo iure abrogati manent omnes casus sponsalium a iure praesumptorum.

88. Quae forma legitima consistit in hoc quod sponsalia ineantur per scripturam subsignatam a partibus et *vel* a parocho locive Ordinario *vel* a duobus testibus. Quodsi utraque vel alterutra pars scribere *nesciat* aut *nequeat,* ad validitatem id in ipsa scriptura est adnotandum et alius testis est addendus, qui cum parocho vel loci Ordinario vel duobus testibus scripturam subsignet. Promissio matrimonii etiam unilateralis aliter facta est irrita pro utroque foro.

89. I. Scriptura ut sit legitime facta, licet non necessario debeat esse a partibus confecta et possit adhiberi formula typis impressa, debet ad valorem habere appositam datam seu indicationem diei, mensis et anni [50] et esse subsignata, non instrumento aut machina adhibita [51], sed propria manu secundum modum, quo ex communi usu et aestimatione hominum accipitur subsignatio, quae pro scriptura sit signum authenticitatis.

II. Porro triplex modus subsignationis liberae partium electioni est permissus: subsignatio a partibus una cum parocho, subsignatio a partibus una cum loci Ordinario, subsignatio a partibus una cum duobus testibus facta.

Loci Ordinarius est quicumque dioecesim vel territorium aequiparatum regit eiusque Vicarius Generalis (c. 198). Parochi vero nomine hic venit non solum is, cui paroecia collata est in titulum, sed etiam quasi-parochus in terris missionum et vicarius paroecialis plena potestate praeditus. Quare comprehenduntur:

[50] S. C. C. 27 iul. 1908 ad II in ASS. XLI, 510. Indicatio *loci* non videtur pertinere ad valorem. *Cappello*, I, n. 89; *Vlaming*, I, n. 94.

[51] *Cappello*, I, n. 90.

1°) *Vicarius curatus* (c. 471 §§ 1 et 4); 2°) *vicarius oeconomus* paroeciae vacantis; 3°) *vicarius substitutus*, qui *in omnibus* locum tenet parochi ultra hebdomadam absentis, si ab Ordinario probatus sit (c. 474), et in casu urgenti etiam sine Ordinarii approbatione deputatus (Comm. Cod. 13 mart. 1922, II), non alii sacerdotes qui parochum supplent in breviore absentia; 4°) ille quoque *vicarius substitutus*, qui ab Ordinario constituitur ut vices teneat parochi, beneficio privandi et S. Sedem adeuntis, nisi Ordinarius rem matrimonialem exceperit (c. 475 § 1, 1923 § 2); 5° *vicarius cooperator*, primus aut munere antiquior, aut *parochus vicinior* vel *domus Superior*, qui ad normam c. 472, 2° regimen paroeciae assumit ante oeconomi constitutionem; 6°) quoad *vicarium adiutorem* c. 475 § 2, videndum erit primo an parochum suppleat *in omnibus* aut solum *ex parte;* in primo casu competens est, in altero eius competentia videtur esse exclusa.

Hi omnes sunt testes autorizabiles, at dumtaxat intra fines sui territorii ibique respectu quorumlibet fidelium etiam non subditorum[52]; sed hocce munus alteri delegare non possunt[53]. Munere auctoritative subsignandi valide fungi non possunt ante adeptam canonicam possessionem nec postquam per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam fuerint suspensi ab officio[54].

Loco testis autorizabilis adhiberi possunt duo testes *ordinarii*, in quibus cum nullae qualitates speciales requirantur, possunt assumi quicumque ex iure naturae sint apti, i. e. qui de facti existentia testari valeant[55] sive mares sive feminae, natu maiores et minores.

Quicumque autem testes adhibeantur, sive ordinarii sive autorizabilis, debent una cum partibus unico contextu scripturam subsignare, nec sufficeret ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remitteretur ad alteram partem, quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscriberet. Pari ratione non sufficeret, si parochus aut testes partium subsignationi, cui fidem faciunt, praesentes non essent et subsignationi antea factae nomen tantum adicerent;

[52] S. C. C. 28 mart. 1908 ad VII, in ASS. XLI, 288.
[53] S. C. C. 28 mart. 1908 ad VI, ibidem.
[54] Cfr. cc. 334, § 2; 461, 2279, § 1, itemque cc. 1472, 2284. At quae dicuntur de *suspenso* non videntur posse applicari *excommunicato* vel *interdicto*, ob solam analogiam desumptam ex c. 1095, quae analogia, attento can. 19, non sufficit. *Chelodi*, n. 17, not. 2; *Cappello*, I, n. 93.
[55] S. C. de d. Sacr. 13 mart. 1910 ad IV, in AAS, II, 193.

haud enim essent testes contractus ex iure per scripturam celebrandi[56].

III. Attento generali principio, constanter iure ecclesiastico ad normam quoque iuris Romani admisso, de generali facultate actus iuridicos per procuratorem, ubi non prohibeatur, ponendi[57], si specialis prohibitio non obstet, etiam sponsalia per procuratorem iniri possunt, servata tamen eadem publica scripturae forma, in qua procurator loco partis nomine procuratorio subscribat[58]. At per epistolam missam, licet coram parocho vel loci Ordinario aut duobus testibus rite subsignatam, valida sponsalia fieri non possunt, cum epistola ex sua natura sit actus unilateralis, cui per epistolam, ab alia parte eadem ratione missam, adiungeretur alius actus unilateralis[59].

IV. Ipsa quoque promissio unilateralis matrimonii omni valore pro utroque foro destituitur, nisi fuerit facta per scripturam a promittente cum parocho vel Ordinario loci aut duobus testibus subsignatam (c. 1017, § 1).

V. Ad praedictam formam sponsalium vel unilateralis promissionis tenentur omnes et soli baptizati ritus latini, non exclusis haereticis et schismaticis, cum exceptio quae c. 1099 § 2 fit de matrimoniis haereticorum inter se quaeque in Decreto *Ne temere* etiam ad sponsalia pertinebat, non amplius commemoretur.

90. Scholion I. A mente Ecclesiae non est alienum quod *benedictione sacerdotali* sponsalia sanctificentur, sed nulla lege universali saltem in Ecclesia latina *obligatio* petendae benedictionis sacerdotalis vel sollemnis formae ecclesiasticae coram parocho et testibus cum ritibus sacris fuit imposita sponsis[60]. Quare ubi viget consuetudo celebrandi sponsalia religiosa — v. g. Romae et in Italia non existit — laudabiliter servari potest; at

[56] S. C. C. 27 iul. 1908, in ASS. XLI, 510.
[57] Cfr. L. 43, § D. de procurator. III, 3, unde constat edictum de procuratore esse prohibitorium.
[58] *Chelodi*, n. 17; *Cappello*, I, n. 96 ubi scite notat condiciones c. 1089 licet convenienter serventur, in rigore tamen iuris non posse probari eas esse necessarias, modo saltem detur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona; *De Smet*, n. 10, not. 2.
[59] *Cappello*, I, n. 96 iunct. S. C. C. 27 iul. 1908 ad I, ubi requiritur ut partes praesentes cum parocho seu Ordinario loci vel testibus subscribant unico contextu.
[60] Synod. prov. Mont. Liban. (a. 1736), Concil. Patriarch. graec. melch. (a. 1835) in Collect. Lac. II, col. 160, 583; Synod. Valachor. (a. 1700) in Collect. Lac. VI, col. 983; Concil. prov. Alba-Iul., Synod. Sciarf. (a. 1888), 162 sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 225 i. f.; *Scherer*, § 110, n. 18, 19; *Rosset*, n. 2918 sq.; *Leitner*, 570 de ritu spons. in Rituali Varm. et Ratisbon.

inconsulta S. Sede *novus* quidam *ritus sacer* in celebrandis sponsalibus ab Episcopo vel parocho introduci nequit.

91. Scholion II. Ius Romanum[61] sancivit principium: *In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur.* A qua norma generatim etiam ius germanorum saltem quoad legitimitatem sive liceitatem sponsalium non fuit alienum. Ecclesia vero catholica, reprobato legis romanae fundamento de consensu parentum exigendo *in nuptiis,* — etenim Synodus Tridentina[62] anathemate damnat eos, qui «*falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse*» — etiam *ad sponsalia* contrahenda parentum consensum nequaquam illo rigore iuris civilis requisivit[63], nec postea adoptavit theorias doctorum in Gallia de eiusdem consensus necessitate. Quare promissio sponsalitia filiorum, etiam *invitis* parentibus facta, est *valida,* si matrimonii celebratio promissa sit pro eo tempore iisque circumstantiis, in quibus vel ipsis parentibus inconsultis, contradicentibus et invitis *licite* fieri possit. Quod si promissio sponsalitia data sit pro eo tempore iisque circumstantiis, in quibus matrimonium non nisi cum peccato ob parentum offensam contrahi potest, quia v. g. iustam et perpetuam habent causam contradicendi, non tantum illicita, sed etiam ipso facto invalida existit. Nam *promissio* ad rem impossibilem vel inhonestam ipso iure irrita est. Quo in casu non fit *rescissio* contractus *validi,* sed *nullitatis declaratio* implorari potest[64]. Quae libertas filiis concessa non excusat a *laesione* reverentiae et pietatis parentibus debitae, si *absque iusta causa* insciis inconsultisque vel invitis parentibus sponsalia ineant. Nam pietas atque reverentia parentibus debita exigit, ut in negotio adeo arduo praevium consilium et consensum parentum petant. Cfr. c. unic., C. XXXI, q. 3, cum dict. Grat.; c. 33, D. 23; Nicol. I, in c. 3, C. XXX,

---

[61] L. 7, § 1 D. de spons. XXIII, 1. *Rud. Köstler,* Die väterliche Ehebewilligung, Stuttgart, 1908: Kirchenrechtliche Abhandlungen h. v. Ulr. Stutz, Heft 51.

[62] Sess. XXIV, cap. I de reform. matr.

[63] Cfr. c. unic., C. XXXI, q. 3 = c. 54, Conc. Illiber. (a. 300-303); c. 2, C. XXVII, q. 2; cap. 23, X, h. t.; *Reiffenstuel,* IV, I, n. 23 sq.; *Scherer,* § 110, p. 128 sq.; *Schnitzer,* 94 sq. Cfr. infra n. 136 sq.

[64] Cfr. S. C. C. 24 ian. 1885 in ASS. XVII, 585, sq., ubi aliae causae recentiores allegantur, in quibus provocationes ob dissensum parentum sunt infelicem exitum nactae coram S. C. C.; *Schmalzgr.,* lib. IV, tit. 2 de desp. impub. n. 81 sq.; *Giovine,* I, 317; *Van de Burgt,* l. c., 315 sq., 338 sq.; *Ballerini-Palmieri,* l. c. n. 92 sq. et praesertim nn. 205 et 206 de sponsalibus valide initis inter personas *disparis condicionis; Aichner,* § 159.

q. 5; *Schmalzgr.,* l. IV, tit. 2, desp. imp. n. 77 sq.; *Rosset,* n. 874 sq.; Instr. Card. Rauscher § 5; S. C. C. in caus. alleg. in ed. *Richt.* C. Tr., 223.

92. Adiuncta sponsalium. I. Sponsalia celebrari possunt *pure* et *absolute* aut *apposita condicione* etiam de futuro contingente, qua *suspenditur* aut *resolvitur* contractus sponsalitius. Nam sponsalia sunt verus contractus rescindibilis atque naturam ceterorum contractuum rescindibilium sequuntur, quibus arbitrio contrahentium condiciones *suspensivae* vel *resolutivae* apponi possunt, nisi aliter sit iure dispositum[65]. Item libera est celebratio sponsalium cum appositione *diei* (cfr. c. 16, X, h. t.) vel *modi* vel *causae* vel *demonstrationis*[66].

II. *Iurata* promissio in sponsalibus non requiritur. At iuramentum tamquam elementum *accessorium* ad confirmandum[67], non extendendum, contractum sponsalium in se iam perfectum addi potest[68]; immo in pactis quibusdam *secundariis,* quae ad sponsalia interdum accedunt, v. g. de educanda prole in religione catholica, per se in rigore iuris addi debet.

III. Omnis pactio *promissoria* de *poena conventionali* persolvenda, si unus ex sponsis a sponsalibus resiliat sive ob *iustam* sive ob *iniustam* causam, non tantum illicita, sed etiam *invalida* est. Quae assertio est certa inter doctores; nam conventio hisce verbis facta extenderetur etiam ad *iustum* recessum et esset contraria aequitati naturali et illi gradui libertatis in contrahendo matrimonio ex iure ecclesiastico indubitanter requisito.

Quodsi conventio de *poena* solvenda restringatur ad partem *iniuste* resilientem, sane *ex natura rei* ipsius liceitati et valori in foro ecclesiastico solida ratio opponi non potest, ut fusius probat *Reiffenstuel,* IV, I, 187 sq. At pariter certum est iure naturali non prohiberi quominus legibus *positivis Ecclesiae* appositio poenae conventionalis in sponsalibus simpliciter interdicatur et irritetur etiam pro casu *iniusti* recessus, ne *libertas* matrimonii *privatis pactis,* non poenis *lege* inflictis, arbitrarie restringatur atque infelix habeatur exitus nuptiarum.

Quae interdictio et irritatio satis communiter censebatur contineri *generali* modo, attento motivo decisionis, in c. 29, X, de

---

[65] Cfr. *Schmalzgr.,* lib. IV, tit. 5 de cond. app. n. 13 sq.; *Feije,* n. 392 sq.; *Rosset,* n. 897 sq.; *Gasparri,* l. c. n. 99 sq.; *Scherer,* § 110, III, not. 27 sq.

[66] *Schmalzgr.,* IV, 5, n. 11, 12 et IV, I, n. 120 sq.; *Gasparri,* I, n. 105 sq.; *Cappello,* I, n. 100.

[67] *Lugo,* De iust. et iure disp. 22, sect. 8.

[68] Cfr. exempla decl. S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr., 220 sq., n. 2, 19.

spons. et matr. IV, 1 et in simili sanctione iuris Romani L. 19, D. de V. O. XLV, 1. Iure Codicis nihil est quod cogat recedere ab illa doctrina [69], sed ea potius firmatur ex hoc quod actio ad exigendum matrimonium denegetur.

IV. *Arrhae* sunt res mobiles vel immobiles ab una parte alteri in contractorum sponsalium *signum* et matrimonii contrahendi *pignus* ea lege *traditae*, ut, si nuptiae fuerint celebratae, repeti possint; qui vero iniuste resiliat id quod dedit amittat, et vicissim quod accepit restituat. Quae arrhae neque ex natura rei neque iure ullo positivo prohibentur. Atque huius diversitatis inter arrham et poenam conventionalem ea est ratio, quod homines in promissionibus *futuro* tempore *implendis* facile sint nimis liberales, in donis autem *statim tradendis* maturiore utantur consilio [70]; unde poena magis quam arrhae libertati, pro matrimonio ineundo requisitae, opponitur.

Art. 4 - De effectibus sponsalium

§. 1 **De effectibus principalibus contractus sponsalitii.**

93. Sponsalia *valida ex natura* rei, i. e. *attenta specie negotii iuridici* in ipsis contenti, et independenter a dispositionibus iuris positivi: I. Producunt gravem *obligationem ex iustitia* in utroque sponso ad *matrimonium promissum* suo tempore vere *contrahendum,* nisi saltem in *uno* ex sponsis legitima superveniat causa recedendi ab sponsalibus. Etenim sponsalia ineuntur sub forma veri contractus bilateralis in materia gravi;

[69] Cfr. L. 134, Dig. de verb. oblig. XLV, 1; L. 19, D. eod. t.; L. 5, Cod. de sponsal.; c. 29, X, IV, I; Instr. Card. Rauscher, § 109; *Sánchez,* l. I. disp. 30 sq.; *S. Raymund.,* Summ. lib. IV, tit. de sponsal. § 3; *Tancred.,* l. c. p. 7; *Van de Burgt,* l. c. p. 345 sq.; *Schulte,* l. c. § 33, not. 46; *Scherer,* l. c. not. 38. — *Schmalzgr.,* vero h. t., n. 138 sq. aliique non pauci, v. g. *Gasparri,* I, n 113, *Ballerini-Palmieri,* l. c. n. 226 sq., *Rosset,* n. 881 sq., existimant promissionem poenae conventionalis, si quis *iniuste* resiliat a sponsalibus, non esse invalidam; at in praxi, ob indubiam probabilitatem contrariae sententiae, in foro nec interno nec externo obligatio subeundi poenam etiam in casu iniusti recessus urgeri potest. Id cum *Schmalzgr.,* etiam concedunt: *Gasparri,* l. c. i. f., *Lehmkuhl,* D. b. Gesetzb. d. d. R., 342, *Rosset,* n. 888.

[70] Cfr. L. 3, 5, Cod. de Sponsal.; c. 3 (Nicol. I, a. 886), C. XXX, q. 5; *Gasparri,* I, n. 108 sq.; *Scherer,* § 110 III, 6, not. 39 sq.; *Sánchez,* lib. I, disp. 35, 36, 37, 38; *Ballerini-Palmieri,* l. c. n. 107 sq.; *Rosset,* n. 877 sq.; *Schmalzgr.,* h. t., n. 126 sq.

at talis contractus effectus communis est obligatio gravis ex iustitia commutativa in utroque contrahente. Praeterea nihil magis fidei humanae congruit quam ut pacta serventur [71]. Quare cum quis per sponsalia sese obstrinxerit ad *matrimonium ineundum,* non potest *loco* matrimonii dare dotem. Cfr. S. C. C. 27 sept. 1722 in ed. *Richt.* Conc. Trid., 222, n. 11.

Cum autem iam imprimis ius Romanum [72], deinde etiam leges civiles recentiores complurium regnorum [73], sponso vel sponsae concedant libertatem resiliendi ab sponsalibus, quippe quae *actionem* in iudiciis civilibus ad *urgendam promissionem* sponsalitiam aut omnino *denegent,* aut non nisi ad petendam *compensationem damni* illati admittant. Ecclesia quae hactenus, reiectis in hac parte illis legibus civilibus, *gravem obligationem* ex sponsalibus ortam suis canonibus firmaverat, *poenis* et *paenitentiis* inflictis executioni mandare curaverat [74], atque usque ad nostram aetatem in suo foro actionem iudicialem concesserat [75] ut pars renuens ad explenda promissa a iudice ecclesiastico *etiam per censuras* compelleretur [76], ab antiqua sua disciplina [77] recedens legibus in plerisque Statibus vigentibus acces-

[71] Cfr. *Schmalzgr.,* n. 80 sq.; *Rosset,* n. 942 sq.; *Leitner,* 516 sq.

[72] L. 1, Cod. de spons. V, 1 iunct. L. 1, D. de spons. 23, 1; L. 2, D. de repud. 24., 2.

[73] *Vering,* Lehrb. d. k. K. § 215; *Scherer,* l. c. § 110, VIII; *Friedberg. Ruffini,* l. c. § 158; cod. civil. Hisp. art. 43, 44; cod. civil. Austr. §§ 45, 46; cod. civil. Ital. art. 77, 79; cod. civil. Germ. §§ 1297 sq.; cod. civil. Galliae art. 172.

[74] Cfr. c. 46, 47, 51, C. XXVII, q. 2; c. 22, 31, X, h. t.; *Sánchez,* lib. I, disput. 27; *Gasparri,* I, n. 122 sq.; *Ballerini-Palmieri,* l. c. n. 64 sq.; *Scherer,* § 110, V.

[75] C. 10, 17, X, de spons. et matrim. IV, I; c. 25, X, de iureiur. II, 24; *Giovine,* 324 sq.; *Feije,* n. 557, ubi in nota longum exhibet catalogum causarum de sponsalibus in S. C. C. discussarum.

[76] C. 10, X, h. t.; S. C. C. in c. Melevit. 15 iul. 1896; *Bangen,* De spons. et matr. I, 58.

[77] Quae antiqua disciplina iam erat ita temperata ut, quoniam coactiones in hac re difficiles soleant habere exitus, ordinarie potius *monitione* quam *coactione* contra partem renitentem esset procedendum; unde iamdiu, nunquam contra sponsam, difficillime contra sponsum, applicabantur poenae. Cfr. c. 17, X, de spons. et matrim. IV, I; S. C. C. in caus. Anconit. 30 mart. 1748; Instr. Card. Rauscher, § 109; *Sánchez,* lib. I, disp. 59; *Ballerini-Palmieri,* l. c. n. 69 sq.; *Scherer,* § 110, VII, not. 98 sq., 101. Quare S. C. de Prop. F. 22 febr. 1790 declaravit: « *Caute procedendum esse in infligenda excommunicatione, et mulieres praesertim a sponsalibus recedentes nunquam esse excommunicandas iuxta Decretalem Lucii III in cap. Requisiti* (Requisivit) c. 17 de spons. IV, 1, *et si quandoque et ex gravi causa sunt viri excommunicandi, post annum esse absolvendos* ». Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1214. In citata vero causa Anconit.

sit in praescriptis canonis 1017 § 3, iuxta quae « ex matrimonii promissione, licet valida sit *nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem,* datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur. Quae actio est mixti fori. Qua iuris novi dispositione non obstante, Doctores etiam post Codicem perrexerunt in repetenda et asserenda gravi obligatione iustitiae iuris praecedentis.

94. II. Consequenter ad praecedentem obligationem, ex sponsalibus *validis* praeterea oritur obligatio *fidei sponsalitiae,* vi cuius sponsi imprimis tenentur ad vitandum omne inhonestum atque carnale commercium cum *tertia* persona, quo non solum violarent *castitatem,* sed etiam *iustitiam.* Nam corpus alteri in sponsalibus promissum ne deterius fiat, caste est custodiendum. Quod si neglectum fuerit, pars innocens iustam habet causam recedendi [78] ab sponsalibus iam contractis [79].

95. III. Sponsalia in forma ab Ecclesia admissa valide inita, quamdiu in suo valore persistunt et legitime non sunt rescissa,

---

in ed. *Richt.* C. Tr., 223, n. 18, S. C. C. respondit: « *Constare quidem de sponsalibus,* **coactioni** *tamen in casu, de quo agitur, non esse locum et ad mentem, i. e.* **monendam** *esse mulierem ab Episcopo* ».

Qua iurisprudentia existente, gravis obligatio iustitiae pro foro externo valde erat attenuata; pro foro quoque interno, quando *monitio* non profuisset, difficulter intelligebatur quod denegatio absolutionis et consequens inde comminatio poenae aeternae, connexa cum permanentia in gravi peccato, esset coactio non attendenda ne matrimonium inde secutum difficilem seu infaustum haberet exitum.

Quin immo iam eo res pervenerat ut, sine doctorum contradictione, in Instr. austriaca § 10 expresse ediceretur: « Obligatio standi promissis, per contractum sponsalitium datis, *cessat* etiam, quando omnibus perpensis circumstantiis, supponendum merito sit matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore ». Iam vero morali modo illa suppositio seu praesumptio merito colligitur ex hoc quod fide sponsalitia vinculatus perfracte renuit matrimonium promissum, illectus amore erga tertiam personam aut repugnantia erga alterum sponsum affectus. Quae autem obligatio conscientiae est ea, quae dicitur *cessare,* cum illa devinctus rem contractu promissam vehementer refugit implere?

[78] Cfr. *Sánchez,* lib. I, disp. 2, n. 1 sq.; *Lehmkuhl,* Theologia moral. II, n. 664; *Ballerini-Palmieri,* l. c. n. 84 sq.; *Gasparri,* I, n. 118.

[79] Quid Episcopi statuere possint de cohabitatione sponsorum in eadem domo et de *punitione* sponsorum delinquentium exponit *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. XII, c. 6 et Instit. ecclesiast. 46. Cfr. quoque decis. S. C. C. in caus. Mediolan. a. 1573 et in caus. Puteol. 18 iun. 1690 relatas in ed. *Richt.* C. Trid., 222, n. 15, 16 et C. Trid., Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr. At Ecclesia Latina non admisit rigorem Ecclesiae Orientalis (cfr. c. 94 Conc. Trull. a. 692) puniendi *fornicationem* cum sponsa aliena *poenis adulterii.* Cfr. quoque *Zhishman,* 39 sq., 584, 737 sq.

similiter producunt *obligationem:* 1°) non contrahendi matrimonium cum tertia persona, quae obligatio indivisibiliter connexa est cum obligatione matrimonium ineundi cum altero sponso, et consequenter ad tale matrimonium impediendum actio non datur; 2°) non *promittendi* — nisi fiat sub condicione: « *si priora sponsalia resolvantur* » — tertiae personae *matrimonium;* quare sponsalia, quae *post* alia valide contracta ineuntur, graviter sunt illicita et ex natura rei invalida [80], tametsi fuissent firmata iuramento aut ipsis copula accesserit. Nam res indivisibilis alteri promissa nec licite nec valide denuo tertio *promitti* potest; tota enim facultas disponendi est exhausta, et obiectum novi consensus deest. At cum tertiae personae *valida,* etsi *illicita,* fieri possit *traditio* rei alteri iam *promissae,* nihil mirum quod matrimonium cum tertia persona forte contractum, sit validum.

96. At illa obligatio conscientiae, non occulta sed publica, quae sit obligatio iustitiae in se gravis, quaeque violetur tum actu contrahendi matrimonium cum tertia persona tum omissione matrimonii promissi, difficultatem haud levem prae se fert quoad explicationem theoreticam, si dicatur existere etiam in iure novo Codicis [81]; in quo non solum *practice* — cfr. no-

---

[80] Etiam invalida sunt *secunda* sponsalia, quae ineuntur *post sponsalia condicionata, pendente* condicione facta. Cfr. *Schmalzgr.,* lib. IV, tit. 5, n. 54. Hinc *Scherer,* § 110, not. 68 (cfr. quoque *Hollweck,* l. c., 88, not. 2) hanc sententiam *Schmalzgrueber* aliorumque gravissimorum canonistarum, v. g. *Schnitzer,* 92 et *Gasparri,* I, n. 100 et *Lugo,* l. c. disp. 22, n. 383 sq., 395, ob rationem insufficientem vocat *mirabilem.* Nequaquam enim *pro validitate secundorum* sponsalium exinde repeti potest solidum argumentum quod *prima* sponsalia condicionata *ante* eventum nondum sint *actu valida.* Nam quia pendente condicione adest *obligatio* expectandi eventum, *secunda promissio* sponsalitia est de *re turpi* et idcirco ex natura rei *invalida.* Quare hic auctor non satis attendit discrimen inter contractum matrimonialem (traditionis) et sponsalitium (promissionis) *post* sponsalia condicionata celebratum.

[81] Theoretica difficultas in hoc habetur quod a lege ecclesiastica admittatur obligatio in conscientia et sub gravi peccato faciendae rei in contractu promissae et a lege deinde negetur actio ad obtinendam eius executionem, postquam nova dispositio iuris contractum elevavit ad condicionem *contractus sollemnis,* ita ut solus contractus sollemnis habeatur validus (sollemnitas ad valorem). Porro sollemnitas ideo in certis contractibus ad valorem requiritur ut vitentur quaelibet fraudes et lites atque ut cum maiore cautela contractus fiant (*Lugo,* De iust. et iure, d. 22, sect. 9, n. 252): vitatis hac extraordinaria diligentia fraudibus et possibilitate litium, deinde accederet lex negans actionem ad exigendam contractus sollemnis impletionem, de cuius sollemni celebratione notorie constat. Satis facile intelligitur congruentia iuridica in legibus civilibus

tam 77 — sed etiam *expresso iure* denegatur actio ad illam exigendam, idque in manifestum finem impediendi ne ex sponsalibus, ceteroquin ad praeparandum futurum matrimonium uti-

---

plurium nationum, quae contractum sponsalitium non agnoscunt, si deinde actionem ad eius executionem denegant, ac multo magis si, ut accidit v. gr. in codice italico art. 79, expresse edicitur promissionem mutuam matrimonii non producere obligationem legalem contrahendi matrimonii, et deinde tanquam sequela iuridica ponitur, ut fit in art. 81, actionem dari tantum ad damni reparationem, tametsi sponsalia fuerint inita per publicum instrumentum aut per scripturam privatam. — At Codex, in sententia quam expendimus, recognovisset obligationem sponsalium — illa agnitio non fit *directe* et *expresse*, sed infertur a doctoribus per consequentiam non omnino evidentem et necessariam — effecissetque ut de obligatione contrahenda redigeretur actus sollemnis, qui tergiversationibus locum praecludit; et deinde afferenti publicum instrumentum obligationis negaret actionem ad urgendam obligationem agnitam, cum tamen Ecclesia, attento speciali eius fine, non solum in foro interno, sed etiam in foro externo — si in hoc constant — debeat urgere illas obligationes, quae grave peccatum continent salutis aeternae impeditivum. Porro urgere *externe* obligationem in uno et dare actionem alteri, versus quem est obligatio, videntur res iuridice correlativae. Ergo ex manifeste negata actione ad urgendam obligationem potius videretur inferendum obligationem *saltem determinatam ad matrimonium* non agnosci, ne legislatori tribuantur dispositiones iuridice incongruentes.

Quae difficultas non videtur solvi sed augeri, si obligatio ad matrimonium dicitur induci in solo foro *interno*, (*Vlaming*, I, n. 113) aut, quod in idem recidit, ab Ecclesia auferri obligationem in foro externo (*Cappello*, I, n. 109). Sane nihil repugnat quod, sublato iam in foro interno vinculo obligationis per potestatem fori externi impositae, adhuc in foro externo pergat urgere obligatio donec in eodem foro fuerit sublata, cum in foro externo plerumque ignorentur quae in interno fuerunt peracta; at ille modus loquendi de obligatione *per se* in *solo foro interno* existente est difficilis et periculosus. Ecclesia, i. e. auctoritas ecclesiastica, poterit tacere vel dissimulare, sed, si loquitur, debet dicere quod implenda sit obligatio conscientiae, cuius transgressio est grave peccatum impeditivum salutis aeternae; nec solum quoad doctrinam non potest esse oppositio, sed praeterea tenetur etiam, in quantum ab ipsa dependet, in foro externo impedire peccata, et in hoc profecto differt a potestate civili. Unde auferre in foro externo obligationem in foro interno retentam est modus loquendi vere absurdus, si sermo est de Ecclesia.

Ecclesia est custos et vindex moralitatis respectu fidelium sibi subditorum; atque haec custodia ipsi commissa est non solum in foro divino sacramenti paenitentiae, sed etiam habito respectu ad eius auctoritatem publicam et socialem, ex qua custodia sicut in foro externo non potest aliquem declarare immunem ab obligatione conscientiae quae ipsi constat — v. gr. per allegatum sollemne instrumentum contractus sponsalitii — ita, quantum in ipsa est, debet urgere illius obligationis observantiam; unde aperta professio, in suo foro externo facta, quod obligationem non urget, est implicita declaratio quod illam obligationem *determinatam* non agnoscit.

libus, quidquam oriatur quod libertati matrimonii etiam quoad personae electionem officiat. Qui finis legislatoris ecclesiastici manifesto se prodit in studio conformandi legem Ecclesiae iuri

---

Quae ultima consideratio est maximi momenti, si ponatur ex iure Codicis sponsalia producere determinatam certamque obligationem conscientiae ad matrimonium contrahendum. Nam ita dicitur *directe* sanciri a Codice verus quidam conflictus, vera quaedam oppositio inter forum internum et externum, cum praesertim ex responso Commissionis Codicis (2-3 Iunii 1918 in AAS, X, 345) reclamatio contra matrimonium ex sponsalibus ita solum valet in ordine ad reparanda damna, si quae sunt, ut nullo modo inde suspendenda sit matrimonii contra fidem sponsalitiam ineundi celebratio; ita ut ad hanc impediendam non solum maneat exclusa opera *iudicis*, sed etiam *externa* opera *pastoris* seu parochi: in qua materia non oppositio parochi importat *positivum, externum* et *publicum* parochi *iuvamen* ad frangendam fidem sponsalitiam, i. e. ad committendum grave iniustitiae peccatum salutis aeternae impeditivum, gravem sacramenti profanationem, cum matrimonium contra fidem sponsalitiam celebrari non possit sine positivo interventu parochi vel Ordinarii.

Quae sanctio oppositionis inter forum internum et externum multo gravior est, si versatur circa actum, quem Ecclesia non profitetur ignorare, sed expresse agnoscit atque adeo de proposito regulat praescribendo ad valorem sollemnem celebrationis formam atque ita regulatum sanctificat, saltem in multis locis, adhibitis caeremoniis religiosis, quibus aliquo modo tribuit ipsi quendam characterem sacrum tanquam praeparationem ad sacramentum matrimonii. Admissa obligatione in conscientia contrahendi matrimonium, deinde in foro externo allegato *sollemni instrumento* contractus sponsalitii forte per benedictionem Ecclesiae sanctificati, ex quo illa obligatio conscientiae *authentice constat*, Ecclesia parti ius alleganti dicit: recede ab exigentia respectivae obligationis; parti obligatae et *recusanti* dicit: si non vis obligationem implere, non impedio quominus eam conculces; parocho autem dicit: ne impedias conculcationem obligationis — matrimonium cum tertia persona — sed nolentem adimplere promissionem factam adiuva ad actum transgressionis, qui simul est sacrilega profanatio sacramenti. Haec clare videntur inferri ex admissione obligationis conscientiae in contractu externo et sollemni, cui non solum denegatur constrictio *iudicialis* (actio), sed etiam *pastoralis*, cum natura officii parochi connexa, quoad obligationes conscientiae in foro externo notas.

Facile quidem intelligitur quod auctoritas ecclesiastica per media fori externi non possit constringere ad implendam obligationem vere contractam, quae in foro externo probari non potest et de facto non fuit iuridice probata — v. gr. votum secrete emissum; — conflictus inter forum internum et externum tunc exurgit *per accidens* ex impossibilitate *in casu particulari* existente conformandi iudicium fori externi iudicio fori interni. At in casu oppositio daretur *per se*, ac sanciretur per legem *pro quolibet casu* in contractu, cuius evidentissima probatio est allegatio instrumenti celebrationis ad valorem ipsius requisiti et in publicis regestis Ecclesiae conservati. Iam suo tempore in alium scopum monuit *Lugo*, (De iust. et iure, disp. 7, n. 6): « Si leges solum pro foro externo

civili, passim in hac materia vigenti, et in praecedenti iurisprudentia futuram legem iam praeannuntiante.

Iam vero contractus aliquis non debet considerari *in abstracto*, i. e. attenta *sola specie negotii iuridici* et independenter

essent — i. e. relicta diversa obligatione in foro conscientiae — non fuisset bene provisum bono communi; nec ad sedandas conscientias, contra ad illaqueandas deservirent ». Cfr. etiam *Suarez*, De legib. l. III, cap. 21, 22; l. I, cap. 16, n. 5; l. VIII, cap. 6, n. 11 sq.. *Ferreres*, Los esponsales y el matrimonio, n. 117, iam de eadem re multo ante Codicem scripserat: « Tales leges in iure canonico essent res prorsus nova et veluti monstrum iuridicum, nec ullum exemplum talis legis canonicae allegari potest ». Cfr. quoque *Wernz*, Ius Decret. III, n. 248 cum nota 56. Certe permittere in foro externo sine ulla oppositione etiam pastorali actum publicum et sollemnem, ut est matrimonium, quod notorie constat esse grave peccatum iniustitiae, reclamante illo, cui iniustitia fit, non potest non causare grave scandalum in fidelibus, nisi in casu *particulari* detur causa excusans. Cfr. *Gasparri*, I, n. 99.

Nec iuvat dicere novum hocce ius ab Ecclesia esse constitutum ut accederetur ad codices civiles, maxime vero ut a matrimonii celebratione quaelibet coactionis species amoveretur. Nam prima illa ratio potius evinceret obligationem conscientiae, saltem determinatam, quae pro obiecto habeat necessitatem contrahendi matrimonium cum persona cui fides sponsalitia data est, a legislatore ecclesiastico non fuisse retentam, cum moderni codices civiles aut sponsalia nullo modo admittant aut reiciant eorum obligationem seu vim impediendi matrimonium cum tertia persona. Altera vero ratio forte non satis attendit denegationem absolutionis in foro interno et inde consequentem comminationem poenae aeternae, connexam cum pertinaci permanentia in peccato gravi, in aestimatione Ecclesiae et fidelium esse coactionem non spernendam in finem impediendi ne matrimonium ex tali coactione initum infelicem habeat exitum. Fidelis bonae conscientiae magis timebit illam comminationem gravis reatus poenam aeternam merentis, quam aliquam privationem poenalem alicuius boni non ita necessarii, a iudice forte infligendam; et ex tali timore cum invincibili repugnantia inducetur ad matrimonium, antea promissum, nunc autem invisum contrahendum, ex quo bonus exitus sperari non possit.

Qui conflictus inter modum agendi confessarii et parochi circa eundem casum — satis frequenter confessio et matrimonium fiunt apud ipsum parochum — communiter apud commentatores Codicis solutionem non obtinet, si excipias *Cappello*, I, n. 138, ubi tandem negat obligationem conscientiae in eo qui velit reparare damna, et *Vlaming*, qui ultimus auctor I, n. 117, ita edocet confessarium: 1) « Paenitentem *reum* ad fidem datam servandam *exhortetur*, **aut saltem** eum — etiam sub denegatione absolutionis — adstringat ad resarcienda alteri parti ea damna, quae ex violata fide certe passura sit ». At sic paenitens non edocetur de obligatione conscientiae celebrandi matrimonium promissum, sed de obligatione *aut* ad matrimonium ineundum *aut* ad reparanda damna; in praxi ergo receditur a doctrina. — 2) Si incassum cedat exhortatio, pergit idem auctor, « difficile dictu est utrum fides servanda urgenda sit per absolutionis denegationem ». At *theoretice* difficultas adesse non potest: qui non

a dispositionibus iuris positivi. In iure autem Codicis eodem modo sermo est de unilaterali et bilaterali matrimonii promissione, cui negatur quivis valor, nisi facta fuerit in determinata

vult explere obligationem, qua sub gravi tenetur, non est dispositus ad absolutionem, quae consequenter deneganda est. Quare tandem, post haesitationem, optimo consilio concludit vere esse urgendum paenitentem sub denegatione absolutionis. — 3) Hucusque bene. Sed statim ipsum practice paenitet solutionis et addit: « Nihilominus hoc raro adhibendum, i. e. *solum in casu*, in quo confessario constet displicentiam paenitentis erga matrimonium *voluntarie foveri* aut etiam malum exitum matrimonii semel initi non esse pertimescendum ». At, ubi non adest *iusta causa dissolvendi sponsalia*, illa displicentia semper est voluntaria; deinde vero, unde desumi potest criterium ad pertimescendum malum exitum matrimonii promissi nisi ex repugnantia ad ipsum et efficaci voluntate contrahendi cum tertia persona, cum qua iam forte omnia habet parata ad matrimonium? — 4) Si ita non accidat, adhibeat alia media. Quae? Ipse unum indicat: « suscipiat paenitentis promissionem quod sponsae suadebit, ut sponte renuntiet matrimonio ». — At sponsa non tenetur renuntiare iuri suo; nec ratio agendi confessarii cum paenitente debet pendere a voluntate alterius, sed a voluntate ipsius paenitentis. — 5) His frustra adhibitis « *res sat desperata et casus sat perplexus alicui videatur haberi* ». En solutionem, qua ipse se extricat: « *Tunc plerumque ea erunt adiuncta, quae, praesertim simul sumpta, legitimam causam sponsalia dissolvendi agnoscere permittent* ». — At hoc evidenter non est *solvere sed ense expedire nodum*. Quaestio est de obligatione sponsalium, ad quae dissolvenda una pars non habet ius, altera invita et reclamante: nunquam fuit quaestio de obligatione conscientiae ad matrimonium promissum, legitime dissolutis iam sponsalibus. Quodsi pervicax voluntas promissionem non implendi est iusta causa se liberandi ab eius obligatione, ne inde sequatur infaustum matrimonium, qui tale ius constituit potius sponsalibus obligationem conscientiae denegavit; quae est enim obligatio conscientiae, ad quam excutiendam sufficit pervicax contra ipsam voluntas? Si autem insistitur in denegatione absolutionis, tunc paenitens non absolutus parochum adibit — forte eundem qui fuit confessarius — et coram altera parte, exhibente sollemne instrumentum contractus eiusque adimpletionem reclamante, postulabit assistentiam matrimonio contra fidem sponsalitiam celebrando, quod matrimonium a parocho non erit impediendum nec suspendendum. Multo cohaerentius *De Smet*, n. 39, docet, recusante paenitente matrimonium, non remanere nisi recursum ad petendam dispensationem pontificiam.

Interea dum propositis difficultatibus solutio non praebeatur, facile privatus doctor Codicem interpretans non credet se adstrictum ad acceptandum sensum legis, qui aliis fortasse videatur in se magis obvius, de determinata obligatione conscientiae ad ineundum matrimonium promissum, quam obligationem non *expresse* et *directe* sancit Codex, sed ea, ut praemissum est, ex c. 1017 dumtaxat resultat per consequentiam non undequaque evidentem et necessariam.

Iam vero si insistitur in necessitate, quam agnovit Codex, evitandi ne ex invitis nuptiis gravia mala et scandala sequantur, adeo ut ex hoc solo sufficiens habeatur causa dissolvendi sponsalia (cfr. Instr. austria-

sollemni forma; qua forma servata, licet utraque promissio habeatur valida, ipsi negatur actio ad petendam matrimonii celebrationem — i. e. rem promissam — et sola conceditur actio

---

cam § 10 in nota 77 allegatam) potius intentioni legislatoris dicendum videtur conformius, quod is *per obligationem conscientiae*, quam *practice* iam negabant iidem doctores qui eam *theoretice* sustinebant, noluit ad matrimonia plerumque infausta *constringere*, sed contractum sollemnem validum admisisse in ordine *aut* ad matrimonium promissum celebrandum *aut* ad damna sarcienda, hoc ipso quod ad solam indemnitatem petendam concessit actionem, denegata illa ad rem contractu promissam urgendam. Cfr. cit. art. 79 Codic. italici.

Quae intentio legislatoris in re dubia praesertim respicienda est, attento c. 18 et Reg. Iuris 88 in Sexto. Illa autem intentio legislatoris etiam inde erui posset, quod schema Codicis ad Episcopos missum solam continebat § 3 c. 1017 hoc pacto: « Ex promissione matrimonii sive unilaterali sive bilaterali, seu ex sponsalibus, nulla urgeri potest obligatio contrahendi matrimonium, salvo iure exigendi reparationem damnorum, si quae debeantur ». Qua unica dispositione circa sponsalia, in qua evidenter excludebatur obligatio conscientiae contrahendi matrimonium in eo, qui damna ex violata fide secuta vult reparare, omnimoda habebatur conformitas cum codicibus civilibus modernis, praesertim cum Codice italice. Si deinde legislator admisit contractum sponsalitium, modo sollemni forma Decr. *Ne temere* celebratum, non ideo putandus est recessisse a proposito conscientias non illaqueandi nec constringendi etiam morali coactione gravis obligationis ad nuptias invitas. Aliae rationes mutationis meliores assignari facile possent. Videlicet ex ignorato seu non agnito contractu sponsalitio facile hic e populorum moribus disparuisset, cum tamen sit convenientissimus et optima ad matrimonium praeparatio — cfr. supra n. 82 — et in pluribus regionibus sanctificetur adhibitis sacris ritibus, quibus futuro matrimonio sacro seu sacramento veneratio conciliatur. Sed authentica decisio dubii, non ad privatos doctores quorum est modeste proponere rationes pro determinata interpretatione, sed ad competentem auctoritatem Commissionis Pontificiae pertinet.

Quae sententia de negata per Codicem vera ac determinata obligatione conscientiae ad matrimonium promissum non levem accipit confirmationem ex silentio Codicis circa sponsalium dissolutionem, quae tot controversiis erat implexa nec accuratam veramque explicationem obtinet ex applicatione principiorum quibus regitur solutio aliorum contractuum. Nova confirmatio etiam accedit *ex suppressione impedimenti impedientis*, quod ex sponsalibus oriebatur in quantum haec importabant obligationem conscientiae ad matrimonium cum determinata persona sponsi;
quidquid enim dicatur de impedimento *canonico*, nulla congrua ratio iu-
ridica assignari potest cur votum privatum et *occulte* emissum — quod
dum manet occultum et secretum importat obligationem *conscientiae*,
non obligationem *iuridicam* — sit impedimentum *canonicum* impediens
et talis ratio impedimenti canonici non tribuatur sponsalibus *publicis* et
sollemnibus, si etiam haec sponsalia in conscientia *determinate* obligant
ad matrimonium promissum. Legislator non arbitrarie procedit sed ex ra-
tione iuridica. Ergo ex facto quod restituit sponsalia, quae schema ad
Episcopos missum suppresserat, non sequitur restituisse obligationem
conscientiae determinatam, cum impedimentum impediens, in priore sche-

ad reparationem damnorum. Per quem modum agendi legisla-
tor nec directe expressit obligationem strictam ineundi matri-
monii promissi, nec reliquit promissionem matrimonii sive uni-
lateralem sive bilateralem in ordinaria condicione aliorum con-
tractuum. Obligatio ergo, quam non expressit legislator, non po-
tuit asseri nisi per deductionem a contrario, i. e. per quandam
consequentiam non omnino evidentem et necessariam in con-
tractu, quem legislator noluit subesse ordinariae condicioni alio-
rum contractuum.

Si valor promissionis sponsalitiae relicta esset voluntati par-
tium, ita ut privata promissio ex iure naturae valida etiam ab
Ecclesia reputaretur talis, et esset negata actio ad eius adim-
pletionem non servata determinata forma (*sollemnitas ad pro-
bationem*), optimo iure diceretur promissionem obligare in foro
conscientiae — i. e. vere obligare —, ad obtinendum vero in-
terventum auctoritatis ecclesiasticae ut obligaret nolentem, non
patere recursum, non dari actionem. Tunc enim actionem le-
gislator negaret obligationi occulte contractae, neque negaret
absolute sed condicionate et per accidens ob non exhibitam a
contrahentibus probationem legalem a legislatore pro suo iure
requisitam. At constituta sollemnitate *ad valorem* sponsalium
— non ad meram probationem — atque irrecusabili modo pro-
bato tum facto promissionis tum eius valore, si contractus in-
duceret obligationem in conscientia celebrandi matrimonii, et
deinde afferenti instrumentum contractus neganda esset actio,
a legislatore *per se* intenderetur conflictus inter forum internum
et externum tantopere ab Ecclesia alienus.

Qui conflictus et incohaerentia iuridica vitatur, si legi haec
detur interpretatio ut admittat quidem valorem contractus spon-
salitii, sed in ordine ad imponendam obligationem matrimonii
promissi *vel* reparationis damnorum ex iniusto recessu prove-
nientium. Porro sicut contractus ex defectu formae iure posi-
tivo requisitae irritatur et *nullam* producit obligationem, ita non
repugnat ut contractus a iure habeatur validus in ordine ad

---

mate cohaerenter suppressum, non restituerit. Sponsalia sollemnia sunt negotium iuridicum; danda est ratio cur in tali negotio iuridico legislator non reperit condiciones ad statuendum impedimentum *canonicum* impediens matrimonium, cum tamen illas condiciones repererit in voto *privato occulte* in sanctuario conscientiae emisso, quod negotium iuridicum non est: unica explicatio iuridica est negatio *determinatae* obligationis ad matrimonium. Eadem sententia defenditur etiam in *Ius Pontific.*, XI, 125 et XII, 131; cfr. praeterea *Apollinaris*, VII, 244. Contraria sententia propugnatur in *Period.*, XXI, 88*, 229*; *Ephem. theol. Lovan.* II, 272; *Angelicum*, VIII, 359.

rem promissam praestandam, facultate tamen data alteram rem substituendi, ut habetur in obligationibus *alternativis seu disiunctivis* et praesertim in *facultativis;* quo in casu etiam contractus habetur validus et de obiecto promisso, nec tamen urget obligatio *determinate* rem promissam praestandi, sed manet debitori facultas aliam praestandi: *una res est in obligatione et altera in facultate solutionis* [82].

Hac ratione videtur interpretandus Codex, dum negato valore sponsalibus privatis, illum admittit in sponsalibus sollemnibus, absque actione vero ad petendum matrimonium promissum sed tantum indemnitatem ob iniustum recessum; per talem praescriptionem, attenta indole Ecclesiae, valida sponsalia ita directe obligant ad matrimonium promissum, ut sit exclusa etiam illa coactio moralis gravis peccati in eo qui est paratus indemnitatem praestare ob damnum ab altera parte receptum, qua plena libertate non existente facile matrimonium infelicem sortiretur exitum [83].

Ita qui sine iusta recessus causa sponsum deserit, quem hic et nunc aversatur, et matrimonium cum tertia persona contrahit, dum est paratus ad resarcienda damna, graviter non peccat,

[82] Cfr. L. 2, C. de rescind. vendit. IV, 44; *Vidal*, Inst. iur. rom. n. 366; *Windscheid-Fadda*, « Diritto delle Pandette » II, § 255; *Ronga*, « Diritto Romano » II, n. 2. Ita in codice italico (art. 78, 79) sponsalibus negatur vis producendi obligationem contrahendi matrimonium, et tamen ibi non simpliciter *ignoratur* contractus sponsalitius, qui si fuerit initus determinata quadam forma — per actum publicum vel per scripturam privatam — agnoscitur validus, at minime in ordine ad producendam obligationem contrahendi matrimonii, sed tantum in ordine ad obtinendam a parte, quae sine motivo recusat exequi promissionem, indemnitatem pro expensis quas altera pars matrimonii causa fecerit; ad quam indemnitatem obtinendam conceditur actio, negata ad exigendum matrimonium promissum. A quo iure italico tam parum distat formula Codicis ut ab illo videatur desumpta. Cfr. *Laymann*, De legibus, cap. 16, de variis modis, quibus legislator potest et solet irritare actus aut iuridica efficacia privare iunct. *Van Gestel*, De iustit. et lege civili § IV, n. 64 sq. — Quodsi v. g. memorata lex italica consideratur in ordine ad sponsalia *non baptizatorum* in quibus legislator civilis est competens, vel si Ecclesia, ut potuisset facere, remisisset quoad contractum sponsalitium ad ius civile respectivae nationis, non puto fore ullum doctorem qui existimaret aut doceret sponsos, qui sub illa lege italica per actum publicum vel per scripturam privatam sponsalia inierunt, committere grave peccatum, si promissionem etiam sine iusta causa non impleant, modo sint parati ad praestandam indemnitatem pro damno illato.

[83] Cfr. *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 199, de regula passim admissa « quoties aliqua nova causa emergit, quae si a principio affuisset, sponsalia contracta non fuissent, iustam praebet sponsalia dissolvendi occasionem ».

et ad matrimonium cum tertia persona a parocho est admittendus, non dilata celebratione dum causa agitur de damnis: quae obligatio parochi non impediendi nec differendi matrimonium cum tertia persona sine *vera oppositione* etiam pastorali non explicatur, ubi illa celebratio esset dicenda graviter illicita peccato iniustitiae, per quod ipsa celebratio sacramenti matrimonii sacrilege profanaretur [84].

Iam ita docuerunt plures doctores [85], quamvis in ulteriore explanatione non videantur se posse subtrahere a doctrina proposita in iure praecedente, radicaliter per Codicem immutato. Per hanc iuris immutationem a legislatore ecclesiastico promissiones matrimonii reguntur iure maxime simili iuri civili passim vigenti, — cfr. praeced. not. 82 — cum hoc uno discrimine, quod obligationum conscientiae congrua ratio habeatur, quin officiatur verae et prudenti libertati matrimonii etiam quoad electionem personae maxime necessariae. Qui vera sponsalia inire volunt iam antecedenter sciunt quae iura adquirunt, quas obligationes contrahunt, quam securitatem futuri matrimonii sibi inde polliceri possunt, quam necessitatem illius contrahendi subeunt: quae omnia in contractu, de quo disponit ius positivum non sunt deducenda ex solo *abstracto conceptu* seu *specie* negotii iuridici.

Hanc eandem explicationem circa obligationem contractus sponsalitii validi amplectitur *Ferreres* in suo praeclaro opere « Los esponsales y el matrimonio », ed. 7ª quae anno 1927 prodiit, n. 201, ubi n. 207 etiam habet rationem argumenti deducti ex suppressione impedimenti impedientis sponsalium, cum tamen retentum fuerit impedimentum voti.

[84] Responsum Commiss. Codic. (2-3 iun. 1918) evidenter excludit veram oppositionem etiam pastoralem, non confundendam cum hortationibus et suasionibus apte adhibendis.

[85] V. gr. *Noldin*, De Sacr. n. 535, a, recenset ut primum effectum validorum sponsalium: « Obligatio gravis iustitiae ad matrimonium, *aut* si iniuste a sponsalibus recedatur saltem ad reparandum damnum, quod ex solutione iniusta ortum est », licet in ceteris non loquatur cohaerenter cum hac doctrina.

§ II. De effectibus sponsalium ex stipulationibus accessoriis

97. Si in sponsalitio contractu *certus dies* ad contrahendum matrimonium non est destinatus, nuptiae eo tempore celebrandae sunt, quo alteruter ex sponsis rationabiliter illarum celebrationem petit, atque ex mente Ecclesiae, nisi legitima causa excuset, quamprimum — v. g. regulariter saltem intra annum — celebrentur necesse est[86]. Quodsi *de certo die*[87] conventum est sive ad *finiendam* et *urgendam*, sive ad *suspendendam*, non *finiendam* obligationem sponsalitiam, accurate terminus praefixus est servandus.

98. *Modus*, i e. gravamen possibile et honestum actui adiectum, ad quod subeundum *post* actum *perfectum* quis *obligatur*, etiam contractui sponsalitio adici potest, ut *post* sponsalia vel forte post nuptias impleatur, v. g. de domicilio[88]. Qui modus habetur, si sponsi ex intentione sua voluerunt celebrare contractum sponsalitium *statim ab initio validum* et perfectum, cui *deinde accedat* obligatio in altera parte contrahente ad gravamen illud *postea* sustinendum, sed consensus non elicitur dependenter a modo nec dependet ab eius existentia. At stricta condicio ex intentione sponsorum valorem actus pro tempore futuro suspendit donec impleatur; consensus scilicet elicitur dependenter a condicione et eius existentiae alligatur. Qua ex differentia *intentionis* facile colligitur discrimen inter *modum* et *condicionem*, et pariter liquet modos *turpes* vel *impossibiles* adiectos non esse aequiparandos *condicionibus impossibilibus* vel *turpibus* etiam in sponsalibus[89]. Stipulatione facta de *modo*

---

[86] Consess. Episcop. Umbriae (a. 1849) in Collect. Lac. VI, col. 768; S. C. de Prop. F. 13 ap. 1807 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1519; *Sánchez*, l. I, disp. 28; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 67, ubi exceptiones *Pontii*, ex R. I. 14 Dig. et. L. 41, § 1 Dig. de V. G. XLV, 1 refutat.

[87] *Sánchez*, l. c. lib. V, disp. 19, n. 11; *Scherer*, § 110, V, not. 64: *Rosset*, n. 1069 sq.

[88] Cfr. causam discussam et definitam a S. C. C. 30 mart., 14 sept. 1867, 1 febr. 1868 in ASS. III, 458 sq.; *Schmalzgr.*, IV, I, n. 120 sq.; *Sánchez*, l. I, disp. 40, 41 de pacto circa *domicilium*. At pacta ante nuptias, quibus *libertas mariti* in eligendo *domicilio* restringitur, *non* ab omnibus iuribus civilibus *valida* habentur. Cfr. cod. civ. Germ. § 1354: *Rossel*, n. 878; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 157, not. 12. — Actio, iure Codicis ad obligationem principalem negata, etiam ad stipulationes accessorias videtur esse neganda.

[89] *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 5, n. 75 sq., 139 sq., 144; *Gasparri*, I, n. 85; *Schnitzer*, 39. Qui scriptores recte contra *Sánchez*, l. V, disp. 17, n. 2, tenent *condiciones* turpes vel impossibiles, forte *sponsalibus* appositas, nequaquam ut in matrimonio posse haberi pro *non adiectis*; pariter

honesto et possibili certe *una pars* contrahens post sponsalia aut matrimonium tenetur obligationi satisfacere; *altera* vero *pars*, quae eundem modum exegit et deinde sub illo onere admisso promisit matrimonium, executionem modi urgere potest vel licite ab sponsalibus recedit, si pars obligata nondum celebratis nuptiis onus implere recuset. Quodsi *post* contractum matrimonium *modus* pro illo tempore impositus non servatur, evidens est matrimonii contracti *vinculum* solvi non posse.

99. *Donationes sponsalitiae* (largitas sponsalitia) sive iocalia[90] sunt res, quae *dantur* tanquam verum *donum* condicionatum in signum amoris et sub spe nuptiarum (« *causa data* »), non in merum *pignus* celebrationis matrimonii[91]. Quae *restituendae* sunt donanti, si sponsalia solvuntur (« *causa non secuta* ») nullius culpa, vel si solvuntur *culpa* accipientis[92]; *manent* vero penes accipientem, si nuptiae revera celebrantur, vel non celebrantur culpa[93] donantis. At qui *dona* accepit illa reddere non tenetur, si ea intentione data fuerint ut donans *renuntiaverit* iuri suo. Quae intentio facile *supponi* potest, si res donatae pro condicione donatoris *parvi* sint valoris, aut nulla fiat reclamatio. Quare locorum consuetudines et leges particulares sunt consulendae[94].

---

iisdem auctoribus aliisque est omnino adstipulandum, si contra *Scherer*, II, 124, n. 35, defendunt *modos* turpes vel impossibiles sponsalibus appositos pro *non* adiectis esse habendos atque non tollere *valorem* sponsalium.

[90] L. 15 Cod. de donation. ante nupt. vel propt. nupt. V, 3; L. 10, 11. Cod. de condict. ob caus. IV, 4; P. 1, 2 sq. D. de condict. data caus. non secuta XII, 4.

[91] Cfr. de discrimine inter *donationes* sponsalitias et *arrhas* et poenas atque de varia praxi regionum, *Reiffenstuel*, h. t. n. 176 sq.; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 107 sq.; *Scherer*, § 110, not. 40; *Arndts-Serafini* l. c. § 240.

[92] Qua in hypotesi ex iure Romano donatori competebat condictio ob causam datorum. Cfr. leg. Rom. not. praec. cit.

[93] Quodsi inter sponsos osculum (?) iam intervenerit, et postea sponsalia per mortem unius ex sponsis soluta fuerint, ex L. 16, Cod. V, 3 *sponsa* vel *ipsius heredes* dimidiam partem rerum donatarum retinere poterant. Cfr. *Arndts-Serafini*, l. c. § 413. De significatione osculi, cfr.: *Spangerberg*, Erörterungen I, n. 9; *Mitteis*, Reichsrecht, 225, not. 3; *Brunner*, Die fränckischromanische *dos*, p. 3; *Dernburg*, « Diritto delle Pandette », l. IV, p. 22.

[94] Inst. Card. Rauscher §§ 9, 111, 244; cod. civ. ital. art. 78; cod. civ. Gall. art. 1088; cod. civ. Germ. §§ 1301, 1302; *Ballerini-Palmieri*, n. 110, not. a de discrimine attendendo inter ius naturale et positivum humanum.

100. A *donationibus* sponsalitiis differunt *arrhae* sponsalitiae; sunt enim res, quae a sponso sponsae (regulariter) aut vicissim etiam a sponsa sponso *traduntur* (non promittuntur) in *signum* et *confirmationem sponsalium contractorum* (arrha confirmatoria) et in *pignus* sive securitatem (arrha contractu imperfecto data) *matrimonii contrahendi*. Si arrhae in sponsalibus intervenerint, non amplius attendendum est ius Romanum, sed iura civilia moderna. (Cfr. L. 3, 5, C. de sponsal. et arrhis V. 1; Novell. 123, cap. 139). Si arrhae quandoque ex consuetudine regionis celebratis nuptiis repeti non amplius possint, potius habent naturam *donationum* sponsalitiarum. Legibus romanis permissum fuit ut *pactis privatis* pars iniuste resiliens ab sponsalibus ad restituendum triplum vel quadruplum arrhae obligari posset, dummodo cautio rationem *poenae* non contineret, ne laederetur *libertas* nuptiarum. Cfr. L. 5, C. V. 1. Quam legem romanam Ecclesia nullibi respuit. Nam *arrhae*, v. g. annulus, cum *tradi* debeant, dantur maturiore consilio et in *minore* quantitate (cfr. *Schmalzgrueber*, h. t. n. 130, 132); *poenae* vero conventionales, quae tantum *promittuntur*, facile sunt exorbitantes atque ex ipsa natura rei, ut sint efficaces, in *magna* constituuntur quantitate, ut manifeste supponit imper. *Leo VI* in Novell. 18; aliter *Reiffenstuel*, h. t. p. 178, 201; unde *libertas* matrimonii periclitatur. Quare iidem auctores, qui *poenam conventionalem* in sponsalibus apponi, i. e. *promitti*, posse *negant*, cum suis adversariis circa stipulationem tripli vel quadrupli in *arrhis* saltem *moderatis* concordant. Cfr. *Sánchez*, l. c. l. I, disp. 35 sq.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 176 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 126 sq., 139 sq. At denuo controvertitur utrum duplum vel etiam triplum vel quadruplum arrhae, de quo conventum est, a parte *iniuste* resiliente debeat solvi *ante* sententiam iudicis necne. Qua in controversia *sententiae neganti* est subscribendum. Nam praeter rationem petitam ex natura *legis poenalis* praesertim illud urgendum est quod arrhae possint esse ita exorbitantes ut *aequitas naturalis* et *libertas matrimonii* laedantur. Quare optimo iure imploratur officium iudicis. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 134 sq.; *Rosset*, l. c. n. 879 sq.; *Scherer*, l. c. II, 126, n. 42.

At *arrha paenitentialis* (cfr. *Arndts-Serafini*, l. c. § 240 not. 3), qua soluta unaquaeque pars sine alia iusta causa potuit recedere a contractu, certe ab Ecclesia in *sponsalibus* non fuit admissa: obligationibus enim ex sponsalibus ortis non est conformis. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 228; *Schmalzgr.*, h. t. n. 142.

101. Qui sponsalia *iuramento* confirmat, *praeter debitum* *iustitiae* contrahit obligationem ex *religione* ideoque violato contractu sponsalitio et contra iustitiam et contra virtutem religionis peccat. Illud vero iuramentum, cum ordinarie ut quid *accessorium* sponsalibus apponatur, leges de accessorio sequitur, et ideo tollitur quotiescumque principale existere desinit. Cfr. c. 1, X, de R. I., V, 41. Hinc sponsalibus informibus valorem non tribuit et si sponsalia ipso iure aut legitima rescissione solvuntur, ipsa quoque obligatio iuramenti cessat. Quodsi in casibus extraordinariis iuramentum non sit mere accessorium, sed *per se stans* sive principaliter factum in honorem Dei, eius obligatio pariter cessat, si sponsalia *sine peccato* servari non possunt; iuramentum enim nequit esse vinculum *iniquitatis*. Si absque peccato servari potest, saltem mutuo *consensu* sponsorum tollitur; etenim est iuramentum, quod etiam a Deo non videtur esse acceptatum nisi in utilitatem alterius partis, quae idcirco suo favori renuntiare valet. Cfr. c. 2, X, h. t. Denique cessat *dispensatione* competentis auctoritatis ecclesiasticae. Ut enim R. Pontifex potestatem habet dispensandi in votis ex causa proportionata, ita etiam *talia* iuramenta, i. e. a tertio acceptata, solvere potest. Cfr. *Van de Burgt*, l. c., 348; *Schmalzgr.*, h. t. n. 143 sq., 158 sq.

Art. 5 - De dissolutione sponsalium [95]

§ I. De dissolutione sponsalium ex utraque parte

102. Praeter *mortem* sponsalia valida *puberum*, licet iuramento vel copula confirmata, solvuntur libero et mutuo consensu ab utraque parte dato et alteri manifestato et utrimque acceptato [96]. Quo in casu ex iure communi, etiam post introductam publicam sponsalium formam vigente, non requiritur iudicis ec-

---

[95] Hic articulus de dissolutione sponsalium facile haberi potest superfluus, si sponsalibus denegetur vis obligandi in conscientia ad matrimonium. At dubia de hac obligatione conscientiae proposita saltem efficere debent, ut in mitiorem partem et pro libertate accipiantur causae dissolutionis cum aliqua probabilitate ab auctoribus propositae. Quoniam autem saltem actio de damnis reparandis etiam in foro ecclesiastico nunc proponi potest, doctrina de hac re nondum penitus amisit momentum canonicum; nam per se obligatio reparandi damna cohaeret cum iniusto recessu ab sponsalibus *legitime* non solutis.

[96] Cfr. c. 2, X, h. t. iunct. *S. Raym.*, Summ. lib. IV, h. t. § 3, i. f. § 4; c. 25, X, de iureiur. II, 24; R. I. 42, in Sext; S. C. C. 11 dec. 1875, in ASS. IX, 124; sq.; Instr. C. Rauscher § 4; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 142 sq.; *Gasparri*, I, n. 108 sq.

clesiastici interventus [97]. Obligationes enim, quae mutuo consensu contrahuntur voluntate contraria dissolvuntur [98], nisi vinculum quoddam *indissolubile*, velut ex contractu *matrimoniali*, ortum sit; at *sponsalia* ex natura sua sunt contractus *rescindibilis* [99].

103. Dissolvuntur quoque sponsalia ex solo defectu et absque culpa per *lapsum temporis* ad quod ex mutuo consensu ad *finiendam* non ad differendam vel urgendam obligationem contractus fuit restrictus [100], et generatim impleta *condicione resolutoria* ab initio sponsalibus addita. Quodsi condicio *suspensiva de futuro* non verificatur, liberatur quidem uterque sponsus ab omni obligatione, sed *valida* sponsalia, condicione pendente, nondum exstiterunt [101]. Denique condiciones *de praesenti* aut *de praeterito* ne in suspenso quidem relinquunt sponsalia, sed illis non verificatis sponsi ilico ab omni obligatione sponsalitia sunt immunes, aut verificatis istis condicionibus statim vinculo sponsalium obstringuntur.

104. Pariter contractus sponsalitius ipso iure dissolvitur, cum sponsalibus *validis* etiam *iuratis supervenit impedimentum prohibens* vel *dirimens perpetuum et indispensabile* sive ex iure divino sive saltem ex praxi ordinaria Ecclesiae [102], salvo iure partis *innocentis* ad iustam *compensationem*, si *culpa* alterius sponsi impedimentum ortum sit. Nam in casu utrique sponso futurum matrimonium factum est illicitum vel etiam impossibile, sed rei illicitae vel impossibilis nulla existit obligatio. Quodsi prohibens vel dirimens impedimentum *dispensabile* superveniat, pars *innocens* fit immunis ab obligatione sponsalitia, sed altera pars, quae *crimen* forte admisit, ex stricta iuris obligatione solummodo dispensationem petere vel oblatam acceptare *debet, si* pars innocens id velit, et sine magnis expensis longaque mora dispensatio impetrari possit atque causa dispensandi existat [103]. Impedimentum vero prohibens vel dirimens mere *temporaneum* a momento quo supervenit partem innocentem liberat, sed cum cessavit impedimentum, pars altera ad explendam promissionem sponsalitiam a parte innocente adigi potest [104].

---

[97] Cfr. c. 5, 7, X, de desp. imp. IV, 2; *Scherer*, § 110, not. 72, 91, 92; *S. Raym.*, l. c. §§ 3, 4; *Tancred.*, l. c. tit. 6; *Rosset*, n. 1077; *Schnitzer*, 98, not. 3, de iure particulari quandoque vigente, vi cuius sponsalia *publica* in facie Ecclesiae, v. g. coram parocho et testibus, inita non nisi per sententiam iudicis ecclesiastici dissolvi poterant.

[98] Cap. 1, X, de R. I., V, 41.

[99] Ius omnino *speciale* de *dissolutione* sponsalium ab impuberibus initorum — in quantum ex variis causis facile occurrentibus non iam sint nulla — quod vigebat iure Decretalium, ob silentium Codicis non iam videtur esse practici momenti. *Cappello*, I, n. 117.

[100] Cfr. cap. 16, 22, X, h. t.; R. I. 41, 66, 85, in Sext.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 169 sq.; *Rosset*, n. 1069 sq.

[101] Cfr. cap. 3, 5, X, de cond. IV, 5.

[102] R. I. 6, in Sext.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 210; *Feije*, n. 565, not. 4; *Gasparri*, I, n. 124 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 149; *Leitner*, Lehrb. d. k. Eher. 518 sq.

105. Per *professionem sollemnem* in Ordine legitime emissam, vel per tria vota simplicia et perpetua in Ordine vel Congregatione religiosa rite nuncupata ab alterutro sponso, vel per susceptionem ordinum sacrorum ipso facto sponsalia, etiam iurata, utrimque cessant sive *exstinguuntur* nec postea *reviviscunt*, si quis, v. g. super professione religiosa vel caelibatu dispensatur [105].

Idem fieri dicendum est etiam per votum *unius* ex sponsis sive profitendi in perpetuum vitam religiosam in Ordine vel in Congregatione vel per certum votum *perpetuae* castitatis in saeculo emissum vel per simile votum suscipiendi ordines sacros, nisi *specialis ratio* vel *fraus voventis* obstet, cum fraus nemini patrocinari debeat. At in foro *externo* de illo voto constare debet. Nam certe liberatur is qui non vovit, cum altera pars voti nuncupatione iuri suo renuntiet; immo etiam is qui vovit immunis fit ab obligatione; censetur enim iniisse sponsalia *sub condicione, nisi perfectiorem statum* elegero; sed status religiosus vel

---

[103] Cap. 25, X, de iureiur. II, 24; *Gasparri*, l. c. I, n. 124; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 150 sq.; *Rosset*, n. 979, 980 sq.; sed *Scherer*, II, 133 not. 78, aliique nimis *generaliter* obligationem iustitiae negant.

[104] Si superveniat impedimentum *impediens mixtae religionis* certe liberat partem catholicam; apostata vero sese convertere tenetur et post conversionem alteri sponso satisfacere, si is postulet. Cfr. *Van de Burgt*, l. c. p. 332 sq.; *Feije*, l. c.; *Gasparri*, I, n. 124.

[105] Cfr. c. 27, 28, C. XXVII, q. 2; c. 2, 7, X, de convers. coniug. III, 32; c. 16, X, h. t.; Conc. Trid. Sess. XXIV, de ref. matr. can. 6; S. C. C. in caus. Tudertina 9 maii 1719; *Rosset*, n. 987 sq.; *Giovine*, l. c., 251; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 12, n. 8; *Reiffenstuel*, h. t. n. 224 sq., *Schmalzgr.*, h. t. n. 152 lib. IV, tit. 6, qui cler. vel vov. n. 69; *Sánchez*, l. I, disp. 42, n. 1; *Gasparri*, l. c. n. 122 sq.; Instr. Card. Rauscher § 7; c. 1 sq. X, qui cler. IV, 6. At ingressus in novitiatum vel Seminarium vel susceptio primae tonsurae vel ordinum minorum, licet alteri parti dent iustam recedendi causam ab sponsalibus, tamen per se priorem partem ab obligatione celebrandi nuptias non liberant, si altera pars velit contrahere matrimonium cum novitio vel novitia vel seminarista iam *egressis* vel cum *clerico* minorum ordinum. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 174 sq.; *Rosset*, n. 998 sq. At omnino suadendum est ut pars derelicta renuntiet iuri suo; nam parum decet alumnum Seminarii vel novitium vel novitiam ligari obligatione *sponsalitia suspensa*.

ordinum sacrorum vel caelibatus sive virginitatis prae matrimonio *perfectioribus* statibus adnumerantur.

106. Sponsalia priora, etiam *iuramento* firmata, licet *non* solvantur ex parte *sponsi culpabilis* per alia sponsalia posteriora quae ex sese irrita sunt [106], tamen per matrimonium subsequens *valide*, sed *illicite*, cum tertia persona contractum dissolvuntur [107], salvo tamen manente iure, quod alteri parti ad reparationem damni exigendam pro re nata competit. Quo in casu sponsalia ita utrimque cessant, ut in utroque sponso, culpabili non excepto, obligatio sponsalitia certe saltem *suspendatur*, immo *probabilius* penitur *extinguatur* [108]. Quare etiamsi v. g. *uxor moriatur*

---

[106] Cfr. cap. 22, 31, X, h. t.; ASS. X, 195 sq.

[107] Cfr. c. 22, 31, X, h. t.; Instr. Card. Rauscher § 9; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 134 sq. Quare matrimonium invalidum, v. g. mere civile, ad solvendam priorem obligationem sponsalitiam certe non sufficit. Cfr. S. C. C. in casu. Ostunens. 10 sept. 1887; *Gasparri*, l. c. I, n. 105.

[108] *S. Raym.*, Summa l. IV, tit. 1, § 4: « *Tunc solvantur prima sponsalia propter maius vinculum superveniens* »; *Sánchez*, l. I, disp. 48, n. 3; *Pirhing* h. t. n. 59; *Reiffenstuel*, h. t. n. 242; *Gasparri*, l. c. I, n. 156; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 136 sq.; *Scherer*, § 110, not. 75, 87; *Schnitzer*, 102, not. 2; *Leitner*, 519 sq.; aliter *Schmalzgr.*, I. IV, tit. 4, n. 32 sq.; *Rosset*, n. 1020 sq., qui cum multis aliis *negant* etiam in parte culpabili *obligationem exstingui.*

Quae exstinctio *in praxi* facile est admittenda. Nam pars innocens ut plurimum *iure suo cedet*. Porro si post *longum tempus* per *mortem* alterius coniugis matrimonium solvatur, vix non semper tum in sponso culpabili tum in parte derelicta tot immutationes notabiles ortae sunt, ut obligatio celebrandi matrimonium in neutro sponso amplius urgeri possit. Porro ex c. 22, 31, X, h. t. et c. 1, X, de spons. duor. IV, 4, sponsus culpabilis *debet manere* cum uxore quam, derelicta sponsa legitima, duxit eique de fide mentita optimo iure imponitur paenitentia. At quaestio *theoretica* utrum obligatio sponsalitia tempore matrimonii sit *mere suspensa* et *post mortem* alterius coniugis denuo fiat *efficax*, an ipsis nuptiis celebratis ita *exstinguatur* ut postea in suppositione facta mortis coniugis denuo reviviscat, in illis capitibus nec attingitur nec expresse resolvitur. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. supra c.; *Rosset*, n. 1020; aliter *Scherer*, l. c. Aliunde vero *ex natura rei* merito deducitur *exstinctio* obligationis sponsalitiae etiam in sponso culpabili. Nam vinculum matrimonii, quod supervenit, est per se *perpetuum* et tantum *per accidens* temporale, atque sponsus culpabilis constituitur in statu de se perpetuo; iam vero huiusmodi *vinculum* et *status* superveniens *in eodem genere* causarum matrimonialium — non in diverso genere, v. g. *voti* et *matrimonii* — omnino videntur exstinguere vinculum *debilius* et statum mere *incohatum* sponsalium. Accedit quod per se, non tantum per accidens, sit indecentia quaedam, si quis stante eodem matrimonio sit ligatus *tertiae personae* ad celebrandas nuptias etsi periculum machinationis mortis omnino non exsistat. Quae indecentia certe non habetur, si quis tempore matrimonii simul *Deo* manet ligatus per obligationem *voti* suspensam. Cum illae rationes

ante primam sponsam neque aliud superveniat novum impedimentum, tamen sponsus culpabilis ad primam sponsam ex *certa* obligatione redire non *tenetur*.

§ II. De dissolutione sponsalium per recessum unius partis

107. *Uni* tantum ex sponsis competit *ius* recedendi ab sponsalibus altero remanente obligato, sc. pars quae aliquam ex *obligationibus* in contractu sponsalitio susceptis *non observet*. Nam iuxta R. I., 75, in Sext., frangenti fidem fides non est servanda. Id autem procul dubio fieret per novas amicitias inhonestas vel per fornicationem unius sponsi cum tertia persona (cfr. 25, X, de iureiur. II, 24), vel per novas nuptias etiam *invalide* celebratas sive attentatas, v. g. per matrimonium civile. Cfr. R. I., 52, in Sext. Immo si *uterque* sponsus post sponsalia carnaliter peccaret cum tertia persona, propter *fidem* sponsalitiam ex *utraque* parte laesam et *suspicionem* fundatam de fide coniugali *mutuo* non servanda, merito asseritur *utrique* parti, non soli sponso, liberum esse recessum ab sponsalibus [109]. Si forte fornicatio *ante* sponsalia commissa *postea* detegatur, non solum *sponsus*, sed etiam *sponsa honesta*, licite ab sponsalibus recedet [110]. Porro

---

valeant, etiamsi matrimonium *mala* fide sit celebratum, exstinctio obligationis cum *D'Annibale*, Summula P. III, n. 519, non est restringenda ad matrimonium *bona fide* contractum.

[109] *Schmalzgr.*, h. t. n. 162 sq.; 165 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 154 sq.; *Leitner*, 522 sq.; *Rosset*, n. 1038 sq.; aliter *Pirhing*, h. t. n. 62, aliique v. g. ipse *S. Alphonsus*, qui *soli sponso* ius resiliendi concedunt, quia fornicatio in sponsa sit turpior quam in sponso; immo *Paludanus* aliique, v. g. *Scherer*, § 110, not. 80, *neutri* sponso ob compensationem fas esse putant ab sponsalibus recedere. At illa *paritas* vel potius analogia petita ex *compensatione adulterii* (cfr. c. 6, 7, X, de adult. V, 16) ab utroque *coniuge* admissi *in sponsalibus* ex se solubilibus non est ad rem; maior vero *turpitudo* fornicationis in sponsa nihil probat in favorem sponsi fornicantis. Nam in fornicatione sponsorum non *sola turpitudo* est attendenda, sed etiam *violata fides;* in servanda autem fide *uterque* sponsus *eodem iure* utitur. Cfr. *D'Annibale*, l. c. n. 513, not. 6; *Gasparri*, I, n. 113; aliter *Schnitzer*, 100, not. 5, qui tamen cum *Rosset*, n. 1037, in controversia connexa de tactibus impudicis scite urget non a *sola* sponsa fidem sponsalitiam esse servandam contra *Schmalzgr.*, h. t. n. 180 sq., aliosque veteres scriptores etiam hac in re honestae *sponsae* libertatem resiliendi perperam negantes. Quae libertas etiam sponsae videtur vindicanda ob *publicam morum honestatem*, ut discoli iuvenes melius coerceantur. Cfr. *Leitner*, l. c.

[110] *Van de Burgt*, l. c., 337 sq. Rigidiorem sententiam sequuntur: *Santi*, h. t. n. 38; *De Angelis* aliique v. g. *Reiffenstuel*, h. t. n. 246 sq., qui in casu *soli* sponso, non sponsae etiam vere honestae, recessum ab

fides sponsalitia evidenter violatur per *nova sponsalia* cum tertia persona contracta, vel si *tempore* expresse *promisso* matrimonium non contrahatur, vel, si de tempore non sit conventum, *nimis differatur* [111] nuptiarum celebratio, vel si una pars, altera inscia vel invita, in *longinquam regionem discesserit* nunquam vel saltem non brevi tempore reditura [112], vel *damnum spirituale* vel *temporale* ex illa mora oriatur.

108. Sponsalia ab uno ex sponsis rescindi possunt aut per *mutationes notabiles*, quae iis de facto superveniunt, et quae, si *praevisae* fuissent, a contrahendis sponsalibus absterruissent, aut per *cognitionem defectuum*, qui *ante* sponsalia iam exstiterunt, sed *post* illa detecti sunt et tam notabiles censentur ut supervenientes sponsalibus rescissionem redderent *legitimam*, vel si antea cogniti fuissent ab sponsalibus *absterruissent* [113]. Huiusmodi superveniens mutatio vel cognitio triplici modo occurrere potest:

I. *In bonis corporis* [114]; v. g. valetudo notabiliter debilitata, deformitas magna, mutilatio corporis, mutatio domicilii etc.

---

sponsalibus permissum esse putant; at ipsorum ratio quod in sponsa fornicatio sit *turpior* quam in sponso rem intentam non evincit. Nam illa turpitudo, quamvis in sponsa sit *maior*, tamen in sponso non est *parva* nec pro puella vere *honesta* est *nullius* vel *levis* momenti habere potius virum *pudicum* quam *impudicum* et *suspectum* de incontinentia. Immo fornicatio sponsi potest esse talis, v. g. ob natam *prolem* vel cum *pluribus* feminis commissa, ut etiam ipsi patroni contrariae sententiae, v. g. *Rosset*, n. 1036 et *Reiffenstuel*, h. t. n. 251 et *Scherer*, l. c. not. 80, sponsam legitime resilire ab sponsalibus teneant. Cui doctrinae non obstabat c. 25, X, de iureiur. II, 24, quod merito explicatur de fornicatione *sponsae* praecedente ab sponso prius iam cognita, non de ignota ante sponsalia, ut pariter concedit *Reiffenstuel*, h. t. n. 247, sed parti alleganti ignorantiam incumbit onus probandi.

[111] Cfr. c. 22, X, h. t.; S. C. C. in caus. Mediol. 2 oct. 1723, in ed. *Richt.* C. Tr., 223; *Rosset*, n. 1074 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 89 sq. At in foro ecclesiastico non fuerunt receptae leges romanae, quibus sponsae declaratae fuerunt liberae ab obligatione ulterius exspectandi, si sponsus *in eadem provincia degens intra biennium* nuptias non celebravit (cfr. L. 2, c. de sponsal. V. 1) aut *post tres peregrinationis annos* (cfr. L. 2, repud. V 17) non rediit. Cfr. S. C. de Prop. F. 30 ian. 1787, 22 nov. 1790, in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1213, 1214; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 166 sq.

[112] Cfr. cap. 5, X, h. t.; S. C. C. in cit. caus. Mediol.; *Bened. XIV*, Quaest. can. 350; *Rosset*, n. 1066 sq.

[113] Cfr. c. 10, X, h. t.; Instr. Card. Rauscher § 6; *Schmalzgr.*, h. t. n. 185 sq.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 255 sq.; *Rosset*, n. 1044; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 160 sq.

[114] Cfr. c. 3, X, de coniug. lepr. IV, 8; c. 25, X, de iureiur. II, 24; S. C. C. 22 febr. 1698 permisit sponso recedere ab sponsa, quae clauda facta est.

II. *In bonis animi;* v. g. si sponsus fiat *haereticus*, schismaticus, apostata, appareat esse *saevus* et crudelis, prodigus, ebriosus, aleator, infamis ob crimen commissum vel vere suspectum, adscriptus sit *societati secretae*, incipiat laborare amentia, graves timeantur inimicitiae inter parentes vel consanguineos sponsorum [115].

III. *In bonis status et fortunae;* v. g. si unus ex sponsis fiat *pauper*, si debitis oneretur, vel status ipsius labilis nunc fiat notus, si se divitem fingat, si iustus et probabilis adsit timor amittendae *hereditatis*, v. g. a parentibus qui forte *iniuste* negant consensum [116], si deprehendatur ignobilis qui putabatur ex nobili stirpe natus, si sponsa eiusque parentes non velint aut non possint dare dotem promissam [117].

109. Rescissio quoque sponsalium est permissa, quando omnibus circumstantiis perpensis merito concluditur *matrimonium* ab sponsis celebrandum *exitum infelicem* esse habiturum. Nulla enim promissio quam maxime absoluta obligare potest ad rem promissam praestandam, quando vel utrique parti *damnosa* et *periculosa* esse praevidetur [118]. Quodsi circumstantiae, quibus in-

---

[115] Cfr. S. C. C. in caus. Nullius Ferentilli, 29 maii 1852, apud *Lingen et Reuss*, Causae select. S. C. C., 881 sq.; S. C. C. in Caus. Civit. duc. 14 maii 1729, in ed. *Richt.* C. Trid., 224, n. 26 iunct. n. 4, 14, 21 sq.; Inst. C. Rauscher § 5.

[116] *Rosset*, n. 1064 sq.

[117] Cfr. S. C. C. l. c. apud *Richt.*, 222 sq.; *Rosset*, n. 1056 sq., severius agit contra *Ballerini*, *Gasparri*, *De Angelis*, aliosque graves auctores, qui solutionem sponsalium licitam esse putant, si status oeconomicus sponsi sive per proprias divitias acquisitas sive per aliam sponsam ditiorem feliciter inventam in *meliorem condicionem* mutatus sit. Etenim imprimis non satis videtur distinguere inter *honestam* quandam *decentiam* et *strictam obligationem* pro *omnibus* casibus. Praeterea parum probat contra sententiam a *Rosset* impugnatam, quod «*iurista Pothier*» illam vocet «*scandalosam*»; nam in rebus moralibus primo loco audiendi sunt *theologi*, e *quibus* certe gravissimi auctores patrocinium illius opinionis susceperunt. Ipse vero *Rosset* suam assertionem *nimis generalem*, sc. mutationem supervenientem *in melius* non esse sufficientem rationem recedendi ab sponsalibus efficacibus argumentis non probat; at in hac suppositione fundatur ipsius severior opinio. Quodsi talis recessus esset adeo horrendus, difficulter intelligitur quomodo in contractu sponsalitio *expresse* talis condicio possit apponi, quod tamen *Rosset* disertis verbis concedit: «*Nisi fuerit in contractu expressa*». Denique mutatio fortunae in condicionem *meliorem* potest habere tales circumstantias, ut nequaquam tantum agatur *de lucro*, sed de honesta cura propriorum consanguineorum melius promovenda, aut de liberatione a nimis debitis et curis temporalibus. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 188 sq.; *Schnitzer*, 99, not. 6, 100, not. 1; *Scherer*, p. 135.

[118] Cfr. c. 10, X, h. t., c. 17, X, h. t. et resp. S. C. de Prop. F. 22

nititur illa praevisio, *culpa* vel *dolo* unius ex sponsis ortae sint, is alteri parti *damnum* ex frustratis promissionibus matrimonii illatum, non lucrum cessans, pro viribus resarcire tenetur [119]. Quae obligatio ad resarcienda damna non exsistit, si quis *ex iusta causa* ab sponsalibus resiliat; deest enim titulus obligationis sive ex re accepta sive ex iniusta damnificatione sive ex contractu [120]. A qua regula non est statuenda exceptio pro illo casu, in quo quis post sponsalia contracta ingrediatur religionem vel suscipiat ordines sacros; utitur enim iure suo neque de illa exceptione ullo *speciali* iure cautum est, nisi quis aliunde culpam vel dolum probare possit [121].

110. Etsi supponatur sponsalia valida tribuere vim inducendi naturalem obligationem conscientiae ad matrimonium promissum, nihilominus ipsa solvi possunt, etiam altera parte *invita*, per *dispensationem*, cuius concessio Romano Pontifici reservatur, si graves et iustae adsint rationes. Quae dispensatio, si sponsalia sint *iurata*, non nisi ob rationes graviores datur. Nam R. Pontifex potest dissolvere *matrimonium ratum;* ergo iuxta R. I. 53, in Sext. a fortiori ex causa proportionata valet solvere vinculum *minus firmum* sponsalium. Deinde R. Pontifex *ex iusta causa* potest in foro ecclesiastico auferre iura quaesita; ergo nihil obstat quominus etiam in parte invita ius ex contractu sponsalitio, non ex mera *lege* ecclesiastica, quaesitum iusta interveniente causa tollat. Tandem de iure R. Pontificis non amplius potest dubitari, cum iam frequenter illa facultate dispensandi de facto usus sit; quae dispensatio, dum existebat impedimentum canonicum sponsalium, non solum liberabat a vinculo legali iuris humani, sed etiam naturalem conscientiae obligationem auferebat, quae unice in iure Codicis secundum memoratam hypothesim est auferenda, ut quis licite aut deneget nuptias promissas aut eas cum tertia persona ineat. At Episcopi,

---

nov. 1790, ubi statuitur *mulieres* recedentes illegitime ab sponsalibus nunquam esse excommunicandas, et sponsos ob eandem rem *quandoque ex gravi causa* excommunicatos post annum esse absolvendos; Fontes Cod. VII, 178; Instr. C. Rauscher § 10.

[119] Cfr. L. 1, 0, C. de praescriptis verb. XIX, 5, (actio in factum); L. 1, D. de dolo malo IV, 3, (actio de dolo); Instr. Card. Rauscher §§ 8, 9, 10; *Rosset*, n. 1080. Matrimonium futurum non est tractandum ad instar *negotii cuiusdam lucrativi*.

[120] *Reiffenstuel*, h. t. n. 324 sq.; *Rosset*, n. 1081; *Lehmkuhl*, D. Buerg. Gesetzb. d. d. R. §§ 1298 sq.

[121] *S. Gregor. M.* (a. 598) in c. 28, C. XXVII, q. 2; Instr. C. Rauscher § 7; *Rosset*, l. c.; *Feije*, n. 563; *Schere*, § 110, not. 86.

qui carent potestate solvendi matrimonia rata *et* auferendi iura quaesita, etiam in hisce causis non habent facultatem dispensandi ut praxis ecclesiastica evidenter confirmat [122]. Quodsi R. Pontifex illam dispensationem tantum ex causa *proportionata*, non arbitrarie, indulget, insuper solet etiam consulere *indemnitati* partis laesae praesertim mulieris, et simul imponere *paenitentiam* parti culpabili.

CAPUT IV

De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent ac praesertim de publicationibus matrimonialibus

111. Fontes: Cpl. 1, lib. IV, tit. 3, de cland. desp.; cpl. II, eod.; cpl. IV, lib. IV, tit. 2, de cl. d. — Decret. Gregor. IX, lib. IV, tit. 3, d. cl. d. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr. — Clem. X decr. *Cum alias*, per S. Offic. 21 aug. 1670; Benedicti XIV Ep. encycl. *Satis vobis*, 17 nov. 1741, *Etsi minime*, 7 febr. 1742; *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743 etc. — Instr. S. C. de d. Sacr. 6 mart. 1911, 4 iulii 1921, in AAS. III, 102; XIII, 348. et praesertim novissim. Instruct. eiusdem S. Congregationis, d. 29 iun. 1941, AAS. XXXIII, 29, Periodica, XXX, 344.

Scriptores: Commentatores iur. Decret. h. t. — *Zech*, l. c. tit. 12 de imped. dirim §§ 3335 sq.; *Devoti*, l. c. § 147; *Aichner*, Compend. iur. eccl. §§ 163 sq.; *Sánchez*, l. c. l. III, disp. 5; *Rosset*, l. c. n. 1082 sq., *Feije*, n. 240 sq.; *Gasparri*, I, n. 126 sq.; *Esmein*, l. c. I, 202 sq., II, 195 sq.; *Bangen*, II, 3 sq. — *Chelodi*, n. 20 sq.; *Verm.-Cr.*, II, n. 285 sq.; *Vlaming*, I, n. 129 sq.; *Cappello*, I, n. 144 sq.; *De Smet*, n. 39bis et sq.; *Ferreres*, Derech. sacram. n. 441 sq.

Praenotiones

112. Conexio materiae. Matrimonium, postquam per sponsalia est *remote* praeparatum, ex mente Ecclesiae quamprimum

---

[122] *Sánchez*, l. I, disp. 61; *Schmalzgr.*, h. t. n. 154, 214; *Giovine*, l. c. 323 sq.; *Zitelli*, De dispens. matrim., 56 sq.; *Schnitzer*, 103; *Feije*, n. 557; *Aichner*, l. c. § 161, not. 11; *Leitner*, 346 sq. Cfr. exempla dispensationum a Sede Apostolica concessarum in ASS. I, 341 sq., III, 461, XV, 187, XVI, 388. Aliter *Schulte*, Eher., 298, ubi tenet *dispensationem* in casu concedi *non posse*, eo quod agatur *de iure tertii;* at haec ratio, ut patet ex textu, non est solida. Quodsi *Kutschker*, Eher. II, 243 sq., putat saltem in foro *externo* solummodo admitti posse « *auctoritativam declarationem* » non satisfacit modo loquendi in Curia romana constanter retento; nam « *dispensatio* » toties concessa non est simpliciter reducenda ad meram « *declarationem* » vel restringenda ad forum *internum*. Cfr. S. C. C. in c. Ostunen. 10 sept. 1887; *Scherer*, l. c. § 110, not. 110.

est celebrandum. Quod ut convenienter et legitime fiat opus est *proxima* quadam praeparatione, per quam accurate investigentur impedimenta quae celebrationi obstare possint, et si ea reperiantur tempestive removeri valeant per postulatam et obtentam dispensationem possibilem et convenientem. De hisce investigationibus agit cap. I huius tituli Codicis.

Necessitas inquisitionis. « *Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere* » (c. 1019 § 1). *Constare* autem dicitur quod argumentis positivis et moraliter certis innotescit, non meris coniecturis aut negavitis argumentis. Inde in parocho, cui commissa est sacramentorum dispensatio, tametsi sacr. matrimonii minister non sit, adest *grave officium* illam certitudinem sibi procurandi antequam nupturientes ad matrimonium *admittat;* ipsis quoque nupturientibus, quibus nefas est accedere ad matrimonium, eis forte prohibitum atque adeo in se invalidum, incumbit obligatio suppeditandi parocho media a iure requisita ad evincendam propriam immunitatem a quolibet impedimento, quod validae aut licitae matrimonii celebrationi obsistat.

Media a iure in illum finem praescripta reducuntur ad duo: 1°) investigatio parochi; 2°) publicationes sive banna.

Quae duo media *copulative* exiguntur in matrimoniis in *communibus* circumstantiis contrahendis; in casu vero *extraordinario*, sc. « *in periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento* », (c. 1019 § 2), quo iuramento probationes imperfectae complentur aut penitus supplentur.

Art. 1 - De parochi investigationibus [1*]

113. « *Parochus, cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet* » (c. 1020 § 1).

[1*] Uberrima expositio canonis 1020 simulque aptissimi catalogi quaestionum nupturientibus proponendarum habentur in Instr. S. C. de d. Sacram, d. 29 iun. 1941 (cfr. AAS. XXXIII, 297; Periodica, XXX, 344). Accuratae huius Instructionis scopus est evitare, quantum fieri possit, celebrationem illicitam et praesertim invalidam matrimoniorum inter christianos. Quo fiet ut diminuantur non solum querelae nullitatis, in quibus vinculi inexistentis declaratio intenditur, sed etiam ipsae petitiones convalidationis vel sanationis in radice quae semper praesupponunt vulnus saltem materialiter inflictum sanctitati matrimonii. Sapientissimae normae nunc

Cum de regula generali matrimonio assistere debeat paro-

---

primum pro omnibus stabilitae plenam efficacitatem conferunt praescriptis generalioribus in c. 1020 contentis. Certe vi paragraphi tertiae huius canonis cuiusque Ordinarii loci est peculiares normas pro investigatione conficienda tradere suis parochis, quod quidem sapienter statuitur cum in universali Ecclesia pro varietate locorum diversae quoque normae ordinis practici facile convenire possint. Nihilominus negari nequit quaedam statuta generalia, quae suam efficaciam ubique servent, etiam in hac re dari posse. Haec est ratio cur S. Congregatio suam adiutricem manum Rev.mis Ordinariis praebere non dubitarit, quin tamen minueret facultatem in paragrapho tertia c. 1020 contentam quoad opportunas mutationes in catalogis propositis introducendas sive per suppressionem sive per additionem quaestionum, prout personarum temporumque adiuncta suadere videantur.

Si nupturientes pertineant ad diversas paroecias, parochus in cuius territorio matrimonium non celebrabitur — generatim parochus sponsi — omnia necessaria peragere tenetur ut libertas proprii subditi in ordine ad matrimonium contrahendum patefiat. Quodsi contingat ut nupturientes ad diversas dioeceses pertineant, tunc transmissio documentorum ad parochum qui assistet matrimonio, fieri debet per cancellariam Curiae episcopalis illius dioecesis in qua matrimonium non celebrabitur. Huius Curiae episcopalis erit insuper litteras testimoniales dare de libertate status sponsi vel sponsae, prout casus ferat. Nec satis; nam in hoc casu haud licebit parocho assistere matrimonio quin obtineat a propria Curia licentiam, « nihil obstat » nuncupatam, quae ut patet, non concedetur nisi post examinata omnia documenta praematrimonialia. Expresse asseritur debere parochum *personaliter* investigationes praescriptas peragere; solum igitur iusta intercedente causa ab iis per se ipsum exsequendis excusabitur; at etiam in hoc casu ipse respondere debebit de neglegentiis ab aliis hac in re forte commissis. Nec ab onere inquirendi eximitur parochus licet moraliter certus sit de absentia impedimentorum; vult enim S. Congregatio ut requisita certitudo moralis hauriatur praecise ex ipsis investigationis documentis, cum haec inservire debeant dein Ordinario vel eius delegato ad praescriptam revisionem faciendam. Exigantur ante omnia documenta de susceptis sacramentis baptismi et confirmationis; dein examen proprie dictum initium sumet a prolatione iurisiurandi quo nupturientes sollemniter promittant Deo se sincere esse responsuros quaestionibus proponendis. Si quando vero occurrat nupturiens qui antea matrimonium invalidum contraxerit vel solutionem vinculi veri legitime obtinuerit, servandum erit adamussim praescriptum c. 1069 § 2, quin sufficiat *ullo in casu* certitudo moralis quam fortasse hauserit aliunde parochus de absentia vinculi coniugalis. Cum petatur dispensatio ab impedimentis consanguinitatis et affinitatis ad vitandos errores in computandis gradibus mittenda erit ad S. Congregationem *arbor genealogica*. Ad detegenda impedimenta matrimonialia praesertim dirimentia fundamentum praebent solidissimum libri paroeciales; inter hos vero locum obtinet principem liber baptizatorum. In eo enim debet annotari vi canonis 470 § 2, si quis matrimonium contraxerit aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit vel sollemnem professionem emiserit; insuper ex praescripto articuli 225 § 2 Instructionis, datae a S. Congr. de d. Sacr. d. 15 aug. 1936, in libro baptizatorum annotari debet

chus *sponsae*, (c. 1097 § 2), huic incumbit investigatio, nisi verificetur casus exceptus; in qua perficienda adhiberi debent omnia

---

etiam, si casus occurrat, sententia nullitatis matrimonii una cum vetitis forsan statutis, quod locum habere potest praecipue in casibus impotentiae relativae. Quae omnia accurate debent referri, cum casus detur, in documento accepti baptismatis. Matrimonii vero celebrati annotatio in libro baptizatorum tantum habet momentum, ut parochi qui matrimonio astiterint, quoties diversus sit parochus loci baptismi amborum coniugum vel etiam unius illum statim monere debeant de celebrato matrimonio nec tuta conscientia acquiescere possint donec nuntium de peracta transcriptione non receperint. Ex sua parte Ordinarii locorum curare debent ut certior fiat quantocius de sententia exsecutiva nullitatis matrimonii vel de apostolica dispensatione a matrimonio rato et non consummato, cum casus occurrat, rector paroeciae in cuius libris officialibus celebratio matrimonii fuerit consignata, ut in regestis tam matrimoniorum quam baptizatorum decisio auctoritatis ecclesiasticae, una cum vetitis forte additis, fideliter referatur. Eadem norma servanda esse videtur, cum agatur de declaratione nullitatis matrimonii ab Ordinario prolata secundum praescripta cc. 1990-1992. Si vero contingat ut parochus loci baptismi sit diversus ab eo in cuius libris paroecialibus constat de celebratione matrimonii, hic tenebitur transmittere illi notitiam ab Ordinario acceptam, ut fiat annotatio praescripta in libro baptizatorum, et demum Ordinarium certiorem reddere de iis quae peregerit. Haec nota transmissa parocho loci baptismi videtur sufficere, etsi quis fuerit extra propriam paroeciam baptizatus; hoc enim modo obtinetur iam finis quem persequitur praesens dispositio, cum documentum accepti baptismatis, requisitum ad matrimonium, debeat dari a parocho loci baptismi; sufficit ergo ut ipse annotet in libro baptizatorum quidquid spectat ad statum personalem singulorum.

Ex dictis iam patet cur exigatur a nupturientibus ut exhibeant fidem baptismi recentem, quae scilicet non fuerit exarata ante semestre quam matrimonium ineatur; quo enim recentior illa sit, eo brevius erit spatium temporis in quo potuisset disparere libertas status quin de hac re fiat mentio in documento accepti baptismatis.

Si vero nupturientes asserant etiam iureiurando se non esse baptizatos, adeundus erit parochus originis penes quem ad normam c. 778 debet inveniri testimonium baptismi alibi collati filiis eorum qui ad paroeciam pertinebant. Nupturientes enim induci possent ad negandam receptionem baptismi, eo quod timeant ne ex documentis baptismi detegatur statum libertatis non amplius exsistere pro alterutra vel utraque parte. Quantum sit cordi S. Congregationi diligens adimpletio praescriptorum huius Instructionis patet in primis ex seria vigilantia quae pro tota hac re instituitur. Exoptatur enim ut Ordinarii bis in anno et quidem personaliter inspiciant regesta paroecialia matrimoniorum et baptizatorum; praecipitur vero ut id fiat saltem semel in anno per idoneos delegatos. Atque in his visitationibus singuli actus erunt perpendendi et speciali signo communiendi, quo de peracta recognitione constet. Ex sua parte locorum Ordinarii quotannis, cum relationem mittant de tractatione causarum matrimonialium, debent pariter S. Congregationem certiorem reddere de peractis visitationibus nunc praescriptis; Ordinarii vero Italiae,

media, quae ad finem intentum aptiora videantur, et praesertim *examen utriusque sponsi* nunquam omittendum [2].

§ I. De notione, divisione et historia examinis sponsorum

114. Examen sponsorum generatim intelligitur inquisitio legitima competentis Superioris ecclesiastici ipsis proclamationibus matrimonialibus *praemittenda*, qua constet de conformitate matrimonii celebrandi cum legibus ecclesiasticis.

Quod examen dividitur: I. *In generale*, quo parochus *ab ipsis sponsis* inquirere debet num omnia adsint *requisita* ad validam et licitam matrimonii celebrationem. II. *In speciale*, de sufficienti *instructione* sponsorum saltem in rudimentis fidei catholicae et obligationibus status coniugalis. III. In *speciale examen testium*, sive processus de probando *libero statu* sponsorum, qui matrimonium contrahere volunt, praesertim quoad impedimentum ligaminis.

Cum primi christiani matrimonia non inirent sine consensu et approbatione Episcopi, (cfr *S. Ignatium*, in ep. ad Polyc. cap. 5) pronum est concludere aliquod examen illi approbationi fuisse praemissum. Porro *Tertullianus*, De pudicit. cap. 4, testatur: « *Ideo penes nos occultae quoque coniunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur* ».

Postea in Capitulari Caroli M. (a. 802) cap. 35, statuitur: « *Coniunctiones facere non praesumant, antequam Episcopi, presbyteri cum senioribus populi consanguinitatem coniungentium diligenter exquirant* ». Quae investigatio in Rit. Rom., tit. VII, De sacram. matr., parochis expresse praescribitur.

§ II Disciplina vigens examinis sponsorum

115. I. **Examen generale.** Parochus, cum sponsi ipsi suam manifestant intentionem determinato tempore contrahendi matrimonium illumque rogant ut mox fiant proclamationes matrimoniales, sub gravi obligatione, ex natura officii et iure positivo

---

qui ad illam relationem mittendam non tenentur, sub initio cuiuslibet anni idem praestabunt.

[2] Cfr. *Sánchez*, I. III, *disp.* 14, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, IV, 3, n. 59, 60; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 165; *Van de Burgt*, 353 sq.; *Schneider*, « Manuale sacerd. », P. II, 324 sq. (ed. 17). Archiv f. k.K. I, 443; *Scherer*, § 111, not. 3 sq.; *Leitner*, 384 sq., 525 sq.; *De Smet*, n. 679.

imposita, omnino tenetur investigare utrum aliquod impedimen-
tum validae vel licitae celebrationi matrimonii obsistat necne.
Quae obligatio est distincta et independens a lege de *proclama-*
tionibus, immo *antequam* vel ipsa *proclamatio* fiat, examen insti-
tuendum est. Itaque imprimis *ipse*[3] *parochus*, nisi necessitas co-
gat alium sacerdotem deputare, sponsum et sponsam coram se
constitutos examinet de impedimentis *publicis* et nullo modo dif-
famantibus, v. g. ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, publicae
honestatis, cognationis spiritualis; deinde tam sponsum quam
sponsam *seorsim, caute* et, ut dicitur, ad aurem explorare stu-
deat, an ex *voluntate, sponte* ac libenter et vero cum animi con-
sensu in matrimonium vicissim coniungantur..., ullumne et cuius
generis impedimentum occultum, v. g. impotentiae, voti vel re-
ligionis vel forte ex peccato ortum, v. g. criminis, inter contra-
hentes intercedat, aliisne fidem sponsionemve alter ex contra-
hentibus dederit, *de consensune parentum* filii filiaeque fami-
lias. Quo in examine sponsi manifestare debent ex *gravi* obliga-
tione impedimenta etiam occulta et diffamantia, nisi forte iam
antea obtinuerint dispensationem; agitur enim de periculo ani-
mae vitando.

Huc quoque spectat examen circa domicilium aut mens-
truam commorationem sponsorum, unde pendet liceitas assis-
tentiae parochi ad matrimonium; qui praeterea vagorum ma-
trimonio assistere non potest nisi *de licentia Ordinarii* loci;
quodsi alteruter sit emigrans etiam *inconsulto eodem Ordinario*
assistere non debet[4].

116. II. Examen de doctrina. Praeterea sponsi a *proprio* pa-
rocho *ante* omnes proclamationes pariter examinandi sunt num
in *rudimentis religionis christianae* et obligationibus status *suf-*
ficienter sint instructi, nisi ob personarum qualitatem de spon-
sorum sufficienti instructione iam parocho satis constet. Cum
enim coniuges matrimonium contrahentes *sacramentum* reci-
piant *vivorum* et filios suos rudimenta fidei *docere* debeant,
uterque sponsus ea rudimenta ex lege divina et ecclesiastica
sciat necesse est[5]. In ignorantia rudimentorum fidei versatur

[3] Benedict. XIV Const. *Etsi minime*, 7 febr. 1742, § 14, Const. *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743, § 10; *Rosset*, n. 1138 sq., 1152; *De Smet*, n. 680.

[4] Obligatio comprobandi statum liberum sponsorum fortius urget quoad vagos (c. 1032) et quoad emigrantes. Cfr. Instr. S. C. de d. Sacr. 4 iul. 1921, in AAS. XIII, 348 et Instr. eiusdem S. Congr. d. 29 iun. 1941, AAS. XXXIII, 297.

[5] Bened. XIV Const. *Etsi minime*, 7 febr. 1742 § 11, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 14; decretum S. C. Inquis. coram *Innoc. XII* habitae ann. 1697

qui ignorat orationem dominicam, salutationem angelicam, sym-
bolum apostolicum, praecepta Dei et Ecclesiae, actus fidei, spei,
caritatis et contritionis et ea, quae sciri debent necessitate me-
dii. Huiusmodi personae ignorantes ex iure praecedente, ut opti-
me probat *Benedictus XIV*, De Syn. dioeces. l. XIII, c. 14, erant
respuendae a matrimonio. Qua prohibitione neque Episcopus
neque parochus sibi vindicabant ius statuendi novum quoddam
et perpetuum impedimentum impediens[6], sed suo vetito ob cau-
sam omnino rationabilem sponsos ignorantes *ad tempus* arce-
bant a matrimonio, *donec* sibi comparaverint necessariam cog-
nitionem rudimentorum fidei. At recte iam monuit idem Bene-
dictus XIV: « *Quandoque evenire ut quis praecipua fidei nostrae*
mysteria et sciat et credat, cetera pariter, quae necessitate prae-
cepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed
quia hebetis est ingenii et exilis memoriae post omnem adhibi-
bitam diligentiam illa memoria retinere et recitare non valeat;
in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matri-
monio, quod est institutum in officium naturae et propterea ne-
mini sine propria culpa est negandum, sed curabit parochus ut
qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat quae semel
crasse didicit, ne ab eius mente penitus elabantur »[7]. Nunc au-
tem ex responso Commiss. Codic. (2-3 iun. 1918, in AAS. X, 345)
etiam iis qui discere renuant non est negandum aut differen-
dum matrimonium, nec tractandi inde sunt ut publici peccato-
res. Fortior tamen inde parochum urget obligatio eos, dum ma-
trimonium paratur, meliore quo fieri possit modo instruendi. Si
sponsi domicilium habeant in *diversis* paroeciis, unusquisque
sponsus a suo parocho videtur esse examinandus, atque testi-
monium de sufficienti instructione religiosa parocho assistenti
matrimonio saltem ante celebrationem nuptiarum est exhiben-
dum. Parochus, qui matrimonio *assistit*, certe curare debet, ut
omnia sint rite peracta.

117. Absoluto duplici examine de *impedimentis* et de *rudi-*

et a *Clement. XI* confirmatum. Cfr. *Bened.* XIV, De Synod. dioec. l. c. n. 3; *Rosset*, n. 1127 sq.; *Van de Burgt*, 289 sq. Quae in laudatis decretis Sedis Apost. praescribuntur, iam antea a non paucis Synodis particularibus fuerunt statuta (cfr. *Bened. XIV*, l. c. n. 1, 3, 9; *Schulte*, l. c. § 9, i. f), et nostra aetate passim in Ritualibus vel Synodis dioecesanis vel in Conciliis provincialibus etiam maiore studio et ambitu, v. g. in matrimoniis mixtis, exiguntur. Cfr. Collect. Lac. III, IV, V, VI, in ind. v. Matrimonium.

[6] Inde hoc impugnabat *Sánchez*, l. III, d. 15, n. 18 sq., quem confutabat *Rosset*, n. 1133 sq., 1136.

[7] *Bened. XIV*, l. c. n. 6; *Gasparri*, I, n. 537; *Scherer*, § 113, IV, not. 28, 29; *Cappello*, I, n. 155; *Chelodi*, n. 22

mentis fidei, quod facile uno actu eodemque tempore cum singulis sponsis peragi potest, secundum Rituale Romanum l. c., Ritualia dioecesana et statuta particularia utrique sponso a parocho proprio etiam positiva et specialis *instructio* diligenter at prudenter dari debet, quomodo ad sacramentum matrimonii pie suscipiendum sese convenienter praeparent, et quomodo in illo recte et christiane conversari debeant (c. 1033). Quae instructio non videtur differenda usque ad *ultimos dies ante* nuptias, sed vel immediate ante proclamationes vel primo proclamationum tempore est absolvenda. Porro praxis illa reservandi *confessioni* sponsorum *instructionem* de sanctitate matrimonii et coniugum officiis non videtur esse conformis naturae *iudicii* in *tribunali* paenitentiae exercendi neque Catechismo Romano, Rituali Romano ac Ritualibus statutisque particularibus. Quemadmodum vero generales et ieiunae exhortationes parum efficiunt, ita etiam a senioribus parochis curandum est, « *ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videtur aut pias mentes laedere aut risum movere queat* ». Cfr. Catech. Rom., De sacram. matrimonii, n. 33; *Gasparri*, I, n. 241 sq.; *Leitner*, 526 sq.; *De Smet*, n. 694 sq.

118. III. **Testimonia exhibenda.** Denique parochus, *antequam* ad proclamationes procedat, inquirere debet de *baptismo* [8] etiam partis forte acatholicae — ne contingat ut matrimonium propter impedimentum disparitatis cultus sit invalidum — et de sacramento *confirmationis* rite suscepto, ante cuius receptionem non debent admitti ad matrimonium, nisi grave aliquod incommodum excuset (c. 1021 § 2) [9]. Atque de hac re facile constare potest aut ex propriis libris paroecialibus de baptizatis et confirmatis aut ex testimonio authentico vel aequivalente probatione, v. g. per unum testem fide dignum vel testimonium primae communionis vel propriam assertionem sponsi iuramento confirmatam, si ex scientia propria iurare possit [10]. At ubi scientiam ex propriis libris paroecialibus non hauriat, debet exigere testimonium officiale ex libris paroecialibus rite depromptum [11],

---

[8] S. C. C. 6 iun. 1662; Instr. Card. Rauscher § 70; *Gasparri*, I, n. 167 sq.; *Schnitzer*, 115 sq.; *Aichner*, l. c. § 191, n. 3.

[9] Cfr. c. 787, Conc. Episc. Sicil. (a. 1850) et Conc. prov. Vienn. (a. 1858) in Collect. Lac. V, col. 174, VI, col. 823.

[10] Cfr. cc. 779 et 800 de probatione recepti baptismi et confirmationis, iunct. Instr. S. C. de d. Sacr. 6 mart. 1911 et d. 23 iun. 1941, n. 4.

[11] Obligatio documenti exigendi in oeconomia Codicis etiam inde fortius urget relate ad documentum, quod ex una parte rigidiores probationes iuris communis praecedentis de statu libero contrahentium non commemorantur in novo iure, et ex alia parte satis perfecta probatio nunc

et solum in casu impossibilitatis debet recurrere ad alias probationes. Fides vero baptismi recens esse debet nec ante semestre exarata quam matrimonium ineatur.

Praeterea pro diversis casibus alia quoque documenta parocho a sponsis sunt rite exhibenda, velut testimonium de *morte* prioris coniugis, documentum authenticum alicuius *dispensationis* super *impedimento* iam obtentae, vel *solutionis* matrimonii *rati* a Sede Apostolica concessae, vel declarationis *nullitatis* legitime factae, vel *professionis sollemnis* alterius coniugis cum declaratione iudicis ecclesiastici de matrimonio non consummato. Cfr. Instr. d. 29 iun. 1941, n. 4, c-ε.

Memorata testimonia, ut valorem iuridicum habeant, Ordinarii loci recognitione non egent; si tamen ex diversa dioecesi venire debeant, transmissio fiat semper per tramitem cancellariae Curiae episcopalis; et si nupturientium parochi sint diversae dioecesis, qui debet assistere matrimonio tenetur mittere ad propriam Curiam omnia documenta praematrimonialia ad obtinendam licentiam in hoc casu omnino necessariam. Cfr. cit. Instr. n. 4, a.

Pro *status liberi* probatione relate ad impedimentum *ligaminis*, cum quis ab illo impedimento se liberum praetendit ob mortem coniugis, specialia argumenta exiguntur de quibus infra cum de illo impedimento sermo erit.

119. Scholion. Iure communi praecedente praeter examen sponsorum, ad statum liberum comprobandum requirebatur speciale examen *aliorum testium;* de qua re aderat celebre decretum *Cum alias* a S. Offic. iussu Clem. X, 21 aug. 1670, latum, deinde saepius confirmatum et inculcatum usque ad recentissima tempora [12]. At de facto extra dioeceses Status pontificii illa lex de examine testium aut non fuerat recepta aut iamdiu in desuetudinem abierat, praesertim ubi ageretur de nupturientibus eiusdem dioecesis, qui extra dioecesim versati non fuissent,

---

ex ipso documento baptismi peti potest: nam ex c. 470 § 2 in libro baptismi adnotari debet matrimonium contractum, subdiaconatus receptus, professio sollemnis emissa, et ex c. 1988 matrimonium declaratum nullum, quae adnotationes in documento recepti baptismi sunt referendae.

[12] Cfr. quoque declar. S. C. Inq. 24 febr. 1847 et Instr. eiusdem S. C., 20 aug. 1890, ad Episc. orient. in ASS. VI, 442 sq.; XXII, 631 sq.; XXIII, 189 sq., iunct. Collect. S. C. de P. F., n. 1363 sq.; ubi alia documenta; Instr. C. Rauscher §§ 70, 246 sq.; *Feije*, n. 254 sq., 441 sq.; *Gasparri*, I, n. 173 et II, Alleg. III; *Scherer*, § 111, not. 9; *Rossel*, n. 1117 sq.; *Van de Burgt*, l. c., 354 sq.

nec expectabatur licentia Ordinarii loci ad hoc ut posset procedi ad proclamationes et deinde ad matrimonium celebrandum [13].

Cum de examine illo testium et de licentia Ordinarii loci expectanda Codex sileat, et negotium inquisitionis parocho committat cum limitationibus in cc. 1023, 1030, 1031 et 1032 impositis, dicendum est iure Codicis praescripta iuris praecedentis fuisse abrogata [14], licet in casibus dubiis et quando subest suspicio impedimenti parocho normam directivam exhibeant pro investigatione peragenda. Quare Episcopus non videtur posse repristinare praescripta illa abrogata, exigendo per legem aut statutum dioecesanum ut generaliter in *quibusvis casibus* cum formalitatibus decreti Clementini examinentur testes atque ad proclamationes et ad matrimonium non procedatur nisi obtenta prius Curiae licentia, quamvis in casibus particularibus ob iustam causam eam pro suo iure exigere possit; multo magis id exigere potest in casibus in quibus ipse Codex praecipit parochis recursum ad Ordinarium loci; *Cappello*, I, n. 158; cfr. quoque resp. Comm. Codic. 2-3 Iunii 1918, in AAS. X, 345. In Instr. S. C. de Sacr. d. 29 iun. 1941 valde *exoptatur* ut, antequam parochus ad matrimonii assistentiam procedat, licentiam suae Curiae, quam *nihil obstat* nuncupant, consequatur (n. 4, a).

---

[13] Cfr. S. C. Inq. 30 nov. 1898, iunct. Instr. 1 febr. 1865, in *Anal. eccl.* VII, 8 sq.; *Feije*, l. c. n. 261; *Rosset*, l. c. n. 1121 sq.; *De Becker*, 272 sq. At si *Bouix*, De iud. eccl. II, 465, putavit Instr. *Clementis X* non amplius obligare, ubi propter actus in foro civili gestos praecipuus *finis* legis ecclesiasticae cessarit, haec sententia nititur supposito evidenter *falso;* nam codices civiles nunc passim multa impedimenta canonica reiciunt atque vicissim in non paucis casibus perperam admittunt *divortium*. Insuper S. C. Inq., 2 apr. 1873, ad 5, illam opinionem de sufficientia attestationis syndici reprobavit.

[14] Mitior haec disciplina iam inde fuit praeformata quod S. Sedes antiqua decreta non urgebat *aequaliter de omnibus impedimentis* nec quoad *omnes formalitates. Bucceroni, Anal. eccl.* X, 273. Porro quoad suam generalitatem dicebantur ab ipso *Gasparri*, l. c., pro Curiis episcopalibus «*fere importabile onus*». Denique decreta Sedis Apostolicae de *morte* alterius coniugis probanda, de impedimento ligaminis vel voti sollemnis in *exteris* vel *vagis*, non eodem rigore ad *alia* matrimonia propriorum dioecesanorum videbantur esse applicanda. Cfr. *De Becker*, De sponsal. et matrim., 272 sq.; *Nouv. Revue théolog.*, XXXIII, 644 sq. *Rosset*, n. 1123.

Art. 2 - De publicationibus sive bannis

§ 1. De notione atque origine proclamationum

120. Proclamationes sive denuntiationes sive banni [15] matrimoniales sunt edicta publica (banna) tribus continuis diebus dominicis vel festis inter Missarum sollemnia aut inter alia divina officia a proprio parocho promulgata, certis personis consilium esse contrahendi matrimonium ideoque fidelibus incumbere obligationem denuntiandi impedimenta, quae eidem obstant.

121. Ad avertendos infelices exitus matrimoniorum summopere interest, ut *ante* illorum celebrationem detegantur impedimenta, dirimentia vel impedientia, quae interdum *ab sponsis* sive scienter sive ignoranter reticentur, simulque iis, quorum iura forte violantur, danda est occasio illa vindicandi. Hinc iam ante [16] Concilium Later. IV (a. 1215) praesertim in Gallia ab Odone de Soliaco, Episcopo parisiensi, c. a. 1198, introducta [17] est praxis publice quasi tribus edictis denuntiandi futura matrimonia. Similiter c. 11 Synodi londinensis (a. 1200) prohibetur ne quis nuptias celebret, nisi trina et publica denuntiatio in ecclesia antea facta sit. *Banna* quoque usu recepta in ecclesiis Galliae iam commemorantur ab *Innocentio III*, a. 1212, in epistola ad Episcopum belvacensem = c. 27, X, de sponsal. IV, 1, et c. 6, X, qui matr. accus. IV, 19. Postea ipse *Innocentius III*, a. 1215, in Concil. Later. IV, capitul. 51 = c. 3, X, de cland. despons. IV, 3, *specialem quorundam locorum* (i. e. Galliae) *consuetudinem* de bannis nuptialibus lege universali *ad alia generaliter* extendit, accuratius circumscripsit poenisque adiectis munivit. Quam legem Concilii Lateranensis IV mox quamplu-

---

[15] Cfr. c. 27, X, de sponsal. IV, 1; *Ducange*, Glossar., vv. Bannus, Bannum; *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 60 sq.; Kirchenlex. v. Bannum.

[16] Quamvis in antiquo Ecclesiae iure publicae et proprie dictae denuntiationes matrimoniales non occurrant (cfr. *Freisen*, 138), tamen vetustissima illa praxis manifestandi Superioribus ecclesiasticis, parentibus et vicinis intentionem cum certa persona celebrandi matrimonium, ut inquisitio quaedam praevia fieret de impedimentis forte exsistentibus (cfr. praesertim Capitulare *Carol. M.* a. 802, capit. 35; Synod. Ratisbon. (?) saec. IX vel VIII celebr. cap. 12, apud *Hefele*, Concilieng. III, 735), consuetudinis publicarum denuntiationum fuit praeformatio.

[17] Bened. XIV Const. *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758; *Scherer*, § 111 not. 11.

rima Concilia provincialia aut iisdem verbis repetebant aut additionibus factis modum observandi quoad omnes circumstantias a Concilio oecumenico non expressas melius determinarunt; at praxis frequenter sacris canonibus non fuit conformis [18]. Tandem sicut *Innocentius III* adoptaverat consuetudinem Ecclesiae gallicanae (cfr. part. decis. in c. 27, X, de spons. IV, 1), ita Concilium Tridentinum ex laudabilibus illis additionibus non pauca assumpsit et sic capitulum Concilii Lateranensis IV ampliavit. Quae nova disciplina Tridentina de proclamationibus *ut decreta Tridentina* vim habebat, si in forma legitima, iure speciali capitis *Tametsi* requisita, promulgata fuisset [19].

Ius matrimoniale decreti *Ne temere* de bannis legem Tridentinam non mutavit. Hinc proclamationes matrimoniales iuris Tridentini, legitime promulgati, manebant obligatoriae. Codex legem Tridentinam innovavit atque accuratius circumscripsit, paucis opportune inductis mutationibus.

§ II. De subiecto, obligatione atque vi proclamationum

122. Obligatio proclamationum. Frequenter in *examine sponsorum* nullum impedimentum dirimens aut impediens detegitur, aut quandoque ab impedimento forte exsistente *dispensatio* iam est obtenta. Nihilominus proclamationes matrimoniales in forma ecclesiastica *ante celebrationem* matrimonii ab Ecclesia omnibus *qui concernuntur* sub *gravi* peccato praescriptae [20], etiam in matrimoniis servorum (cfr. S. C. de Prop. F., 1 apr. 1816) omnino sunt peragendae, neque per proclamationes a magistratu civili ad celebrationem matrimonii civilis factas per se suppleri possunt. Cfr. S. C. Inq. ad Vicar. Apost. Iamaic. 12 maii

[18] *Schulte*, Eher. § 8; *Hefele*, l. c. V, 948, 1153, VI, 645, 695, VIII, 97, 153, 156, IX, 578, 853; *Rossel*, n. 1082 sq.

[19] Ex cap. 3, X, de cland. despons. IV, 3, quod ubique terrarum fuit observandum, *una* tantum praescribebatur proclamatio. Quare ubi cap. *Tametsi* Conc. Trid. ne quoad ius quidem de proclamationibus sive expressis verbis sive usu esset promulgatum, ex capit. Conc. Lat. IV, et iure Decretal. *una* saltem denuntiatio omnino requirebatur et *sufficiebat*, nisi statutis vel consuetudinibus particularibus duae vel tres proclamationes essent praescriptae. Cfr. Bened. XIV Const. *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758; Conc. plen. Baltimor. I, (a. 1852) in Collect. Lac. III, col. 146. Cfr. quoque Collect. Lac. l. c. col. 488, 648, 937, 1076; *Van de Burgt*, l. c., 356; *Feije*, n. 240; *Gasparri*, I, n. 195 sq.; *Esmein*, I, 203 sq..

[20] Cfr. *Cappello*, I, n. 161, de gravi peccato saltem in omissione *omnium* proclamationum, licet admittatur mitior sententia in omissione *duarum*, existente morali certitudine de absentia impedimentorum.

1881. Publicationes enim civiles iam ex sese ad scopum Ecclesiae obtinendum sunt insufficientes, quoniam leges civiles complura impedimenta canonica non curant, neque speciali formae proclamationum iure ecclesiastico constitutae similis quaedam proclamatio civilis, ab Ecclesia reprobata, arbitrarie substitui potest [21]. Nec proclamationes omitti possunt ex illa ratione quod partes aut parochus sciant matrimonio nullum obstare impedimentum aut praetextu inutilitatis, quia ignoti sunt nupturientes in loco ubi de iure sunt proclamandi; lex enim in casu fundatur in *praesumptione communis periculi ideoque* non cessat etiamsi in casu quodam particulari praesumptio non verificetur (c. 21).

123. *Cessat* obligatio: 1°) In matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis. Immo in hoc casu proclamationes sunt *prohibitae*, *« nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae »* (c. 1026) [22].

2°) Quando agitur de celebrando *matrimonio conscientiae* (c. 1104).

3°) Quando agitur de matrimoniis *summorum principum*, quod usu universali inductum fuerat, ex illa ratione quod eorum genus adeo notum sit ut impedimentum, si quod obstet, facile cognosci possit. Quae exceptio etiam iure Codicis videtur perseverare, cum in huiusmodi matrimoniis praeparandis non soleat intervenire parochus [23].

4°) In casu necessitatis, si videlicet matrimonium differri nequit sine gravi incommodo et tempus non suppetit recurrendi ad Episcopum pro dispensatione. Quae urgens necessitas praesertim verificatur in periculo mortis, dum v. gr. moribundus concubinarius est matrimonio copulandus (cfr. c. 1019 § 2), at etiam extra periculum mortis verificari potest [24].

[21] Cap. 3, X, h. t. *In ecclesiis per presbyteros;* Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matrim.; Bened. XIV Const. *Paucis abhinc* et Const. *Nimiam licentiam*, 18 mart. 1743, § 14; Instr. Card. Rauscher § 65; *Sánchez*, l. III, disp. 5 sq.; *Ferraris*, v. Matrimonium artic. 4. *Van de Burgt*, l. c., 377 sq.; *Feije*, n. 262 sq.; *Rossel*, n. 1086 sq., 1125 sq.; *Gasparri*, I, n. 153 sq.

[22] Illa prohibitio proclamationum in casu, iure Codicis, saltem quoad parochum, fortius urget quam iure praecedenti, in quo stricta lex generalis de bannis omittendis non dabatur. Cfr. *Gasparri*, I, n. 461.

[23] *De Smet*, n. 62; *Cappello*, I, n. 162.

[24] *De Smet*, l. c.; *Cappello*, l. c.; *Sánchez*, l. III, disp. 7, n. 46; *Rosset*,

124. Licet obligatio curandi ut publicationes matrimonio praemittantur afficiat nupturientes, obligatio eas faciendi, tanquam personam edicta publica *promulgantem*, proxime afficit *proprium* sponsorum *parochum* (c. 1023 § 1) atque adeo illa denuntiatio est functio parocho reservata (c. 462, 4°).

Iam vero parochus proprius est parochus loci in quo sponsi habent domicilium aut quasi-domicilium, illius vero qui est *vagus* aut non habet nisi *dioecesanum* domicilium aut quasi-domicilium est paróchus loci in quo actu commoratur (c. 94 §§ 2, 3). Quare in genere in omnibus domiciliis et quasi-domiciliis contrahentium sunt faciendae proclamationes, cum eorum locorum parochus sit nupturientium parochus proprius.

Ergo: 1°) si utraque pars contrahens domicilium habeat in una eademque paroecia, ibi tantum est proclamandum matrimonium.

2°) si habent domicilium in diversis paroeciis, in utraque publicatio fieri debet [25].

3°) si uterque sponsus vel alteruter in una paroecia domicilium habet, in alia quasi-domicilium, pariter in utraque paroecia denuntiatio matrimonii est facienda [26].

4°) *vagi* et habentes solum domicilium dioecesanum proclamandi sunt in loco actualis commorationis.

5°) domicilium derelictum et locus originis, ex iure communi Codicis non attenditur, quorum parochus evidenter non est parochus nupturientium [27].

Nihilominus « *si pars in alio loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat* ». Immo « *si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio ad normam § 2 removeatur* » v. gr. per publicationes in determinato brevioris commorationis loco aut per alias probationes vel coniecturas (c. 1023 §§ 2, 3). Qua iuris dispositione tribuitur Ordinariis ampla facultas promulgandi peculiares normas pro determinando statu libero, eorum praesertim qui in alia dioecesi commorati sunt aut ab alia dioecesi veniunt; quod enim Ordinario committitur decidendum ad recursum parocho praescriptum, potest iam Ordinarius ipse determinare per peculiares normas pro casibus occurrentibus antecedenter promulgatas.

n. 1176. Quodsi Conc. Trid., in casu suspicionis quod matrimonium malitiose impediri possit, permittit ut unica dumtaxat fiat proclamatio vel ut omnes omittantur et deinde ante matrimonii consummationem tres fiant proclamationes, cum illa permissio quoad omissionem fundetur in principio, quod lex mere ecclesiastica cum gravissimo incommodo non obligat, etiam iure Codicis valere dicenda est; at illa obligatio denuntiationes faciendi antequam matrimonium iam contractum consummetur, attento praesertim c. 1111, non amplius existit; *Cappello*, I, n. 163.

[25] Consonat praescriptum Rit. Rom. t. VII, c. 1, n. 8.

[26] Consonat Benedict. XIV Const. *Paucis abhinc*.

[27] Cfr. tamen *Rosset*, n. 1107, de praxi romana, secundum quam *ante elapsos duos menses* denuntiationes publicandae erant in *sola* paroecia derelicta, *post* elapsos duos menses in *sola novi* domicilii paroecia, et Instr. S. Offic. 29 aug. 1890, n. 2, quod *expediat* ut fiant in loco *originis*.

Difficultati inde provenienti, quod uterque vel alteruter sponsus ultra sex menses post pubertatem moratus sit in longissimis et dissitis oris, unde regularis attestatio de status libertate haberi non possit nisi post longum tempus, cum tamen urgeat matrimonii celebratio, provisum est per prudens arbitrium Ordinario relictum ad exigendas alias congruas probationes, non excluso iuramento suppletorio. (Comm. Codic. 2-3 iun. 1918). Quae aliae probationes, praeter iuramentum suppletorium, esse possunt vel depositio duorum testium qui nupturientes noverint, vel testimonium Ordinarii aut parochi loci, in quo morati sunt, aut quas circumstantiae peculiares casus suggerant praesertim relate ad determinati impedimenti suspicionem.

In praxi, cum regulariter matrimonium celebrari debeat coram sponsae parocho, huius erit si quidem uterque sponsus eum adivit, procedere ad proclamationes, et alios parochos monere de proclamatione facienda, si ius id exigat. Quodsi sponsi ad diversum parochum pertinent, pariter ad parochum sponsae spectat, accepto documento a parocho sponsi de examine instituto et de non detecto impedimento, procedere ad denuntiandum matrimonium et invitare ad nuptiales denuntiationes tum parochum sponsi, tum alios, si qui sint, quibus idem onus incumbit, et tandem recipere documenta de peractis denuntiationibus eorumque exitu, ut possit nupturientes ad matrimonii celebrationem admittere [28].

125. *Obligationi* perficiendi proclamationes matrimoniales correspondet in *parocho*, praeter ius proprium paroeciale vi cuius ad illas peragendas competens fit, ius etiam ad certa emolumenta vel *iura stolae* percipienda iuxta statuta dioecesana

[28] Cfr. *De Smet*, n. 679 sq.

vel laudabiles consuetudines [29]. Statuta vero dioecesana nunc conformari debent praescriptis c. 1507 § 1 de praefinitione taxarum.

§ III. De tempore, loco et forma proclamationum

126. Proclamationes, sicut ex iure Tridentino [30], faciendae sunt *tribus continuis diebus dominicis vel festis* sive iure communi sive iure particulari praeceptis inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae frequens populus accedat (c. 1024), v. gr. tempore vesperarum aut contionis. Quare festa devotionis, dies feriales, immo vel ipsa festa *plane suppressa,* saltem ordinarie sine dispensatione Episcopi in casibus particularibus data aut urgenti necessitate non sufficiunt, ut legi de proclamationibus satisfiat [31]. Ex iure communi, quod interdum per consuetudines particulares restrictum est, nec tempore *adventus* vel *quadragesimae* diebus dominicis et festis *denuntiationes* matrimoniales prohibentur; de illis vero consuetudinibus nunc iudicandum est [32] ad tenorem c. 5. *Continui* dicuntur illi dies festi, qui ita sibi succedunt ut saltem *alius dies festus* non interponatur, licet forte omnes tres dies festi diebus ferialibus seiungantur. Quodsi tres dies festi *immediate* sibi succedant, propter *finem* a legislatore intentum ex interpretatione plurium doctorum etiam multis statutis vel Ritualibus dioecesanis comprobata, publicationes nuptiales ita fieri *debent* ut *saltem* inter *duas*

[29] *Gasparri,* I, n. 156; *Scherer,* § 111, II.

[30] Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr.; *Gasparri,* I, n. 210 sq.; *Rosset,* n. 1110 sq.

[31] S. C. C. in caus. Brun. 17 iun. 1780 et 5 iul. 1780, et ead. S. C. C. in caus. Tudertina 19 apr. 1823, et praesertim in caus. Pinarolien. 7 apr. 1862; *Feije,* l. c. n. 247 sq., 262 sq. At festis istis suppressis, si frequentior quidam permaneat populi concursus ad ecclesiam, cum licentia Episcopi, qui etiam a proclamatione dispensare potest, proclamationes matrimoniales peragi possunt. Cfr. cit. caus. Pinarol.; Synod. dioeces. Alban. (a. 1886) P. II, art. 9, n. 9; *Gasparri,* I, n. 164 sq. Inde tamen nequaquam sequitur Episcopum *sine* indulto apostolico *generaliter* quoque *posse* permittere ut etiam diebus *ferialibus* possint fieri proclamationes matrimoniales, si frequens sit concursus populi, licet in casu particulari ob peculiares circumstantias id indulgere non prohibeatur. Cfr. *Zitelli,* Appar. p. 370; *Rosset,* n. 1112. Paulo aliter *De Smet,* n. 54 not. 2, de statutis dioeces.

[32] S. C. Ep. et Reg., 18 dec. 1589, apud *Ferraris,* l. c. n. 22. Pariter ad tenorem can. 5 iudicandum est de *consuetudine* rigorem iuris ea ratione emolliente, ut summis quibusdam festis, v. gr. Paschatis, proclamationes non fiant. *Lehmkuhl,* Theol. mor., II, 673.

proclamationes omisso uno die festo unus alterve dies ferialis intercedat. At vi *verborum* legis et attenta libertate fidelium diebus festis *facile* impedimenta denuntiandi, haec *obligatio* interponendi aliquot dies pro omnibus casibus statui nequit, ut recte iam tenuit de iure Trident. *Schnitzer,* 124, not. 2, cum non paucis v. g. Catalano, Salmanticensibus contra *Sánchez, Schmalzgr.* aliosque. Cfr. *Rosset,* l. c. n. 1111.

127. *Locus* ordinarius proclamationibus peragendis praescriptus est *ecclesia* eaque *nupturientium paroecialis,* cum a parocho sponsorum sint peragendae. Cui facile aequiparari potest ecclesia filialis, si territorium seiunctum habeat ita ut incolae territorii ecclesiae filialis plerumque incolis territorii ecclesiae matricis ignoti sint [33]. Per accidens potest esse locus aptus etiam illa ecclesia, sanctuarium vel oratorium in quo extraordinarie divina officia pro paroecianis celebrantur. Cfr. S. C. C., 1 iul. 1724. Qua in re, attento fine legis et eius ultima formula, pluris refert populi frequentia quam locus materialis, ut satis ostendit c. 1025 per formam novam nunc permissam.

128. *Forma* denuntiationum ordinaria et communis est ut fiant ore tenus; modus autem determinatur in Rituali Romano h. t. VII, c. 1, n. 8, salvis magis peculiaribus praescriptionibus specialis Ritualis atque legitimis consuetudinibus. Porro *vulgari* sermone, clara et intelligibili voce accurate est indicandum quinam sint nupturientes secundum *nomen, cognomen, domicilium, parentes* aliaque adiuncta, prout praescribunt Ritualia et consuetudines probatae dioecesium. At omnia *omitti* debent, quae ex mandato *Ecclesiae* omittenda sunt, v. g. *de religione heterodoxa* alterius sponsi si ex tolerantia fiat proclamatio matrimoniorum *mixtorum,* aut quae sponsis *opprobrio* verti possunt, velut illegitimi natales, vel saltem quandoque *odiosa* sunt, v. g. aetas, vel absolute *falsa,* v. g. si concubina occulta dicatur *vidua* [34].

Secundum Rituale Romanum exprimenda quoque est *obligatio fidelium* quamprimum deferendi parocho *impedimenta* sibi nota. Quare indicetur necesse est *quot* proclamationes iam sint factae, et num sit *ultima,* si forte ab una alterave proclamatione *dispensatio* fuerit obtenta.

[33] Cfr. S. C. C. in caus. Colon., 23 febr. 1901, cum voto consultoris.

[34] *Gregor. XVI* Instr. ad Episc. Bavar. 12 sept. 1834, (de matrim. mixtis); Instr. C. Rauscher § 60, — de exprimenda *aetate* sponsorum — quod *Gasparri,* I, n. 155 et *Schnitzer,* 125, not. 4, non approbant; *Joder,* « Formulaire matrimon. », 32, ubi de publicandis « *viduis* » illis putativis nimiam defendit tolerantiam.

Quae forma oralis in magnis paroeciis ob multitudinem eorum, qui eodem die annuntiandi sunt, difficultates haud paucas habet. Quam ob causam dioecesi Parisiensi iam ante Codicem facultas facta fuerat, ut in paroeciis, quae continerent decem millia paroecianorum vel amplius, legi Tridentinae de publicationibus matrimonialibus satisfieret, affigendo in loco ecclesiae conspicuo per tres dies dominicas vel festivas continuas, scriptas schedulas futura matrimonia exhibentes, quae schedulae per totam diem, a prima missa matutina usque ad ultimum liturgicum officium vespertinum affixae remanerent. S. C. C. 28 martii 1908, in ASS. XLI, 246. Nunc autem generali modo standum est memorato canoni 1025, ubi facultas loci Ordinario datur permittendi formam scriptam, quae valet pro publicatione in propria ipsius dioecesi peragenda, non pro iis quae in aliena dioecesi sint perficiendae, nisi huius quoque Ordinarius hunc modum subsidiarium legitime permittat.

Forma scripta est veluti subsidiaria. Videlicet « *potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur* (c. 1025).

§ IV. De dispensationibus in proclamationibus

129. *Potestas* dispensandi super denuntiationibus matrimonialibus a Concilio Tridentino, etiam cum facultate delegandi, prudenti iudicio *Ordinariorum* fuerat relicta [35]. Consonat ius Codicis, ubi *proprio* Ordinario loci facultas fit ut pro suo prudenti arbitrio, *existente* tamen *legitima causa*, a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispenset (c. 1028 § 1). Quae facultas cum induat naturam potestatis *ordinariae*, attento c. 199 § 1, nihil vetat quominus ab Ordinario aliis delegari possit, v. g. vicariis foraneis, etiam modo permanenti, v. gr. quoad dispensationem a tertia vel etiam a secunda proclamatione.

Quodsi nupturientium plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi in cuius dioecesi matrimonium celebratur; si autem matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest, et remissio ab uno facta

[35] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr.; Bened. XIV Const. *Satis vobis*, 17 nov. 1741, § 5; *Gasparri*, I, n. 227 sq.; *Rosset*, l. c. n. 1167 sq.; *Scherer*, l. c. § 111, p. 157 sq.

sufficit, salvis necessariis testimoniis de statu libero habendis (c. 1028, § 2) [36].

130. Ut Ordinarius sponsorum licite et valide concedat dispensationem, semper requiritur *legitima causa*, de qua constare debet per *extraiudicialem* quandam cognitionem [37]. Quodsi causa illa est huiusmodi ut dispensatio tantum utilis sit nupturientibus sponsis, v. g. si concedatur ob merita vel nobilitatem, dispensatio dicitur *gratiosa*, quam Episcopus concedere *potest* sed *non debet*. At si causa dispensationis sit certum et grave damnum spirituale vel temporale ab sponsis, vel scandalum ab aliis avertendum, dispensatio redditur necessaria et ab Episcopo concedi *debet*, cum in hunc finem facultas detur Episcopis, quae ex natura rei pertineret ad Rom. Pontificem.

Quae causae legitimae [38] graviores esse debent, si a *duabus* proclamationibus dispensetur. Huiusmodi causae sunt, si v. g. post primam proclamationem ob longiorem dilationem malitiose impediretur matrimonium vel sponsa deflorata ob imminentem partum diffamaretur, vel periculum fornicationis oriatur inter sponsos. Ad concedendam vero dispensationem ut *ne una quidem* fiat proclamatio, « *urgens, legitima gravissimaque causa* » requiritur [39]. Huc spectant casus, si sponsi ad legitimandam prolem

[36] Inde manet soluta quaestio, quae flebat iure praecedenti, sub quo exigi solebat remissio *ab utroque* Ordinario facta, pro qua re allegabantur complura Conc. prov. et causa Visen., 29 april. 1616, adducta a *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. II, sect. 104. Cfr. *Rosset*, n. 1172 sq.; *Giovine*, I, 661 sq.; *Scherer*, § 111, not. 69, 70. At ex conventione expressa Episcoporum vel consuetudine vel placitis doctorum non raro mitior vigebat praxis, secundum quam sufficeret dispensatio Episcopi *loci*, in quo matrimonium celebratur. Cfr. *Bucceroni* in *Anal. eccles.*, X, 273 sq.; *Gasparri*, I, n. 229, *Aichner* § 163; *Schnitzer*, 130.

[37] Benedict. XIV Const. *Satis vobis*, 17 nov. 1741 § 5, Const. *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743, §§ 5 sq.; 11 sq.; *Giovine*, I, 660, 662, 664; *Rosset*, n. 1086 sq.; *Sánchez*, l. III, disp. 10, n. 12 sq., 20 sq.

[38] Causae legitimae generatim illae sunt censendae quae in fontibus iuris *speciminis causa* expressae sunt vel eis merito *aequiparantur* (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr.; Instr.; Card. Rauscher §§ 82 sq.) vel a probatis auctoribus referuntur. Cfr. *Sánchez*, l. c. l. III, disp. 8, 9; *Schmalzgr.*, h. t. n. 33 sq.; *Rosset*, n. 1180 sq.; *Cappello*, I, n. 168; *De Smet*, n. 64. Quodsi in casu urgentis necessitatis, praesertim in periculo mortis, Episcopus adiri nequeat, etiam parochus uti poterit epikeia. *Sánchez*, l. III, d. 7, n. 46; *Schmalzgr.*, h. t. n. 43 sq.; *Feije*, n. 268; aliter *Scherer*, 111, not. 75, insistens theoriae non fundatae, sc. epikeiam esse *iuri* alienam.

[39] Cfr. Instr. Card. Rauscher §§ 82, 83, 84, atque de exigendo iuramento integritatis sive status liberi ex iure particulari multarum dioecesium, v. g. Austriae et Germaniae, si omnes denuntiationes omittantur,

contrahunt matrimonium in *articulo mortis,* vel si *convalidandum* sit matrimonium invalide iam contractum, vel si duo concubinarii, qui *publice* reputantur coniuges, velint celebrare legitimas nuptias, vel timendum sit ne *malitiose* impediatur matrimonium, si vel *una* fiat denuntiatio, vel si ab sponsis ob speciales rationes cum approbatione Ecclesiae celebretur matrimonium conscientiae, vel sponsi propter diversitatem aetatis vel alias causas publicae derisioni exponerentur.

Curandum omnino est ut dispensationes a publicationibus *gratis* concedantur, neque pro iis pecunia etiam ad causas pias eroganda ab Ordinariis locorum exigatur, nisi forte excepta mercede cancellarii pro scriptura, iuxta statuta dioecesana vel legitimas consuetudines determinata et ad normam can. 1507 § 1 exigenda. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 28 de ref. matr.; Taxa Innocentiana sive Instr. ab *Innoc. X* approb. 8 oct. 1678, iunct. novo decreto S. C. C., 10 iun. 1896; S. C. de Prop. F. 12 feb. 1921 ad Episc. Hibern.; *Scherer,* 76; *Rosset,* n. 1185; *Gasparri,* I, n. 235 iunct. 205.

§ V. De obligatione fidelium denuntiandi impedimenta

131. Cum *finis principalis publicationum* sit *impedire matrimonia irrita vel illicita,* ex lege naturali caritatis et *etiam ex ipsa lege ecclesiastica* et *vi tenoris proclamationum* omnibus fidelibus — et vi iuris naturalis etiam infidelibus — cuiuscumque paroeciae vel dioecesis gravis imponitur obligatio (c. 1027) [40] revelandi quam primum parocho aut loci Ordinario impedimenta dirimentia vel impedientia, licet occulta, sibi saltem vere probabili ratione nota vel etiam sub secreto naturali vel promisso cognita. Qui ratione sigilli *sacramentalis, officii vel secreti commissi*

---

§ 85 eiusd. Instr.; *Aichner,* § 163; *Scherer,* not. 78; *Rosset,* n. 1193 sq., (de casu matrimonii conscientiae).

[40] Cfr. cap. 3, X, h. t. 3; cap. 7, X, de cog. spirit. IV, 11; cap. 27, X, de spons. IV, 1; cap. 6, X, qui matrim. accusare poss. IV, 18; *Rosset,* n. 1143 sq. De censuris forte ex iure particulari inflictis vel infligendis cfr. Conc. prov. Ravennat. (a. 1855) in Collect. Lac. VI, col. 168 et Synodum dioec. Albanensem (a. 1886) art. IX, de matrim. n. 9 et praxim Galliae apud *Gasparri* atque *Scherer,* l. c., 148, not. 22, ubi tamen in textu obligationem denuntiandi *ex lege ecclesiastica* perperam eo in casu negat, quo impedimentum soli fideli sit notum et praeter denegationem iuris accusandi matrimonium (cfr. cap. 6, X, qui matr. accus. IV, 18) contra omissionem denuntiationis aliae poenae canonicae ex iure communi non sint statutae; nam etiamsi obligatio quaedam imponatur *lege imperfecta,* tamen vera est obligatio *iuris* sive *legis.* Cfr. *Gasparri,* I, n. 220 sq.

fortius adstringuntur ad secretum servandum aut grave *damnum* proprium vel suorum in casu revelationis subeundum haberent, ab obligatione impedimenta revelandi liberantur [41]. Multo magis hac obligatione obstricti sunt ipsi sponsi omnesque alii, si ex officio a Praelatis ecclesiasticis de impedimentis, alicui matrimonio forte obstantibus, legitime interrogentur (cfr. *Sánchez,* l. III, disp. 14, et Schmalzgr., h. t. n. 59, 60), nisi tertiae illae personae legitimas habeant causas excusationis, velut si impedimentum cognoverint ex iis, quae sibi in officio suo exercendo dicta fuerunt sub secreto commisso, aut si revelatio fieri nequit sine gravi scandalo vel damno proprio vel familiae, si fructus ex revelatione non speretur, aut sponsi occulte iam petiissent dispensationem.

Si quis autem ad impediendum legitimum matrimonium malitiose impedimentum obiciat, canonicam non effugit ultionem (cfr. cap. 3, § 2, X, de cland. desp. IV, 3), — i. e. prudenti arbitrio Episcopi inflictio poenae relinquitur —.

132. Officium parochi detecto impedimento. Sive ex peractis *investigationibus* sive ex *publicationibus* fieri potest ut vel exoriatur *probabilis coniectura* vel *acquiratur notitia certa* de impedimenti existentia.

I. Parochus, cum impedimentum aliquod etiam occultum inter sponsos exsistens vel *extra* confessionem ipse cognoscit, vel ab sponsis aut alia persona vel publica fama ad eum defertur, quod vere *probabili* ratione [42] fundatur, certum tamen non sit:

1°) publicationes iam coeptas debet perficere aut nondum coeptas sed a nupturientibus postulatas peragere, cum merum dubium ius nupturientium in ordine ad matrimonium non perimat et publicationes sint medium a iure designatum ad certam notitiam hauriendam (c. 1031 § 1, 2°).

2°) Inde tamen ipsi obligatio incumbit accuratiores investigationes peragendi omnibus illis mediis, quae pro rerum et personarum adiunctis inserviant ad veritatem detegendam; inter quae media praecipuum locum tenet interrogatio duobus saltem

---

[41] *Schmalzgr.,* h. t. n. 51 sq.; *Gasparri,* I, n. 220 sq.; *Rosset,* n. 148 sq., ubi non obstante *secreto professionali* sive *officii* cum severiore sententia stat pro obligatione; *Cappello,* I, n. 173, qui pariter de secreto pure et stricte commisso severiori obligationis sententiae adhaeret, cui consonant *De Smet,* n. 68 sq. et scriptores de theologia morali, v. g. *Sánchez,* lib. III, disp. 13.

[42] Cap. 4, 12, 27, X, de spons. IV, 1; cap. 3, pr. i. f. X, de cland. desp. IV, 3; cap. 2, X, de testib. II, 20; S. C. C. in caus. Warmien. 14 iun. 1884, in ASS. XVII, 178 sq.; S. C. C., 28 iulii 1873, in ASS. VIII, 24 sq.

testibus fide dignis sub iuramento facta, nisi agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur; deinde vero, si necesse fuerit, ipsas quoque partes delato iuramento interroget, praesertim ubi testes non adsint aut deponere nolint aut sine partium infamia interrogari non possint (c. 1031 § 1, 1°).

3°) Si parochus adhibitis novis et accuratis inquisitionibus noverit dubium exortum fundamento carere tuto ad matrimonii celebrationem procedere potest (c. 1031 § 3); si vero repererit dubium solido fundamento non destitui et adhuc perseverare, ex sese ad matrimonium celebrandum non potest procedere, sed rem Ordinario deferre debet, cuius erit vel matrimonium permittere vel novas forte inquisitiones praescribere (c. 1031 § 1, 3°), interim interdicto matrimonio ad normam c. 1039 § 1.

II. *Detecto impedimento certo*, distinguendum est utrum *publicum* an *occultum* sit.

a) Si impedimentum est *occultum* et praeterea *indispensabile*, in quo videlicet ipse R. Pontifex *non possit* aut *non soleat* dispensare, statim partibus communicare debet nullam adesse spem futuri matrimonii. Quodsi impedimentum occultum fuerit *dispensabile*, parochus, ut nupturientium famae consulat, debet publicationes peragere aut iam inceptas absolvere et statim recurrere pro dispensatione in foro interno obtinenda vel ad loci Ordinarium vel ad S. Paenitentiariam, reticitis partium nominibus (c. 1031 § 2, 1°).

b) Si impedimentum est *publicum* et *indispensabile*, evidenter totum negotium conciliandi matrimonii intermittendum est. Si impedimentum *dispensari potest* et publicationes nondum inceptae fuerint, dispensatio pro foro externo est exspectanda nec procedendum ad publicationes donec fuerit recepta, tametsi parochus sciat iam esse obtentam dispensationem pro foro interno; nam quando impedimentum ad forum externum per revelationem fuerit deductum, in eodem foro de dispensatione constare debet. Si publicationes iam coeptae fuerint, eae perficiendae sunt atque res deferenda est ad Ordinarium (ibid. 2°).

Ordinarius autem, si sibi constet de dispensatione in foro interno non sacramentali obtenta, cuius documentum in secreto Curiae archivo est adnotandum, decretum dabit procedi posse ad matrimonium, cum illa dispensatio, facto publico impedimento, etiam pro foro externo valorem retineat (c. 1047); si dispensatio ne quidem in foro interno fuerat obtenta, aut Ordinarius ipse dispensationem dabit si facultatibus polleat, aut eam a Sede Apostolica impetrabit vel fortasse, si casus ferat, utetur facultate in cc. 1045 et 81 Ordinariis facta.

133. De modo agendi parochi in matrimoniis vagorum. Iam Conc. Trid. in Sess. XXIV, cap. 7 de ref. matr. praeceperat parochis ne *vagorum* matrimoniis assisterent, nisi prius diligentem inquisitionem fecissent, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam obtinuissent. Vagos autem Conc. Trid. ita describit: « Multi sunt *qui vagantur et incertas habent sedes*, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, *aliam* et plerumque *plures*, illa vivente, *diversis in locis ducunt;* quo simul indicabat rationem cur in eis matrimonio coniungendis cautelae speciales essent necessariae. Eandem praescriptionem innovaverat Decr. *Ne temere*, quo vigente non erant habendi *vagi* ii, qui menstruam commorationem in loco celebrandi matrimonii fovissent (S. C. C., 12 mart. 1910); at restituta in re matrimoniali antiqua vi quasi-domicilii, commoratio menstrua in determinato loco non amplius eximit a condicione vagi (c. 91).

Iure quoque Codicis parochus ad matrimonium non potest admittere vagos, nisi re ad loci Ordinarium delata ab eo assistendi licentiam obtinuerit. Non prohibetur tamen Ordinarius, praesertim in maioribus dioecesibus, aliquos delegare, v. gr. vicarios foraneos, qui examinata relatione parochi, assistendi licentiam concedant. Quodsi superveniat *casus necessitatis* et recurrendi tempus non suppetat, ius ipsum remittit totum negotium parocho, cuius erit accuratissimam investigationem facere, quo *certus* evadat de absentia cuiusvis impedimenti (c. 1032). Haec autem iuris praescriptio ex analogia cum iure Tridentino et ex legis ratione non videtur pertinere ad *momentanee vagos*, qui cum stabilem haberent habitationem per breve tempus domicilio carent, v. gr. dum aliud sibi quaerunt.

134. Publicationes quando iterandae. Ex iure Codicis si intra sex menses ab ultima publicatione matrimonium contractum non fuerit, publicationes sunt repetendae, nisi aliud loci Ordinario videatur (c. 1030 § 2) [43].

Postquam denuntiationes forte in *diversis* paroeciis factae sunt, ab aliis parochis ad parochum loci, in quo matrimonium celebrabitur, mittendae sunt *litterae testimoniales* de publicationibus alibi rite peractis. Acceptis his litteris, quae per se et ex iure communi non necessario debent esse recognitae et approbatae ab Ordinariis, receptisque aliis documentis ad probandum

---

[43] Rituale Romanum tit. VII, c. 1, n. 11 iterationem publicationum praescribebat post duos menses, statuta vero dioecesana alium terminum praefixerant. Cfr. v. gr. *De Smet*, n. 53, not. 6; Instr. Card. Rauscher § 64. Novum Rituale, eod. loco, iterationem publicationum praescripsit post sex menses ad normam Codicis.

statum liberum pertinentibus, parochus potest admittere partes ad celebrationem matrimonii, si iam saltem *tres dies* decurrerint ab ultima publicatione facta, non autem antea nisi rationabilis causa aliud postulet (c. 1030 § 1)[44].

Scholion I. Poenae iure praecedenti statutae contra sacerdotem, qui matrimonio, omissis culpabiliter denuntiationibus, assistere praesumpserit (cap. 3, X, de clandest. despons. IV, 3) itemque contra sponsos (cit. cap. 3 et Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr.) in iure Codicis non amplius retinentur ideoque sunt abrogatae, salvis poenis forte iure particulari statutis aut ab Ordinariis locorum ad normam Codicis infligendis.

135. Scholion II. Ex quo tempore matrimonium *civile* in non paucis civitatibus viget, etiam denuntiationes quaedam matrimoniales a competente magistratu saeculari ad tramites legum *civilium* in domicilio sponsorum, v. g. per affixionem edicti in loco publico, omnino sunt praescriptae, antequam sponsi et magistratus civiles procedere possint ad legitimam matrimonii civilis *celebrationem,* nisi agatur de casu in ipso iure civili forte excepto, v. g. in articulo mortis, aut totalis vel partialis *dispensatio a competente* magistratu civili fuerit petita et obtenta. Cfr. cod. civ. Ital. art. 91 sq.; cod. civ. Gall. art. 63 sq.; cod. civ. German. § 1319; lex de matr. civ. in Helvet. § 29 sq.; cod. civ. Hisp. art. 89 sq. pro non pertinentibus ad religionem catholicam. Quae denuntiationes civiles rite peti debent ob duplicem *scopum,* sc. ut magistratus civilis, coram quo matrimonium civile iniri *potest,* prius *iudicare* valeat de *legitima admissione* sponsorum ad banna nuptialia et matrimonii civilis celebrationem, et tertiis personis detur facultas expedita ex titulo iuris civilis sese opponendi matrimonio celebrando. Cfr. v. g. cod. civ. Ital. art. 100 sq. et cod. civ. Gallic. art. 172 sq. Banna civilia solent habere vim *sollemnitatis accidentalis;* hinc si omissa fuerint ordinarie matrimonii civilis celebratio per modum *impedimenti prohibentis* impeditur, sed *non est irrita;* at sponsi et praesertim magistratus negligentes gravi mulcta saepe puniuntur, v. g. ex art. 123 cod. Ital. et art. 192 sq. cod. civ. Galliae et in Germania ex art. 46, IV, leg. introd.

[44] Inter ultimam proclamationem et celebrationem matrimonii aliquod temporis intervallum esse interponendum iam passim statuebatur in antiquioribus et recentioribus Conciliis provincialibus. Cfr. Collect. Lac. I, col. 198, 632; II, col. 175; IV, col. 342, 1055, 1119; V, col. 518.

CAPUT V

De dissensu parentum in sponsalibus et matrimoniis

§ 1. De dissensu parentum in sponsalibus

136. Sponsalia a filiisfamilias insciis parentibus contracta, si *prudenter* putent parentes non esse *rationabiliter* invitos, neque ullum timeatur scandalum aut gravis infamia ex sponsalibus oritura, *valida* existunt. Nam *obiectum* promissionis ex sese illicitum non est, neque defectus quidam in *modo* promissionis nullum et irritum efficit contractum promissorium[1]. At ordinarie ad *licitam* celebrationem *sponsalium* filii ex *pietate* et *reverentia,* non propter *obedientiam* in his debitam, *praevie* requirere *tenentur consilium* parentum, quamvis illud nequaquam *sequi debeant*[2].

137. Dubium esse non potest quin *sponsalia* a filiisfamilias sive minoribus sive maioribus, parentibus quidem consultis, sed *irrationabiliter invitis* et dissentientibus contracta, omnino *valida* sint habenda. Idem quoque obtinet, si matrimonium *pro iis* circumstantiis promittitur ineundum, in quibus nulla causa iure divino vel canonico probata *licitae* celebrationi matrimonii ex parte *obiecti* promissi obstat, etiamsi forte in *modo* promissionis defectus quidam intercedat. Cfr. *Feije,* nn. 174, 537.

138. Quodsi promissioni sponsalitiae filiorum vel filiarum parentes ob causam *perpetuam* iure divino et canonico probatam *iuste* contradicant, non solum *illicita* sed etiam *invalida* sunt sponsalia, quamvis iuramento sint confirmata. Etenim promissio rei illicitae ex natura sua est irrita, ideoque in casu rescissio proprie dicta locum habere non potest, sed *declaratio nullitatis* si casus ferat.

Porro celebratis sponsalibus absque praevio consilio vel consensu parentum vel tutorum, *superveniens* eorundem contradictio nequaquam per se *sola* sufficiens est causa recedendi ab sponsalibus, nisi sit *iusta* vel *aliae* rationes accedant. Si sponsa-

[1] Cfr. *Sánchez,* l. I, disp. 23; *Schmalzgr.,* h. t. n. 81 sq.; *Giovine,* I, 316 sq.; *Van de Burgt,* 314 sq.; 291 sq.; *Bened. XIV.* Inst. eccl. 46; *Scherer,* § 110, IV; *Rosset,* n. 158, 1064 sq.; *Schnitzer,* 94 sq.; *Esmein,* II. 189 sq.

[2] S.C.C. 24 ian. 1885 in ASS. XVII, 585 sq.; *Reiffenstuel,* lib. IV, tit. I, n. 24; ASS. XIII, 441, XIV, 457; *Rosset,* n. 160 sq., 874 sq.

libus vero valide atque licite contractis *nova superveniat causa*, ob quam parentes vel tutores *iuste* executioni sponsalium contradicant, vel iustam quidem contradicendi causam *non* habeant, sed *gravia* filiis minentur *damna*, v. g. exheredationem, ope forte iniustarum legum civilium facile exequendam (cfr. *Benedicti XIV*, Quaest 318), filiifamilias legitime ab sponsalibus recedunt, nec amplius, ut in iure praecedenti, manent ligati impedimento publicae honestatis, quod per Codicem sublatum est. Cfr. *Bened. XIV* in Brevi ad Episcop. Monaster. 19 iul. 1755; S. C. C. 24 aug. 1723, 19 aug. 1730, 21 apr. 1731 in ed. *Richt.* Conc. Trid., 223, n. 21 sq.; *Rosset*, 1064 sq.; *Feije*, n. 558.

Scholion. Moderni codices civiles, cum non amplius admittere *soleant obligationem* ex sponsalibus ortam ad celebrandas *nuptias*, etiam in ordine ad *hunc finem* consensui vel dissensui parentum in sponsalibus filiorumfamilias vim *iuridicam* non iam tribuunt. At iidem codices *actionem* quoque *iudicialem* ad reparationem *damni* reiciunt, nisi sponsalia cum debitis sollemnitatibus fuerint inita. Quas inter sollemnitates ad promissionem matrimonii, saltem a minoribus ante maioritatem celebrandi, non raro iure particulari requiritur consensus parentum vel tutorum tacitus vel expressus. Cfr. *Hollweck*, l. c., 89, not. 4; *Schnitzer*, 107 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 158, not. 1 sq.

§ II. De dissensu parentum in matrimoniis

139. Historia. Cum patria potestas apud antiquos populos non raro esset exorbitans, mirum non est quod pater non solum de sponsalibus, sed etiam de matrimoniis suorum filiorum et praesertim filiarum maiore disponeret libertate. Quae parentum auctoritas nunquam efficere potuit ut matrimonium quoddam esset valide contractum *sine consensu sponsorum*, neque defectus consensus genitorum *ex natura rei* potuit reddere irritum consensum matrimonialem filiorum[3]. At quoniam summopere convenit ut gravissimum negotium nuptiarum mutua concordia parentum et filiorum expediatur, inde ab antiquissimis temporibus moderatus quidam et rationabilis interventus parentum fuit ad-

[3] *S. R. Bellarmin.*, De sacr. matr. lib. unic. cap. 19; *Sánchez*, lib. IV, disp. 22 sq., lib. III, disp. 47; *Schmalzgr.* n. 71 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 11 et lib. VI, cap. 3 (de oblatis monasterior.); *Giovine*, I, 242, ubi scribit contra *Analect. iur. pont.*; *Feije*, n. 537; *Schulte*, §§ 37, 38, p. 320 sq.; *Gasparri*, I, n. 191 sq.; *Rosset*, n. 134 sq.; *Schnitzer*, 288 sq.; *Scherer*, § 13, p. 430 sq.; *Moy*, 55 sq., 316; *Freisen*, 307 sq.; *Zhishman*, 616 sq.

missus. Qua ratione apud *hebraeos* parentes quasi complentes educationem domesticam pro suis filiis nuptias conciliare studuerunt. Id vero potissimum valebat de filiabus: non enim videbatur esse « *virginalis pudoris sibi eligere maritum* »[4]. *Graeci* similibus utebantur moribus; unde pater filio eligebat sponsam et cum ipsius parentibus causam transigebat. Antiquo iure *Romano* matrimonia a filiisfamilias contracta sine consensu patris saltem tacito, in cuius potestate erant constituti, generatim *omni valore* caruerunt[5], nisi agebatur de casibus exceptis. V. g. liberi patris mente capti vel per triennium non redeuntis potuerunt iam nuptias legitimas inire et contra irrationabilem dissensum postulare, ut iudex suam auctoritatem iudiciumque interponeret et suppleret consensum. Cfr. L. 9, 10, 19 D. de ritu nupt. XXIII, 2; L. 18, 25 C. de nupt. V. 4.

Profecto multo minor fuit patris potestas ex iure antiquo populorum *germanicorum* quoad matrimonia illorum, qui ad ipsius *mundium* pertinebant. At *minores* filiifamilias et etiam filiae maiores, quae semper sub mundio manserunt constitutae, sine consensu patris nuptias saltem *legitimas* celebrare non potuerunt. Quodsi eas nihilominus attentarunt, mulctis quibusdam et privationibus pecuniariis puniebantur; attamen universaliter certoque ipsorum matrimonia non fuerunt *irrita*[6].

Ecclesia catholica quamvis inde a primis temporibus multum urgeret ut fideles matrimonia contraherent cum consensu parentum[7], tamen in antiquo iure suo rigorem legum romanarum universaliter non adoptavit. Et revera, si excipias v. g. c. 40, 42, epist. can. secund. *S. Basilii* ad Amphiloch., certis argu-

[4] *S. Ambros.* in c. 13, C. XXXII, q. 2 iunct. c. 8, C. XXXVI, q. 2 (cap. incert.); *Freisen*, 307 sq.; *Rosset*, n. 941 iuxta *Bened. XIV* Const. *Postremo* 28 febr. 1747, n. 62 sq.

[5] Pr. Inst. de nupt. I, 10; L. 2, 18, D. de ritu nuptiar. XXIII, 2; L. 5, Cod. de nuptis V, 4; L. 11, D. I, 5; cap. 3, X, qui matrim. IV, 18; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 11; *Schmalzgr.*, n. 72, 73; *Esmein*, I, 168; *Friedberg-Ruffini*, § 141; *Freisen*, 308 sq.; *Rosset*, n. 141 sq.; *Vidal*, Inst. iur. Rom., n. 322; *Bernard*, « Etude historique, iuridique ... sur le consentement des ascendants au mariage », 10-46. Aliter antiquiores et recentiores quidam scriptores, v. g. *Cuiacius*, *González*, *Scherer*, qui innixi potissimum auctoritate *Pauli*, Sentent. II, 19, § 2, opinantur matrimonia filiorum sine consensu patris fuisse *illegitima*, sed *valida*; at ipsorum rationes non sunt efficaces.

[6] *Moy*, 316 sq.; *Schulte*, § 37; *Freisen*, 310 sq.; *Bernard*, l. c., 47-63.

[7] *Tertullian.*, Ad uxor. l. II, c. 8; c. 22. Conc. Aurel. IV (a. 541); *Pelagius* (a. 551-560) in c. un. C. XXXII, q. 3; *Nicol. M.* in resp. ad cons. Bulgar. (a. 866), c. 3 = c. 3, C. XXX, q. 5; c. 1 ibid. (Evarist., cap. Pseudo-Isidor.); *Esmein*, 1, 169 sq.

mentis probari nequit Ecclesiam *universalem* unquam in suo foro matrimonia filiorumfamilias propter dissensum parentum *invalida* habuisse [8].

In iure Decretalium *necessitas* consensus dominorum vel parentum ad *valorem* matrimonii, partim directe partim indirecte, reicitur [9], nisi forte a partibus ille consensus ut *condicio* sine qua non deducta fuerit in pactum. Cfr. c. 5, 6, X, de condic. appos. IV, 5. Denique Ecclesia in Concilio Tridentino [10] pseudo-reformatorum *doctrinam* de potestate parentum in matrimonia liberorum damnavit atque reiecit postulata regis Galliae aliorumque introducendi novum impedimentum dirimens pro filiisfamilias certae aetatis, v. g. 20 et 18, vel 18 et 16 ann., ex *defectu consensus parentum*, licet adderetur clausula, quod, parentibus Episcopi iudicio *inique* renuentibus, filiifamilias de eiusdem Episcopi licentia nuptias celebrare possent. Qua in re Patres Tridentini gravissimis ducti fuerunt rationibus, ut latius exponit *Pallavicinus*, Hist. C. Tr. l. XXII, cap. 4; etenim salvam voluerunt esse *libertatem* filiorumfamilias eligendi *statum*, contrahendi *matrimonium* et recipiendi *sacramentum*. Denique Ecclesia nunquam rata habuit modernorum legislatorum civilium placita de multiplici quodam consensu parentum, tutorum etc. requirendo [11].

---

[8] *Nicol. M.*, l. c in c. 2, C. XXVII, q. 2 cum dict. *Grat.*; S. Ambros. in c. 8, C. XXX, q. 5 cum dict. *Grat.*; *Schulte*, § 35, not. 5 sq.; *Freisen*, 311 sq.; *Scherer*, 236 not. 21, 432 not. 16, 20; paulo aliter magis verbis quam re: *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11, n. 3; *Rosset*, n. 144 sq. aliique; ipsorum enim argumenta partim non sunt ad rem, v. g. c. 22 cit. Conc. Aurel., partim probant ius mere particulare. His quoque adstipulantur *De Smet*, n. 519, not. 2 et *Chelodi*, n. 33, qui sequuntur *Köstler*, D. vaeterliche Ehebewilligung, 61-102.

[9] Cap. 1, X, de coniug. servor. IV, 9; c. 14, X, de sponsal. IV, 1; c. 3, 5, X, de spons. duor. IV, 4; c. 3, X, qui matrim. IV, 18 et *Innoc. IV* in hoc cap. 3; c. 3 de iudic. II, 1 in Sext.; *Roland*, Summa, 151, 169.

[10] Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr. et ASS. XIII, 144, not. 1; *S. R. Bellarmin.*, l. c.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 11, n. 5; *Esmein*, I, 172 sq.; *Scherer*, 433, ubi tamen *definitionem doctrinae catholicae*, ab *initio* capitis *Tametsi* datam, falso dicit esse tantum « *iuris dispositionem* » sub anathemate ita statutam, et idcirco perperam *theologos* accusat *confusionis*. Cfr. *Esmein*, 175 sq.; *Rosset*, n. 147.

[11] Singulare omnino est exemplum concessionis quod refert *Vering*, Lehrb, d. k. K. § 44, not. 84, vi cuius Sedes Apostolica in secreta et condicionata clausula Archiepiscopo Friburgensi dicitur dedisse facultatem declarandi dissensum parentum pro catholicis subditis Magni Ducis Badensis esse impedimentum dirimens. Condicione non impleta facultas ista, si revera data est, practicam utilitatem nunquam habuit; immo de authentia talis indulti apostolici, valde singularis, merito dubitatur, donec textus genuinus legitime publicetur. Cfr. quoque *Scherer*, 433.

140. Ius Codicis. Ex disciplina Codicis matrimonia liberorum etiam *minorum*, insciis atque adeo invitis parentibus, celebrata omnino sunt valida, dummodo vero mutuoque *consensu sponsorum* fuerint contracta; qui consensus in sua *efficacia* a consensu vel dissensu parentum est independens, ita ut pactione parentum nunquam possit *suppleri* (c. 1081) [12].

At liberi *illicite* agunt, si *absque rationabili causa* ante nuptias non exquirunt *consilium* parentum, quamvis illud *sequi* non teneantur. Nam quamvis liberi in contrahendis matrimoniis *mandato parentum obedire* non obligentur, tamen *pietas* et *reverentia* iisdem debita exigit ut parentes, qui ipsis a natura consiliarii dati sunt, in hoc gravissimo negotio non negligant, nisi agatur de casibus merito excipiendis. Porro cum consilium ex sese non inducat obligationem, et parentes forte nullam habeant iustam causam contradicendi, liberis salva maneat necesse est naturalis libertas in electione status et celebratione matrimonii.

Multo magis liberi etiam graviter peccant, si non solum absque *consensu* parentum, sed ipsis ob *iustam* et *gravem* causam — non arbitrarie — *contradicentibus*, matrimonia contrahunt. Quae obligatio liberorum ultra debitum *iuris naturalis* maiore rigore ab Ecclesia non est extensa, v. g. ad filios *minores*, quamvis in minoribus fortius urgeant rationes iuris naturalis; quare *dispensatio* proprie dicta vel suppletio consensus non requiritur nec conceditur, sed tantum *declaratio* (licentia), v. g. per Episcopum, *validae* et *licitae* celebrationi matrimonii nihil obstare [13]. Quare Codex c. 1034, praeeunte Catech. Rom. P. II, cap. 8, n. 32, parochis praecipit ut graviter *hortentur* filiosfamilias *minores*, ne insciis aut rationabiliter invitis parentibus matrimonia

---

[12] Nam in iure Codicis nullibi existit tale impedimentum aut prohibitio nec iure divino irritatio matrimonii probari potest, ut vel ex ipsis notis historicis sufficienter constat. Cfr. *Sánchez*, l. 3, disp. 22, n. 3; *Schmalzgr.*, IV, 2, n. 71; S. C. C. in caus. Olomucen. 14 mart. 1772, in c. Melevitana 24 mart. 1824, in c. Gratianopolitana 3 apr. 1841.

[13] Bened. XIV Const. cit. *Nimiam licentiam*, § 10, Const. cit. *Paucis abhinc*; S. C. Inq. 17 nov. 1835; Instr. C. Rauscher § 68; Collect. Lac. I, col. 551, VI, col. 520 sq.; *Giovine*, l. c., 242, not. 1, 2; ASS. XIII; 440 sq., XIV, 455 sq., XVII, 455 sq., practica referunt exempla, in quibus S. C. C. dissensum parentum vel consanguineorum tanquam *irrationabilem* reprobavit; *Rosset*, n. 161. Cfr. quoque decis. S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr. 270 sq., n. 585 sq.; *Cappello*, I, n. 187, ubi recte docet iustam causam ex parte parentum sese opponendi non esse spectandam dumtaxat *obiective* et *absolute*, sed etiam *relative* ad circumstantias filiifamilias, v. g. ad periculum incontinentiae, ad deflorationem sponsae etc.

ineant; quorum monitis si filii non paruerint, *inconsulto loci Ordinario* non procedant ad celebrationem matrimonii cui parentes contradicunt. Quo in casu Episcopi minime propter defectum consensus parentum absolute et iniuste *prohibent* matrimonium, sed *sibi* solummodo reservant *iudicium* utrum parentes iniuste matrimonio sese opponant, an ex causa iusta et canonica, et utrum non obstante legitima contradictione, matrimonium ad maiora mala vitanda sit permittendum. Cfr. *Feije*, n. 537.

141. Parentes vero graviter laedunt iura liberorum, si illos invitos aut a statu matrimoniali *avocant* aut ad eundem statum cogunt derelicto perfectiore, aut ad matrimonium cum certa persona contrahendum inducere moliuntur. Nam laedunt ius filiorum in libera status electione celebrationeque nuptiarum [14]. Codex expresse cavet ne ullus cogatur sive ad statum clericalem amplectendum sive ad religionem ingrediendam, cum inviti avocarentur hac ratione ab statu matrimoniali, cfr. cc. 971, 2352.

Quodsi in familiis supremorum principum more receptum est ut caput familiae det consensum ad nuptias a singulis familiae membris celebrandis, defectus illius consensus in foro ecclesiastico non constituit impedimentum dirimens, ut late discussum est in causa (a. 1635 sq.) *Gastonis*, fratris *Ludovici XIII*, qui contra consuetudinem regni Galliae absque regis consensu inierat matrimonium [15].

142. Liberi, si *ante* matrimonii celebrationem ob *iustam* causam *consilium* parentum non exquisiverunt aut ipsis *iniuste* contradicentibus matrimonium contraxerunt, a parentibus licite puniri aut ab universa hereditate excludi non possunt [16]. Quodsi liberi iustas et graves exceptiones parentum in iure *divino* et *canonico* fundatas atque *ab Ecclesia approbatas* [17] temere spre-

---

[14] Cfr. *Rosset*, n. 151; *Schnitzer*, 290; *Cappello*, I, n. 190 sq.

[15] Cfr. *Bauduin*, De consuet., 200 sq., *Analect. iur. Pont.*, XII, col. 937 sq.

[16] *Schmalzgr.*, h. t. n. 93 sq.

[17] Quare sicut *legislatio* de hac re non spectat ad potestatem *civilem* (cfr. *Bened. XIV*, Quaest. can. 318), ita nec ad *iudicium* de iustitia dissensus parentum iudex civilis est competens in ordine ad impediendam celebrationem matrimonii quod sacramentum est. Hinc *Panormitanus* in c. 1, X, de sponsal. n. 8, cum *Ioanne Andreae* « tradit *quod talia statuta non teneant* », quibus, velut in civitate Senensi, contrahentes matrimonium cum puella infra 25 a. sine consensu duorum agnatorum plectantur certa *poena*. Atque hoc bene repetit ex *libertate matrimonii* atque ex *incompetentia laicorum* aliquid disponendi circa sacramenta. Quae *Schmalzgr.*, h. t. n. 100 sq. cum aliis, v. g. *Rosset*, n. 163 sq. huic sen-

verint, iure suo utuntur parentes, si salvis legibus iuris naturalis et civilis de alimentis praestandis et parte legitima, huiusmodi liberos quoad reliqua bona hereditate paterna privant. Sed exceptiones parentum vel consanguineorum *ex disparitate condicionis* petitae in foro ecclesiastico felicem exitum habere non solent. Cfr. S. C. C. in c. Florent. 12 ian. 1726, in c. Urbinat. 10 maii 1732, ubi a R. Pontifice solummodo *ad cautelam* data fuit derogatio testamenti, in quo pater sub poena hereditatis amittendae — salva parte legitima — prohibuit filio ducere puellam ignobilem; cfr. Conc. Trid. in ed. *Richt.*, 270 sq., n. 115, 116, 118.

143. Scholion I. Leges civiles [18] non raro, ad licitam vel validam celebrationem matrimonii christianorum, superiorum militarium aut civilium aut municipalium praescribunt *consensum* ante obtinendum. Quae leges, quatenus *directe* et *absolute* statuunt vera impedimenta dirimentia vel impedientia pro matrimoniis christianorum, propter defectum competentiae in legislatore civili sunt irritae, naturalem matrimonii *libertatem* laedunt veroque bono Status civilis non requiruntur, sed contra dignitatem sacramenti matrimonii et morum honestatem potius utilitatem quandam mere temporalem et commoda pecuniaria intendunt [19].

Illis quoque legibus civilibus *valor* non est tribuendus, quae matrimonio celebrato sine huiusmodi consensu, v. g. parentum, *omnes effectus civiles* [20] indiscriminatim, sive separabiliter sive

---

tentiae etiam a *Sánchez*, l. IV, disp. 25, n. 5, defensae, opponit, consueta perspicuitate atque soliditate non commendantur. Cfr. *Van De Burgt*, 317; *Scherer*, § 131, not. 34, de antiquis statutis in Austria. Cum consilium « *reformantiae* » in civitate Maceratensi, 24 apr. 1756, indixisset poenam eiectionis ab ordine nobilium, qui decus propriae nobilitatis vilibus abiectisque coniugiis essent commaculaturi, de validitate huius statuti propterea dubitatum fuit quod matrimonii libertati esset contrarium; attamen S. C. C. 16 ian. 1761, in ed. *Richt.* C. Tr., 271, censuit illud non obstare libertati matrimonii. Cfr. quoque matrimonia *morganatica*, quibus ex iure civili effectus quidam a validitate et liceitate matrimonii *separabiles* legitime negantur, non per modum *poenae*, sed condicionis appositae et non verificatae. Cfr. *Scherer*, § 131, nt. 40 sq., 43; *Rosset*, n. 167.

[18] *Schulte*, 555 sq.; *Scherer*, § 131, not. 4 sq., 49 sq.; *Biederlack*, in Act. theol. Oenip. XVII, 645 sq., *Aichner*, §§ 184, 185; *Rosset*, n. 2293 sq., 2307 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 141, not. 17 sq., 46 sq.

[19] Concil. Trid. Sess. XXIV, doct. d. sacr. matr. c. 12; S. C. C. in resp. dat. Episc. Brixinens. a. 1804, in ed. *Richt.* C. Tr., 270; *Scherer*, l. c., ubi not. 54 recte miratur quod viri politici e statu clericali facti sint ardentes patroni « *consensus politici* » ad nuptiarum celebrationem.

[20] Hinc patet quid sit iudicandum de antiquis edictis regum Galliae, quibus, v. g. Henricus II a. 1556, in matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum contracta statuit poenam exhereditationis et nullitatis pac-

inseparabiliter cum honestate et validitate matrimonii coniunctos, omnino denegant [21]. Etenim potestas civilis sibi usurpat potestatem nativam et propriam puniendi celebrationem matrimonii, licet nullo modo competens sit ad irritandum vel prohibendum matrimonium. Hinc neglectis istis legibus interdum non tantum *potest* sed etiam *debet* contrahi matrimonium [22].

144. Scholion II. Quodsi ad particulares codices modernos sit descendendum, alii requirunt consensum parentum potissimum ob dependentiam a *potestate* et cura *paterna*, alii magis propter *reverentiam* et *pietatem* parentibus debitam. Inde fit ut codices quidam civiles intuitu prioris motivi post habitam aetatem *maiorem* non amplius exigant consensum parentum; sed qui magis insistunt alteri rationi, quae etiam in liberis maioribus remanet, non obstante aetate maiore filiosfamilias non ilico eximunt a petendo consensu parentum vel saltem ab exhibendo actu *reverentiae*. Qua ratione v. g. in cod. civ. *Austriae* §§ 49 sq. iunct. §§ 172, 1222, 1231, viget impedimentum *dirimens minorennitatis*, vi cuius omnes minores ante completum a. 24, nec emancipati, et qui ipsis aequiparantur, v. g. prodigi a iudice declarati, ad *validum* matrimonium celebrandum sunt incapaces, nisi *legitimi patris* vel *tutoris* et instantiae iudicialis *consensum* in forma legali impetraverint. Quodsi minores sint *illegitime nati*, consensus tutoris et iudicis requiritur. Qui consensus si a patre vel tutore ob causas illegitimas negetur, a iudice suppleri potest, cuius officium partes implorare possunt. Ad legitimam vero illius consensus probationem leges Austriae requirunt, ut consensus a patre detur personaliter coram parocho et duobus testibus aut per scripturam validam riteque legitimatam. Immo si filii vel filiae etiam *maiores* insciis aut invitis parentibus matrimonium contrahant, parentes, licet postea consentiant, iisdem dotem dare non tenentur, si iudex causam denegati consensus iustam fuisse declaraverit. Similes leges de consensu parentum vel tutorum existunt in *Hungaria* ex lege, a. 1894, de matrimonio civili lata [23].

In *Gallia* [24] ex codice civili art. 148 sq., filius ante 25 annum completum et filia ante exactum 21 annum non possunt inire matrimonium sine consensu *patris et matris;* at si mater dissentiat, consensus patris sufficit. Pariter consensus unius ex genitoribus sufficit, si alter mortuus sit vel consensum suum praestare nequeat, v. g. amens vel civiliter mortuus. Si pater et mater mortui sunt vel inhabiles ad dandum consensum, in eorum locum succedunt avi et aviae, non tutores. Si dissentiant avus et avia eiusdem lineae, sufficit consensus avi; si utraque linea dissentit ille dissensus aequiparatur consensui. Hisce omnibus deficientibus, usque ad 21 annum sive pro *viris* sive pro *feminis* requiritur consensus consilii familiae. Filii naturales *legaliter agniti* indigent consensu *parentum*, non avorum, quia tantum a patre et matre agnosci possunt; si non sint legaliter agniti vel pater et mater inhabiles sint ad dandum consensum, nequeunt ante completum 21 annum contrahere matrimonium, nisi obtineant consensum *tutoris ad hoc specialiter* constituti.

Ascendentes atque saltem probabilius etiam *consilium familiae* ex art. 176 iunct. art. 160 et 182 cod. civ. non tenentur allegare *motiva* sui dissensus, cum velit legislator civilis ut plena gaudeant *libertate*. At ista permagna libertate parentum non sufficienter proteguntur *iura* liberorum, quae ob rationes plane ineptas graviter violari possunt [25].

---

torum dotalium. Henricus III, a. 1570, parochum tali matrimonio assistentem subiecit poenis complicum in crimine raptus, immo Ludovicus XIII, a. 1629 et 1639, tandem processit ad ipsam irritationem huiusmodi matrimoniorum. Quae decreta regia, ut conciliarentur cum iure Tridentino, per duplicem theoriam explicata sunt. Una theoria theologos praesertim gallicanos habuit auctores, qui edicta regia limitarunt ad nullitatem pactorum dotalium et ad effectus civiles. Alteram theoriam secuti sunt iuristae, qui per falsam interpretationem Concilii Tridentini excogitarunt impedimentum *raptus seductionis*. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 11, n. 5; *Riganti*, Comment. in Reg. Canc. Apost., in Reg. 49, n. 113 sq.; Confer. ecclés. de Paris, III, 458: « *Son mariage peut être seulement cassé quant aux effects civiles par défaut du consentement de la personne qui lui a été donnée pour conseil; mais son mariage est bon et légitime, pourvu qu'il soit contracté selon les formes prescrites par l'Eglise et* (?) *par l'Etat* (?), *il ne peut être cassé quant à la substance du Sacrement* »; *Schulte*, l. c. § 38, not. 3; *Scherer*, § 131, not. 24 de Gallia, et not. 34 refert similes leges civiles in *Austria* olim latas a Ferdinando I, (a. 1550), a Matthia I (a. 1614), a Leopoldo I, (a. 1703), a Maria Theresia (a. 1754).

[21] *Giovine*, I, 38. Id potissimum valet de denegatione *legitimitatis* prolis. Quae legitimitas est effectus *naturalis* et *necessarius* matrimonii *validi;* ista vero denegatio praeter iniuriam illatam proli plane innocenti, indirecte involvit usurpationem potestatis in ipsum *vinculum* matrimonii.

[22] *Schulte*, § 38, i. f.

[23] *Aichner* l. c. §184; *Scherer*, l. c. § 131.

[24] *Rosset*, l. c. n. 2307; *Allègre*, l. c., I, 84 sq., ad art. 148 sq.

[25] *Hollweck*, l. c., 100, ubi etiam in novo codice civili Germaniae recte reprehendit exorbitantem dependentiam liberorum a dissensu *parentum*, qui forte omnino insufficientibus iniustisque innititur causis, v. g. in avaritia et ambitione. Pariter codices civiles, v. g. Helvetiae et Hispaniae, non requirunt ut *parentes* sui dissensus *reddant motiva*, cum alii codices dissensum istum solummodo admittant, si *legitimae* afferan-

Filii *maiores*, antequam celebrent nuptias, debent ex art. 151, 152, per actus obsequiosos (*actes respectueux*) petere consilium parentum vel avorum, sc. *ter* — nunc ex an. 1896 tantum semel — per tres menses, si nondum exegit vir triginta annos, et mulier viginti quinque. Qua aetate exacta sufficit una vice petere illud consilium; sed matrimonium celebrari nequit, nisi postquam a die ultimae petitionis integer mensis effluxerit. Sollemnitates recensitae a iure civili Galliae ad instar impedimentorum *dirimentium* sub poena *nullitatis* sunt statutae, exceptis actibus obsequiosis, quorum omissio constituit *impedimentum impediens*.

Cum codice civili Galliae *generatim* concordant codices civ. *Belgii* et *Italiae* art. 88 sq. (cfr. *Cappello*, I, n. 153, *De Smet*, n. 520 sq.); actus vero obsequiosi in Italia et ex a. 1887 in Belgio non requiruntur. Iuxta codicem civilem *Hispaniae*, art. 44 sq., *minores* sine differentia sexus usque ad 23 annum indigent *consensu*, maiores vero *consilio* parentum; secus matrimonia eorum per tres menses differri debent. Quae sollemnitates neglectae, ex eodem codice *non* inducunt *nullitatem* contractus matrimonialis, sed *poenas* quasdam et *damna civilia*.

In *Germania* ex novo codice civili §§ 1304 sq. [26] usque ad completum annum 21 legitimi filii ad contrahendum matrimonium indigent consensu solius patris, *illegitimi* tantum debent habere consensum matris. In locum patris *defuncti* succedit mater et praeterea in liberis *minoribus* debet accedere consensus tutoris, qui a iudice pupillorum suppleri potest. Filiis *adoptivis* necessarius est consensus patris vel matris adoptantis, *non* parentum naturalium [27]. Qui defectus consensus *parentum* est impedimentum mere impediens, non dirimens; at cum in *minoribus*, i. e. ante annum 21 completum, defectus legitimi *curatoris* — patris, matris, tutoris — sit impedimentum *dirimens*, ista distinctio in quamplurimis casibus non est practici momenti.

---

tur causae vel prudenti arbitrio iudicis approbatae, cuius officium filiifamilias ad supplendum consensum parentum iniuste negatum implorare possunt. Cfr. v. g. cod. civ. Austriae § 55, Italiae art. 88; *Friedberg-Ruffini*, § 241. At in *Helvetia* saltem contra negatum dissensum *tutoris* filiis minoribus competit recursus ad consilium pupillorum, ut ipsorum libertati consulatur.

[26] *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. ad §§ 1303 sq.; *Hollveck*, l. c., 98 sq. 115 sq., 196 sq.

[27] Ex art. 63 antiqui cod. civ. *Italiae* ad matrimonium filii *adoptivi* ante completum ann. 21 necessarius erat *praeter* consensum genitorum naturalium etiam consensus adoptantis; nunc vero requiritur consensus solius adoptantis; cfr. art. 88. At in Cod. Hisp., art. 46, solum requiritur consensus patris adoptantis et in huius defectu intrat familia naturalis.

Quoniam moderni codices civiles non conveniunt utrum defectus consensus *parentum* vel *tutorum* [28] sit impedimentum *dirimens* an *impediens*, etiam multum discrepant de *iure accusandi* matrimonii *valorem*. Qua in re codices quidam civiles, qui propter defectum legitimi consensus tertiae cuiusdam personae statuunt absolutam vel relativam nullitatem matrimonii, perveniunt ad consequentiam iuri divino contrariam, ut in negotio matrimonii quam maxime *personali* contra voluntatem partium contrahentium *etiam tertiis personis* concedant ius agendi pro nullitate vel solutione matrimonii, iure canonico *validi* et *indissolubilis*. Cfr. v. g. cod. civ. *German*. art. 1331, 1336, *Gall*. art. 182 sq., *Austr*. § 96, quae *soli patri legitimo*, non iudici pupillorum, tribuit ius agendi saltem ad *rescindenda* matrimonia liberorum *minorum* absque suo consensu contracta; *Hungar*. legem de matr. civili (a. 1894) [29].

---

[28] Leges romanae (cfr. L. 20, D. de rit. nupt. XXIII, 2; L. 8, C. de nupt. V, 4) consensum curatoris vel cognatorum vel affinium ad nuptias minorum non habuerunt necessarium, nisi in casu L. 20. Cod. V, 4 magis specie quam re excepto; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 141, not. 31 sq.

[29] *Hollweck*, l. c., 196 sq.; *Allègre*, l. c. I, ad art. 182, 183; *Lehmkuhl*, l. c. ad §§ 1336 sq.; *Scherer*, l. c. § 131, not. 34 sq.

PARS SECUNDA

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EORUMQUE DISPENSATIONE

CAPUT I

De impedimentis matrimonii in genere

145. Principii instar asseritur c. 1035 posse contrahere matrimonium omnes qui *iure* non prohibentur[1]. *Ius* unde venit prohibitio aut est ius *divinum* pro *omnibus* hominibus constitutum, aut ius *ecclesiasticum* pro fidelibus aut ius *civile* pro infidelibus. Quae prohibitio potest esse absoluta et permanens, v. gr. in laborante impotentia absoluta et perpetua, vel mere temporanea ut in laborante aetatis defectu, vel respicere matrimonium cum determinata persona, v. gr. consanguinea vel diversae religionis.

Porro prohibitio iuris sive divini sive humani potest reddere matrimonium tantum *illicitum* vel etiam *invalidum*[2]: in utroque casu matrimonium *impeditur*, seu habetur lex constitutiva impedimenti sive mere impedientis sive etiam dirimentis.

---

[1] Consonat c. 23, X, de spons. IV, 1: *Cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur per consequentiam admittatur..., videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari.* (*Innocent. III* ad Arelat. Archiep. a. 1193). Quare minus accurate *Sanguineti* docuit Ecclesiam sua potestate iurisdictionis *conferre* fidelibus capacitatem ineundi matrimonium. Profecto sacerdos vi ordinationis non iam habet potestatem *iurisdictionis* pro sacramento paenitentiae, nisi ei *positive per iniunctionem* ab Ecclesia concedatur; at fideles ipso baptismo et absque *positiva* concessione Ecclesiae habent capacitatem ineundi *sacramentum* matrimonii, nisi obstet impedimentum canonicum, ut recte tenuit *Gasparri*, l. c. I, n. 252.

[2] Iure Codicis non fit subtilis quaedam distinctio inter matrimonium *invalidum*, *irritum* et *nullum*, sed haec vocabula in re matrimoniali passim sine discrimine adhibentur. Cfr. v. gr. cc. 1133, 1136.

146. Definitio. Impedimentum matrimonii in genere est circumstantia *propter quam ex iure* divino vel humano *valida* aut *licita* contractus matrimonialis celebratio *prohibetur*. Qua ex definitione generali rite explicata facile iam patet quid sit impedimentum *canonicum* matrimonii. Quamvis enim *omnes homines* subiciantur impedimentis iuris divini sive *naturalis* sive *positivi*, tamen soli *fideles*, non infideles, obstringuntur directe impedimentis iuris *ecclesiastici;* at infideles ligari quoque possunt impedimentis matrimonialibus iuris *civilis*, a quibus *fideles* omnino sunt immunes.

In matrimonio vero fidelium proprie dictum impedimentum non invenitur nisi in circumstantia quae directe afficit matrimonium prout *contractus* est praescindendo a ratione sacramenti: unde peccatum mortale aut defectus debitae intentionis in suscipiente sacramentum non habent rationem impedimenti: fidelis qui arcetur a contractu consequenter arcetur a sacramento; at a sacramento arceri potest quin lex arcens iuridicam rationem impedimenti contractus matrimonialis prohibitioni tribuat.

Ante Codicem solebant distingui impedimenta dirimentia ex parte *formae*, ex parte *consensus* et ex parte *personae*: quae distinctio disparuit in iure Codicis, in quo vitia consensus et formae celebrationis separatim considerantur et solae circumstantiae *personam* inhabilitantes recensentur inter impedimenta [3].

147. Divisio. Impedimenta canonica matrimonii dividuntur:

I. Ratione *fontis* sive originis sive subiecti activi in impedimenta *iuris divini* sive naturalis [4] sive positivi, velut impedimentum impotentiae aut voti in quantum est impedimentum impediens, et in impedimenta *iuris ecclesiastici*, v. g. cognationis spiritualis vel legalis.

II. Ratione *effectus* in impedimenta *dirimentia*, v. g. impotentiae, quae valori contractus matrimonialis obstant, et in impedimenta mere *prohibentia*, v. g. mixtae religionis, quae illius honestatem sive liceitatem tantum impediunt. Ex natura autem rei est, cum matrimonium claudicare non possit, quod impedimento etiam *ex una tantum parte* existente matrimonium reddatur aut illicitum aut invalidum (c. 1036 § 3).

III. Ratione *ambitus* in *absoluta* et *relativa*. Illa cum *qualicumque* persona matrimonium impediunt, v. g. impedimentum *absolutae* impotentiae, haec cum *certis* tantum personis, v. g. cum consanguineis, matrimonium non permittunt.

IV. Ratione *durationis* [5] in *temporaria*, quae post aliquod

---

[3] Huic novae terminologiae, quam iam suo tempore propugnavit *D'Annibale*, Summ. III, 429 et *Gasparri*, I, n. 205, omnino standum est (*Cappello*, I, n. 195), quamvis praecedens terminologia *in se* ratione iuridica non careret. Cfr. *Suárez*, De leg. l. V, cap. 19, n. 4. In ipso indice alphabetico Codicis clandestinitas inter impedimenta recensetur.

[4] *Sánchez*, l. VII, disp. 52; *Suarez*, De leg. l. II, cap. 12; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 9; *Scherer*, 260, not. 13, ubi pro matrimoniis in infidelitate contractis cum impedimento, quod ex iure *canonico* est dirimens, post conversionem asseruit aliquam generalem *dispensationem* et *sanationem in radice*, quae omnino non existit neque ullo modo est necessaria; nam matrimonia infidelium, quibus non obstat *dirimens* impedimentum « *iuris naturalis vel divini* » (vel civilis) sunt indubitanter valida. Cfr. c. 15, X, qui fil. IV, 17; c. 8, X, de divort. IV, 19; S. Paenit. 21 sept. 1816; S. C. Inq. 2 maii 1866, 10 dec. 1885, 18 maii 1892, 4 febr. 1891, (« *iure naturae* ») in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1381, 1384, 2184,; Instr. C. Rauscher § 23. Quodsi *Scherer*, l. c. not. 15, exinde in dubium vocavit existentiam *naturalis iuris* matrimonialis, quod *ambitus* impedimentorum iuris naturalis passim sit controversus, certe allegavit rationem inefficacem. Nam omissa disquisitione de consequentia *logica* huius argumenti, plura impedimenta etiam dirimentia ex solo iure naturali sunt certissima neque oppugnationibus quorundam scriptorum fiunt dubia vereque controversa, v. g. impotentia, ligamen, consanguinitas primi gradus lineae rectae. Cfr. cit. decr. S. C. Inq. in Collect. S. C. de Pr. F.; Syllab. prop. 67. Neque firmior est altera ratio, si *Scherer*, l. c., putat cum theoria iuris naturalis — in impedimentis matrimonialibus — non conciliari c. 9, X, de divort. IV, 19, et c. 4, X, de consang. IV, 14, secundum quae pro matrimoniis infidelium non leges ecclesiasticae, sed leges Veteris Testamenti traditionesque proprii populi sunt normae decretoriae. Nam omisso denuo examine de consequentia *logica* illius rationis, cuicumque legenti duo allegata capita statim patet nequaquam ibidem doceri omnes leges Veteris Testamenti — de impedimentis matrimonii — pro infidelibus esse normas decretorias atque de traditionibus populi nihil inveniri, nisi forte vestigium quoddam in verbis illis cit. cap. 9, « *secundum opinionem illorum* » ab ipso auctore in not. 13 reprehensis. At re accuratius inspecta, allegationes huius auctoris potius serviunt ad corroborandam theoriam iuris naturalis. Nam si in *nonnullis* impedimentis Veteris Testamenti, ut aperte docuit Concilium Trid. Sess. XXIV, can. 3, de ref. matr., Ecclesia *dispensare* potest, satis insinuatur id in *aliis* fieri non posse. Porro aliae illae leges in Novo Testamento certe non amplius obligant *vi promulgationis sinaiticae;* ergo si nihilominus obligant, id imprimis repetendum est *ex iure naturali*, quo impedimenta quaedam Veteris Testamenti *pariter* innitebantur. Quod ius naturale a Christo Domino non est sublatum. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 11, n. 3, l. X, cap. 2; *Sánchez*, l. VII, disp. 52, n. 1, 2, 3, sq. *Traditiones* vero *populi*, ad quas provocatur, sunt partim *manifestationes* ipsius *iuris naturalis* aut *consuetudines* receptae iuris civilis.

[5] Impedimenta ratione *temporis* quo oriuntur et existunt, a multis scriptoribus dividebantur in *antecedentia* et *supervenientia*. Sane impedimenta supervenientia, i. e., quae superveniunt matrimonio iam *valide* contracto sensu proprio impedimenta non sunt. Etenim *vera* impedimenta matrimonii dicuntur illa, quae obstant matrimonio *in fieri* sive *validae* vel *licitae* matrimonii *celebrationi*, ideoque per se omnia sunt antece-

tempus tolluntur vel ipso facto, v. g. impedimentum *aetatis*, et in *perpetua*, quae de se usque ad finem vitae non tolluntur, v. g. consanguinitatis, nisi forte dispensatione.

V. Ratione *notitiae* in *publica* et in *occulta*. Quae divisio maximi est momenti practici, praesertim in ordine ad facultatem dispensandi.

a) Canon 1037 *publicum* dicit impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est *occultum*.

Ergo ex iure Codicis ad notionem impedimenti *publici* non pertinet eius notitia seu divulgatio qua talis, sed eius *probatio in foro externo* possibilis: quae possibilitas probationis iam habetur, si duo testes fide digni de facto deponere possint aut de tali facto habeatur documentum authenticum.

b) Ante Codicem doctores distinguebant impedimenta *natura sua* publica et *facto* publica, quem modum loquendi agnoscit Codex c. 1971 § 1, 2°. Publicum *natura sua* est impedimentum, quod oritur ex facto *de se* publico, velut consanguinitas. *Publico natura sua* opponitur impedimentum *natura sua occultum*, i. e. quod oritur ex facto ordinarie occulto, quale solet esse factum probrosum, velut coniugicidium etc. At impedimentum natura sua publicum propter circumstantias fieri potest ut aliis non sit notum, vel tantum adeo paucis et discretis personis ut pro qualitate loci periculum divulgationis non adsit; quo in casu dicebatur *facto* occultum. Vicissim impedimentum natura sua occultum, in casu particulari potest esse notorium vel famosum vel saltem a tot personis cognitum ut *probabile* sit periculum divulgationis atque possibilis probatio in foro externo. Quare iure praecedente in illa divisione inter impedimentum publicum et occultum praesertim attendebatur *ad aliorum notitiam*, cum agebatur de dispensationibus matrimonialibus. Qua in quaestione impedimentum occultum distinguebatur in *simpliciter occultum*, quod tantum paucis discretisque personis pro qualitate loci est notum ita ut divulgationis periculum non adsit, et in *omnino occultum* quod nemini, nisi partibus et confessario, notum sit, saltem si agatur de matrimonio *contrahendo*, quamvis in matrimo-

dentia. Impedimenta vero supervenientia sunt ordinarie tantum impedimenta secundum quid, i. e. in ordine ad *usum* matrimonii, quem impediunt, at nunquam ipsis vis inest dissolvendi vinculum christiani matrimonii, valide iam contracti et consummati. Acrius tamen hanc divisionem carpit *Schulte*, § 6, praesertim si ratio habeatur sollemnis professionis, dissolventis matrimonium ratum, et privilegii Paulini quo vel ipsa matrimonia in infidelitate legitime contracta et consummata dissolvuntur. Cfr. *Feije*, n. 84; *Scherer*, 262, not. 20.

niis *contractis* adhuc censeretur omnino occultum, si insuper ab *una* persona cognosceretur: qua in re attendebatur quod depositio unius testis sufficiebat ad impediendam matrimonii celebrationem, donec fuisset probata absentia impedimenti aut fuisset obtenta impedimenti reapse existentis dispensatio [6].

Nihilominus etiam in iure ante Codicem vigente, cum quaestio erat de matrimonio in facie Ecclesiae nulliter contracto et postea convalidando, iam non attendebatur ad actualem notitiam aliorum, sed publicum dicebatur quod in foro externo probari poterat ideoque pro convalidatione requirebatur renovatio consensus in forma publica, quae forma non erat adhibenda in renovatione consensus, si impedimentum fuisset occultum, i. e. cuius probatio in foro externo non erat possibilis [7].

c) Ex diverso modo quo impedimentum in foro externo probari potest, etiam iure Codicis distinguitur impedimentum *facto* publicum et *natura* publicum (cfr. c. 1971 § 1, 2°). *Facto* publicum est quod est notorium sive notorietate iuris sive notorietate facti, aut saltem in iis circumstantiis versatur ut de eo legitima probatio fieri possit; quo sensu novo iure est publicum etiam illud impedimentum quod iure praecedente in materia dispensationum dicebatur *quasi occultum* vel *simpliciter occultum*, quod adhuc notum esse poterat quinque, decem vel duodecim personis iuxta diversa adiuncta, modo periculum divulgationis abesset.

Natura publicum, perinde ac in iure praecedente, illud est quod oritur ex facto *de se publico*, quale est: 1°) factum quod petit contingere in foro Ecclesiae aut in coetu fidelium, sc. impedimentum ordinis, voti sollemnis et voti simplicis emissi in aliqua Religione; 2) factum quod petit consignari in regestis publicis, sc. impedimentum aetatis, consanguinitatis legitimae, affinitatis, publicae honestatis, cognationis spiritualis et legalis, disparitatis cultus et mixtae religionis; 3°) factum quod comprobari potest testimonio testis qualificati de rebus ex officio gestis testantis, aut testimonio duorum testium de propria scientia contestantibus, sc. impedimentum ligaminis resultans ex matrimonio coram parocho vel saltem duobus testibus contracto.

Impedimentum *natura* publicum, sed *facto* occultum, ha-

[6] Quae divisio in omnino occultum et simpliciter occultum adhuc attenditur in dispensatione a S. Paenitentiaria obtinenda. *Chelodi*, n. 40, *Cappello*, I, n. 227.

[7] *Gasparri*, I, n. 209.

bendum est *publicum*, cum de eo probatio in foro externo fieri possit[8].

d) Ex dictis apparet iure novo facto *occultum* dumtaxat haberi illud impedimentum, quod iure praecedente dicebatur *omnino occultum*, sc. quod nemini, nisi partibus et confessario vel forte uni personae notum est. Debet autem ita esse occultum *materialiter* et *formaliter;* nam si factum, quo nititur impedimentum, publicum sit, quaecumque detur iuris ignorantia etiam communis in loco, ea non impedit quominus impedimentum in foro externo probari possit, ideoque vere sit publicum[9]. Quod autem hodie facto publicum est, lapsu temporis occultum fieri potest et vicissim.

VI. Cum praecedente divisione conexa est alia in impedimenta *gradus maioris* et minoris, quae respicit faciliorem dispensandi praxim quoad posteriora, rigidiorem quoad priora (c. 1054). *Minoris gradus* sunt: consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis, affinitas in secundo gradu lineae collateralis, publica honestas in secundo gradu, cognatio spiritualis, crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum. Cetera sunt maioris gradus (c. 1042 § 3)[10]. Cum tam in « Ordo servandus in SS. Congregationibus » (P. II, cap. VII, art. III, n. 19, 20) quam in Codice (c. 1042) in duplici specie non numerentur nisi impedimenta dirimentia, illa partitio non videtur applicanda impedimentis impedientibus, v. gr. in ordine ad praescriptum c. 1054, aut ad modum dispensationem expediendi apud S. Congregationem; *Cappello*, I, n. 206; *De Smet*, n. 464, not. 4.

[8] Hoc quidem est omnino asserendum *per se*, quia ex ipsa notione impedimenti *natura sua* publici sequitur *per se* eius probationem fieri posse in foro externo. Nihil tamen vetat quominus *per accidens* in casu aliquo particulari probatio sit impossibilis, quo in casu, quamdiu impossibilitas durat, impedimentum habendum erit uti *occultum. Chelodi*, n. 35; *Cappello*, I, n. 200: Cfr. quoque *Feije*, n. 635, 7°.

[9] Quare v. g. si *factum* criminis *ut* criminis est notorium, et populus forte ignorat illi adnexam esse *inhabilitatem* ad matrimonium cum complice, impedimentum criminis, licet materialiter publicum, sed *formaliter occultum*, omnino ut publicum est habendum; at si populus factum, v. g. *homicidii*, cognoscat, omnes autem putant *fortuito* esse patratum, profecto factum *ut criminosum* esset occultum, atque idcirco etiam impedimentum, ut impedimentum, maneret occultum. Cfr. S. Paenit. a. 1875, iunct. *Bened. XIV*, Inst. eccl. 87, n. 48; *Feije*, n. 94; *Gasparri*, I, n. 260; *Rossel*, n. 2736 sq.; *Scherer*, l. c. 264, not. 17; *Chelodi*, n. 35; *De Smet*, n. 465; *Cappello*, I, n. 200. Paulo aliter sensit ed. ASS. XIV, 167; *Putzer*, l. c. n. 23, aliique; immo *Schnitzer* 225, not. 2, putat S. C. C. in allegata caus., 29 ian. 1881, controversiam contra Benedict. XIV diremisse; at id certe in illa causa non est factum, cum S. C. C. etiam *alias* rationes habuerit, propter quas respondere potuit: *Non constare de matrimonii nullitate*. Cfr. ASS. l. c., 155, not. 1; *Leitner*, 413, not. 2.

[10] Quae divisio primo inducta est per « Normas peculiares » Curiae reformatae, cap. VII, art. 3, ubi alia fit enumeratio. Cfr. *De Smet*, n. 464, 5° not. 2, utrum impedimenta *impedientia* sint omnia *gradus maioris*, et *Ferreres*, « Derecho sacramental », n. 472, ubi mentionem facit de difficultate inde petita quod nonnulla impedimenta habeantur *minoris gradus* quae antea habebantur indispensabilia.

VII. Ratione *possibilitatis dispensandi* in *dispensabilia* et *indispensabilia;* illis accensentur ea impedimenta super quibus a competente auctoritate ecclesiastica dispensari *potest* et *de facto* sive passim sive saltem interdum dispensatur; haec vero dicuntur impedimenta, in quibus Ecclesia non *potest* dispensare aut saltem de *facto non* dispensat[11].

VIII. Ratione praesertim *iuris accusandi* vinculum matrimoniale in impedimenta *iuris privati* et in impedimenta *iuris publici*[12]. Priora sunt illa, quae *principaliter*, at non exclusive, ob *privatam* utilitatem constituta sunt. Quare iudex ecclesiasticus regulariter tantum ad instantiam *partium contrahentium* propter impedimentum iuris privati contra matrimonium invalidum procedit, non vero *ex officio* sive ad instantiam promotoris iustitiae. Huc spectant impedimenta condicionis servilis, vis et metus, impotentiae occultae. Iuris *publici* impedimenta dicuntur omnia reliqua, quae *principaliter* instituta sunt propter bonum commune *publicamve* matrimonii honestatem et sanctitatem. Hinc ius accusandi matrimonium, ex tali impedimento invalidum, nequaquam solis coniugibus est reservatum, sed contra illud etiam iudex ex officio suo vel promotor iustitiae aliique actores legitimi per accusationem procedere valent. At etiam in his impedimentis, qui strictum ius suum ex nullitate matrimonii derivans a iudice non petit, ius accusandi matrimonium non habet, sed solum eius nullitatem denuntiandi (c. 1971 § 2).

IX. Ratione gradus *cognitionis* in *certa* et *dubia*, quatenus dubium prudens aut excluditur aut admittitur. Quod dubium potest esse dubium iuris *tantum* aut facti *tantum* aut *iuris et facti*, atque dubium iuris exsistere potest vel in iure *divino* vel in iure *humano*, sive *ecclesiastico* sive *civili*.

[11] *Giovine*, I, 242, 243; *Van de Burgt*, De dispensat. matr. 1 sq., 5 sq.; *Zitelli*, De dispensationib. matr., 54.

[12] Instr. C. Rauscher, n. 116 sq. quae divisio a compluribus recentioribus adoptata sane etiam sensum sinistrum admittit, qui utique non est probandus. Cfr. *Schulte*, n. 116 sq., § 6; *Feije*, n. 85. Cfr. tamen c. 1971, ubi haec distinctio recto modo adhibetur; *De Smet*, n. 465, 3.

148. Notae historicae. I. Primis saeculis accurata illa terminologia et distinctio inter impedimentum dirimens atque impediens nondum occurrit; res autem hisce verbis significata iam satis fuit nota[13]. At propter defectum certae stabilisque terminologiae nequaquam semper in singulis casibus constabat utrum impedimentum a sacris canonibus constitutum esset dirimens, an solummodo impediens. Cuius rei celeberrimum exemplum suppeditabat impedimentum *ordinis sacri*, quod non nisi ex tempore Concilii Lateranensis I (a. 1123) et II (a. 1139)[14] verbis, omne dubium excludentibus, declaratum est impedimentum dirimens. Ipse magister Gratianus, licet discrimen inter impedimentum dirimens et impediens bene perspectum haberet[15], tamen magna usus est verborum varietate ad significandam differentiam inter utrumque impedimentum. Post Gratianum frequentius iam adhibentur verba « *impedimenti* » vel « *obstaculi* » et praesertim ex tempore *Rolandi* l. c., 113, 118, atque *Bernardi Papiensis*, l. c., 228, stabilis fit illa formula: « *Impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum* ». *Alexander III* (Rolandus) eundem modum loquendi c. 4, X, qui clerici vel vov. IV, 6, in decretali scripta inter an. 1159-1181 est secutus, atque exinde ille terminus communiter in iure erat receptus. Cfr. c. 6, X, eod. (*Coelest III*, 1191-1198); c. 1, de cogn. spir. IV, 3, in Sext.; Extravag. Ioann. XXII, tit. 6, de vot. cap. unic.; Concil. Trident. Sess. XXIV, can. 3, cap. 4, de ref. matr. Quae accurata terminologia eo magis fuit necessaria, quod Ecclesia etiam in iure matrimoniali non adoptaverat generalem regulam iuris Romani de nullitate actuum, qui contra ius gesti sint[16].

II. Primis saeculis ut *sacramentorum* vel *irregularitatum* non ilico habetur completa quaedam enumeratio, ita etiam perfecta *impedimentorum matrimonialium* collectio non existit, sed sparsim reperiuntur impedimenta[17]. Prima vestigia catalogi impedimentorum inveniuntur in anathematismis *Gregor. II*, in Synod. Roman. a. 721 publicatis. Item in antiquis Ritualibus ad usum parochorum impedimenta certo quodam ordine fuerunt inserta[18]. Catalogum perfectiorem suppeditant exceptiones Pe-

---

13 Cfr. c. 61 Synod. Agath. (a. 506 = c. 30 Sinod. Epaon. (a. 517) = c. 5, C. XXV, q. 2 et 3; c. 1 Synodi Vermer. (a. 753-756); c. 1-3, 4, 6, 7, 10, Conc. Comp. (a. 757).

14 *Laurin*, D. Caelib., 157 sq.

15 Dict. Grat. post c. 6, 8, C. XXX, q. 5; *Freisen*, 221 sq.

16 *Esmein*, I, 80, 227 sq.

17 Cfr. canones antiquor. libror. paenitentialium, quos recenset *Schmitz*, D. Bussbuecher v. v. Ehe, Ehehind.

18 *Binterim*, Denkwuerd., t. VI, P. II, 335.

tri (I, 29) atque enumerationes Petri Lombardi (lib. IV, dist. 34). Quae collectio impedimentorum matrimonii etiam illud effecit, ut singula brevibus conceptisque verbis denotarentur. Hinc iam Rolandus[19] scribit: « *Circa quam multa considerantur: Votum, ligatio...* ». Inde paulatim ea accurata terminologia orta est, brevibusque versiculis memoriae iuvandae causa omnia impedimenta comprehensa sunt. Post factam collectionem, in qua singulis impedimentis propria artis vocabula tributa fuerunt, facile eo pervenerunt canonistae, ut *quot* essent impedimenta distinctius indicarent.

At mirabile dictu et tempore medii aevi et tempore recentiore usque ad nostram aetatem theologi et canonistae in *numero* impedimentorum omnino non concordabant, etiamsi ratio haberetur impedimentorum, quae iampridem abrogata aut per Concilium Tridentinum denuo statuta erant. Antiquiores quidem scriptores ut plurimum enumerabant 14, sicut Rufinus, impedimenta *dirimentia*, alii vero modo 11, v. g. Rolandus, modo 16, quem numerum Stephanus Tornacensis refert, vel 17, immo 19 impedimenta recensent[20]. Porro impedimenta *impedientia* alii putabant esse *duo* vel *quatuor* vel *quinque* vel *sex*, alii *novem* vel *undecim*[21]. Ita v. g. *Van de Burgt*, l. c., 63 sq., enumerat 20-24 impedimenta dirimentia atque p. 269 sq., 9 impedimenta impedientia sc. Ecclesiae vetitum — quod est *praeceptum*, non *lex*,

---

19 Summa, 114 sq.; *Freisen*, 225.

20 *Bernard. Pap.*, Summa de matrimonio, 287: « *Sunt autem quae matrimonium impediunt XIV: Votum, ordo, habitus, dispar cultus, error personae, condicio, cognatio, ligatio, enormitas delicti, impossibilitas coeundi, coactio, publicae honestatis iustitia, tempus feriarum et interdictum ecclesiae* »; *Rolandus*, l. c., 114 sq. Sententiae, 272, *Rufinus*, ed. Singer, 434. *Tancredus*, Summa, 17; *Stephanus Tornacensis*, (ed. Schulte), 232; *S. Raimund.*, Summa lib. IV tit. 2, § 16; Glossa ad princ. C. XXVII, q. 1; *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 1, n. 335, 336; *Scherer*, 263, sq.; *Freisen*, 225 sq.

21 Scriptores cit. in not. praeced.; *Giovine*, l. c. I, 332, 356 sq., 668 sq.; *Feije*, n. 79, 548; *Rosset*, n. 1206; *Bened. XIV*, De Syn. dioec. lib. VIII, cap. 14, n. 2 « *Fulcitur haec opinio* — i. e. ignorantiam doctr. chr. non esse imped. imp. matr. — *quorundam theologorum auctoritate, qui cum ignorantiam doctrinae christianae non invenerint in vulgatis* versiculis, (id) *asserere non dubitarunt* ».

Generatim recentius ante Codicem 14 recensebantur impedimenta dirimentia, sc. error, vis et metus, raptus, clandestinitas, aetas, impotentia, ligamen, votum sollemne, ordo sacer, cognatio, affinitas, publica honestas, cultus disparitas, crimen.

Impedimenta vero impedientia, quae niterentur *legibus* mere prohibentibus, potissimum quatuor numerabantur, sc. sponsalia, votum simplex, mixta religio, tempus feriatum.

et potest esse simpliciter *prohibens* vel etiam *irritans*, si a R. Pontifice imponatur — tempus feriatum, sponsalia, votum simplex, haeresis aut schisma in alterutra parte, ignorantia doctrinae christianae, dissensus parentum, defectus certitudinis de morte prioris coniugis, status peccati mortalis et censura.

149. Impedimenta Codicis. Inter dirimentia recensentur: *aetas, impotentia, vinculum* seu *ligamen, disparitas cultus, ordo sacer, professio religiosa sollemnis, raptus, crimen, consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis* et *cognatio legalis* — haec tamen si in respectiva lege civili sit impedimentum dirimens — i. e. 12 vel 13. Inter impedientia solum commemorantur *votum, mixta religio* et *cognatio legalis* — haec autem si in respectiva lege civili habeatur ut impedimentum impediens —. Haec sola sunt impedimenta *canonica* vigentia, quamvis non sit facile reddere rationem cur haec postrema tantum rationem canonici impedimenti *impedientis* retinuerint[22].

150. Scholion I. Admisso *iure* potestatis civilis statuendi impedimenta etiam dirimentia pro matrimoniis subditorum non baptizatorum, haud levis potest exsurgere difficultas utrum *de facto* principes civiles tulerint legem *vere irritantem* an solummodo legem prohibentem gravi *sanctione poenali* munitam, immo forte legem mere poenalem. Quae questio *iuris* et *facti* evidenter est praeiudicialis, si in foro ecclesiastico iudicium sit ferendum de valore matrimonii ante conversionem in infidelitate contracti. Quodsi leges civiles generatim divisionem in impedimenta dirimentia et *mere prohibentia* admittunt, tamen alias divisiones repellunt et a legibus ecclesiasticis non raro variis

[22] Satis apparet difficultas ex disputationibus doctorum in iure praecedente. Attamen indignitas ratione peccati vel censurae merito e numero impedimentorum canonicorum excluditur, cum matrimonium tantum prohibeat *qua sacramentum;* etiam tempus feriatum, cum solas nuptiales sollemnitates non matrimonium ipsum impediat, demum vetitum Ecclesiae, quia prohibitio matrimonii non ex *lege* sed ex peculiari praecepto procedit. At disparitas inter *votum* et *sponsalia* non facile assignatur, si iure Codicis sponsalia inducunt determinatam obligationem contrahendi matrimonii promissi ex iustitia et prohibitionem gravem contrahendi cum tertia persona. Si *votum privatum et occultum*, soli Deo atque ipsi voventi notum nullumque habens respectum ad ordinem publicum et socialem, ad quem profecto dicit relationem matrimonium, est nihilominus impedimentum canonicum, non facile explicatur cur *contractus*, ab Ecclesia sollemni forma munitus cum effectu obligationis iustitiae erga alium relate ad matrimonium cum ipso contrahendum, non sit canonicum impedimentum prohibens matrimonium cum tertia persona propter ligamen vere *iuridicum* huic matrimonio obstans. Cfr. supra n. 96 cum not. de effectu sponsalium.

modis discrepant; v. g. quandoque impedimenta mere prohibentia in iure ecclesiastico aut ab Ecclesia non admissa statuunt esse dirimentia, v. g. defectum proclamationis bannorum, lucidum intervallum in amente, aut vicissim impedimenta dirimentia Ecclesiae omnino respuunt vel iisdem relinquunt vim mere prohibentem vel limitant vel extendunt ultra terminos ab Ecclesia definitos, v. g. impedimentum aetatis, ut in singulis impedimentis canonicis erit insinuandum. Deinde per novam distinctionem inter declarationem nullitatis et impugnationem cum effectu retroactivo, v. g. in cod. civ. German. §§ 1323 sq., introductus est modus quidam procedendi partim in se non rationabilis et a foro ecclesiastico alienus, partim iuri divino, i. e. indissolubilitati matrimonii aperte contrarius[23]. Denique cum ius civile de matrimonio conditum sit nationale, non levis difficultas et differentia est de matrimoniis civium extraneorum intra aliquam Civitatem vel civium propriorum in alieno Statu, quatenus magis vel minus urgetur obligatio *personalis* aut *localis* impedimentorum civilium[24].

151. Scholion II. Ut apparet ex enumeratione facta, impedimenta dirimentia matrimonii fere sunt eadem quae ante Codicem vigebant, factis nonnullis restrictionibus et immutationibus inferius exponendis. Quoad impedimenta impedientia, Codex diremit controversiam existentem de numero et suppressit suo silentio impedimentum ex sponsalibus ortum.

Iure antiquo plura erant impedimenta impedientia orta ex *crimine*, quae tamen iam pridem erant contraria consuetudine abrogata ideoque non nisi historicum habebant momentum. Praestat ad complementum doctrinae paucas quasdam animadversiones de numero et historia illorum impedimentorum subnectere. Cfr. *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 16, n. 57, 58, 42 sq.; *Giovine*, I, 241 sq., 688; *Feije*, n. 548; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 526 = relat. in caus. Ulyssip., 7 sept. 1726, a S. C. C. decisa.

Cum *paenitentia publica* sive sollemnis in Ecclesia vigeret, quicumque ad paenitentiam publicam subeundam compulsus aut admissus est, non solum *tempore* paenitentiae ab usu legitimi matrimonii fuit exclusus, sed etiam peracta paenitentia, saltem ex consuetudine Ecclesiae Romanae, a *novis* quoque

[23] *Hollweck*, D. Civileher. 96 sq., 112 sq., 196 sq.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad §§ 1303 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. §§ 140 sq.; *Scherer*, 263 sq., 429 sq.

[24] *Scherer*, l. c. 444 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 140, not. 3; *Allègre*, l. c. ad art. 3, 170 sq.; *Hirschel*, in Arch. f. k. K. XLI, 383 sq.; *Schnitzer*, 303; *Aichner*, § 194.

nuptiis celebrandis in perpetuum arcebatur [25]. Inde ortum est *impedimentum impediens publicae vel sollemnis paenitentiae.* *Schmalzgr.*, l. c. n. 45; *Hefele*, II, 553, 563. Quae rigida disciplina imprimis pro adolescentibus paenitentiam suscipientibus moderationem nacta est [26], atque paulatim *omissa separatione* coniugum [27] vel ipso tempore paenitentiae usus matrimonii in praxi coniugibus vix amplius fuit prohibitus. Cfr. *Bernard Pap.*, l. c., 301. Sublata paenitentia publica in Ecclesia, nihilominus *certis delictis* adnexa mansit *prohibitio perpetua licitae celebrationis matrimonii* etiam cum *qualicumque persona* [28]. Inter ista crimina recensenda sunt: incestus [29], matrimonium attentatum cum moniali [30], raptus personae alienae [31], uxoricidium (coniugicidium) [32], interfectio propriae prolis [33], presbytericidium [34], malitiosa propriae prolis susceptio ex baptismo [35].

152. Potestas instituendi et abrogandi impedimenta. Ex praemissis de potestate, qua matrimonium regitur, iam satis constat

---

[25] Cfr. c. 12 (Siricius a. 385), C. XXXI, q. 2; *Freisen*, 561 sq.; *Scherer*, 388 sq.

[26] *S. Leo*, a. 458 vel 459 in c. 14, C. XXXII, q. 2; c. 16, 19, Conc. Tolet. (a. 400 = c. 27, 26, C. XXVII, q. 1; c. 55 Conc. Toletan. IV (a. 633); c. 2. Conc. Tolet. XII (a. 681); c. 21, 22 Conc. Arelat. (a. 443-452); c. 1 Conc. Elus. (a. 551). Circiter a saeculo nono generatim post peractam paenitentiam novarum nuptiarum celebratio paenitentibus non iam fuit interdicta. Cfr. c. 30 Conc. Wormatien. (a. 868); c. 39, 41, 44, Conc. Fribur. (a. 895); c. 13, 16, C. XXXIII, q. 2; *Freisen*, 564 sq.; *Schmitz*; D. Bussbuecher, 455.

[27] Cfr. c. 34, 37 Conc. Wormatien. (a. 868); c. 17, C. XXXIII, q. 2; *Freisen*, 570, cum limitatione a *Scherer* recte adiecta.

[28] *Freisen*, 574.

[29] Cap. 1. 4, X, de eo qui cognov. IV, 13; cap. unic. i. f. de consanguin. IV, in Clemen.; c. 10, 11 Conc. Vermer. (a. 753-757); c. 53, 56 Conc. Mogunt. (a. 813); c. 38 Conc. Rom. (a. 826); c. 29 Conc. Mogunt. (a. 847); c. 20, C. XXXII, q. 7; c. 4. C. XXXV, q. 2, 3. De ipsa extensione *incestus* apud veteres et recentiores scriptores non erat concors sententia. Cfr. *Ballerini*, VI, n. 548; *Freisen*, 575 sq.; *Schmitz*, l. c., 357; dict. *Grat.*, § 4, ad can. 2, C. XXXVI, q. 1, «*Incestus est* (recte!) *consanguineorum vel affinium abusus*»; *Bernard. Pap.*, l. c., 300; dict. *Grat.*, ad c. 18, C. XXX, q. 7; *Hollweck*, D. k. Strafg., 267 sq.; *Hinschius*, l. c. V, p. 820 sq.

[30] Cfr. c. 13, C. XXVII, q. 1 = cap. incertum; Glossa in cit. c. 13, v. Et nunquam.

[31] Cfr. c. 34, C. XXVII, q. 2 = cap. 24 Conc. Aquisgranens. (a. 817).

[32] Cfr. c. 5, C. XXXIII, q. 2 = *Nicol. M.* epist. ad Archiep. Bituric. scr. (a. 864).

[33] Cap. 1, X, de his qui V, 10; *Schmalzgr.*, l. c. n. 47.

[34] Cap. 4 Synodi apud Theodonis villam (a. 821), (*Hefele*, l. c. IV, 30 sq.); c. 2, X, de paenit. V, 38 = c. 24 Conc. Mogunt. (a. 847).

[35] Cfr. c. 5, C. XXXIII, q. 2 = *Nicol. M.* epist. ad Archiep. Bituric. scr. (a. 853); *Feije*, l. c.

ad solam supremam auctoritatem ecclesiasticam privative spectare impedimenta quaelibet pro baptizatis statuere per modum legis sive universalis sive particularis et consequenter iisdem iam statutis derogare aut eadem abrogare. Ob similem rationem sola suprema auctoritas ecclesiastica potest authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat (c. 1038). Quae declaratio Ecclesiae de iure divino sive naturali sive positivo etiam infideles obligat, qui procul dubio ad *veri* et *authentici* iuris naturalis observantiam tenentur, necnon ad ius divinum sequendum a Christo pro omnibus hominibus constitutum; cuius doctrinae practica applicatio occurrit, cum infideles coniugati ad fidem convertuntur.

Porro, ut iam dictum est, ex reprobatione c. 1041 consuetudini quaelibet vis est sublata ad nova impedimenta inducenda aut ad deroganda vel abroganda ea quae in Codice sunt constituta.

153. Impedimentorum vis. Impedimenta dirimentia suam retinent vim ligandi etiam *ignorantes* sive ignorantia facti sive ignorantia iuris; nulla enim ignorantia, quantumvis invincibilis et inculpabilis, efficere potest ut valeat actus ad quem ius reddit personam inhabilem [36] idque expresse sancitur can. 16 § 1: «*nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur*», quae expressa exceptio non est facta de impedimentis matrimonium dirimentibus [37]. Quare vel ipsum impedimentum criminis, quod aliquo modo redundat etiam in poenam, ignorantem perinde tenet ac scientem impedimentum, cum natura sua et principaliter sit *inhabilitas* personalis, inducta ob rationem boni publici, ut caveatur *honestati* morum, *securitati* coniugum et consequenter dignitati *sacramenti*. Ignorantia si sit inculpabilis excusabit a peccato; et sub hoc respectu dici potest quod ab impedimento mere impediente excusat ignorantia.

Praeterea impedimenta dirimentia non *cessant*, tametsi adsit *impossibilitas* sive privata sive communis petendi dispensationem et inde cum gravi incommodo matrimonium sit praetermittendum vel differendum [38]. Relate ad formam celebrationis, in

---

[36] *D'Annibale*, I, n. 216; *Suarez*, De legibus l. VII, cap. 19, n. 16; *Chelodi*, n. 37; *Cappello*, I, n. 198.

[37] Cfr. de hac re Resp. S. Offic., 11 mart. 1868, ad Vic. Apost. Iaponiae.

[38] *Chelodi*, n. 37. Paulo aliter *Cappello*, I, n. 199, pro casu quo finis legis cesset *contrarie* pro communitate; sed difficultas practica est qua ratione pro communitate possit ita cessare finis legis de impedimentis,

impossibilitate *communi* et in impossibilitate *particulari* pro mortis articulo vel pro dilatione matrimonii ultra mensem duratura satis providet c. 1098; pro veris impedimentis in necessitate articuli mortis et in casu urgentiore satis consulitur per cc. 1043 et sq.

154. De casu impedimenti dubii. Dubium potest esse *facti* vel iuris; dubium autem iuris potest versari circa ius *ecclesiasticum* aut circa ius *divinum*.

I. Nunc certum omnino est quod in dubio *iuris* mere *ecclesiastici* impedimentum dubium est impedimentum nullum, atque stante tali dubio matrimonium valide et licite contrahitur (c. 15), quod iam passim in doctrina tradebatur ut res tuta atque adeo certa: non est vero parochi sed Ordinarii, ad quem res est deferenda si tempus suppetat, decidere de existentia dubii iuris. Cfr. c. 1031 § 1, 3°.

At si agatur de dubio *facti*, v. gr. de existentia consanguinitatis inter sponsos, ad matrimonium *licite* procedi non potest, sed stante lege certa et in suo vigore permanente non licet sacramentum exponere periculo nullitatis, et certe Codex dispensationem esse necessariam supponens Ordinariis dat facultatem in tali casu dispensandi, « dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet » (c. 15 iunct. c. 1031 § 1, 3°).

Quodsi dubium simul sit *iuris ecclesiastici et facti*, omnino impedimentum non urget, cum quae valent de dubio iuris in facto certo a fortiori valere debent de dubio iuris in facto dubio; v. gr. si dubitatur de facto cognationis legalis et utrum in respectiva lege civili haec sit impedimentum.

II. *In dubio iuris divini*, sive dubium sit *iuris* sive *facti*, non licet matrimonium inire, si agatur de impedimento quod a matrimonio arcet cum *una* determinata persona, cum per tale matrimonium quis perpetuum subiret periculum vivendi in coniunctione fornicaria, adulterina vel incestuosa; Ecclesia enim in tali impedimento iuris divini non potest dispensare. Quod attinet ad praxim, dubia *iuris* de impedimentis *iuris naturalis* solent esse sublata per leges canonicas pro fidelibus et per leges civiles pro non baptizatis. Ceterum dubium facti aut iuris occurrere potest circa quosdam proximiores gradus consanguinitatis, sc. circa secundum et tertium in linea recta et nunquam in tali dubio permittendum est matrimonium. Item occurrere dubium potest de morte prioris coniugis et consequenter de existentia liga-

---

quae non quodcumque matrimonium, sed matrimonium cum determinata persona excludit.

minis, in quo ius tertii intercedit, ac pariter cavet c. 1069 § 2 ad novum matrimonium procedi non posse, donec de solutione illius vinculi legitime et certo constet.

At in dubio sive *facti* sive *iuris* de impotentia, quae *omne* matrimonium absolute excluderet, matrimonium ex can. 1068 § 2 non est impediendum, sed praevalet nativum ius unicuique competens ad nubendum, a quo spoliari non debet nisi certo constet de inducta inhabilitate [39].

CAPUT II

De impedimento impediente voti

155. **Fontes et Scriptores.** Cfr. infra ubi de impedim. professionis religiosae; *Aichner*, l. c. § 182; *Scherer*, § 128; *Sánchez*, l. VII, disp. 11 sq.; l. VIII, disp. 9 sq.; *Gasparri*, I, n. 425 sq.; *Rosset*, n. 1228 sq., 2333 sq.; *Leitner*, 351 sq.; *Esmein*, I, 299 sq.; *Freisen*, 176 sq., 744 sq.; *Cappello* I, n. 292 sq.; *Chelodi*, n. 54 sq.; *Vlaming*, I, n. 199 sq.; *De Smet*, n. 489 sq.; *Ferreres*, n. 536 sq.

Canon 1058. *Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum.*

Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit.

156. Definitio. Votum hoc loco non intelligitur qualiscumque promissio — non traditio vel donatio — vera et deliberata Deo — non homini — [1] sponte facta de bono possibili et meliore [2], sed tantum illud votum quod matrimonio *immediate* est *oppositum*, quatenus inducit aliquam *obligationem* cum statu matrimoniali *incompatibilem* [3].

---

[39] Cfr. *Gasparri*, I, n. 220 sq.; *Chelodi*, n. 35; *Rosset*, n. 2426 sq.; *Cappello*, I, n. 202; *De Smet*, n. 472; *Vlaming*, I, n. 273.

[1] Cum vota dicuntur fieri sanctis, generatim sunt vera vota quae fiunt Deo in honorem Dei ac simul sanctorum. At si de facto non Deo, sed alicui sancto fieret promissio, verum votum non emitteretur.

[2] *Rosset*, ante n. 1228; *Leitner*, 351 sq. Quaenam sint in specie omnia illa vota matrimonio opposita, in antiquis fontibus iam clare indicatur de voto perfectae castitatis in c. 4, 6, X, qui cler. vel voventes, IV, 6; de voto ingrediendi religionem in c. 3; de reliquis votis, saltem implicite, in clausula generali (cap. unic. de vot. et vot. red. III, 15 in Sext.: «*Reliqua vero vota* ...».

[3] Quae spectant ad historiam huius impedimenti ac praesertim ad distinctionem voti *sollemnis* et *simplicis*, infra, ubi de impedimento

157. Divisio Quintuplex est huiusmodi votum, quod sub *generica* et *lata* significatione voti castitatis continetur, sc.: 1) votum virginitatis; 2) votum castitatis perfectae; 3) votum non nubendi sive caelibatus; 4) votum ingrediendi Ordinem vel Congregationem religiosam; 5) votum suscipiendi sacrum ordinem.

Ex hisce votis tria priora *immediate* matrimonio opponuntur, sed diverso modo; votum enim virginitatis pro obiecto *prohibito* habet *primum opus carnale consummatum;* voti perfectae castitatis obiectum est abstinentia ab omnibus actibus externis et internis virtuti castimoniae repugnantibus; votum vero non nubendi pro obiecto habet unicum actum non ineundi matrimonium. Reliqua duo vota solummodo *mediate* matrimonio sunt opposita, quatenus *immediate* suscipitur *tantum* obligatio amplectendi *statum,* quocum *deinceps* obligatio perfectae castitatis in perpetuum servandae est coniuncta. Quare quinque illa vota potissimum distinguuntur ex *diverso obiecto,* minus, saltem plerumque, ex *motivo* quo voventes ducuntur: si *obiectum* a vovente intentum non clare constat, haud raro deduci potest ex voventis *intentione* [3].

§ I. De origine et vi impedimenti voti

158. I. Votum *virginitatis* stricte sumptum, in quantum distinguitur a voto *castitatis* et *caelibatus,* pro obiecto *prohibito* habet *primum actum carnalem consummatum,* quo virginitas *formaliter* et *materialiter* amittitur, et ideo ex iure divino ac canonico, *licitam* matrimonii celebrationem impedit. Quod impedimentum in quantum est iuris divini non esset ex se *absolutum:* nam supposita gravi causa et excluso periculo votum violandi, attento iure divino adhuc liceret contrahere matrimonium, si intenderetur excludere vitam et usum coniugalem [4]. At attento c. 1058 § 1, qui absolute et sine restrictione loquitur, cessante prohibitione iuris divini, manet adhuc prohibitio iuris ecclesiastici seu impedimentum canonicum quo stante matrimonium non est permissum sine Ecclesiae dispensatione.

Matrimonio semel illicite inito, qui *virginitatem* vovit prima

professionis religiosae et ordinis sacri, uberiorem obtinebunt explicationem. Ceterum iam passim est notum, speciali Sedis Apostolicae praescripto hucusque *solis* votis simplicibus, in Societate Iesu post biennium novitiatus emissis, tributam esse vim matrimonium subsequens irritandi.

[3] Vid. supra pag. 189.

[4] Ex allegata ratione solum votum *non nubendi* inducit ex iure divino *absolutam* matrimonii prohibitionem, non autem cetera vota.

vice debitum petere nequit at reddere debet; sed habita semel copula ac virginitate irreparabiliter amissa atque sic reddito impossibili obiecto voti, iam petere et reddere potest nec ad hoc indiget aliqua dispensatione. Porro in hac materia non amplius habenda est ratio illius bimestris iure Decretalium coniugi concessi ad deliberandum de perfectiore statu amplectendo, quo durante debitum coniugale recusare poterat; de hac re silet novum ius, immo in statu coniugali impedimentum agnoscit ad ingressum in religionem.

159. II. Votum simplex *perfectae castitatis* etiam temporaneum vel condicionatum [5], *quamdiu* cessatione, dispensatione aliaque ratione legitima non est *extinctum* vel saltem *suspensum,* sive in saeculo sive in Congregatione religiosa sive etiam extra Ecclesiam catholicam [6] emissum fuerit, iure naturali et canonico *licitam* matrimonii celebrationem impedit, sed matrimonium contractum non dirimit [7], excepto voto castitatis in professione votorum simplicium Societatis Iesu [8] nuncupato. Nam quicumque tali voto castitatis perfectae obstrictus nuptias celebrat, sese exponit saltem *proximo periculo* violandi suum votum; evidenter igitur illicite agit [9]. At cum simplex rei *promissio* non *transferat dominium,* ideo nuptiae, non obstante *promissione* Deo facta de servanda perfecta castitate, *validae* sunt.

Atque hoc votum quod per contractum matrimonialem non tollitur, etiam post celebratas nuptias, salvo iure compartis, servari debet, atque soluto primo coniugio obstat secundis nuptiis

[5] *Schmalzgr.,* l. III, t. 34, n. 64 sq.; *Giovine,* l. c. I, 248.

[6] S. Paenitent. 29 nov. 1842 (de voto castitatis a protestante anglicano ante conversionem emisso) in Collect. S. C. de Prop. F. n. 2086. Aliter *Cappello,* I, n. 297, qui non obstante dicto responso rem habet dubiam de impedimento *canonico.*

[7] *Sánchez,* l. VII, disp. 11, n. 1 sq., 4, 6, 7; *Bened. XIV,* De Synod. dioeces. l. XIII, cap. 22, n. 13; *Feije* n. 559 sq.; *Rosset,* n. 1228 sq.; *Gasparri,* I, n. 428.

[8] *Schmalzgr.,* l. IV, t. 6, n. 88 sq.; *Sánchez,* l. c. n. 5.

[9] *Cappello,* I, n. 296, affirmat non esse certum votum *secretum* et *mere internum* constituere impedimentum; ex hoc sequeretur per votum *privatum,* quod ex communiter contingentibus omnino secrete et interne fit, per se non induci impedimentum. Ratio vero ab illo allegata, sc. quod Ecclesia nequit attingere actus internos non videtur vim habere; nam actus, quem attingit Ecclesia per suam legem de impedimento impediente, est actus celebrationis matrimonii, non actus vovendi quem illa lex non attingit sed praesupponit; sicut lex sacerdoti celebraturo (c. 807) aut fideli communionem recepturo (c. 856) praecipiens confessionem peccati gravis etiam mere interni, peccatum supponit non directe attingit.

celebrandis, si fuerit perpetuum vel tempus voti nondum sit elap-
sum [10].

160. III. Si quis nuncupat votum *non nubendi*, per *solam*
matrimonii *celebrationem* ponit actum *directe* suo voto opposi-
tum atque graviter prohibitum. Quare, *si ante* matrimonii cele-
brationem *fornicatur*, non committit *sacrilegium* nec votum
suum laedit, quia votum *perfectae castitatis* non emisit. Per
contractum vero matrimonialem sane perpetrat *unum* delictum
grave, sed ob rationes allatas ipsius matrimonium est *validum*,
cuius *usus* voto a se emisso non impeditur. Quodsi matrimonium
istud primum, v. g. per mortem solvatur, coniux superstes voto
non nubendi ligatus, de se absque dispensatione novas nuptias
licite celebrare non potest, si votum absolute et in perpetuum
fuerit emissum [11].

161. IV. Demum qui, non obstante voto *amplectendi statum
religiosum* [12] vel *suscipiendi ordines sacros* [13], matrimonium
ineunt, profecto graviter peccant; nam sese exponunt proximo
periculo laedendi proprium votum, cuius observantiam sibi, sal-
tem regulariter, reddunt impossibilem. At tales nuptiae, quibus
ex natura rei vel iure canonico lex irritans non obstat, *valide*
celebrantur. Quodsi consummatio [14] matrimonii contracti sequa-

---

[10] *Rosset*, n. 1229; *Feije*, n. 559, qui recte *negat* obligationem ser-
vandi votum castitatis, quantum fieri possit, inducere onus ingrediendi
religionem. Votum enim non obligat ultra intentionem voventis (casti-
tatem non religionem), atque ad observantiam voti nemo tenetur adhibere
medium adeo extraordinarium et difficile, immo ob dubiam vocationem
periculosum. Cfr. quoque Sánchez, l. IX, disp. 34, n. 2 sq.

[11] *Feije* n. 562; *Rosset*, n. 1245, cum *Giovine* aliisque communius;
aliter *Scherer*, l. c., 404, qui putat per validam matrimonii celebrationem
votum non nubendi simpliciter exstingui. Quae assertio in casu voti ab-
soluti et perpetui non liquet; nam tale votum ex natura rei per matri-
monium tantum *suspenditur non exstinguitur*, atque soluto *vinculo* ma-
trimonii obiectum voti denuo fit possibile; eius igitur obligatio denuo
urget, nisi ob specialem *intentionem* voventis vel appositam limitatio-
nem *temporis*, v. g. proximo decennio non nubam, aliud sit statuendum.

[12] Cap. 3, X, h. t. IV, 6; hoc capite « *religio* » intelligenda est de
Ordine seu de Religione cum votis sollemnibus, non de mera Congrega-
tione religiosa votorum simplicium; at ista distinctio solummodo est
practici momenti quoad voti *reservationem*, non quoad *efficaciam impe-
diendi* matrimonium. Cfr. *Gasparri*, I, n. 435; *Rosset*, l. c. n. 1241; paulo
aliter *Scherer*, l. c., 403, not. 6.

[13] *Gasparri*, I, n. 434 sq.; *Rosset*, n. 1241 sq.; *Cappello*, I, n. 302 sq.

[14] Qua in re quoad *liceitatem* inter votum ingrediendi religionem et
suscipiendi sacros ordines dicebatur haec intercedere differentia, quod
pars priore voto ligata per primam tantum consummationem matrimonii
sive petendo sive reddendo debitum coniugale graviter peccat, quia *ante*
matrimonii consummationem tenetur adhuc ad ingressum in religionem;

tur, pars aliquo ex duobus illis votis ligata saltem *sacrilegium*
non committit in votum *perfectae castitatis*, actu nondum emis-
sum. Denique neutrum votum per matrimonii celebrationem
exstinguitur, sed per se tantum *suspenditur*. Quare si pars vo-
vens *liberetur* ab obligatione matrimonii per solutionem vinculi
vel legitimam separationem a toro et cohabitatione, denuo per
se, sublato obice, obligationi voti satisfacere tenetur, nisi aliun-
de obstet impedimentum, v. g. necessitas succurrendi propriae
proli vel inhabilitas ad religionem ordinesve sacros [15].

162. Scholion I. Quae sit vis illorum votorum, si praecedant
sponsalia de futuro contrahenda vel sequantur iam contracta,
ex iis, quae de valore et dissolutione sponsalium disputata
sunt, facile erui potest [16].

Scholion II. De iuribus et obligationibus coniugum circa *de-
bitum* coniugale, si quis, non obstante uno ex quatuor recensitis
votis matrimonium contrahat, prolixiores disputationes cultori-
bus theologiae moralis relinquimus [17].

Scholion III. A pluribus doctoribus in ordine ad matrimonium
impediendum votis memoratis adaequantur *iuramenta* de iisdem
obiectis emissa; cui sententiae favet decisio S. C. C. in c. Bam-
berg. 5 mart. 1701 [18], praesertim cum vota et iuramenta sub quo-
dam respectu aequiparentur in iure (cfr. c. 1320). Difficile certe
est proponere rationem iuridicam cur *canonice* debeat esse im-
pedimentum votum et non iuramentum. Ceterum in praxi non
habetur discrimen, si negatur sub voce *votum* etiam venire *iura-
mentum*, cum saltem ius divinum impediat matrimonium cui
immediate vel mediate opponitur iuramentum. Cfr. *Cappello*,
I, n. 298.

Scholion IV. De poenis violati huius impedimenti cfr. cc.
2388, 646 § 1, 3°, 985, 3°.

---

at maritus altero voto obstrictus neque petendo neque reddendo debitum
committit peccatum; etenim voto castitatis *actu* nondum tenetur, atque
obligatio ingrediendi religionem ipsi non est imposita. Cfr. cap. unic.
de vot. tit. 6, in Extravag. Ioann. XXII; *Sánchez*, l. IX, disp. 33, n. 14,
disp. 34, n. 1, 6; *Feije*, n. 560 sq.; *Rosset*, n. 1242 sq. Sed cum iure Co-
dicis matrimonio etiam non consummato ligatus excludatur ab ingressu
in religionem (c. 542) sicut etiam ab ordinibus, differentia non amplius
videtur esse practici momenti. *Cappello*, I, n. 301 sq.

[15] *Gasparri*, l. c.; *Rosset*, l. c.

[16] *Schmalzgr.*, l. IV, t. 6, n. 92; *Giovine*, I, 250 sq.; *Feije*, n. 563 sq.

[17] *Sánchez*, l. IX, disp. 33 sq.; *Rosset*, n. 1230 sq.

[18] *Sánchez*, l. VII, disp. 11, n. 6, disp. 13; *Giovine*, I, 247 sq., 253 sq.

§ II. De cessatione et dispensatione impedimenti voti

163. Impedimentum impediens voti cessat omnibus illis modis, quibus *causa* ipsius, i. e. votum, *exstinguitur* sive *cessat*. Quae cessatio voti fieri potest *lapsu temporis*, si votum ad certum vel incertum tempus fuerit emissum, vel verificatione alicuius *condicionis*, cui ex intentione voventis aut ex dispositione iuris solutio voti fuit alligata, v. g. ex legitima dimissione professi votorum temporariorum a religione aut cuiusvis religiosi saecularizatione [19], vel *mutatione materiae*, qua voti executio facta est impossibilis vel inhonesta, v. g. si quis ab ordinibus sacris vel a religione tanquam inhabilis repellitur [20], vel *cessatione causae finalis*, quatenus votum non ligat ultra intentionem voventis.

164. Porro impedimentum voti auferri potest per legitimam voti *irritationem* vel per *dispensationem* vel *commutationem* a competente Superiore ecclesiastico rite factam [21]. Quae potestas *dispensandi* super voto perfectae ac perpetuae *castitatis* et super voto ingrediendi religionem votorum sollemnium, si haec vota emissa fuerint absolute et post completum 18um aetatis annum, soli R. Pontifici competit vel cui ex speciali privilegio Sedis Apostolicae est concessa [22]. In reliquis votis — *virginitatis, non nubendi* vel *suscipiendi ordines sacros* —, quae *licitae* celebrationi matrimonii obstant, locorum Ordinarii ex potestate sua ordinaria dispensare possunt neque prohibentur a dispensatione super votis *castitatis* vel *religionis*, si vota illa propter aliquem defectum reservationi non sunt obnoxia.

165. Dispensatio ab impedimento voti ut sit *licita* et *valida*, ob iustam et proportionatam *causam* fiat necesse est. Huiusmodi causae sunt: Defectus maturae deliberationis in nuncupatione voti, difficultas votum implendi ob magnam passionum vehementiam et carnis fragilitatem, multitudo scrupulorum et anxietatum, sedatio discordiarum in familiis, conservatio nobilis familiae ob bonum religionis [23].

---

[19] Cfr. cc. 640, 648.

[20] Etsi mutatione materiae votum generatim cessare possit, tamen praesertim in voto castitatis et religionis iudicium hac de re privato arbitrio non est relinquendum, sed Superioris ecclesiastici auctoritas intercedat necesse est; facile enim potest quis confundere *cessationem* voti cum *causis* sufficientibus ad petendam *dispensationem*. Cfr. *Giovine*, I, 257.

[21] *Rosset*, n. 2333 sq.; *Ferreres*, Theol. mor., I, 414 sq.

[22] Can. 1309. Vota *publica*, seu *in religione* emissa, sunt quoque reservata, sive perpetua sint sive temporaria.

[23] *Sánchez*, l. VIII, disp. 20; *Giovine*, I, 270 sq.; *Rosset*, n. 2349 sq.

Quae causae ad quatuor *generales* revocari possunt, sc: ad *imperfectionem actus*, ad *infirmitatem voventis*, ad *detrimentum voventis*, ad *bonum commune*.

166. Quod si quis obtinuit dispensationem super impedimento voti, standum est verbis et clausulis rescripti, ut constet ad quosnam effectus dispensatio concessa sese extendat. Qua in re *difficultas* non existit circa impedimentum ortum ex votis *non nubendi* vel *suscipiendi ordines sacros*; etenim vota illa, quae circa *unicum* actum versantur, per *dispensationem* proprie dictam penitus exstinguuntur neque postea reviviscunt [24]. Quare qui plene a duobus illis votis est dispensatus, non solum primas, sed, mortuo coniuge, etiam secundas nuptias licite contrahit. At dispensatio super voto *castitatis* vel ingrediendi religionem nequaquam ad omnes effectus potest indiscriminatim extendi, neque absolutam exstinctionem sed potius suspensionem voti quoad certos effectus producere solet. Hinc obtenta dispensatione a voto ingrediendi religionem ut quis in saeculo vitam caelibem agere possit, sine nova dispensatione nequit celebrare nuptias. Qui a voto castitatis dispensatus est ad unum matrimonium validum, mortuo coniuge cum votum reviviscat, nisi denuo dispensetur, a secundis nuptiis prohibetur. Quodsi ex causis allegatis dispensatio concessa est ad matrimonium cum determinata persona ineundum, sine nova dispensatione ex aliis feminis sibi licite uxorem eligere nequit. Maximi vero momenti est illud quod tantum concedi soleat dispensatio a voto castitatis in ordine ad legitimum usum matrimonii, quo in casu, si coniux voto obstrictus extra usum legitimum matrimonii delinquit, etiam contra votum peccat [25].

Etiam nunc in formula facultatum, quae a S. C. de d. Sacr. conceduntur Ordinariis, ponitur clausula « *ad effectum tantum matrimonium contrahendi* ».

---

[24] *Rosset*, n. 2758.

[25] Cfr. *Giovine*, l. c., 275 sq.; *Nilles*, Act. theolog. Oenip. XII, 735 sq.; *Putzer*, Comm. in facult. Apost. 163 sq.; *Rosset*, n. 2352 sq.

CAPUT III

De impedimento mixtae religionis

167. **Fontes et Scriptores:** Cfr. infra ubi de imp. disp. cultus. Praeterea consuli possunt: In Sext. cap. 14, de haeret. V, 2; Extravag. com. cap. I, de maior. et obed. V, 8; Bened. XIV, Constit. *Magnae nobis*, 29 iun. 1748; Decretal. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, 3 sq., 137 sq.; Pii IX Instr. (Antonelliana) 15 nov. 1858. — Decisiones S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr., 290 sq.; Collectan. S. C. de P. Fid. n. 1420 sq., 2186; *Martin*, Collect. doc. Conc. Vat., 203 sq. — Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), 100 sq., 224; Instr. S. C. de Prop. F. 1858, Synodus Sciarf. (a. 1888), 174 sq. — *Aichner*, l. c. § 183; *Scherer*, § 130. — *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. VI, cap. 5, lib. IX, cap. 3; *Feije*, Dissert. can. de matr. mixt., De imp. n. 566, 603 sq.; *Schulte*, § 32; *Giovine*, I, 281 sq.; *Bangen*, De spons. et matr. IV, 3 sq.; *Gasparri*, I, n. 485 sq.; *Leitner*, 356 sq.; *Rosset*, n. 1734 sq.; *Schnitzer*, 236 sq.; *Kunstmann*, D. gemischt. Ehen.; *Zhishman*, 506 sq., 512 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. §§ 150, 156. — *Cappello*, I, n. 306 sq.; *Chelodi*, n. 58 sq.; *De Smet*, n. 500 sq.; *Ferreres*, Derecho sacramental, n. 538 sq.; *Vlaming*, I, n. 207 sq.

Canon 1060: « *Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quodsi adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur* ».

Praenotiones.

168. Definitio. Mixta religio est diversitas religionis — *confessionis* christianae — inter duas personas *baptizatas*, e quibus una est catholica, altera vero acatholica, sive haeretica sive schismatica. Quare impedimentum mixtae religionis est impedimentum mere prohibens matrimonii propter diversitatem religionis inter *duas personas baptizatas*, e quibus una est catholica, altera vero acatholica, falsae religioni vel sectae sive haereticae sive schismaticae adscripta. Hinc differentia inter impedimentum disparitatis cultus et mixtae religionis imprimis consistit in diversa efficacia quoad *valorem* matrimonii, deinde praesertim eam habet *causam* quod impedimentum disparitatis cultus inducatur ex *solo facto* validi *baptismi*, ab uno tantum coniuge in Ecclesia catholica recepti, aut ex facto conversionis ex haeresi vel schismate, etsi alter coniux qui baptismo caret, v. g. catechumenus, *veram fidem* iam publice profiteatur. At in impedimento mixtae religionis validus baptismus saltem in ordine ad matrimonium in *utroque* coniuge *supponitur*, et tota diversitas sponsorum exinde oritur quod altera pars publice *profiteatur falsam religionem* et communioni *falsae societatis religiosae* sit adscripta [1]. Quare hoc impedimentum non dependet ab haeresi occulta et in anima retenta, sed a facto externo et facile cognoscibili. Unde fit ut hac prohibitione catholicus impediatur a matrimonio etiam cum parte *schismatica* [2], quae forte in sua societate religiosa non profiteatur falsum dogma. Qui sectae atheisticae adscripti sunt aequiparantur iis qui sectae haereticae seu schismaticae adhaerent [3*].

Divisio. Mixta religio potest vel *antecedere* matrimonii celebrationi vel *supervenire* eidem iam contracto.

169. Notae historicae. Ecclesia quamvis memor verborum S. Pauli (I Corinth. V, 11, et Tit. III, 10) et S. Ioann. (Ep. II, 10, 11) de vitanda communione cum haereticis, inde a primis saeculis fidelibus catholicis matrimonia cum falsi dogmatis sectatoribus

[1] S. C. Inq. 30 ian. 1867 ad 1: « *Quoties agitur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita defecit ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscripserit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis; aliter si altera pars fidem quidem abiecit, at nulli falsae religioni sese adscripsit* ». Cfr. *Gasparri*, De sacr. ordinat. n. 464: « (Haeretici habendi sunt) *damnatae sectae adscripti sive propria culpa, etsi nulla sententia iudicis intervenerit* ... (et) *qui per iudicis sententiam personaliter damnati fuerunt de haeresi, schismate, apostasia, etsi ad aliquam iam existentem sectam haereticam, schismaticam vel ad ethnicam aliquam superstitionem non transierint* ».

[2] S. C. Inq. 11 apr. 1894, ad 1; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 174; Instr. S. C. Inq. 12 dec. 1888, n. 1; *Schnitzer*, 240.

[3*] Commissio Codicis declaravit omnes, qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendos esse ad normam Codicis i. c. quoad omnes iuris effectus etiam in ordine ad sacram ordinationem et *matrimonium* ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt. Cfr. AAS. XXVI, 494; Periodica, XXIII, 143. Licet in responsione mentio fiat de iis qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, eo quod illa se referat etiam ad alios canones in quibus respicitur tempus praeteritum, liquet tamen impedimentum mixtae religionis non exsistere inter personas baptizatas in Ecclesia, quarum una sit catholica, altera vero olim sectae atheisticae adscripta *nunc* adscriptione illa relicta verae religioni adhaereat. Pendet enim a tenore canonis, ad quem applicatur responsio authentica, quod haec respiciat vel minus tempus praeteritum; hic vero agitur de iis qui *actu sint* adscripti sectae haereticae seu schismaticae. Cfr. Comment. pro religiosis, XV, 342; Periodica, XXXI, 247.

interdixisset [3bis], tamen toto illo tempore mixtam religionem per legem *irritantem* impedimentum dirimens non constituit. Postquam vero c. 14 Concilii Chalcedonensis (a. 451) denuo *lectoribus* et *psalmistis* matrimonia cum mulieribus heterodoxis severissime interdicta fuerunt, Concilium Trullanum (a. 692) c. 72 in Ecclesia Orientali [4] eo processit, ut matrimonia mixta inter catholicos et *haereticos irritaret* [5]. Hic canon Concilii Trullani in Ecclesia Occidentali nunquam universaliter fuit receptus. Quamquam non defuerunt doctores etiam in Occidente, qui impedimentum dirimens disparitatis cultus ad mixtam quoque religionem e tenderent [6], tamen praeeunte iam Huguccione atque ducibus et magistris S. Raymundo et S. Thoma theologi et canonistae occidentales mitiori sententiae calculum adiecerunt. Atque hanc sententiam mitiorem non solum Ecclesia Occidentalis constanti sua praxi ratam habuit, sed etiam Ecclesia Orientalis, catholica saltem, ex disciplina nunc vigente a rigore Trullano est aliena [7].

Medio aevo cum severissimae existerent leges contra haereticos, numero paucos atque adeo gravibus poenis puniendos, paucissimae reperiuntur leges contra matrimonia mixta speciatim latae. Ita v. g. Bonifacius VIII, c. 14, de haer. V, 2, in Sext. confiscationem dotis constituit [8], si mulieres cum viris haereticis scienter contraxissent matrimonia, et c. 8, in Synodo Posoniensi

---

[3bis] Cfr. c. 16 Conc. Illiberit. (a. 300-306); c. 10, 31 Concil. Laodicen. (a. 334-381; c. 12 Concil. Hippon. (a. 393); c. 67 Conc. Agath. (a. 506), = c. 31 Conc. Laodic.

[4] *S. Basil.* in epist. can. prim. ad Amphiloch. c. 1, c. 6, 7 qui Conc. Constantinop. (a. 381), perperam adscribuntur (cfr. *Hefele*, l. c. II, 13, 24 sq.); *Zhishman*, 515 sq.

[5] *Scherer*, 407, not. 3. At Ecclesia Orientalis non unita in matrimoniis cum *schismaticis* benigniorem adoptavit disciplinam. Quae benignitas nititur arbitraria distinctione inter haereticos, a Synodis ut haereticos damnatos, et alios haereticos tantum in uno alterove dogmate a fide orthodoxa deficientes, qui *schismatici* (sic!) appellantur. Cfr. *Zhishman*, 516 sq., 523 sq.; *Schnitzer*, 238 sq.

[6] Cfr. *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 6, n. 132; *Freisen*, 643; *Feije*, De imped. n. 566.

[7] Synod. Sciarf. (a. 1888); *Papp-Szilagyi*, Enchir. iur. eccl. orient. 439; ecclesiae orientales cum Sede Apostolica *non* unitae disciplinam a Concilio Trullano sancitam retinent atque falsis innitentes doctrinis de baptismo (invalido) haereticorum etiam *latinos* tanquam haereticos notant. Cfr. *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 248; *Schnitzer*, 238 sq.; *Zhishman*, 514, 528 sq.

[8] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. VI, cap. 5, n. 3; *Schnitzer*, 239 sq.

(a. 1309) celebrata et a Clemente VI (a. 1346) confirmata, *prohibitiones* matrimoniorum inter catholicos et *haereticos* vel *schismaticos* conditae sunt. Quae legislatio canonica multum immutari coepta est, cum per pseudo-reformationem integrae nationes a fide catholica deficerent. Hinc ex saeculo decimo sexto in quamplurimis Conciliis et Synodis Galliae, Belgii, Germaniae et Poloniae, matrimonia mixta fuerunt denuo prohibenda [9]. Nec minor fuit vigilantia RR. Pontificum. Etenim iam Clemens VIII, Const. *Cum sicut*, 26 iulii 1596, omnibus italis matrimonia mixta interdixit. In aliis regionibus RR. Pontifices non nisi raro et ob gravissimas causas atque opportunis et necessariis condicionibus servatis dispensarunt super impedimento mixtae religionis [10], immo praesertim *alio* impedimento concurrente, v. g. consanguinitatis, vel ipsam abiurationem haeresis tanquam praeviam condicionem postularunt; ius vero dispensandi in hoc impedimento ita sibi reservarunt ut usque ad saeculum decimum octavum *vix* unquam hanc facultatem *delegarint* [11]. Quare non est mirum quod Benedictus XIV, ut testatur in Const. *Magnae nobis*, 29 iun. 1748, summo dolore affectus fuerit, cum de praxi Sedis Apostolicae dispensandi super impedimento mixtae religionis falsa quaedam invaluisset opinio. Quae Constitutio Benedicti XIV, etiam iterata approbatione complurium ipsius successorum confirmata, iuris canonici doctrinaeque catholicae inconcussa tradit principia. At ab illo rigore exigendi praeviam haeresis abiurationem partis acatholicae — quo in casu *post* factam *seriam* abiurationem *dispensatione* non amplius opus fuit, sed ista condicio *tempore supplicationis* permittendi nuptias nondum erat impleta et a R. Pontifice pro suo iure apponi potuit — paulatim iam ex saeculo decimo septimo recessum est, ita ut matrimonia mixta permitterentur absque praevia saltem *promissione* abiurationis partis acatholicae, si graves intervenirent causae et solitae praestarentur cautiones. Cfr. *Gasparri*, I, n. 494. Immo non defuerunt theologi inde a *Sánchez*, l. VII, disp. 72, n. 5, usque ad saeculum decimum octavum (cfr. *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 716 sq.), qui putarent in Germania aliisque regionibus mixtis, saltem *servatis servandis*, (cfr. *Rosset*, n. 1741), matrimonia mixta *sine* ulteriore *dispensatione* auctoritatis ecclesiasticae esse permissa. Longe

---

[9] *Schulte*, l. c. § 32, n. 28; Arch. f. k. K. XIV, 322.

[10] Urbanus VIII, Innoc. X, Clemens XI. Cfr. Arch. f. k. K. XIV, 235 sq.; *Schulte*, 250 sq.

[11] Ultimo quoque saeculo pluries RR. Pontifices Episcopis potestatem dispensandi negarunt (cfr. *Schulte*, 245 sq.); at iamdiu facilius eam dare coeperunt pro regionibus mixtis vel remotis; cfr. *Feije*, n. 613.

laxior exstitit *praxis* saeculo decimo octavo et ineunte saeculo decimo nono in nonnullis regionibus Germaniae, ubi in matrimoniis mixtis *vel ipsae cautiones iure divino requisitae graviter fuerunt violatae*. Quibus theoriis et perversae praxi non solum viri docti (cfr. *Reiffenstuel*, l. IV, t. 1, n. 366 sq.), sed praesertim RR. Pontifices, v. g. Benedict. XIV, Pius VI, Pius VIII et Gregor. XVI sese strenue opposuerunt vindicaruntque condiciones iuris divini atque necessitatem *dispensationis a Romano Pontifice obtentae, exclusis Episcopis, nisi a Pontifice facultatem accepissent*. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. [12]. l. VI, cap. 5, n. 2. Tandem Pius IX in Instr. (Antonelliana) 15 nov. 1858, suorum praedecessorum Benedicti XIV, Pii VI, Pii VIII et Gregorii XVI doctrinam et ordinationes complectens, praxim Ecclesiae catholicae circa matrimonia mixta ex iure communi vigentem aut iure speciali ob certas circumstantias permissam denuo proposuit [13]. In Concilio quoque Vaticano postulatum contra matrimonia mixta fuit oblatum [14].

§ I. De origine, convenientia et ambitu impedimenti mixtae religionis

170. Mixta religio matrimonia inter catholicos et acatholicos baptizatos, sive *haereticos* sive *schismaticos*, ex *iure divino naturali* tum ob flagitiosam in sacris communicationem tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum tum ob pravam sobolis institutionem reddit *illicita* [15], nisi verificatis tribus

---

[12] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 3, n. 5; *Schulte*, 254 sq.; *Franz*, D. gemischt. Ehen in Schlesien, 6 sq.; *Schnitzer*, 240 sq.

[13] Quae Instr. a S. C. Inq. (S. C. de Pr. F.) 2 dec. 1862, et a S. C. de Pr. F., 25 mart. 1868, ad removendas dubietates et sinistras praxes et falsas interpretationes accurate explicata et inculcata est.

[14] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic., 203 sq.

[15] Quae rationes sunt *praecipuae* ob quas ex iure naturali mixta coniugia prohibentur, ut frequenter RR. Pontifices declararunt, non exclusis aliis rationibus, ob quas fideles ab huiusmodi coniugiis sint deterrendi. Cfr. *Bened. XIV, Declar. pro Holland.* 4 nov. 1741, iunct. Const. *Magnae nobis*, 29 iun. 1748, ubi fideles dicuntur coercendi, « *ne sacrilego hoc vinculo sese cum haereticis coniungant* ». Postea *Gregor. XVI* in epist. ad Archiep. Friburg., 23 maii 1846, declaravit: « *Compertum exploratumque est catholicos seu viros seu mulieres, qui mixtis nuptiis temere contrahendis se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum iniciunt*, **contra naturalem divinamque legem peccare** ». Denique omnia complectens *Leo XIII* in Encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880, docet: « *Illud etiam cavendum est, ne sc. coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine; animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad cetera concordes. Quinimmo ab eiusmodi coniugiis ex eo perspicitur maxime abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum creant religioni coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant sublato veri falsique discrimine* ». Cfr. quoque *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VI, cap. 6, n. 1 sq.; *Rosset*, n. 1738 sq., 1740 et 1766, unde patet duplex ille sensus vetitae communionis in divinis. Etenim matrimonium est sacramentum novae legis, in quo ambo coniuges ut ministri concurrunt ad conficiendum sacramentum; at sine dubio illicitum est cum haeretico vel schismatico ita concurrere ad conficiendum sacramentum, nisi gravis ratio excuset talem cooperationem. Cfr. *Lugo*, De sacrament. in genere, disp. 8, n. 220 sq. At quod peius est, accidere potest ut coniuges coram ministro acatholico celebrent nuptias ritu religioso, quod quidem sine gravi peccato fieri non potest; videntur enim ministrum acatholicum recognoscere ut legitimum eiusque ritum haereticum vel schismaticum approbare et profiteri. *Scherer*, 412, paulo aliter et benignius iudicavit de matrimoniis mixtis, forte quia ex propria experientia non sufficienter cognovit tristes effectus matrimoniorum mixtorum in regionibus acatholicis et mixtis. Unico enim illi felici exemplo ex Germania allato quot exempla funesta opponi possunt! Cfr. *Schnitzer*, 255, not. 1. Quodsi, l. c. not. 26, dicit *Leonem XIII* in Encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880, « *accuratius* » definire naturam illiceitatis matrimonii mixti quam ipsius praedecessores, Congregationes Romanae et Concilia provincialia, docet aliquam oppositionem quae de facto non existit. Parum quoque accurate idem auctor *exaggerationis* accusat schema Concilii Vaticani, eo quod ibidem matrimonia mixta dicantur *contraria triplici bono matrimonii*, unde falsum corollarium sequatur matrimonia mixta esse ex natura rei necessario invalida. At hic auctor non attendit in loco a se allegato nequaquam dici matrimonia mixta esse *substantialiter* triplici bono matrimonii *contraria;* at solummodo substantialis, non *qualiscumque vera* contrarietas, irritat contractum matrimonialem. Certe *modus* matrimonio mixto adiectus de educanda prole in haeresi est contra verum bonum prolis, sed non irritat matrimonium mixtum.

consuetis *condicionibus* cum sufficientibus *cautionibus* et concurrentibus *gravibus causis* una cum *ratione* prohibitionis legis divinae in casibus particularibus ipsa *obligatio* legis *divinae* cesset [16]; at nec iure *ecclesiastico* propter diversitatem religionis

---

[16] Eo in casu *periculum proximum* perversionis cessat atque fit remotum vel leve. Aliunde ex *gravi causa* etiam indigno licet administrare sacramentum itemque cooperari ad actum de se honestum, in quo alter per accidens peccat. Denique iam post decretum Constantiense communicatio cum haereticis vel excommunicatis fuit permissa, nisi essent nominatim denuntiati vel notorii percussores clerici; vicissim celebratio nuptiarum religiosa coram ministro acatholico potest omitti eique substitui ritus ab Ecclesia catholica permissus. Hinc ex *natura rei* celebrationi licitae matrimonii mixti quandoque nihil amplius obstat. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 714; *Lugo*, l. c.

christianae inter nupturientes matrimonia contrahenda *irritantur*, nisi aliud obstet impedimentum dirimens.

171. Vi legis *ecclesiasticae*, quae ubique urget, matrimonia mixta sive cum haereticis sive cum schismaticis [17] adeo absolute et universaliter prohibentur, ut etiamsi in casibus particularibus prohibitio *iuris divini* iam cessarit omnibusque *condicionibus* et cautionibus ex *lege divina* requisitis sit satisfactum atque *gravis* existat *causa*, prohibitio tamen *iuris ecclesiastici* ipso facto nondum sit sublata, sed in singulis casibus non nisi *dispensatione* a Sede Apostolica vel ipsius delegatis implorata et obtenta debeat auferri. Neque ulla valet *consuetudo* in contrarium, quae potius corruptela est dicenda, celebrandi matrimonia mixta *sine dispensatione* a lege *ecclesiastica*, si salvae sint condiciones *iure divino* requisitae [18].

---

[17] Ecclesia romana miram distinctionem Ecclesiae orientalis non unitae nunquam admisit atque matrimonia mixta cum *schismaticis* orientalibus, qui simul veri sunt haeretici, constanter reprobavit. Cfr. S. C. de Prop. F., 19 ian. 1635, 18 febr. 1783, (*ad Photianos Armenosve* **haereticos** »); Instr. S. C. Inq. 3 ian. 1871 et 12 ian. 1888, et resp. 11 apr. 1894; *Schnitzer*, 240; *Zhishman*, 543 sq.

Quae prohibitio evidenter nequit extendi ad fideles rituum orientalium cum Sede Apostolica unitos et solo ritu a latinis vel inter se distinctos. Cfr. Collect. Lac. II, col. 583, 602. Qui, si matrimonia contrahant cum latinis vel cum catholicis alterius ritus orientalis, solummodo attendant necesse est leges mere disciplinares, quibus specialiter ordinatur quemnam ritum coniuges et praesertim proles sequi possint vel debeant. Cfr. *Gasparri*, I, n. 437; *Wernz-Vidal*, II, n. 23 sq., iunct. Bened. XIV Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § II, n. 11, (pro italo-graecis); Const. *Demandatam*, 24 dec. 1743, §§ 16, 17 (pro melchitis); S. C. de Pr. F., 6 oct. 1863, in Collect. Lac. II, col. 561 sq. 564 sq., (pro ruthenis); Leo XIII, Const. *Orientalium*, 30 nov. 1894.

[18] Benedict. XIV, Const. *Magnae nobis; Gregor. XVI*, in epist. ad Episc. Bavar., 27 maii 1832, et ad Episc. Hungar. 10 iun. 1840; Instr. S. C. Inq. ad Arch. Corcyr. 3 ian. 1871: « *Quamobrem etsi iamdiu, ut affirmas, opinio istic inoleverit licite posse mixtas iniri nuptias absque Sanctae Sedis dispensatione, haec tamen opinio, qualibet non obstante consuetudine, tolerari nequit*; S. C. Inq. 18 mart. 1898, 12 apr. 1899; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 3, n. 2; *Feije*, n. 568; *Schulte*, 240, 248 sq., ubi laxas et scandalosas praxes et opiniones recte refutat; *Rosset*, l. c. n. 1941 sq.; *Gasparri*, I, n. 442 sq. Quare quae *Schmalzgr.*, l. c., n. 145 sq., cum *Sánchez* aliique olim asserebant de exceptis quibusdam regionibus a necessitate petendae *dispensationis* super hoc impedimento quatenus nitebatur iure *ecclesiastico*, sententiis antiquatis et improbabilibus iamdiu erant adnumeranda et solum ad superabundantiam apposita est in Codice particula *ubique*. Cfr. *Giovine*, l. c. I, 283 sq. Hinc cum commercium litterarum nostra aetate sit adeo facile, non est admittendum cum *Leitner*, 358, impedimentum mixtae religionis, ut iure ecclesiastico constitutum est, *ipso facto cessare*, si dispensatio obtineri

172. Quoad impedimentum *mixtae religionis*, non disparitatis cultus, censetur illud obstare parti catholicae, etiamsi dubium de baptismo partis acatholicae existat et post investigationem diligenter factam maneat aut solutio illius dubii non videatur esse opportuna. Nam in huiusmodi casu: « *Censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii* ». Cfr. S. C. Inq. 18 sept. 1890, cui consonat c. 1070 § 2, licet agat de matrimonio contracto.

173. « *Matrimonia vero inter unam partem catholicam et alteram* (olim catholicam), *quae fidem abiecit* **et nulli falsae religioni vel haereticae sectae se adscripsit,** *impedienda omnino sunt, permitti tamen a Nobis* (i. e. Ordinario loci) possunt, *si prudenter timeatur, ne ex denegata matrimonii assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, dummodo parochus matrimonio passive intersit tanquam testis autorizabilis et cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus condicionibus* » ut teste Cardinali *Monaco La Valletta*, Episcopo Ostiensi, S. C. Inq. declaravit. Quam declarationem, 30 ian. 1867, S. Officium ad omnes episcopos extendit. Matrimonia cum tali « *catholico* » certe ex *iure divino* per se pariter sunt graviter illicita, cum saltem eadem immineant pericula; at si iste apostata per transitum ad sectam acatholicam sese perfectissimo gradu ab Ecclesia catholica nondum separavit (cfr. S. C. de Prop. F. 28 nov. 1796), impedimentum *canonicum* cum necessitate petendae verae *dispensationis pontificiae* non rigide sustinetur, si circumstantiae supra expositae et causae graves concurrant cum solitis condicionibus [19].

§ II. De cessatione et dispensatione impedimenti mixtae religionis

174. Impedimentum mixtae religionis, quatenus tum iure divino tum iure ecclesiastico est constitutum, cessat ipso facto et sine ulla dispensatione per conversionem partis acatholicae *praecedentem* ipsam matrimonii celebrationem. Porro in certis casibus particularibus *remanente prohibitione Ecclesiae* potest cessare prohibitio *legis divinae*, sc. si coniugis catholici et prolis perversionis *proximum* periculum fiat *remotum*, nullum scandalum adsit et simul *gravis causa* concurrat [20].

---

nequeat (?), v. g. ab aliquo catholico, qui cogatur diutius commorari in regionibus plane schismaticis Russiae (?).

[19] *Rosset*, n. 1744; *Gasparri*, I, n. 497; *Laurentius*, Inst. iur. eccl. n. 575 sq. Cfr. quoque S. C. Inq. 21 aug. 1851, 15 oct. 1865, 21 feb. 1833 (de matrimoniis francomurariorum).

[20] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. VI, cap. 5, n. 4, lib. IX, cap. 3, n. 4, 5; *Schmalzgr.*, l. c. n. 139, 148; *Gasparri*, I, n. 442.

175. Quodsi prohibitio *legis divinae* in casu particulari non est sublata, a nulla potestate *humana* licita et valida dispensatio super impedimento mixtae religionis, quatenus nititur iure divino [21], concedi potest. At si prohibitio legis divinae in casibus particularibus cessavit, ii scriptores modum excesserunt, qui vel ipsi Romano Pontifici a manente *lege ecclesiastica*, contra mixta matrimonia absolute et universaliter lata, potestatem dispensandi negarunt. Eo enim in casu manet sola lex ecclesiastica, super qua ex iusta causa certe licite et valide ab Ecclesia dispensari potest [22].

176. Quae potestas dispensandi, cum agatur de prohibitione *iuris communis*, per se soli *Romano Pontifici* est reservata [23], neque *Episcopis* competit [24] nisi a Sede Apostolica obtinuerint specialem facultatem relaxandi impedimentum mixtae religionis [25].

---

[21] *Inutilis* videtur esse ulterior inquisitio num in ista hypothesi saltem *valida* sit dispensatio R. Pontificis super *lege ecclesiastica*, qua idem impedimentum nititur. Nam RR. Pontifices, manente prohibitione *divina*, nunquam dispensant ab hoc impedimento canonico.

[22] *Benedict. XIV*, l. c. l. IX, c. 3, n. 3; *Rosset*, n. 1745 sq.

[23] Instr. S. C. Inq. 3 ian. 1871: « *Nihilominus iustis quandoque et gravibus de causis huiusmodi* (mixta) *matrimonia licita fieri possunt. Ad quem effectum tria potissimum requiruntur; et primo quidem ut dispensatio impetretur ab Apostolica Sede, ad quam unice spectat facultas dispensandi super mixtae religionis impedimento* ». Quae potestas dispensandi utpote cum causis apostasiae, haereseos, schismatis conexa, per S. Offic. exerceri debet (c. 247 § 3). Nihilominus in Form. facultatum, quae a S. C. de P. F. « vigore potestatis sibi a SS.mo D. N. tributae » Ordinariis sibi subiectis conceduntur, etiam hoc impedimentum continetur. Cfr. Form. S. C. de P. Fide, n. 22.

[24] *Pius VII* in Brevi, 17 febr. 1809, ad Episc. Gall.; S. C. de Prop. F. 11 mart. 1868; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 3, n. 2; *Feije*, l. c. n. 613. Quodsi in Synod. Sciarf. (a. 1888) statuitur: « *Quando quatuor expositae condiciones implentur omnes, potest Episcopus dispensare in matrimonio mixto et illud permittere, ut tenet consuetudo* »; id ex iure speciali a R. Pontifice approbato est repetendum. Cfr. quoque Synod. Mont. Lib. (a. 1731) in Collect. Lac. II, col. 165, 173.

[25] Quae facultas dispensandi super impedimento mixtae religionis a S. C. S. Offic. (vel a S. C. de Prop. F. in regionibus sibi subiectis) Ordinariis locorum concedi *solet* pro regionibus *mixtis* ad *certum tempus*, v. g. ad quinquennium cum onere, tempore renovationis facultatum, accurate indicandi quot in casibus fuerit dispensatum. At pro regionibus *quibusdam catholicis*, v. g. Gallia vel America latina (non Italia, Hispania, Lusitania) indultum solummodo ad *certum* quendam *numerum*, v. g. 10, 15, 50, 60, *casuum* urgentiorum dari *solet*, in quibus nec aliud obstet canonicum impedimentum nec tempus adsit adeundi S. Sedem, nisi speciales circumstantiae exigant ampliores facultates.

Praeterea in usu facultatum singulae clausulae in *formulis* generalium indultorum vel in particularibus rescriptis contentae sunt servan-

177. Condiciones ad dispensationem. Ad dispensationem legitimam super ipsa lege ecclesiastica prohibente matrimonia mixta imprimis necesse est « *ut in tuto positae omnino sint* **condiciones**, *quae in iisdem connubiis* **iure naturali ac divino requiruntur**, *nempe*: 1) *ut exclusum sit a parte fideli quodlibet perversionis periculum*, 2) *et universa proles utriusque sexus* [26*] *in sancta religione* (catholica baptizetur et) *educetur*, 3) et suscipiatur a parte catholica onus curandi, ut altera acatholica pars ad veram fidem unitatemque catholicam perducatur », ut in cit. Instr. S. Offic., 3 Ianuarii 1871, dicitur. At iure Codicis *condi-*

---

dae. Quare *Ordinarii* locorum nunc ex regulis Codicis et ex clausulis adiectis magis certam et expeditam habent facultatem *subdelegandi*. At quoad sanationem in radice mens S. Offic. est ut non nisi parochi singulis vicibus subdelegare possint.

Clausulae: « *Exceptis italis, de quibus non constat italicum domicilium omnino deseruisse* » decreto S. C. Inq. 4 mart. 1887, et altera illa limitatio: « *Intra fines suae dioecesis* » vi decreti eiusdem S. C., 1 iul. 1896, sunt sublatae. Cfr. *Putzer*, l. c., 379 sq.; 388 sq.; *Rosset*, l. c. n. 2496; et loco clausulae « *cum suis subditis* » ponitur latior facultas « *cum subditis etiam extra territorium aut cum non subditis intra limites proprii territorii* ». Neque nunc S. C. S. Offic. amplius insistit praxi a *De Angelis*, l. IV, t. 1, n. 22, relatae, qua praecepit ut personae, etiam exterae, manentes in Italia matrimonium mixtum deberent contrahere extra Italiae fines. Denique licet in amplissima facultate Ordinariorum a S. C. Inq., 20 feb. 1888, concessa dispensandi super impedimentis *dirimentibus* cum concubinariis in periculo mortis constitutis non erat inclusa potestas dispensandi *etiam* super impedimento mixtae religionis (cfr. S. C. Inq. 12 apr. 1899), nisi nova facultas cumulandi obtineretur, nunc per canonem 1043 illa facultas per modum potestatis ordinariae extenditur etiam ad impedimenta *prohibentia* nec restringitur ad casum *concubinarii* graviter decumbentis et pertinet certo modo ad casum in quo simul plura impedimenta cumulantur.

[26*] Cautiones debent exigi solummodo de universa prole *nascitura*; Codex enim non considerat nisi communiorem casum, sc. illum in quo sponsi nondum habent prolem, cum hic de matrimonio *contrahendo* agatur. Decr. S. Offic. d. 16 ian. 1942; AAS. XXXIV, 22; Period. XXXI, 175. Si forte adsit proles ante matrimonium *nata*, urget utique gravis obligatio iuris divini catholicam eius educationem curandi ac nupturientes omnino sunt monendi de hac gravi obligatione, sed lex ecclesiastica non exigit ut cautiones extendantur etiam ad prolem iam natam. Haec restrictio valet solum, si agatur de dispensatione danda ad matrimonium *contrahendum*; qua de re ea nequit simpliciter applicari Formulis in quibus S. Sedes solet concedere facultatem dispensandi super hoc impedimento ad convalidanda vel sananda in radice matrimonia mixta invalide contracta; in singulis casibus tenor concessionis erit sedulo inspiciendus; sic v. gr. in Formulis S. C. de P. Fide, n. 24, expresse requiritur ad sananda in radice matrimonia mixta ut moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam *natae* quam *nasciturae* catholicam educationem non esse impedituram.

ciones, de quibus cautio dari debet, non ponuntur nisi duae priores (c. 1061 § 1, 2°). Ergo, *obligatio* quidem imponitur parti catholicae « *conversionem coniugis acatholici prudenter curandi* » ad quam iam ex praecepto divino caritatis tenetur, sed nec susceptio obligationis ponitur ut *condicio* ad dispensationem, nec *cautio* de tali obligatione implenda a coniuge catholico exigitur (c. 1062). Licet illa *obligatio* sit iuris naturalis, *promissio* tamen de ea implenda et a fortiori *cautio* de promissionis executione est iuris ecclesiastici, ideoque merito Codex potuit de utraque silere [26]. At ex tali silentio iuris communis non sequitur a parocho non esse inculcandam illam obligationem atque adeo non posse exigere *promissionem* etiam *scripto* consignatam, si iure particulari aut legitimo praescripto Ordinarii id cautum fuerit [27]. Condiciones, cum nitantur iure naturali et divino, a R. Pontifice neque remitti possunt neque unquam de facto sunt remissae. Quodsi de illis condicionibus rite cautum non sit, executio rescripti dispensationis, in qua reperitur clausula: « *Dummodo* etc. », omnino est *invalida* [28*].

178. *Praeter* condiciones in tuto positas « *omnino iustae gravesque requiruntur* **causae**, *ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones* (condiciones) *enim illae ideo naturali divinoque iure exiguntur atque exigi debent ut pericula intrinseca, quae mixtis insunt matrimoniis, removeantur; at vero ut gravibus fidei et morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles sese exponere permittantur, grave aliquod incommodum, ceteroquin haud devitandum, immineat necesse est* », ut verbis utar S. C. de Prop. F.,

[26] Cfr. Benedict. XIV Const. *Magnae nobis; Pii VIII*, Breve *Litteris altero*, 25 mart. 1830; Instr. Card. *Albani*, 27 sept. 1830, et Instr. Card. *Bernetti*, 12 sept. 1834; Instruct. (Antonelliana) iussu *Pii IX* ad omnes Episc. missa 15 nov. 1858; Instr. S. C. Inq., 12 dec. 1888, ad Episcop. orient. n. 6, 7; S. C. Inq. ad Primat. Hungar., 29 iul. 1880, in Arch. f. k. K. XLVII, 447 sq.; *Rosset*, n. 1574 sq.; *Gasparri*, I, n. 456 sq.; *Leitner*, 464 sq., 467 sq.; *Gennari*, « Consultazioni », I, 345 sq.

[27] Iam ante Codicem praeformata fuerat praxis non expresse exigendi illam promissionem, nisi in indultis aut rescriptis expresse id praeciperetur. *De Smet*, n. 507, not. 5; *Cappello*, I, n. 316.

[28*] Qui super impedimento mixtae religionis dispensare possunt, invalide utuntur hac facultate etiam in periculo mortis, nisi praestitae fuerint antea a nupturientibus cautiones, quarum fidelis exsecutio a nemine praepediri possit, v. gr. vi legum civilium, quibus alteruter subiectus sit, vigentium in loco actualis vel — si forte alio discessuri praevideantur — futurae eorum commorationis. Decr. S. Offic. d. 14 ian. 1932; AAS. XXIV, 25; Period. XXI, 99. De cautionibus *implicite* praestitis videsis n. 273.

11 mart. 1860, cui consonat can. 1061 § 1, 1° [29]. Hinc dispensatio super lege ecclesiastica vel ab ipso S. Pontifice sine iusta gravique causa concessa, etsi valida, omnino esset illicita, immo ab Episcopo ex indulto apostolico data etiam valore destitueretur. Episcopus vero in iudicio de causis earumque sufficientia sequi debet, ut par est, praxim Sedis Apostolicae [30]. Quae cum solum-

[29] Benedict. XIV Const. *Magnae nobis;* S. C. Inq. ad Prim. Hung., 29 iul. 1880, l. c.: « *Apostolica Sedes semper constanterque retinuit atque retinet nullimode in vetito mixtae religionis fas esse dispensare, nisi singulis in casibus* praeter causas canonicas *simul concurrant tres condiciones sequentes*: 1) *ut partes, et praesertim haeretica, veras cautiones praestiterint, quibus se coram Ecclesia obligant ad ea, quae ab iisdem ipsa Ecclesia exigit ...;* 2) *ut Superior ecclesiasticus moralem certitudinem habeat sive de cautionum sinceritate de praesenti sive de earum adimplemento de futuro;* 3) *ut cautionum exhibitio notoria sit vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum* »; Conc. plenar. Baltimor. III, (a. 1834), n. 131; Conc. prov. Prag. (a. 1860), in Collect. Lac. V, col. 521; *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. IX, c. 3, n. 5; *Rosset*, n. 1571 sq.: *Gasparri*, I, n. 448. Quare ii scriptores, qui tenuerunt ad concedendam dispensationem a delegato Sedis Apostolicae super impedimento mixtae religionis *praeter* principales condiciones non requiri gravem quandam causam, secuti sunt sententiam falsam, a praxi Sedis Apostolicae plane alienam.

[30] Quae causae canonicae a Sede Apostolica admissae iam pridem non amplius sunt unice causae veri et notabilis boni *publici*, i. e. Ecclesiae vel Status, sed etiam graves causae boni privati. Cfr. Benedict. XIV cit. Const. *Magnae; Rosset*, l. c. Quare imprimis allegari possunt consuetae causae canonicae, quae v. g. in Instr. S. C. de Prop. F., 9 maii 1877, et Prax. Datar., n. 72 sq., enumerantur, dummodo ad *tale* impedimentum relaxandum sint sufficientes et proportionatae. Praeterea aliae quoque causae allegari possunt, quae praesertim singulari naturae impedimenti mixtae religionis conveniunt. Quare dispensatio facilius conceditur, si secus v. g. sit periculum apostasiae vel saltem matrimonii mere civilis vel coram ministello acatholico celebrandi, si in regione pauci sint catholici, multi vero acatholici, et vigeat libertas coniugis atque prolis in profitenda religione catholica, spes fundata affulgeat conversionis partis acatholicae, vel, quod melius est, adsit seria promissio sese convertendi ad fidem catholicam post celebratas nuptias (cfr. c. 14 Conc. Chalcedon. a. 451). Gravissima vero est causa, si per dispensationem consulitur *catholicae educationi prolis* ex priore matrimonio mixto natae et non levi periculo expositae; immo eo in casu absque magna difficultate S. Sedes concedit *etiam* dispensationem ab impedimento dirimente, v. g. affinitatis in linea collaterali. Paulo aliter de causis canonicis disserit *Scherer*, 413 sq., ubi ex una parte nimium insistit causis boni *publici*, sed ex altera parte nimis liberaliter delegato relinquit decisionem de sufficientia causarum nec satis ponderat consuetas causas canonicas, et vagam illam causam « *pacis religiosae* » habet sufficientem. Quae causa expresse nullibi recensetur in documentis authenticis, neque unquam allegatur hisce terminis apud Sedem Apostolicam, nisi quatenus ad alias causas canonicas, v. g. ad bonum pacis reducatur.

modo admittere soleat causas canonicas, quae *existunt in parte catholica* — quod non raro oblivioni datur —, nequit v. gr. aetas superadulta, angustia loci afferri ut causa canonica si *sponsa* sit *acatholica*. Porro causae canonicae a S. Sede tanto rigore exiguntur ut, si non afferantur, dispensatio negetur consuetis formulis: «*Causas non afferri, doceat de causis*».

179. Cautiones dandae. Cum saltem duae memoratae *condiciones* iuris naturalis et divini ex *iudicio prudenti* debeant esse in *tuto* collocatae, RR. Pontifices in concedenda *dispensatione* super hoc impedimento constanter iubebant exigere diversis *formis veras* et *opportunas cautiones* [31] de praestandis condicio-

---

[31] Quae *cautiones* licet quandoque cum *condicionibus* confundantur, tamen evidenter ab iisdem distinguuntur sicut *media* ad obtinendum triplicem *finem*, sc.: avertendi periculum perversionis in coniuge catholico, obtinendi educationem catholicam universae prolis, procurandi conversionem partis acatholicae, quae ex lege caritatis a coniuge catholico serio et prudenter promovenda est. Huiusmodi *media* sive *cautiones* sunt *verae* et *opportunae promissiones* coniugum *ante* dispensationem obtentam *actu, integre, formiter ex utraque parte serio publiceque datae* pro praesenti et cum morali certitudine de earum implemento pro futuro.

Quare pars *acatholica* promittere debet: 1) se relicturam plenam libertatem parti catholicae ad exercitium suae religionis; 2) universam prolem utriusque sexus in religione catholica baptizatum et institutum atque educatum iri; 3) vicissim pars *catholica* promittat necesse est se iuxta legem caritatis christianae mediis honestis et prudentibus conversionem partis acatholicae esse curaturam, v. g. bono exemplo, precibus, consiliis et monitis opportunis. Quae promissio ultima ex *novo* iure *communi* non est *de necessitate* exigenda, quamvis res ipsa etiamnunc sit opportune inculcanda.

Qua *forma* cautiones sive promissiones sint dandae, neque ex natura rei vel iure communi usque ad ultimas determinationes particulares, v. g. scripto vel viva voce, coram testibus vel notario, cum iuramento vel verbo honoris, erat praescriptum. Quare, etsi illae cautiones quoad *substantiam* ex iure naturali requirantur, tamen quoad *formam* potest esse varietas disciplinae et maior minorve iuris rigor, pro diversis circumstantiis, personis et regionibus. Hinc *iuramentum* etiam a parte acatholica non erat necessario ex iure communi semper exigendum, nisi forte speciales circumstantiae concurrerent. Nam. S. C. Inq., 17 febr. 1875, decrevit: «*La condizione del giuramento (da prestarsi nei matrimonii misti dalla parte eterodossa nel promettere le solite cauzioni) è una prescrizione meramente ecclesiastica, dalla quale può talvolta prescindersi, se le circostanze lo consentono. Che per farsi luogo alla dispensa nei matrimonii misti, è essenziale solamente la promessa delle solite cauzioni, la quale deve essere così seria, che il Vescovo riesca a formarsi la certezza morale, che sarà dal coniuge eterodosso osservata ed adempiuta fedelmente; e dove Egli o per le qualità del soggetto o per altre circostanze non potesse acquistare simile certezza, può a buon diritto domandare che la promessa sia munita di giuramento*».

nibus essentialibus, id est tales *promissiones* quae praebent morale fundamentum ad iudicandum prudenter expectari posse executionem illarum essentialium condicionum [32]. Huc spectant pacta et promissa scripto et coram testibus, immo etiam coram notario [33],

---

Multo minus a parte catholica absolute requirebatur ut *suam* promissionem *iuramento* confirmaret; immo per se in ipsa sufficiebat promissio *oralis*, nisi iure particulari aut speciali rescripto perfectior cautio, v. g. per scripturam, cum iuramento coram testibus laudabiliter postularetur. Cfr. Pii VI rescript. 13 iul. 1782.

Quae promissio mere oralis, nulla *assistentia testium vel iuramento* munita, saltem ex communiter contingentibus non sufficiebat in parte *acatholica*. Ab illa igitur regulariter exigenda erat *promissio scripta rite confecta*, quae in archivo paroeciali erat deponenda. Etenim S. C. Inq., 17 apr. 1879, Episc. Ottaw. in Canada respondit: «*Che malgrado le disposizioni della legge civile i Vescovi di cotesto dominio debbono procurare di ottenere, che (nei matrimonii misti) le consuete cauzioni si diano sempre in iscritto, come già si pratica, e quante volte in qualche caso particolare siano convinti, che le medesime non siano prestate* con sincerità di animo, non concedano la dispensa». Singularis autem forma praestandi cautiones a S. C. Inq., 10 dec. 1902, «*per se et generatim*» reprobata et solummodo *pro casibus extraordinariis* cum necessariis cautelis alicui Ordinario permissa, nequit sine manifesto abusu tanquam norma ordinaria et stabilis ubique introduci. Cfr. Analect. eccles. XI, 284. Agebatur de casu in quo pars catholica sub iuramento assereret «partem acatholicam de condicionibus implendis sibi fidem praestitisse».

Quodsi iure particulari specialia statuta condita sunt, sive quoad *obiectum* promissionis — v. g. si catholica quoque pars expresse et cum iuramento promittat educationem universae prolis in religione catholica, vel utraque pars sollemniter ante dispensationem polliceatur se non contracturam esse nuptias coram ministro acatholico — sive quoad *formam* cautionum, — v. g. si per instrumentum subscriptione sponsorum, duorum testium ac ipsius parochi necnon sigillo paroeciae confirmatum praestandae sunt, ut praescribitur a Concil. prov. Neogranat. a. 1868, et a Conc. prov. Ultraiect. a. 1865, in Collect. Lac. VI, col. 523, V, col. 842 — his peculiaribus praescriptis omnino standum est.

[32] Pius VI in cit. ep. ad Card. Mechlinien., 13 iul. 1782; S. C. Inq. 30 iun. 1842 et 21 iul. 1880, ad Primat. Hungar.; Card. Rampolla in epist. ad. Primat. Hungar. 7 iul. et 26 sept. 1890; S. C. Inq. 18 mart. 1891, unde patet etiam in matrimoniis mixtis, quae in *periculo mortis* contrahuntur, cautiones esse exigendas, praesertim si pars catholica versetur in periculo vitae. Cfr. *Feije*, n. 568; *De Angelis*, l. IV, t. 1, n. 22; Collect. S. C. de Prop. F. n. 2188.

[33] Cum in Bavaria ex lege civili, 5 maii 1890, pacta sponsorum de religiosa educatione prolis ex matrimonio mixto natae, ut in foro civili vim haberent, coram *notario* essent ineunda, profecto in illis dioecesibus optimo consilio ab Episcopis quoque forma illa publica cum praesentia notarii praescripta fuit, salva tamen potestate ab illo rigore in casibus particularibus propter speciales circumstantias recedendi, dummodo saltem quoad substantiam serventur cautiones *canonicae* et *moralis habea-*

et cum interpositione iuramenti[34] facta. Quae praescriptiones iuris praecedentis, in peculiaribus documentis pontificiis aut in responsis SS. CC. contenti, in c. 1061 illam acceperunt iuris communis sanctionem, ut cautiones omnino sint exigendae antequam petatur et concedatur dispensatio, et ut praeterea ita exigantur atque in talibus circumstantiis dentur, ut *moralis* habeatur *certitudo* de ipsarum implemento. *Modus* autem cautiones dandi *regulariter* est ut exigantur in scriptis. Exigendae autem sunt, attento c. 1043, etiam in matrimoniis, quae urgente mortis periculo contrahantur. Rigidiores modi exigendi cautiones iure particulari praescripti per Codicem non sunt sublati et optimam praebent normam ad executionem mitioris normae Codicis. Semper tamen tenendum est quod *spes in sola* voluntate *bona* contrahentium fundata nequit supplere veras condiciones[35].

180. Officium pastoris animarum. Tam Ordinariis quam parochis tum ex motivo caritatis tum vi officii, ob gravissima mala

---

tur certitudo de implendis tribus condicionibus essentialibus, ut patet ex responso S. C. Inq. Archiepiscopo Bambergensi dato.

Summopere quoque commendanda est praxis dioecesis Augustanae, in qua pars *catholica* loco iuramenti spondere debet se non esse recessuram — etsi id *lex civilis* coniugibus toto tempore *vitae* permittit — a pacto de educatione catholica universae prolis. Multo maiore laude digna est liberalitas Ordinarii eiusdem dioecesis et Bambergensis, qua sponsi pauperes propter expensas a cautionibus coram notario praestandis refugientes necessariis donantur mediis ad solvendos sumptus officialis actus. Cfr. *Schnitzer*, 256 sq., not. 4. At hinc quoque patet minus accuratum esse, si *Leitner*, 361, asserit Ordinarium dispensantem *solummodo* (?) posse moraliter certum esse — de implendis condicionibus — si cautio habeatur quae respectivis *legibus civilibus* (?) *conformis* sit. Cf. *Scherer*, § 130, not. 38, 94.

Similiter in Hungaria ex lege civili, 6 oct. 1895, qua matrimonium civile factum est obligatorium, sponsi poterant coram hungarico notario vel syndico vel iudice inire contractum in forma legitima celebratum de educanda *universa* prole in *religione unius* ex coniugibus, etiam catholici.

[34] Cfr. supra in not. 31 cit. respons. S. C. Inq. et decr. Conc. provinc. Quodsi in Borussia decreto regio, 7 iun. 1853 et 23 dec. 1873, officiales — protestantici — sub poena dimissionis ex exercitu prohibiti sunt *cum iuramento* promittere educationem catholicam universae prolis atque celebrare matrimonium *extra ecclesiam* et *sine benedictione sacerdotali*, facile in praxi conflictus vitari potuit; etenim Episcopus pro suo iure potuit abstinere ab exigendo *iuramento* (cfr. S. C. Inq. 17 feb. 1875), atque ad tramites Instr. Antonell., 15 nov. 1858, aliquem ritum in ecclesia permittere, si *talia* matrimonia mixta cum legitima dispensatione celebrarentur.

[35] S. C. Inq. ad Primat. Hungar., 29 iul. 1880; *Card. Rampolla* in cit. ep. ad Primat. Hungar.

quae ex mixtis coniugiis in coniuges et in Ecclesiam derivant, tum ex praescripto canonis 1064 gravis incumbit obligatio omni pastorali vigilantia curandi ut eorum numerus in dies minuatur et ut quae de facto contrahantur minus infelices habeant exitus. Ad hoc vigilantiae officium imprimis pertinet *praevenire* huiusmodi gravissima mala, i. e. tempestivo tempore per instructiones et monita salutaria *absterrere* debent fideles a mixtis nuptiis, propositis et ostensis incommodis et periculis quae eas consequuntur. Ubi huiusmodi admonitiones sive publice sive privatim in casu particulari factae non profuerint, tunc omni studio curent ne mixtae nuptiae, quas impedire non valent, contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur, sed datis cautionibus et obtenta dispensatione. Demum invigilare tenentur ut coniuges promissiones factas fideliter impleant; quam vigilantiam exercere debent in coniuges, qui sive ut incolae sive ut peregrini habitant in paroecia vel dioecesi, ac praesertim quoad catholicam prolis educationem haud raro proderit recursus ad potestatem civilem[36].

De casu matrimonii cum impedimento contracti. Si matrimonium mixtum *illicite* i. e. sine dispensatione, sed *valide* ob defectum impedimenti dirimentis fuerit contractum, nec eius usus est prohibitus, nec vera dispensatio est necessaria: usui enim in hoc casu nullum obstat impedimentum, quemadmodum obstat v. gr. votum castitatis; dispensatio vero post matrimonium valide contractum est prorsus superflua. At pars catholica indiget reconciliatione cum Ecclesia, quae datur praestitis cautionibus, imposita salutari paenitentia atque remoto scandalo[37].

Si matrimonium mixtum *invalide* fuit contractum propter aliquod impedimentum dirimens non dispensatum vel ob defectum formae, *convalidatione* opus est, ad quam imprimis praestandae sunt *cautiones*, quibus praestitis conceditur dispen-

---

[36] Instr. S. C. Inq. ad Episc. orient., 12 dec. 1888, n. 13; S. C. de Prop. F. ad Arch. Baltimor. 25 iun. 1884; Conc. plenar. Baltimor. III, (a. 1884), n. 133.

[37] S. C. Inq. 12 mart. 1881: « *Instructionem* — ab Episcopo datam huiusmodi coniuges in posterum matrimonio suo licite uti non posse, nisi obtenta per Episcopum dispensatione — *ita declarandam a Te esse censuerunt, nempe oportere ut a praefatis coniugibus Ecclesiae, cuius sanctissima lex violata est, satisfiat eidemque cautiones de periculo salutis aeternae a se et a sua prole amovendo in foro etiam externo praestentur atque hoc fine recursum ad Episcopum postulari* » — nisi pro casibus particularibus Episcopi *statuto* quodam *generali* parochis dederint necessarias et opportunas facultates —. Cfr. statuta dioeces. Monaster. et Ratisbon. a. 1889 et 1890, in Arch. f. k. K. LXV, 119; *Lehmkuhl*, Theolog. moral. II, n. 713 sq.; *Feije*, n. 573; *Scherer*, 417.

satio et dein renovandus est consensus coram parocho et testibus [38]. Quae si fieri non possunt, quoniam pars acatholica detrectat aut cautiones requisitas ad dispensationem aut renovationem consensus in forma legitima, *sanatio matrimonii in radice* a Sede Apostolica, i. e. a S. C. S. Offic. est imploranda [39].

182. C. 1063. § 1. « *Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum* ».

§ 2. « *Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario* ».

§ 3. « *Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia* ».

---

[38] S. C. Inq. ad dubium: « *Utrum in contractis matrimoniis — cum haereticis — pastores animarum partem paenitentem, dummodo seclusum sit scandalum, tuta conscientia ad receptionem sacramentorum admittere valeant* » respondit, 23 aug. 1877, hisce verbis: « *Quoad matrimonia valida ad sacramenta percipienda posse admitti sine praevia renovatione consensus, sed ab iisdem percipiendis arcendos, donec vera dederint resipiscentiae signa et promiserint se curaturos totis viribus tam conversionem partis haereticae quam educationem in religione catholica prolis universae natae et forsan nasciturae, et tandem donec obtinuerint absolutionem a censuris incursis una cum paenitentiis salutaribus, casu quo contraxerint coram ministro haeretico.*

Quoad vero matrimonia invalida, cum sit nullum eorum matrimonium vitio clandestinitatis, non esse admittendos ad receptionem sacramentorum, nisi prius promiserint post impetratam dispensationem super impedimento mixtae religionis se fideliter executuros eas omnes condiciones, quae exiguntur in praefata dispensatione, et dein nisi consensum renovaverint coram catholico parocho et duobus testibus, et tandem nisi obtinuerint prius absolutionem a censuris incursis una cum paenitentiis salutaribus, casu quo matrimonium attentaverint coram ministro acatholico ». Cfr. quoque S. C. de Prop. F., 18 febr. 1783 et 9 dec. 1822, et Instr. ad Arch. Fogar. et Episc. eius suffrag. a. 1858, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1422, 1424, 1429, iunct. n. 1438, 1440.

[39] Quae sanatio nunc haud raro conceditur; immo interdum iam ipsis Episcopis data est *facultas* sanandi in radice matrimonia. Cfr. S. C. Inq., 12 apr. 1899, in *Analect. eccl.* 1899, p. 235; *Leitner*, 366, 372; *De Smet*, n. 515. Nunc quoque in facultatibus ad quinquennium datis pro matrimoniis mixtis illa facultas sanandi in radice pariter conceditur. Cfr. infra in cap. « De dispens. matr. ».

Haec prohibitio adeundi ministrum acatholicum uti talem oritur ex iure divino vetante communicationem in divinis cum acatholico sacris addicto et quasi parochi munere fungente, ritui haeretico aut schismatico se consociando. (Instr. S. Offic. 12 dec. 1888, n. 7). Illa autem consociatio vetita habetur quando minister adeatur *qui religiosam caeremoniam expleat* ac proinde per se semper ac ille in templo aut vestibus sacris indutus coniuges recipit et alloquitur. Hinc merito vetatur ille recursus ad acatholicum ministrum sive a nupturientibus fiat *per se* sive *per procuratorem*, sive *ante* sive *post* matrimonium, sive ad consensum *praestandum* sive ad eum *renovandum*; nec excusari potest praestatio consensus apud ministrum acatholicum per hoc quod « pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhaerere velle » (S. Offic., 10 dec. 1902, ad 3). Si iure particulari *promissio scripta* de non adeundo ministro acatholico requiritur, haec maior cautela omnino servanda est.

Quaenam sint gravissimae causae ob quas, remoto scandalo et consulto prius Ordinario, parochus, non obstante quod certo noverit sponsos hanc legem violaturos esse aut iam violasse, possit eorum matrimonio assistere, Codex non declarat. Ceterum secutura invaliditas matrimonii aut timenda pericula pro religiosa prolis educatione in hac materia gravissimae causae videntur iudicandae. Aliunde vero sponsi, qui contemnunt hanc gravissimam prohibitionem ipsis intimatam, haud praebent spem probabilem quod cautiones observabunt.

Porro illa prohibitio, attenta Instr. S. Offic., 12 dec. 1888, n. 8, expresse sponsis intimanda est, saltem si ab ipsis interrogetur parochus aut is sciat certo illam prohibitionem ab ipsis violatum iri; si vero sint in bona fide et praevideat monitionem haud profuturam, videtur posse dissimulare.

Si minister acatholicus unice fungitur munere *officialis civilis*, per se patet coniuges posse coram eo se sistere, modo intendant meram explere caeremoniam civilem ut declarent suum statum et obtineant effectus civiles ipsius.

In ordine ad urgendam prohibitionem adeundi ministrum acatholicum Sedes Apostolica (S. C. S. Offic.) rescriptis dispensationum super matrimoniis mixtis solet apponere clausulam: « *Dummodo neque ante neque post matrimonium, coram parocho catholico initum, partes adeant ministrum acatholicum* » [40].

---

[40] Quae clausula rescriptis dispensationum expresse apposita est inde ab anno 1865, i. e. *post* Instr. S. C. Inq., 17 febr. 1864, Episcopis Han-

183. Poenae canonicae statutae sunt contra violatores impedimenti et aliarum legum, quae regulant mixtas nuptias. Incurrunt excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam ex c. 2319:

a) qui se sistunt *coram ministro acatholico* uti sacris addicto [41];

b) qui *pactum* sive explicitum sive implicitum ineunt educandi *prolem* sive omnem sive aliquam extra Ecclesiam catholicam;

c) qui scienter *liberos baptizandos* offerunt ministro acatholico;

d) parentes vel parentum locum tenentes qui *liberos* scienter tradunt in religione acatholica *educandos* vel instituendos.

Ii de quibus sub *b*), *c*), *d*) sunt praeterea suspecti de haeresi et ut tales tractandi ad normam c. 2315.

Praeterea catholici, qui matrimonium mixtum tametsi validum sine dispensatione contraxerunt, *ab actibus legitimis ecclesiasticis* v. gr. a munere patrini, a iure patronatus etc. (cfr. c. 2256) et a *Sacramentalibus* ipso facto excluduntur donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint (c. 2375).

Scholion I. Specialia praescripta, quibus regitur *forma celebrationis* matrimonii mixti, inferius sub propria rubrica de celebratione matrimonii erunt explicanda.

184. Scholion II. *Codices civiles*, posthabito regulariter impedimento disparitatis cultus, multo minus admittunt impedimentum canonicum mixtae religionis. At quamvis aperti conflictus inter Ecclesiam et auctoritatem civilem, quae non raro antiquitus perversas theorias de matrimoniis mixtis etiam in praxi per vim et fraudes voluit obtrudere Ecclesiae, communiter iam

---

noveranis datam. Si verba clausulae attente considerentur, evidenter *ante executionem* dispensationis de avertendo illo *futuro* delicto constare debet; secus dispensatio concedi *nequit*, et si nihilominus absque *verificatione* clausulae, immo forte *post* obtentam certitudinem de contrario actu ponendo concederetur, nulla et irrita existeret, ut patet ex verbo: « *Dummodo* ». Cfr. *Gennari*, « Consultazioni », I, 346. Praxis nonnullarum regionum *exigendi* ab *utraque* parte promissionem non *contrahendi* matrimonium coram ministello haeretico (cfr. *Gasparri*, I, n. 496, cum *Bangen*) multum confert ad maiorem cautelam et clausulae allegatae non est contraria.

[41] Iam iure praecedente incurrebant excommunicationem S. Sedi specialiter reservatam, *verius* tanquam *fautores haereticorum* (S. Offic., 17 mart. 1874, 18 maii 1892 in ASS. XXV, 504). Qui favor haeresi praestitus etiam agnoscendus erat in delicto sub *c*) et *d*) proposito. Cfr. *Hollweck*, Kirchl. Strafgesetze, 164 sq. not. 3.

pridem cessarint [42], tamen etiam nunc insignis remanet difficultas de *institutione* et *educatione* religiosa *prolis* ex matrimonio mixto natae. Leges enim civiles de gravissimo illo negotio saepe eas continent sanctiones, quae cum iure divino et canonico conciliari nequeunt [43].

---

[42] Qui conflictus fuit acerrimus in Borussia neque defuit in aliis civitatibus Germaniae. Cfr. *Brueck*, Lehrb. d. Kircheng., § 218; *Scherer*, 409 sq., 417 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 150.

[43] V. g. ex lege *Hungariae* (a. 1868) proles nata ex matrimonio mixto *exclusis quibuslibet pactis coniugum* necessario ita educanda fuit, ut pueri patrem, puellae matrem in religione sequerentur. Quae lex cum gravissimi conflictus inter Ecclesiam et Statum causa fuisset (cfr. S. C. pro neg. eccl. extr. 7 iul., 26 sept. 1890 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1445, et Arch. f. k. K. LXV, 184, iunct. XXII, 149 sq., XXIV, 106, XLVII, 163, 451 sq., 458 sq., LXV, 347 sq.) atque manifestam contineret iniustitiam et violationem libertatis parentum tandem inde a 2 oct. 1895 est immutata, et parentibus denuo relicta facultas *pactis legitimis* stabiliendi educationem *universae* prolis in religione *unius* ex parentibus. Cfr. *Scherer*, II, 38 sq., 421, 427 sq.

In *Austria* pariter ex lege civili, 25 maii 1862, proles matrimonii mixti secundum diversitatem sexuum in diversa religione patris vel matris fuit educanda, nisi parentes *ante* nuptias celebratas vel *postea* speciali pacto convenissent de immutando *ordine* a lege statuto vel *universa* prole in *una* religione patris vel matris — non in alia vel nulla religione — educanda. Cfr. Arch. f. k. K. XLI, 409 sq. XLIX, 122 sq., L, 257 sq.: *Scherer*, 37 sq., 420; *Schnitzer*, 281 sq.; Instr. Ep. Austr., 16 novemb. 1901, in Arch. f. k. K. LXXXIII, 350 sq.

Art. 45 Constitutionis fundamentalis *Helvetiae* sub specie protegendi « *inviolabilem* » quandam libertatem *fidei* et *conscientiae* in *subiecto patriae* vel *tutoriae* potestatis admisit ius plane exorbitans disponendi de religiosa educatione prolis. Etenim vel ipsa mater *etiam* post mortem mariti nequit efficaciter suam interponere auctoritatem in decernenda religiosa educatione prolis contra tutorem, nisi ipsa sit tutrix. Deinde pater vel tutor plena gaudent libertate educandi liberos in qualicumque religione, etiam in atheismo. Quae pater hac in re ordinavit, quocumque tempore potest revocare atque ab ista revocatione non impeditur, etiamsi cum ipsius consensu proles receperit baptismum in determinata societate religiosa, quae exinde contra voluntatem patris nullum ius acquirit in prolem sibi per baptismum unitam.

Pacta quoque, quibus potestas illa patria in iure civili Helvetiae statuta limitatur, recognitione legali carent. Cfr. *Schnitzer*, 284 sq.; *Speiser*, in Arch. f. k. K. LXI, 197 sq. Longe aliter *Ecclesia* tuetur *libertatem* prolis contra *abusus* patriae vel tutoriae potestatis. Cfr. Benedicti XIV Constitutiones, v. gr. Const. *Postremo*, 28 febr. 1747, Const. *Probe*, 15 dec. 1751; Instr. Eystett., 82 sq.

In codice quoque civili *Galliae*, art. 372, 373, 1388, eae continentur sanctiones, quae in casu matrimonii mixti possunt accipere interpretationem practicam iuri divino et canonico omnino contrariam. Nam vi cit. art. 373 soli patri, non obstantibus quibuscumque promissionibus, competit ius eligendi religionem, in qua ipsius proles sit educanda. Cfr.

Nam illa solummodo lex civilis hac in re principiis catholicis per se est *perfecte conformis*, quae *universae* prolis ex matrimonio mixto natae baptismum et institutionem et educationem in religione catholica praescribit. Etenim *Ecclesia catholica* ex iure divino est *unice vera*, extra quam nulla est salus. Quare

---

Allègre, « Le Code civil commenté », ad cit. art. 373. Quod ius non nisi mortuo vel impedito marito transit in uxorem atque deinde, illa quoque mortua, ex art. 450 in tutorem. Immo ex cit. art. 1388 coniuges non possunt (pactis) derogare iuribus, quae ex potestate maritali vel parentali iuxta codicem civilem marito in uxorem vel prolem competunt. Quare *Allègre*, l. c. ad art. 1388, scribit: *Par conséquent nulle sous notre Code civil la convention en vertu de laquelle le père s'obligerait à donner telle éducation á ses enfants, de les élever dans telle religion. Ainsi, lorsque dans un mariage mixte entre catholique et protestant, c'est le mari qui est protestant, l'engagement, qu'il prend d'élever ses enfants dans la religion catholique, pour se marier à l'église, constitue bien une obligation morale et de conscience, mais cet engagement* **n'a pas de sanction civile.** *Tout au plus les tribunaux pourraient-ils voir dans sa violation une injure grave de nature à entraîner la séparation de corps* ». Mirum igitur non est quod idem auctor, l. c. ad cit. art. 373, animadvertat: « *Il serait donc a souhaiter que sur cette question, qui dans certaines régions présente un intérêt très sensible, l'Etat fit siennes les prescriptions de l'Eglise et forçât les parents à respecter les promesses faites au moment du mariage. Il lui suffirait pour cela de considérer ces promesses comme valables et en conséquence de les sanctionner comme les promesses civiles ordinaires; ce ne serait là que l'application du droit commun* ». Cfr. quoque *Geigel*, Franz. Staatskirchenr., 234 sq.; *Schnitzer*, 283 sq.

In codice civili *Germaniae*, § 1354, iunct. §§ 1627 sq., 1631, 1684 sq., 1779, 1801, potestas patria *in genere* ita definiebatur, ut etiam moralistae catholici illam non reprehenderent. Cfr. *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. ad cit. §§ 1354 sq. Quae paragraphus a viris doctis quandoque adeo latam accepit interpretationem, v. g. excludendo pacta de educatione religiosa prolis, quae cum aliis dispositionibus ipsius iuris civilis non cohaereat (cfr. art. 134, 135) atque in matrimoniis mixtis periculum violationis iuris divini inducat. Cfr. *Hollweck*, D. Civileher., 166 sq. Cum in iure illo communi Germaniae huiusmodi negotium educationis prolis ex matrimoniis mixtis non fuisset uniformiter ordinatum (cfr. art. 134), recurrendum erat ad ius particulare (non raro iuri divino et canonico manifeste contrarium) singularum civitatum imperii Germaniae, quod fuse exponit *Schmidt*, « Die Confession der Kinder nach den Landesrechten in Deutschland ». Cfr. quoque *Schnitzer*, 266 sq.; *Scherer*, 38 sq.; *Lehmkuhl*, l. c. ad art. 134, 135, et § 1631; *Geiger*, D. relig. Erziehung d. Kinder. Ex nova autem constitutione, 31 iul. 1919, a. 120, « educatio prolis physica, *spiritualis* et socialis est supremum officium et naturale ius parentum »; in qua nova constitutione, a. 10, etiam haec materia per iura particularia dicitur magis in concreto determinanda, ut iam factum est in Bavaria (const. 12 aug. 1919), iuxta quam si partes per contractum se obligarunt coram iudice vel notario ad certam educationem religiosam filiorum, haec nequit deinde mutari.

omnis lex civilis, quae universam prolem aut eius partem in reli-
gione catholica educandam non esse statuit, iuri divino est contra-
ria et nulla atque irrita existit. Ipsi quoque sponsi acatholici in
suum favorem non possunt invocare idem principium et con-
queri de laesa aequitate atque paritate. Nam praeterquam quod
veritas et *error* non aequalia habeant iura, longe dispar est con-
dicio partis catholicae et acatholicae. Catholicus enim coniux pro
sua conscientia nullo unquam tempore potest theoretice et prac-
tice derelinquere doctrinam catholicam de necessitate fidei ca-
tholicae; at acatholici passim non asserunt: Extra nostram so-
cietatem religiosam nulla salus, et in specie ut plurimum ne-
gare non audent aliquem etiam in Ecclesia catholica posse con-
sequi salutem. Inde deducitur nihil contra conscientiam partis
acatholicae postulari, si illa adigatur ad promissionem de uni-
versa prole in religione *catholica* educanda. Cfr. *Leitner*, 361.

Cum in plurimis civitatibus lex illa principiis catholicis uni-
ce conformis non sit lata [44], et haud raro sine maximis perturba-
tionibus in foro saeculari ferri non possit, civiles legislatores sal-
tem ab iis legibus condendis *abstineant* necesse est, quibus con-
iuges catholicos *oneribus* a fide catholica *alienis* artant vel ea
privant *libertate*, qua suae conscientiae saltem per pacta legiti-
me inita consulere *possunt*. Qui legislatores civiles in modernis
Statibus, in quibus viget non levis varietas religionum tolerata-
rum, certe non sunt idonei atque competentes iudices in definien-
da *vera* religione. Quare in istis Statibus potestas publica huius-
modi negotium potissimum *parentibus relinquet*, nisi velit inci-
dere in apertas absurditates aut graves parentibus atque proli
inferre iniurias [45].

---

[44] In Austria *olim* ex ipsa iuris civilis absoluta dispositione, excluso quolibet pacto in contrarium, *universa* proles ex matrimonio mixto nata *debuit* baptizari et educari in religione catholica dominante, si *pater* fuit *catholicus*; at per summam inconsequentiam, si *mater* professa est religionem *catholicam*, illa absoluta legis sanctio de universa prole non habuit locum, sed solumodo *per pactum* mater catholica *potuit* obtinere educationem universae prolis in religione catholica; cfr. *Scherer*, 417, not. 49.

[45] *Lehmkuhl*. l. c. art. 134; aliter *Hinschius*, l. c. IV, 51 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 92, IV, qui in ordinanda educatione religiosa prolis ex matrimoniis mixtis sustinent competentiam Status nullo modo fundatam.

CAPUT IV

De impedimento impediente vel dirimente cognationis legalis

185. Fontes: C. XXX q. 3 (c. 1, 5, 6) [1]. — Compl. I, l. IV, t. 12, de cognat. leg. — Decretal. Gregor. IX, l. IV, tit. 12. — S. C. de Pr. F., 14 ianuarii 1802, ad Vic. Apost. Tunkin. occid. in Collect. (Paris). Const. S. Sed. n. 869; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1249; S. C. C. in caus. Hortana, 25 sept. 1734; S. C. Inq. 16 april. 1761; S. Paenitentiaria, 17 maii 1826, in resp. d. Vicar. gener. Petrocor. in Gall.; S. C. Inq. 23 febr. 1853. — Instruct. Card. Rauscher §§ 28, 29. — Synod. Mont. Liban. (1736), in Collect. Lac. II, col. 163, 164; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), 96 sq.; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), p. 180.

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. in h. t. — *Devoti*, l. c. § 136; *Aichner*, l. c. § 178; *Scherer*, § 118. — *S. Raym.*, l. c. l. IV, tit. 8, de cogn. leg.; *Roland.*, l. c., 114, 146; *Bernard. Pap.*, l. c., 298, 162; *Tancred.*, l. c. tit. 22, de cognat. legali et unde dicatur; *Durantis*, Speculum l. IV, partic. 4, h. tit.; *Sánchez*, l. VII, disp. 63; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. VI, n. 642 sq.; *Rosset*, n. 1893 sq.; *Schnitzer*, 430 sq.; *Leitner*, 260; *Feije*, n. 428 sq.; *Van de Burgt*, 153 sq.; *Mansella*, 45 sq.; *Schulte*, § 25; *Giovine*, I, 393 sq.; *Gasparri*, I, n. 764 sq. — Arch. f. k. K. XIX, 193 sq. (*Laurin*); X, 363 sq. (*Laemmer*). *Moy*, l. c., 84, 93, 210 sq.; *Freisen*, 555 sq.; *Esmein*, I, 394 sq.; *Chelodi*, n. 56 sq., 107; *Cappello*, I, n. 323 sq., 569 sq.; *De Smet*, n. 491 sq.; *Ferreres*, Derecho sacr. n. 635 sq.; *Vlaming*, I, n. 204 sq.

Canon 1059. « *In regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est* ».

Canon 1080. « *Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere* ».

Praenotiones

186. Definitio. *Cognatio legalis* est propinquitas personarum orta ex *legitima* adoptione; adoptio vero est contractus *legitimus*, quo is, qui natura non est, in filium — vel nepotem vel pronepotem — assumitur; aliis verbis, est *personae extraneae* — i. e. carentis gradu filiationis ad quem assumitur — *in filium vel nepotem vel deinceps legitima assumptio* [2]. Quae cognatio legalis orta ex instituto iuris civilis *vi solius dispositionis* Ecclesiae pro fidelibus constituit impedimentum matrimonii iuxta *ambitum* iure canonico definitum [3].

187. Divisio. *Cognatio legalis* tres species comprehendit:

I. *Paternitatem* sive cognationem *legalem* in linea recta inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes [4].

II. *Fraternitatem* sive cognationem *legalem* lineae transversalis inter adoptatum et legitimos filios naturales adoptantis existentes sub potestate patris [5].

III. *Affinitatem legalem*, quae in imitationem affinitatis naturalis intercedit inter adoptatum et uxorem adoptantis [6].

Adoptio *in genere* ex iure Romano dividitur in *duas species*, sc. in *adrogationem* sive adoptionem sollemnem et in *adoptionem simplicem* sive *in specie* [7]. Quae *adrogatio* est personae extra-

---

[1] Inst. I, 11, de adoptionibus; Dig. I, 7, eod.; Cod. VIII, 48 eod.; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 422 sq.; *Accarias*, Precis d. droit rom. n. 102 sq.; *Zhishman*, 254 sq., cod. civ. Ital. art. 87, Gall. art. 343 sq., 348 sq., Austr. § 47, 179 sq., Hisp. art. 84, Germ. §§ 17, 41 sq.; *Schulte*, Eher., 522 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 148; *Lehmkuhl*, D. b. Gezetzb. d. d. R., 467 sq.; *Hollweck*, D. Civileher., 104 sq.; *Allègre*, Le Code civil. comm. I, 247 sq.

[2] Cfr. § 1 Inst. h. t.; L. 1, D. h. t.; L. 1, § 4, D. unde cogn. XXXVIII, 8; L. 10, § 4, C. de adopt. VIII, 48; *Laurin*, l. c. p. 192 sq.; *Arndts-Serafini*, l. c. § 422; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 236; *S. Thom.*, IV Sent. dist. 42, q. 2, art. 1; *Sánchez*, l. c. n. 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 1, 2; *Rosset*, n. 1894; *Wernz*, h. cap. not. 31, unde magis patet vocabulum « *legitimi* » contractus in definitione adoptionis specificum quendam habere sensum.

[3] *Panormitan.*, in rubr. h. t.; *D'Annibale*, l. c. P. I, n. 65; *Laurin*, l. c., 211 sq., 236 sq.

[4] Cfr. §§ 1, 10, Inst. de nupt. 1, 10; L. 55, D. de ritu nuptiar. XXIII, 2; L. 15, D. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 11, 12; *Gasparri*, I, n. 764 sq.

[5] Cfr. §§ 2, 3, 4, Inst. de nupt.; L. 3, 17, D. de ritu nupt.; L. 23, D. h. t.; cap. un. X, h. t.; c. 1, 5, 6, C. XXX, q. 3.

[6] L. 14, D. de ritu nupt.; L. 23, D. h. t.; L. 4 § 10, De gradib. et affin. XXXVIII, 10; S. C. C. in caus. Hortana, 25 sept. 1734; *Gasparri*, l. c.; *D'Annibale*, l. c. P. I, n. 65, n. 21.

[7] Quae P. *Wernz* disputavit hoc loco de iure Romano, licet ad cognoscendum impedimentum canonicum hodie *directe* non serviant, *indirecte* tamen prosunt, saltem ad melius cognoscendam indolem adoptionis in respectivis codicibus civilibus; ideo in hac editione non sunt penitus omissa.

Cfr. Inst. I, 11: « *Non solum autem naturales filii secundum ea, quae diximus, in potestate nostra sunt, verum etiam ii, quos adoptamus. § 1. Adoptio* **autem duobus modis** *fit, aut principali rescripto aut imperio magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos easve, qui quaeve* **sui iuris** *sunt; quae* **species** *adoptionis dicitur* **arrogatio.** *Imperio magistratus adoptare licet eos easve, qui quaeve in* **potestate parentum** *sunt, sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia, sive inferiorum, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis. § 2. Sed hodie ex*

neae, sed *sui iuris,*[8] auctoritate principis[9] legitima assumptio[10] in filium vel nepotem ita facta, ut adoptatus transeat in potesta-

---

nostra Constitutione (i. e. L. 10, C. de adopt. VIII, 48), *Cum filiusfamilias a patre naturali extraneae personae in adoptionem datur, iura potestatis patris naturalis minime dissolvuntur. Nec quidquam ad patrem adoptivum transit nec in potestate eius est, licet ab intestato iura successionis et a nobis tributa sint. Si vero* **pater naturalis,** non extraneo, *sed avo filii sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo paterno vel proavo simili modo paterno vel materno filium suum dederit in adoptionem,* **in hoc casu** *quia concurrunt in unam personam et naturalia et adoptionis iura, manet stabile ius patris adoptivi et naturali vinculo copulatum et legitimo adoptionis modo constrictum, ut et in familia et in potestate huiusmodi patris adoptivi sit.* § 3. *Cum autem* **impubes** *per* **principale rescriptum arrogatur,** *causa cognita arrogatio permittitur* ».

L. 1, 2, D. de adoption. I, 7: « 1. *Filiosfamilias non solum natura, verum et* **adoptiones** *faciunt,* § *1. Quod adoptionis nomen est quidem* **generale,** in *duas* autem **species** *dividitur, quarum altera adoptio similiter* (simpliciter) *dicitur, altera arrogatio. Adoptantur filiifamilias; arrogantur qui sui iuris sunt.*

2. **Generalis** *adoptio duobus modis fit, aut Principis auctoritate aut magistratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt. Quae species adoptionis dicitur arrogatio, quia et is, qui adoptat, id est interrogatur an velit eum, quem adoptaturus sit, iustum sibi filium esse, et is, qui adoptatur, rogatur an id fieri patiatur. Imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia, sive inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.* § *1. Illud* **utriusque adoptionis** *commune est quod et hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt (castrati autem non possunt* = § 9, I, I, 11), § 2. *Hoc vero proprium est eius adoptionis, quae per Principem fit, quod is, qui liberos in potestate habet, si se arrogandum dederit, non solum ipse potestati arrogatoris subicitur, sed et liberi eius in eiusdem fiunt potestate tanquam nepotes* ». Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 10, n. 4, ubi recenset modos adoptionis *apud romanos* usitatos et etiam praescriptos per « *leges civiles, quibus utimur* » iunct. Const. *Essendoci noto*, 21 dec. 1749; relat. Secret. S. C. C. in c. Hortan. 25 sept. 1734; *Laemmer*, in Arch. f. k. K. X, 363 sq.; *Gasparri*, I, n. 767.

[8] Post illa verba, quemadmodum patet ex textibus citatis iuris Rom. in not. 7 h. cap., ad comprehendendos omnes casus arrogationis inserendum esset incisum: « *vel personae* (*cognatae*) *alieni iuris* (*non agnatae*) *facta ab ascendente paterno vel materno* ». Cfr. *Leitner*, l. c. 270 sq. At cum casus iste arrogationis videatur esse admodum rarus, etiam a *Benedicto* XIV, De Synod. dioec. l. c., in definitione expresse non attenditur.

Quamvis antiquo iure Romanorum *arrogatio impuberum* iam propter solam *formam* esset exclusa, tamen postea per rescriptum principis et certis servatis condicionibus fuit permissa. Cfr. L. 17, §§ 1, 4, L. 18, 22, D. h. t; § 3, Inst. h. t.; L 2, Ch. t.; *Arndts-Serafini*, l. c. § 424.

[9] Cfr. text. cit. iur. Rom. in not, 7, h. cap.; L. 6, C. de adopt. VIII, 48; *Benedict. XIV*, l. c.; cit. rel. Secret. S. C. C.; *Laemmer*, l. c.

[10] Cum in simplici adoptione sufficiat ut adoptatus impubes saltem

tem et familiam[11] adoptantis fiatque, ad instar filii naturalis et legitimi, heres necessarius tam ab intestato quam ex testamento[12]. Adoptio vero simplex est personae extraneae, sed nondum *sui iuris,*[13] auctoritate inferioris magistratus competentis[14] legitima assumptio[15] in filium vel nepotem ita facta, ut adoptatus nec transeat in potestatem et familiam adoptantis neque ut heres *necessarius* in testamento, licet ab intestato succedat[16].

---

non *contradicat* (cfr. L. 11, C. t.; L. 5, D. h. t.; § 8, Inst. quib. mod. ius potestat. solvitur I, 12) in *arrogatione* requiritur *expressus consensus* arrogati *et* tutorum, si arrogandus adhuc sub tutela sit constitutus. Cfr. § 3, Inst. h. t.; L. 2, 5, 8, D. h. t.; L. 5. de auct. praest, V, 59; *Arndts-Serafini*, l. c. § 422. Praeterea ad *arrogationem* praesertim *impuberis* perfectior praerequiritur *causae cognitio* quam ad simplicem adoptionem. Cfr. L. 15, §§ 2, 3, L. 17, § 1, 2, L. 18 sq., 22, D. h. t.; *Arndts-Serafini*, l. c. § 424; *Laemmer*, l. c., 365 sq.

[11] Cfr. L. 1, 2, § 2, L. 13, 15, 23, 40, 35, D. h. t.; L. 4, § 10, de grad. XXXVIII, 10; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 425, 426, 427. Quare mulieres, cum secundum leges Romanorum non potuissent acquirere *patriam potestatem*, etiam *arrogare* non poterant; at ex *rescripto principis* filium eo effectu sibi valuerunt *adoptare*, ut ipsum in reliquis haberent ad vicem *naturalis legitimique* filii. Cfr. § 10, Inst. h. t.; L. 5, C. h. t; L. 29, § 3, D. de inoff. testam. V 2; *Arndts-Serafini*, §§ 437, 438; *Laurin*, l. c. 195, 197, 208 sq.; *Scherer*, 325 sq.; not. 28.

[12] Inst. III, 10, de acquisitione per arrogationem; § 2, Inst. h. t.; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 425, 438, 475; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. c. n. 4. Quae ultima verba definitionis evidenter referuntur ad iura in *res temporales* ex arrogatione orta, non ad iura et relationes *personarum*, quae potius spectant ad *matrimonium* et *familiam*.

[13] Cfr. § Inst. h. t.; L. 42, D. h. t. « *Etiam infantem in adoptionem dare possumus* »; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 422.

[14] Cfr. § 1 Inst. h. t.; L. 2, D. h. t.; L. 11, C. h. t.; Bened. XIV, cit, Const. *Avendoci; Laemmer*, l. c. 366 sq. (de decreto iudicis in Statu pontificio).

[15] L. 11 C. h. t.; § 3, Inst. quib. mod. I, 12; L. 5, D. h. t. « *In adoptionibus eorum dumtaxat, qui suae potestatis sunt, voluntas exploratur; sin autem a patre dantur in adoptionem, in his utriusque arbitrium spectandum est vel consentiendo vel non contradicendo;* » L. 33, 32 D. h. t. « *Nonnunquam autem impubes, qui adoptatus est, audiendus erit, si pubes factus emancipari desideret; idque causa cognita per iudicem statuendum erit* »; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 422, 426, 427. Cfr. supra h. cap. not. 10.

[16] Cf. § 2, Inst. h. t.; L. 10, C. h. t.; *Benedict. XIV*, l. c.; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 425, 438. Quodsi quis cum *Arndts-Serafini*, l. c., contendat *unicum* effectum adoptionis simplicis esse solummodo illud ius adoptati succedendi ab intestato patri adoptivo, is facile etiam admittet alteram conclusionem eiusdem auctoris, sc. *talem* adoptionem simplicem non amplius esse *veram* adoptionem, sed tantum *impropriam*. In hac suppositione merito assereretur in adoptione simplici ex iure civili et canonico *ne concipi quidem posse* in adoptato aliquam *cognationem legalem*, unde matrimonium dirimatur, eo quod adoptatus per adoptio-

Alii viri docti distinguunt adoptionem iuris Romani in *arrogationem* et in adoptionem *sensu stricto*. Illa dicitur haberi si homo sui iuris, altera si filiusfamilias adoptatur. At cum in ipso iure Romano postea etiam arrogatio hominis in alieno iure constituti permitteretur, et adoptio sensu stricto per constitutionem imperatoris Iustiniani *ordinarie* non amplius efficeret ut adoptatus transiret in potestatem et familiam adoptantis, canonistae inter arrogationem et adoptionem plenam sive perfectam non solent distinguere. Porro *adoptio sensu stricto* post L. 10 C. h. t. imperatoris Iustiniani communiter nunc appellatur adoptio *imperfecta* sive *minus plena*. Quae divisio adoptionis generalis in *plenam* et *minus plenam* recidit in divisionem supra datam et definitam *arrogationis* et *adoptionis simplicis*[17].

---

nem minus plenam non transeat in familiam et potestatem adoptantis. At numquid illae *suppositiones* in iure Romano sunt solide fundatae? Negandum videtur.

Nam imprimis *Arndts*, l. c., unicam illam restrictionem adoptionis simplicis quoad *bona temporalia* et successiones confundit cum *exclusione* reliquorum effectuum quoad *personas* et *familiam*. Praeterea ipse *Arndts*, l. c. § 438, fatetur mulierem, etsi incapacem potestatis patriae, quoad reliquos effectus ex rescripto principis *posse* sibi adoptare filium ad vicem filii legitimi et naturalis; ergo potestas patria ad veram adoptionem tanto rigore non potest esse necessaria. Cfr. supra h. cap. not. 11. Deinde v. g. § 1, Inst. h. t. et L. 1, 2, D. h. t. adoptio in genere dividitur in duas species. Quae divisio non esset vere logica, nisi in utraque specie reperiretur *vera* et *proprie* dicta adoptio, non impropria in altera specie, ut fit in divisione postulationis sollemnis et simplicis. Cfr. *Reiffenstuel*, h. tit. n. 10. Porro leges romanae per adoptionem *in genere*, sub qua etiam adoptio simplex comprehenditur, disertis verbis declarant personas ita coniunctas « *parentum liberorumque loco sibi esse* ». Cfr. § 1 Inst. de nupt. I, 10; §§ 8, 9, Inst. h. t. Unde in iure Romano universa materia de adoptione simplici non ablegatur ad ius de successione ab intestato, sed simul cum arrogatione in iure de familia ordinatur. Cfr. v. g. cit. § 8, Inst. h. t.: « *In plurimis autem causis assimilatur is, qui adoptatus vel arrogatus est, ei qui ex legitimo matrimonio natus est* ». Tandem ex L. 23, D. h. t. evidenter patet, quod quis per adoptionem certis personis *non agnascitur* sive strictam *cognationem legalem* non contrahit, sed meram affinitatem quandam legalem, quae nihilominus *propter publicam honestatem* obstat valori matrimonii. Quare nimium insistendum non est *strictae cognationi legali*, quae per strictam agnationem in patria potestate fundatam orta est. Nam etiam per simplicem adoptionem oritur talis respectus parentelae inter adoptatum et adoptantem, qui non nisi cum manifesto detrimento honestatis publicae laedi potest. Mirum igitur non est quod § 1 Inst. I, 10, haec de adoptione in genere statuantur. « *Et haec adeo ita sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumque loco sibi esse coeperint, non possint inter se matrimonio iungi, in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem iuris maneat* ». Cfr. *Scherer*, 321, not. 1, 16 sq.; *Laemmer*, l. c. 304 sq.; *Laurin*, l. c. 208 sq.

[17] *Arndts-Serafini*, l. c. § 422; *Laurin*, l. c., 196; *Benedict. XIV*, l. c., *Schmalzgr*, h. t. n. 3 sq.

188. Notae historicae. A) *Evolutio iuris de impedimento cognationis legalis. Adoptio*, unde in imitationem naturae orta est *cognatio legalis*, licet *vestigia* quaedam habeat apud israelitas[18], antiquos populos germanicos aliasque gentes[19], tamen legibus romanorum singularem consecuta est perfectionem. Per adoptionem enim apud romanos aliquis factus est filiusfamilias ad instar filii naturalis et legitimi atque retenta *cognatione naturali*, qua per *nativitatem* cum sua familia fuit unitus, tamen ut *agnatus* vi cognationis *civilis* transiit in aliam familiam et in potestatem patris adoptantis. Nam a iure Romano prorsus alienum fuit ut quis tanquam *agnatus* pertineret ad duplicem familiam et pluribus subesset patribusfamilias[20].

Quae adoptio, si homo *sui iuris* fuit adoptandus, ex antiquo iure Romano facta est in forma *sollemni*, sc. post causae examinationem et rogationem per pontifices, et cum consensu populi romani in comitiis curiatis dato, unde arrogatio vel adoptio per populum appellata est[21]. Cui formae postea *rescriptum* imperatoris est substitutum. Adoptio simplex *filiifamilias* habuit locum per mancipationem et manumissionem, quam deinde Iustinianus in simpliciorem formam redegit[22].

Adoptio romanorum cum non solum quoad *bona temporalia*[23], sed etiam quoad condicionem *personae* adoptantis et adoptati in familia gravissimos haberet effectus iuridicos[24], suam quoque exseruit efficaciam in *impedienda* quarundam nuptiarum celebratione[25]. Quae impedimenta in imitationem *cognationis*

---

[18] Gen. XLVIII sq.; Esther II, 7, 15; *Schegg*, D. bibl. Archaeolog., 646; at stricte adoptio in lege mosaica non reperitur statuta. Cfr. *Freisen*, 555; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 635.

[19] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 10, n. 3; *Holtzendorff*, Encyklop. d. Rechtswissensch. P. I, 259; *Gerber*, System d. d. Privatr. § 242, not. 6, ubi *veram* adoptionem in antiquo iure germanico ignotam fuisse docet; *Schnitzer*, 430 sq.

[20] L. 1 D. h. t.; L. 195, D. de verb. sign. L. 16; *Walter*, Gesch. d. roem. R. n. 543 sq.; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 422, 475; *Laurin*, l. c., 193 sq.

[21] *Benedict. XIV*, l. c.; *Walter*, l. c.; *Arndts-Serafini*, l. c. § 424, not. 1.

[22] Cfr. § 8, Inst. h. t.; L. 11, C. h. t.

[23] L. 8 C. h. t. (de effect. adopt. simpl.); Inst. I. 10, de acquisitione per *arrogationem*; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 425, 423, 438; L. 1, C. h. t. (de adopt. per mulierem): *Walter*, l. c. n. 545.

[24] L. 1, 13, 15, 23, 35. D. h. t.; L. 17. D. de ritu nuptiar. XXIII, 2; L. 1, § 4, D. unde cognati XXXVIII, 8; L. 4, § 10, D. de grad. XXXVIII 10; L. 2, § 2, L. 15, 40 D. h. t.; *Arndts-Serafini*, l. c. § 425; *Laurin*, l. c., 193 seq., *Walter*, l. c. n. 545, 546.

[25] Cfr. §§ 1, 3 Inst. de nupt. I,10; L. 55, D. d. rit. nupt. XXIII. 2; *Laurin*, l. c., 197 sq.

naturalis latius patebant quam gradus strictae *cognationis legalis* [26], immo sese extenderunt ultra terminos postea iure canonico statutos [27]. Dubium quoque existere non potest quin impedimenta iuris Romani ex adoptione provenientia fuerint *dirimentia*, non mere prohibentia [28]. At usque ad nostram aetatem inter doctores controvertebatur, utrum ex legibus romanis *sola arrogatio* sive adoptio plena [29] an etiam minus plena [30] produxerit impedimentum dirimens matrimonii. Cui posteriori sententiae videtur esse subscribendum [31].

---

[26] Cfr. §§ 5, 6, 7 Inst. de nupt. L. 14, 15, 55, § I, D. de rit. nuptiar.; L. 4,

[27] *Laurin*, l. c. 199 sq., 214 sq.

[28] Cfr. § 12. Inst. de nupt.; *Laurin*, l. c. 205.

[29] *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 425, 438; *Laurin*, l. c. p. 208 sq.

[30] *De Angelis*, h. t. n. 1; *Scherer*, 323 sq. cum *Lang* aliisque.

[31] Nam Iustinianus imperator licet L. 10 C. h. t. in arrogatione immutarit rigorem iuris antiqui circa effectus in *bona temporalia* et quoad *patriam potestatem* patris naturalis, tamen antiquo iuri quoad impedimenta matrimonii nihil derogavit. Etenim v. g. § 1. Inst. de nupt. simpliciter et sine distinctione impedimenta ex *adoptione* — non ex sola arrogatione — sustinentur. Praeterea L. 23 D. h. t. impedimentum ob publicam honestatem retinetur per modum affinitatis legalis, ubi stricta agnatio legalis iuris Romani non habuit locum. Quae publica honestas — respectus parentelae — ex *reverentia* et *amicitia* inter patrem adoptantem et filiam adoptatam in adoptione minus plena manet, etiamsi stricta potestas patria sit penes patrem naturalem aut forte per emancipationem iam cessarit. Praeterea patriae illi potestati eo minus est insistendum, quia etiam filius maior, qui patri naturali non amplius fuit subiectus, potuit adoptari atque certe per adoptionem non denuo factus est *minor* atque *pupillus*. Cfr. *Tancred.*, l. c. 40, alleg. L. 10 C. h. t. (de simpl. adopt.): « *Effectus adoptionis est ut ille, qui adoptatur*, **per omnia quasi adoptantis filius habeatur,** *ita ut etiam ab intestato succedat* ».

Quare etiam *Arndts-Serafini*, l. c. § 438, et *Laurin*, l. c. 210, postquam pervenerunt ad quaestionem de muliere sibi iuxta L. 5 C. h. t. filium adoptante, non amplius audent impedimentum matrimonii simpliciter negare, licet talis mulier in filium adoptatum non acquisiverit patriam potestatem. *Sánchez* quoque, l. c. l. VII, disp. 63, n. 16, ubi rationem reddit impedimenti ex cognatione legali, urget *reverentiam* et *amicitiam* inter adoptatum et adoptantem; at de *obedientia* in patria potestate fundata omnino tacet. Hinc etiamsi patria potestas in filium adoptatum non adsit vel cessarit, sufficientes manent rationes reverentiae et amicitiae ad retinendum impedimentum matrimonii. Accedit quod *Sánchez*, l. c. n. 9, fateatur sententiam sibi contrariam esse « *communissimam* », quam, eod. n. 9, ipse quidem putat inniti « *levissimis fundamentis* », at pro sua sententia vere solidas rationes non affert. Nam prior innititur gratuita assertione, quod adoptatus per simplicem adoptationem ne *de facto* quidem in familiam adoptantis ingrediatur. Cfr. *De Angelis*, h. t. n. 1; *Laurin*, l. c., 233 sq. Altera ratio quod adoptio minus

Ecclesia catholica cum in imperio romano propagaretur, generatim honestas leges civiles de matrimonio latas non respuit. Quare intrinseca quadam probabilitate commendatur illa opinio, quod primi christiani hisce legibus romanis sese saltem *de facto* conformarint [32]. At per octo priora saecula religionis christianae nullum habetur documentum unde colligi possit Ecclesiam sive consuetudine sive lege scripta in suo foro vere *canonizasse* leges romanas de *adoptione* latas in ordine ad irritandum etiam matrimonium christianum [33]. Prima vice Nicolaus M. (a. 866) potius per transennam commemorat adoptionem (*in linea recta*), ut inde petat argumentum a fortiori ad comprobandum impedimentum *cognationis spiritualis*. Quod argumentum fuisset admodum debile, nisi Ecclesia leges romanas de impedimento cognationis legalis sua *consuetudine* saltem *generatim* ratas habuisset, ut ipsa verba *Nicolai M.* insinuant [34]. Simili ratione (de linea transversa), arguit *Paschalis II* (a. 1099-1118) in rescripto, quod *Gratianus*, c. 5, C. XXX, q. 3, suo Decreto inseruit [35].

Gratianus l. c. impedimentum cognationis legalis iam existere supponit, neque ab eo admittendo alieni sunt: *Rolandus*,

---

plena non simpliciter dicatur (vera) adoptio, certe in iure Romano nullum habet fundamentum; ergo etiam corruit conclusio inde deducta. Denique ratio negativa sive responsio ad argumenta adversariorum vi efficaci videtur esse destituta.

[32] *Laurin*, l. c., 214, 216 sq., aliique videntur ulterius progredi et pro primis saeculis etiam admittere *hac in re* ius Romanum *toto suo* ambitu ab Ecclesia fuisse vere canonizatum, sed attento perfecto silentio fontium antiqui iuris ecclesiastici ultra terminos in textu assignatos non videtur procedendum.

[33] *Freisen*, 555, illud silentium explicare studet ex iure hebraico — ab Ecclesia recepto — in quo adoptio non reperitur. At primi christiani ex paganismo conversi certe quoad adoptionem potius observarunt ius Romanum quam hebraicum. Cfr. *Moy*, l. c., 84, 210; *Scherer*, 325, not. 26. Praeterea cum adoptiones non soleant esse adeo *frequentes* et primis temporibus videantur fuisse *quandoque* coniunctae cum cognatione spirituali ex officio patrini (cfr. *Zhishman*, 263), istius silentii aliunde sufficiens reddi potest ratio. Quodsi *Freisen*, 556, negat vicissim patrinos *regulariter* suos filios spirituales etiam *adoptasse*, ei omnino consentiendum esse censeo; id enim neque ex natura rei suadetur neque positivis argumentis solide probatur.

[34] Cfr. c. 1, C. XXX, q. 3; *Sánchez*, n. 17; *Laurin*, l. c. 215 sq.; *Scherer*, 322. Quae receptio iuris Romani certe non fuit extensa ad illum casum, quo saltem ex interpretatione iuristarum per adoptionem supervenientem *soluta* fuerunt matrimonia quaedam iam contracta. Cfr. *Laurin*, l. c. 207 sq.

[35] Leges rom. allegatae in cit. c. 1 et 5, apud Grat. = § 1 Inst. de nupt. I, 10; c. 6 eiusd. C. XXX, q. 3. = L. 17, § 2, D. de ritu nupt. XXIII, 2; paulo aliter *Freisen*, 556 sq., historiam huius impedimenti proponit.

l. c., 146, *Petrus Lombardus* in l. IV sent. dist. 42, *Bernardus Papiensis,* qui in Summa de matrimonio, l. c., 298, disertis verbis tenet impedimentum cognationis legalis non tantum esse *impediens* sed *dirimens.* Quam doctrinam quoad triplicem speciem cognationis fusius exponit atque defendit h. t. in Summa Decretalium, 161 sq. Cui doctori generatim consentit *Tancredus,* l. c., 38 sq. Ex Bernardi Papiensis Breviario desumpsit S. Raymundus cap. unic. X, h. t., praeter quod in toto corpore iuris nihil amplius reperitur. In Concilio quoque Tridentino et Constitutionibus Apostolicis per multa saecula de hoc impedimento est altum silentium. Quare potissimum recurrendum erat ad scriptores canonicos, qui cognationis legalis vim et ambitum in foro ecclesiastico accuratius definierunt. Qua in re merito principem locum tenuit *S. Raymundus,* qui in Summa l. c., mox post publicationem compilationis *Gregorii IX* conscripta, vim et ambitum cognationis legalis breviter et accurate circumscribit [36]. Non defuerunt auctores velut *Durantis,* l. c. n. 1, et alii, qui huius impedimenti vim nimis coartarent ad impedimentum mere impediens, dum *Hostiensis,* Summa h. t. n. 12, aliique *toto ambitu iuris Romani* cognationem legalem irritare matrimonia contrahenda existimarent. Sententiam mediam, iam a *S. Raymundo* et *Innocentio IV* iustis limitibus circumscriptam, paulatim non solum maior canonistarum pars, sed etiam praxis et consuetudo ecclesiastica videtur approbasse [37].

Inde ab ultimo saeculo usque ad nostram aetatem *generalia* decreta de hoc impedimento publicata non erant, sed responsis SS. CC. statutisque particularibus aliqua dubia dilucidata et soluta sunt [38]. In Concilio Vaticano Archiepiscopi et Episcopi provinciarum Quebecensis et Halifaxiensis postularunt [39], « *ut tolleretur impedimentum cognationis legalis* ».

189. B) *Ius ante Codicem constitutum de impedimento cognationis legalis.* Iure praecedente non existebat nisi impedimentum *dirimens* cognationis legalis; impedimentum mere *impediens* non existebat.

Ecclesia tanquam impedimentum dirimens matrimonium

---

[36] Cfr. quoque *Tancred.,* l. c., 41; *Goffred. de Trano,* Summa h. t. n. 4, 5; *Scherer,* 325, not. 25, 26.

[37] *Laurin,* l. c., 217 sq.; *Scherer,* l. c. Cfr. praesertim *Bened. XIV,* De Synod. dioec. lib. IX, cap. 10, n. 4, 5, et Synod. Mont. Liban. (a. 1736) (in Collect. Lac. II, col. 163 sq.) a *Benedict.* XIV, a 1741, confirmatam.

[38] S. C. C. in c. Hortana, 25 sept. 1734, in ed. *Richt.* Conc. Tr. 267 n. 107; *Laemmer,* l. c., 363 sq.

[39] *Martin,* Collect. docum. Conc. Vatic., 187.

agnoscebat cognationem legalem ortam ex adoptione ea ratione facta, qua ipsa in iure Romano-Iustinianeo matrimonium irritabat, i. e. sive ipsa *plena* et perfecta esset — *arrogatio* — sive imperfecta et *semiplena* — *simplex adoptio* —, salvis correctionibus seu limitationibus ab ipsa factis quoad *extensionem* impedimenti [40]. Dispositionem iuris Romani in hac re Ecclesia assumebat et canonizabat, et vi huius canonizationis seu receptionis in legem propriam constituebat cognationem legalem ex adoptione romana ortam inter *canonica* matrimonii impedimenta [41].

Postquam autem ius Romanum desiit esse ius commune Europae et singulae nationes proprios codices civiles habere coeperunt, abrogata vi iuris civilis Romani, non ideo mansit abrogatum impedimentum *canonicum* cognationis legalis, sed Ecclesia ex naturali iuridica consequentia perrexit urgere impedimentum in omnibus locis in quibus novi codices civiles agnoscebant adoptionem romanae adoptioni substantialiter conformem, independenter ab hoc quod eaedem leges civiles inde constituerent impedimentum civile pro matrimonio aut secus (cfr. responsum S. Paenit. et S. C. Inq. ac caus. Hortanam in nota praeced. cit.). Quae substantialis conformitas merito censebatur haberi, si adoptio fieri deberet per actum publicum, iuxta statutas formas, certis servatis condicionibus, tum pro adoptante tum pro adoptato, et adoptatus aut transiret sub potestatem adoptantis aut saltem vere haberetur cum ipso respectus parentelae, ita ut inter familiam adoptantis et adoptatum iuridice agnosceretur quod illae

---

[40] Certe de hac re usque ad ultima tempora fervuit controversia iam saeculo decimo tertio agitata (cfr. *Goffred. de Trano,* h. t. n. 4; *Innocent.* IV, h. t.). At sententiam in textu propositam, quod adoptio etiam minus plena fuerit *vera* et *proprie dicta adoptio,* ab *Ecclesia* admissa tanquam impedimentum dirimens, non solum antiqui canonistae ut certam proposuerunt, velut *Goffredus de Trano,* h. t. n. 4; Glossa, in cap. unic. h. t.; *Hostiensis,* h. t. n. 13; *Panormitanus,* h. t. n. 5; *Reiffenstuel,* h. t. n. 10, sed etiam plures recentiores, velut *De Angelis,* h. t. n. 13; *Sebastianelli,* Praelect. iur. can. II, 86 sq.; *Laemmer,* l. c., 363 sq.; *Scherer,* l. c., 323 sq.; *Rosset,* n. 1907; *Wernz,* Ius Decret. IV, n. 472, not. 50; cui sententiae pariter favebat decis. S. C. C. in c. Hortana, 25 sept. 1734, et responsum S. Paenit. 17 maii 1826 — pro Gallia — ac S. C. Inq. 23 febr. 1853 — pro regno Neapol. — Cfr. *Wernz,* l. c.

Ceterum eadem sententia confirmatur ex iis, quae in praecedenti nota (31) disputata sunt de adoptione *minus plena,* vere ex iure Romano producente impedimentum dirimens matrimonii, cum Ecclesia hunc effectum irritandi matrimonium pro suo foro acceperit ex illa adoptione romana, quae cognationem legalem cum tali effectu inducebat.

[41] Cfr. cc. 1, 5, 6, C. XXX, q. 3: cap. unic. X, h. t. cum rubrica; *S. Thom.,* dist. 42, q. 2, art. 2 ad 4; *Sánchez,* libr. VII, disp. 63, n. 17; *Schmalzgr.,* h. t. n. 13 sq.; 23; *Laurin,* l. c., 211.

personae inter se loco parentum, filiorum, fratrum haberentur[42]. Exclusa proinde manebat adoptio per conventionem privatam inita, aut solis populi moribus introducta[43].

Oriebatur autem ex adoptione triplex cognatio legalis iam commemorata matrimonium irritans: 1°) *paternitas legalis* inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes, qui adoptionis tempore sub paterna potestate adoptati essent constituti — cognatio legalis *in linea recta;* 2°) *fraternitas legalis* inter adoptatum et filios legitimos adoptantis *tamdiu* durans *quamdiu* iidem sub patria potestate mansissent et *neuter* esset emancipatus —cognatio legalis *in linea transversa* —; 3°) *affinitas legalis* inter adoptantem et uxorem adoptati et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis. Ergo impedimentum erat *perpetuum*, perdurans etiam soluta adoptione, in iis inter quos existeret *paternitas* vel *affinitas legalis;* erat *temporaneum* in iis inter quos *fraternitas legalis* extaret, quod soluta adoptione cessabat. Porro adoptio cessabat tum per emancipationem personae adoptatae vel filii aut filiae adoptantis, tum per adoptantis mortem.

Iure ergo immediate praecedente existentia impedimenti *canonici* non pendebat ab existentia impedimenti *civilis*, sed ab existentia iuridica instituti *adoptionis*, quae cum adoptione iuris Romani substantialiter conveniret; qua de re facile exoriebantur dubia, quae tamen pro pluribus regionibus a Sede Apostolica iam fuerant soluta.

Disciplina vigens ex iure Codicis

190. *Gravissima immutatio* per Codicem facta est, ut apparet ex canonibus initio allegatis. Loco canonizandi antiquas leges romanas, ubique fere abrogatas, modernas leges civiles in hac parte facit suas seu canonizat, quo certa norma statuitur quae moribus et institutis patriis sit conformis. Cum autem hae leges variae sint, cognatio legalis constituit impedimentum *canonicum* matrimonii vel *impediens* vel *dirimens* vel nullum, prout tale impedimentum in respectiva *lege civili* sit *impediens* vel

[42] Licet necessarium non esset ut lex civilis retinens adoptionem legalem minus plenam, etiam decerneret impedimentum, quemadmodum immerito tenuit *Rosset*, n. 1908, facile tamen huic scriptori concedi potuit quod ex impedimento cognationis civilis, in foro saeculari stabilito non levis desumi poterat praesumptio *veram*, non *impropriam*, *adoptionem* in codice civili alicuius nationis fuisse conservatam.

[43] Cfr. responsum S. C. Inq., 15 april 1761, pro Bulgaria apud Collect. S. C. de P. F. I, n. 442.

dirimens aut nullum impedimentum existat, v. gr. quia institutum cognationis civilis ex adoptione non agnoscitur.

Nec solum quoad *existentiam* impedimentum *canonicum* dependet ab impedimento civili, sed etiam quoad *ambitum* et quoad *durationem*: quin immo, mutato vel ablato ex legitima auctoritate illo iure civili, etiam impedimentum canonicum, quod fundatur in illo iure civili, mutatur aut aufertur.

At impedimentum *canonicum formaliter* provenit ex sola lege ecclesiastica, lege civili elementum quodammodo *materiale* suppeditante; nam legislatori civili nulla competit potestas ad matrimonium baptizatorum irritandum vel prohibendum, licet ea non desit quoad subditos infideles, pro quibus cognatio legalis ex vi legis civilis erit impedimentum.

Iam vero ex tali modo statuendi impedimentum canonicum sequitur in iure Codicis tot esse constituta iura *particularia* — ius tamen particulare *pontificium* — quot sunt nationes in quibus est admissum institutum iuridicum adoptionis, quo iure particulari impedimentum *impediens* vel *dirimens* constituitur, prout fuerit constitutum a legislatore civili, praesupposito quod adoptio ad normam eiusdem legis civilis fuerit *legitime* facta ideoque *valida*.

191. *Ambitus* et *qualitas* impedimenti desumendae ergo sunt ex unaquaque legislatione, et sub hoc respectu distingui possunt: *a*) nationes in quibus non extat institutum iuridicum adoptionis; *b*) nationes in quibus ex adoptione oritur cognatio legalis quae mere *impedit* seu *prohibet* matrimonium; *c*) nationes in quibus matrimonium ex cognatione legali *irritatur*[44].

I. *Non agnoscitur adoptio aut non inducit impedimentum cognationis legalis*: 1°) In *Hollandia*[45] — 2°) In *Lusitania, Dania, Suecia, Norvegia, Anglia* et in genere etiam in eius coloniis (inclusa dicione Canadensi, Australia, India, Transvaal etc.)[46] — 3°) In *Servia* et *Bulgaria*[47] — 4°) In republica *Aequatoris, Argentina, Costaricensi, Chilensi* (ut videtur), *Mexicana*, de *Nicaragua*, *S. Salvatoris*, de *Uruguay*[48].

[44] In codicibus civilibus, in quibus expresse admittitur institutum adoptionis, etiam ius constituitur: 1) de *habilitate* personarum *adoptantium* et *adoptatarum;* 2) de *forma* legitima et *effectibus* adoptionis.

[45] *Chelodi*, n. 57; *De Smet*, n. 499; *Van de Burgt-Schaepman*, Tract. de matr. n. 167; *Cappello*, I, n. 324; *Vlaming*, I, n. 206.

[46] *Leske u. Loewenfeld*, Das Eherecht der europäischen Staaten u. ihrer Kolonien (a. 1904); *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c.

[47] *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c. ubi etiam comprehendit *Montenegro*, de quo dubitat Chelodi.

[48] *Cappello*, l. c.; *Ferreres*, « Derecho sacramental », n. 643.

5°) In *Austria* ubi habetur institutum adoptionis (§ 179-183), nulla inde derivatur sequela pro matrimonio ideoque impedimentum non existit [49].

II. In *Gallia* (art. 343-360) si modernos interpretes audias, cognatio legalis complectens paternitatem, fraternitatem et affinitatem dumtaxat habetur ut impedimentum *prohibens*, cum antea consideraretur ut dirimens [50]. Adoptio fit per actum iudicialem; adoptare potest quaelibet persona, 50 annos nata, filiis vel legitimis descendentibus carens, 15 annis maior adoptato, si coniugata de consensu coniugis; adoptatus debet esse maior et si nondum 25 annos explevit, habere consensum suorum parentum. Adoptione hoc modo legitime facta, aderit impedimentum canonicum *impediens*. Cum nihil dicatur de cessatione aut dispensatione, intelligendum est impedimentum perpetuum.

Cum *Belgium, Luxemburgum* et *Romania* utantur iure gallico, idem impedimentum *impediens* videtur admittendum. Et certe quoad *Belgium* in art. 348 plerique auctores moderni non agnoscunt in impedimento nisi *vim prohibitivam*, praesertim quia ille articulus non recensetur in cap. IV, Tit. V, ubi enumerantur capita nullitatis. Triplex autem admittitur species cognationis legalis [51].

In *Hungaria* (Lex de matrimonio XXXI, a. 1894, § 18) pariter est impedimentum *impediens*, quod tamen cessat soluta adoptione, quae libere solvi potest [52].

In *Germania*, iuxta Codicem a. 1900 (cfr. §§ 1741-1742 et 1311) adoptio inducit civile impedimentum *mere impediens* tantum inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes, quousque durat adoptio. Porro adoptio fit per contractum a iudice confirmatum; adoptans debet filiis propriis carere, 50 annos natus et 18 annis senior adoptato esse, ac si coniugatus consensum compartis habere [53].

In *Helvetia* est impedimentum *impediens* iisdem fere con-

---

[49] *Laurin*, l. c., 240 sq., 257 sq.; *Scherer*, l. c., 328, not. 39; *De Smet*, n. 499; *Cappello*, I, n. 324; *Chelodi*, n. 57. Cfr. tamen Instr. Austriac. § 29.

[50] Cfr. *Allègre* ad art. 348; *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c. Citatum responsum S. Paenitentiariae pro Gallia pertinet ad a. 1826, quo tempore interpretes codicis civilis propendebant in impedimentum dirimens. Cfr. de tempore anteriore *Schulte*, Eher., 526 sq.

[51] Cfr. *De Smet*, n. 494 sq. ubi allegantur plures doctores.

[52] *Cappello*, l. c.; *Chelodi*, l. c.

[53] Cfr. *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c.; *De Smet*, l. c.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. ad §§ 1311, 1741, 1762, 1763, 1767, 1771; *Hollweck*, D. Civileher., 104 sq. ubi not. 3 laxitatem cod. civ. Germaniae severe reprehendit.

dicionibus ac in Germania, nisi quod impedimentum existit inter adoptantem et adoptatum necnon inter adoptantem vel adoptatum et uxorem alterius — *paternitas* et *affinitas legalis* — et quod adoptans debeat habere 40 annos [54].

In republica de *Venezuela* non eruitur ex art. 73 Cod. civ. nisi impedimentum *impediens*, si ille artic. conferatur cum 69-71. Triplex autem adest cognatio legalis, sc. paternitas, fraternitas, affinitas. Impedimentum autem est temporaneum [55].

III. *Adest impedimentum dirimens*:

1°) In *Hispania*: *a*) inter adoptantem et adoptatum atque inter alterutrum et alterius coniugem viduum; *b*) inter descendentes legitimos adoptantis et adoptatum, durante adoptione (art. 84).

2°) In *Bolivia*: inter adoptantem et adoptatum huiusque descendentes; inter filios adoptivos eiusdem adoptantis; inter adoptatum et alios filios quos postea habuerit adoptans; inter adoptatum et coniugem adoptantis et vicissim inter adoptantem et coniugem adoptati (Cod. civ. a. 108).

3°) In *Brasilia* (Cod. civ. a. 183) inter adoptatum et adoptantem eiusque coniugem aut filium supervenientem.

4°) In *Columbia* (art. 140, 11°) et in *Guatimala* (art. 12, 5°) inter adoptatum et adoptantem huiusve *viduam*.

5°) In *Peruvia* (art. 143) inter adoptatum et adoptantem et inter utrumque et coniugem viduum alterius [56].

6°) In *Italia* inter eosdem, qui supra dicti sunt, de Bolivia [57].

7°) In *Polonia* vigebat hucusque lex 16-28 martii 1836, quae agnoscebat pro catholicis ius matrimoniale canonicum, sed formaliter erat *civilis*, ubi pariter cognatio legalis habebatur impedimentum dirimens iuxta ambitum iuris canonici (art. 35); at quoad protestantes solum inter adoptantem et adoptatum (art. 183). Pariter pro his in *Russia*, sed tantum durante adoptione [58].

---

[54] *Cappello*, l. c.; *Chelodi*, l. c.

[55] *Cappello*, l. c.; *Ferreres*, l. c., n. 642.

[56] Cfr. de Hispania et de regionibus Americae latinae *Cappello*, I, n. 570 et praesertim *Ferreres*, l. c. 638 sq., qui scite notat quod ubi datur duplex legislatio matrimonialis, velut in Hispania, una *pro matrimonio canonico* — pertinentium ad Eccl. cathol. — pro quo mere admittitur et firmatur legislatio canonica, altera *pro matrimonio civili* — aliorum — canones 1059 et 1080 intelligendi sint de lege regulante matrimonium civile, secus dispositio illorum canonum aptum sensum non haberet.

[57] *Cerato*, Matrim. n. 75; *Cappello*, I, n. 570; *Chelodi*, n. 170.

[58] *Leske-Loewenfeld*, l. c., 769 et 813; *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c.

8°) In principatu *Monacensi* Codicis art. 130 expresse ponit cognationem legalem esse impedimentum *dirimens;* quae cognatio intercedit: *a)* inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes; *b)* inter filios adoptivos eiusdem adoptantis; *c)* inter adoptatum et filios quos postea habuerit adoptans; *d)* inter adoptatum et coniugem adoptantis et vicissim inter adoptantem et coniugem adoptati [59].

9°) De *Graecia* traditur dari impedimentum dirimens ad terminos iuris Romani, quamvis res valde incerta dicatur [60].

192. Scholion. Condiciones requisitae ad validam adoptionem ex parte publicae auctoritatis, sive ratione formae aut ex speciali condicione personarum, sunt quaerendae in respectivis codicibus civilibus.

Existente dubio utrum in determinato codice civili existat impedimentum cognationis legalis, practice pro iis qui illi codici subiciuntur tenendum est impedimentum non existere. Quodsi dubitetur an impedimentum revera existens sit *dirimens* aut mere *impediens,* attento c. 15 mitius iudicandum pro impedimento canonico mere impediente [61].

193. Ratio iuridica seu convenientia impedimenti. Si attendatur ius praecedens, principalis ratio legis ecclesiasticae fuit effectus ille primarius adoptionis perfectae, vi cuius *filius adoptatus* transibat in *potestatem* et familiam patris adoptivi, ita ut inde proveniret *cognatio quaedam legalis,* qua huiusmodi filii adoptati veris filiis iuridice aequipararentur. Quae coniunctio in imitationem naturae statuta producit *reverentiam* et *amicitiam* similem illi, quae oritur ex cognatione naturali. Porro etiam in adoptione minus plena illa reverentia et amicitia — *respectus parentelae* — locum habebat, si iuridice agnoscebatur paternitas vel fraternitas vel affinitas. Iam vero cum illi reverentiae et familiaritati pro singulari sua natura *maritalis* coniunctio repugnet, ut reverentia in sua puritate conservaretur et amicitia ad alias familias extraneas dilataretur, sapienter Ecclesia inter personas *legali cognatione* coniunctas matrimonium interdixit. Cui rationi ex *primario* iuris effectu per adoptionem producto accedit illa ex facto communi conexae *cohabitationis.* Nam cum per iuris fictionem ex adoptione orta esset relatio patris et libe-

---

[59] *Leske-Loewenfeld,* l. c., 117-198; *Chelodi,* l. c.; *Cappello,* l. c.

[60] *Leske-Loewenfeld,* l. c., 851.

[61] In tali dubio *de iure civili* etiam impedimentum *canonicum* quatenus *irritans* est dubium dubio *iuris,* cum lex canonica ipsum impedimentum iuris civilis assumat pro foro ecclesiastico. Cfr. *Cappello,* I, n. 324, V; *De Smet,* n. 495.

rorum, novae huius societatis per cohabitationem in eadem domo factum est initium. Quae intimior familiaritas ut pura et sancta servaretur, a spe futurarum nuptiarum fuit excludenda [62].

Quae rationes iuris praecedentis etiam iure Codicis suum retinent valorem; nam ubi lex civilis agnoscit cognationem legalem cum vi prohibendi vel irritandi matrimonium inter personas legaliter coniunctas, etiam ibi illae personae iuridice sunt loco parentum, filiorum, fratrum; ubi non agnoscitur, ille respectus non habetur; ubi agnoscitur sine illa vi plerumque adoptio non habet nisi respectum oeconomicum. Insuper ita obtinetur conformitas inter ius canonicum et civile, maxime conveniens in re quae dependet ex instituto iuris civilis quaeque generali modo in hac materia est maxime optanda [63].

---

[62] *Sánchez,* l. c. lib. VII, disp. 63, n. 16 et *S. Thom.,* in IV, D. 42, q. 2, a. 2.

[63] Utilis est comparatio iuris civilis hodierni cum iure Romano. — Ex iure *Romano* ad adoptionem requirebatur ut *adoptans* esset: I. *Sui iuris* et maior 25 annis (§ 4, Inst. h. t.), — II. *Masculus,* sed ex *speciali* principis concessione etiam *femina* potuit adoptare (§ 10, Inst. h. t.; L. 5, Cod. h. t.). — III. *Non castratus* (§ 9, Inst. h. t.). — IV. *Plena pubertate,* i. e. 18 annis, adoptando maior (§ 4, Inst. h. t.; L. 40; § 1, D. h. t.). — V. Non minor 60 annis, nisi iustae causae accederent (L. 15, § 2, D. h. t.). Cfr. *Schmalzgr.,* h. t. n. 7 sq.; *Arndts-Serafini,* l. c. §§ 422, 423.

Monachi vel regulares ex natura professionis religiosae et legitima interpretatione iuris Romani facultate adoptandi privati sunt. Cfr. *Laurin,* l. c., 195, 248; *Scherer,* 322, not. 7. Quae facultas saecularibus clericis etiam maiorum ordinum neque ex legibus romanis neque ex iure canonico expresse est negata. Cfr. *Sánchez,* l. c., n. 3; *Laurin,* l. c., 243. Quodsi Ioannes VIII (a. 878) principem Bosonem atque Callixtus III (a. 1455-1458) suos nepotes ex familia Lanzol (cfr. *Pastor,* « Storia dei Papi » I, 569 sq. de nepotismo Callixti III) traduntur adoptasse, rara et singularia illa exempla non probant talem praxim clericis saecularibus esse *convenientem* aut disciplinae ecclesiasticae *nunc* vigenti conformem, praesertim si quis attendat moderationem usitatam vel in ipso officio patrini per clericos saeculares suscipiendo.

Quare si ex rigidiore interpretatione iuris civilis austriaci aliisque codicibus civilibus adoptio clericis saecularibus ritus latini *prohibeatur* (cfr. *Scherer,* l. c.; *Laurin,* l. c., 248) vel secundum iurisprudentiam tribunalis cassationis in Gallia sit *permissa,* Ecclesia severiores leges civiles non reprehendit atque sapienti consilio nequaquam militat pro iure adoptandi clericorum saecularium, quo iidem facile curis saecularibus atque nimio affectu in suos consanguineos implicantur. Cfr. *Allègre,* l. c. ad art. 345.

Ipse *adoptatus* secundum leges romanas: I. In *arrogatione* debuit esse sui iuris (L. 1, § 1, D. h. t.) sive masculus sive femina; postea *impuberes* quoque per principis rescriptum poterant arrogari (§ 3, Inst. h. t.). — II. Filius *illegitimus* adoptantis, qui potest *legitimari,* non potuit adoptari (L. 7, C. de naturalibus lib. V, 27) neque is, qui semel iam fuerat

194. Scholion I. In Ecclesia Orientali catholica saltem maronitae (cfr. Synod. Montis Libani a. 1736, l. c.) et rumaeni (cfr. Concil. provinc. Alba-Iul. a. 1872, p. 96 sq.) et syri (cfr. Synod. Sciarf. a. 1888, p. 180) in admittendo impedimento cognationis legalis etiam quoad extensionem in certas personas cum praecedente iure Ecclesiae latinae practice consentiebant [64]. Cfr. *Papp-Szilagyi*, l. c. § 112 sq.; *Mansella*, l. c., 48; *Laurin*, l. c., 239. Quod ius orientalium per Codicem non fuit immutatum. Schismatici orientales pariter retinent impedimentum cognationis legalis ex arrogatione et plena adoptione, sed quoad extensionem sequuntur civile ius byzantinum. Cfr. *Zhishman*, l. c., 254 sq.

195. Scholion II. Hoc ipso quod impedimentum cognationis legalis, totum quantum, sit impedimentum canonicum, *infideles* non afficit *directe*, sed tantum indirecte ratione partis *fidelis* legibus Ecclesiae obnoxiae. Quodsi lex civilis, cui infideles obnoxii sunt impedimentum contineat, profecto illo impedimento ligantur. Post receptum baptisma etiam tenentur impedimento canonico, dummodo adoptio adhuc perseveret, ad normam ceterorum fidelium [65].

196. Cessatio impedimenti cognationis legalis. Impedimentum cognationis legalis, cum sit iuris mere ecclesiastici imprimis cessat *dispensatione*, quae dispensatio est reservata S. Sedi; nam

---

adoptatus et postea emancipatus, secunda vice potuit arrogari (L. 37, § 1, D. h. t.). Cfr. *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 421, 423, 424.

Denique quoad *formam* requirebatur: I. *Interventio* auctoritatis publicae sive per rescriptum principis sive per cognitionem *iudicis* competentis (§§ 1, 3, 8, Inst. h. t.; L. 2, 3, 4, 38, D. h. t.; L. 11, C. h. t.). — II. *Consensus* arrogati vel saltem nulla contradictio *adoptati* (L. 5, 42, D. h. t.; D. 11. C. h. t.). — III. *Praesentia* adoptati, cum adoptio nec per procuratorem nec sub condicione nec ad tempus fieri potuerit (L. 24, 25, 34, D. h. t.). Cfr. *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 423, 424, 438; *Schmalzgr.*, h. t. n. 8 sq.; *Laurin*, l. c., 246; *Scherer*, l. c., 324; S. C. C., 2 iul. 1678, declaravit adoptionem coram notario declaratam non inducere impedimentum; S. C. de Prop. Fid. 14 ian. 1802; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 180: « *Exigitur autem quod adoptio sit perfecta, ut matrimonium dirimat. Perfecta autem adoptio in iure canonico est illa, quae contrahitur Principis rescripto* vel *eius licentia* » (unice?).

[64] *Rutheni* quoque et italo-graeci eandem videntur sequi disciplinam, licet Benedict. XIV in Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, pro italo-graecis cognationis legalis expressam mentionem non faciat. Cfr. Collect. Lac. II, col. 43, 163 sq.; *Laurin*, l. c., 244. Cfr. quoque decisionem S. R. Rotae in causa adoptionis, 10 iunii 1911, in AAS. III, 438 sq.

[65] Cfr. *Cappello*, I, n. 328; *De Smet*, n. 498, nota 3, ubi solvit difficultatem inde petitam quod cognatio legalis sit vinculum iuridicum, non naturale.

licet ex modo quo iure Codicis inductum est impedimentum, tot videntur esse iura *particularia* constituta, quot regiones quae peculiari iure civili reguntur, illud tamen ius particulare est ius *pontificium*, cuius dispensatio etiam ex natura rei est reservata R. Pontifici.

Atque in iure praecedente R. Pontifex in *linea recta* non nisi aegre, sed super *affinitate legali* saltem ex gravi causa facilius dispensabat; in linea vero *transversa* rarior erat casus petendi dispensationem, cum fraternitas legalis cessaret soluta adoptione, v. gr. per emancipationem [66].

Nunc autem cum singula iura civilia assumpta sint pro foro Ecclesiae, attendenda est in danda dispensatione difficultas quae oriri potest ex conflictu cum iure civili, si v. gr. in hoc habetur impedimentum ut indispensabile, quo tamen non obstante, requirente id bono animarum, Ecclesia non impeditur a dispensatione impedimenti, quod pro baptizatis unice dependet ab Ecclesia. Quare vicissim dispensatio *civilis*, data ab auctoritate, in negotiis canonicis et praesertim in re sacramentali omnino incompetente, pro foro ecclesiastico nullum sortitur effectum, licet ex ratione allegata faciliorem reddit dispensationem Ecclesiae.

Quoad *cessationem* independentem a dispensatione, nunc res pendet a respectivo iure civili. Si iure civili impedimentum est perpetuum, etiam soluta legitime adoptione perseverat quoque impedimentum canonicum; si autem impedimentum existit *durante* tantum *adoptione*, quocumque modo legitime ad tramites eiusdem iuris civilis solvatur adoptio, cum ipsa pariter cessat impedimentum canonicum.

197. Scholion I. *Superveniens* cognatio legalis, quamvis sponsalia iam contracta ipso iure dirimat, nec matrimonium ratum solvit, quod privilegium soli professioni religiosae sollemni est concessum, nec matrimonii usum impedit. Quare qui nupsit puellae et postea eius patrem adoptet in filium, nullam inde iacturam patitur quoad exercitium iurium coniugalium [67].

198. Scholion II. Adoptio omnino distinguenda est ab *alumnatu* et ab *unione prolis*: per *alumnatum* quis puerum vel puellam sub propria cura suscipit ad eum nutriendum et educandum; per *unionem prolium* — germanice *Einkindschaft* — con-

---

[66] Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 641; *De Becker*, 205.

[67] *Sánchez*, l. c. n. 19; *Schmalzgr.*, h. t. n. 25; *Feije*, n. 430; *Laurin*, l. c., 236; *Scherer*, l. c., 322 seq., not. 11; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 625; *Cappello*, I, n. 324.

venitur inter partes nupturientes quod proles ex praecedentibus nuptiis — unius vel utriusque — suscepta, eadem prorsus iura in successione habebit ac proles nascitura ex novis nuptiis. Ex utraque nullum nascitur impedimentum; unde etiam apparet ad agnoscendam veram adoptionem non nimis esse insistendum in cohabitatione sub eodem tecto [68].

Si nonnullae legislationes civiles [69] *prohibent* matrimonium inter *tutorem* vel curatorem eiusque *descendentes* et *pupillam*, nisi servatis certis condicionibus in iure civili praescriptis, tale impedimentum matrimonii a iure canonico est prorsus alienum [70], quamvis Ecclesia non obstat quominus potestas civilis, exclusis semper impedimentis dirimentibus vel prohibentibus matrimonii, de rebus temporalibus pupillorum atque de effectibus mere civilibus matrimonii aequas sapientesque condat leges.

---

[68] *De Becker*, 206; *Cappello*, l. c.

[69] Cfr. cit. leg. Hungar. § 19, cod. civ. Hisp. art. 45, 50, Gall. art. 366 sq.; *Scherer*, l. c., 328, n. 4; *Hollweck*, l. c., 105 sq.

[70] Si *Hollweck*, l. c., 106, tenet huiusmodi impedimentum prohibens matrimonii a Statu condi posse, quamdiu pro pupillo duret periculum damnorum, addita etiam illa ratione quod ex communi (?) opinione *vetita illa civilia matrimonii* per modum impedimentorum prohibentium sint permissa, si solummodo condantur ad ordinandas res temporales, talis communis opinio revera non existit, nec utilitas quaedam temporalis tribuit *Statui* potestatem *competentem* ad *directam* prohibitionem celebrationis *sacramenti*. Cfr. *Biederlack*, Act. theolog. Oenip. (a. 1893) 645 sq.

CAPUT V

De matrimonio cum indignis ratione peccati aut censurae

199. **Fontes:** Conc. Trident. sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr. — Rituale Rom. De sacr. matr. Decis. et resp. SS. CC. in Collect. S. C. de P. F. nn. 1520-1534. — Conc. partic., v. gr. Prov. II S. Ludovici a. 1858, c. 9; Conc. plenar. Baltim. II, 329 et 330. — Statuta dioecesana.

Scriptores: *Sánchez*, l. VII, disp. 9; *Benedictus XIV*, De Syn. dioec. VIII, 14; *Gasparri*, I, n. 526 sq.; *Van de Burgt*, 297 sq.; *De Becker*, 250 sq.; *Vlaming*, I, n. 243 sq.; *De Smet*, n. 194 sq.; *Cappello*, I, n. 330 sq.; *Chelodi*, n. 65 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 538 sq.

200. Notum est sacramentum matrimonii, cum sit sacramentum vivorum, requirere statum gratiae in nupturientibus, ideoque eum, qui in statu peccati mortalis versatur, iure divino a matrimonio arceri. Repulsio a sacramentis propter *peccatum occultum* est negotium fori interni; at si *publicum* est, de eo etiam *in foro externo* habenda est ratio, ac multo magis cum agitur de sacramento *matrimonii*, in quo *indignitas* facile potest esse coniuncta cum periculo sive pro filiis sive etiam pro altero coniuge. Nihil igitur mirum quod de *indignis* habeantur speciales *leges canonicae*; quamvis ipsa indignitas non consideretur ut specificum impedimentum prohibens; nam in enumerandis impedimentis Ecclesia directe respexit matrimonium in se, non praecise sub respectu sacramenti, deinde vero indignitas dispensatione auferri non potest et aliunde matrimonium cum indignis nonnunquam ab Ecclesia ex gravibus causis permitti debet [1].

Codex sua lege cc. 1065 et 1066 quatuor casus contemplatur: 1° eorum qui catholicam fidem abiecerunt: 2° eorum qui societati ab Ecclesia damnatae sunt adscripti; 3° casum publici peccatoris; 4° casum censura notorie innodati.

201. I. C. 1065. § 1. « *Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis, qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt.*

---

[1] Cfr. *De Becker* et *Van de Burgt*, l. c. in font. qui indignitatem reponebant inter vera impedimenta ante Codicem.

§ 2. *Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis* ».

Evidens est matrimonium cum tali persona saepe non minus periculosum, interdum etiam periculosius esse quam matrimonium vere mixtum cum haeretico aut schismatico, cum haud raro haeretici, praesertim tales nati, sicut nolunt ab aliis in sua religione turbari, ita religiosam professionem alterius partis facilius reverentur quam apostatae aut damnatae sectae adscripti.

Apostatae autem hic intelliguntur, ad normam c. 1325 § 2, illi qui fidem catholicam totaliter abiecerunt, aliquo actu notorio quo professi sunt se catholicos iam non esse aut nolle ut tales reputari, quin tamen sectae haereticae vel schismaticae nomen dederint; nam si formaliter ad sectam acatholicam transierint, cum illis adest impedimentum *mixtae religionis;* si autem solummodo practice et habitualiter fidem catholicam non profitentur accensendi sunt *publicis peccatoribus* potius quam apostatis.

Societates damnatae in genere sunt eae, quae publice aut secreto ad potestatem ecclesiasticam aut civilem evertendam coniurant, velut secta massonica etc. Cfr. c. 2335.

Palam est non solum huiusmodi homines arceri a sacramento matrimonii ut indignos, sed etiam alteri parti iure divino matrimonium cum ipsis saepe prohiberi, i. e. in quantum ex tali matrimonio oriatur periculum perversionis pro parte catholica aut pravae educationis pro nascitura prole. Quam prohibitionem per modum impedimenti Ecclesia non sancit, sed iubet ut fideles a tali matrimonio absterreantur; quae obligatio avertendi ab huiusmodi matrimoniis est obligatio *caritatis* pro omnibus, gravius urgens parochos. Abiectio fidei non constituit abicientem ut adscriptum determinatae religioni falsae.

Ex praescripto § 2 apparet, servata proportione, eodem modo iudicari de tali matrimonio ac de matrimonio mixto, ac certe ius divinum eodem modo urget in utroque; ius vero ecclesiasticum in praesenti casu minore rigore procedit, cum sine necessitate petendae dispensationis possit Ordinarius concedere ut parochus, qui rem ad ipsum deferre debet, tali matrimonio assistat, si in tuto posita sit catholica educatio prolis, periculum perversionis partis catholicae absit ac praeterea existat gravis causa, v. gr. infamia vitanda aut scandalum removendum. Sed cautiones,

quae requiruntur in matrimoniis mixtis, non determinate praescribuntur, universo negotio relicto prudentiae Ordinarii, qui observare tenetur etiam in hoc casu quae ex iure divino exiguntur pro matrimoniis mixtis.

Quae praescripta conformia sunt responsis a S. Off. pluries datis (cfr. 21 aug. 1861; 30 ian. 1867; 25 maii 1897 in citata Coll. et in ASS. XXX, 628). Maior rigor, quo in pluribus decretis excludebatur missae celebratio, in Codice non fuit insertus. Cfr. responsa Sacr. Paenit., 10 dec. 1860 (in ASS. I, 566) et S. C. de P. F. ad Ordinarios Brasiliae, 5 iulii 1878, apud *Feije*, n. 277.

202. II. C. 1066. « *Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium* ».

Cum sacramenti matrimonii ministri sint ipsi contrahentes, uterque cavere debet ne aut *indigne suscipiat,* aut *indigne ministret,* aut *conferat indigno.* Quare sacrilega est *susceptio* in gravi peccato; at indigne *ministrans,* quoniam non ministrat *ex officio,* et minister est quasi *per consequens,* a letali culpa excusatur; demum quod ministret *indigno* in cooperationem recidit, quam sola caritas vetat; cumque caritas non obliget adstante incommodo gravi, sine quo vix aut ne vix quidem quis abstinet a nuptiis, verum aliquod motivum coniugii ineundi partem dignam a cooperatione cum parte indigna plerumque excusabit [2].

Aliunde ut acquiratur dignitas ab eo, qui est in gravi peccato, non requiritur pro sacramento matrimonii sacramentalis confessio, sed per se sufficit perfecta contritio. Unde Codex c. 1033 confessionem non praecipit, sed iubet parochum sponsos vehementer hortari ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant [3]; qui modus hortativus adhibitus quoque fuit a Conc. Tridentino, Sess. XXIV, cap. 1, et a Rituali Romano, De sacr. matr. n. 14. Cfr. *De Smet,* n. 192.

Parochus autem non solum ex caritate sed etiam ex officio tenetur impedire sacrilegam sacramenti receptionem. Quodsi peccator est occultus aut occulta censura innodatus, privatim

---

[2] *D'Annibale,* III, 462; *Lugo,* De sacram. in gen. disp. 8, n. 220 sq., 224; *Cappello,* De sacram. in genere, I, n. 59 sq.

[3] Omnibus fidelibus indiscriminatim non potest iure particulari imponi vera obligatio praemittendi confessionem. Cfr. S. C. C., 22 aug. 1852, in *Analect. Iur. Pont.,* I, 704 sq.; *Bangen,* Instr. pract. II, 233 sq.; *De Becker,* 252; *De Smet,* n. 153.

quidem debet moneri de sua obligatione, nisi secundum regulas traditas in theologia morali potius expediat abstinere a monitione, ubi fructus non speratur, matrimonio autem parochus potest et debet assistere [4]. Peccator vero publicus, nisi ad confessionem accedat, pro foro externo non habetur cum Ecclesia reconciliatus; si accedat ad confessionem, tametsi ficte et invalide agat, iam pro foro externo nequit haberi ut publicus peccator et inde quoad externam celebrationem matrimonii soluta est difficultas, nec est cur parochus non possit atque adeo debeat eius matrimonio assistere. Quodsi confiteri renuat, admissio ad matrimonium religiosum secum fert scandalum, quod sine gravi causa permitti non potest; huius autem rei iudicium pertinet ad Ordinarium, quem parochus consulere debet nisi gravis urgeat causa. Ex natura autem rei minor causa sufficit, si unus dumtaxat sponsus sit publicus peccator, quia existente gravi causa ad nuptias, sponsus dignus non debet notabile incommodum subire ob pravam voluntatem sponsi indigni.

Quodsi agatur de eo qui censura *notorie* est innodatus, is eodem modo tractandus est ac publicus peccator, si agatur de censura quae sacramentorum susceptionem impedit, qualis est excommunicatio et interdictum personale; nam qui tali censura notorie innodatus est ad sacramenta sine scandalo admitti non potest, dum non constat per absolutionem a censura fuisse eum cum Ecclesia reconciliatum. Quae reconciliatio praesumenda est, quando censuratus accessit ad tribunal paenitentiae, praesertim cum ex c. 2251 absolutio censurae in foro interno possit admitti etiam in foro externo. Semper autem ad scandalum removendum requiritur ut factum reconciliationis constet aut per actum publice positum aut per eius divulgationem. Quodsi censura innodatus recuset illam reconciliationem cum Ecclesia, applicandum erit quod dictum est de publicis peccatoribus; semper tamen requiritur ad permittendam assistentiam parochi multo gravior causa, si agatur de excommunicatis *vitandis* aut de excommunicatis vel interdictis per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [5].

203. Causa autem *gravis* ad permittendum matrimonium cum praedictis non resipiscentibus ideoque ad legitimandam parochi assistentiam haberi ex una parte potest *notabile damnum*, quod secus sive parti innocenti sive parocho immineret, ex alia parte *scandalum* ipsa matrimonii celebratione gravius, quod

---

[4] *Ferreres*, Theol. mor. II, 931; *Cappello*, l. c.; *De Smet*, l. c.
[5] *Feije*, n. 277; *Gasparri*, I, n. 530 sq.; *De Smet*, l. c.; *Cappello*, l. c.

ex recusata assistentia certo aut verisimiliter sequeretur. Quare si parti innocenti admodum durum esset matrimonio valedicere, aut parocho recusanti graves molestiae imminerent, aut timendum esset matrimonium mere civile vel concubinatus scandalosus, in casibus ordinariis huiusmodi circumstantiae sufficientem praeberent causam [6].

Cum de clausula « exclusis sacris ritibus » aut « exclusa semper Missae celebratione », quam nonnulla S. Sedis responsa, ante Codicem data, prae se ferebant, praesertim quoad coniugia franco-muratorum, Codex sileat, donec S. Sedes eadem responsa non iteret, sacri ritus atque adeo Missae celebratio ab hoc genere casuum, in quibus maxima varietas dari potest, non videnter *absolute* esse exclusa [7].

CAPUT VI

De impedimento dirimente aetatis

204. **Fontes:** C. XXX, q. 2, (c. unic.); c. 2, C. XXXI, q. 2; c. 2, C. XXVII, q. 2. [1] — *Cpl.* I, lib. IV, tit. 2; de desp. imp.; *cpl.* II et III eod. — Decretales Greg. IX, l. IV, t. 2; Decretales Bonif. VIII eod. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. I, pr. de ref. matr. — Bened. XIV, Const. *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743, § 10, Const., *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758, Const. *Magnae nobis*, 29 iun. 1748. — S. C. C. in can. Bisuntin. 14 iun. 1691, in caus. Vilnen. 21 iun. 1732, in ed. *Richt.* C. Tr., 256 sq.; S. C. Inq. 20 ian. 1880, 10 dec. 1885, 6 aug. 1886, et S. C. de Prop. Fid. 25 ian. 1886, S. C. Inq. 28 iun. 1865, 17 apr. 1889; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1212 sq., 1379 sq.; Instr. Card. Rauscher §§ 17, 72. De sponsalib. impub. et infant. consuli quoque possunt: Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 33, 34; Instr. S. C. de Prop. F. 1883, n. 35, in ASS., XVIII, 355 sq., 378, vel in cit. Collect. n. 1572 sq.; S. C. Inq. 18 mart. 1903, in ASS., XXXVI, 116 sq.

---

[6] Cfr. *S. Alphonsum*, L. VI, n. 54 iunct. S. Paenit., 10 dec. 1860, in Collect. n. 1528; *Benedictus XIV*, De Syn. dioec. l. VIII, c. 14, n. 5, iunct. S. Offic., 30 ian. 1867; *Vlaming*, I, n. 249.
[7] Cfr. responsum S. Offic. datum Vicario Apost. Bombaiensi, 21 febr. 1883, Collect. n. 1534.
[1] Instit. pr. I, 20, de nuptiis; L. 2, 4, De ritu nuptiar. XXIII, 2; L. 24, C. de nupt. V, 4; L. 3, quando tut. V, 60; *Zhishman*, l. c., 195 sq., 616 sq. — Cod. civ. Ital. 84, 85, 90 sq.; Gall. art. 144 sq.; German. § 1303; Austr. §§ 49 sq.; Hispan. art. 83, 45, 46, 47, 50; *Schulte*, l. c., 555 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. §§ 141, 153; *Allègre*, l. c. I, 82 sq.; *Hollweck*, l. c., 97 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in h. t.; — *Aichner*, § 171; *Devoti*, § 125 — *S. Raymund.*, Summa lib. IV, tit. 16, de impot. coeundi. — *Bernard. Pap.*, Summa de matrimonio, Summa decretal., 301 sq., 135, 138 sq.; *Paucapalea*, 121; *Roland*, Summa, 145 sq., 157, 169; *Tancred.*, 4 sq., tit. 4, qua aet. contrahi poss. sponsal., *Sánchez*, lib. VII, disp. 92, n. 21, (de matr. sen.) disp. 104; *Feije*, n. 531 sq.; *Van de Burgt*, 113 sq.; *Mansella*, 21 sq.; *Giovine*, I, 541 sq.; *Schulte*, § 17; *Gasparri*, I, n. 544 sq.; *Scherer*, § 110, IV § 115, VIII sq.; *Rosset*, n. 1494 sq.; *Schnitzer*, 368 sq.; *Leitner*, 99, 97, 121 sq. — *Moy*, 51, 152, 312 sq.; *Freisen*, 323 sq.; *Hoermann*, Die desponsatio impuberum; *Esmein*, I, 236 sq. — *Eschbach*, Disputationes physiologico-theologicae, 102 sq. de influxu aetatis; *Zacchias*, Quaestionum medico-legal. I, lib. I, tit. I, q. 1 sq., lib. III, tit. I, q. 2. — *Chelodi*, n. 68 sq.; *De Smet*, n. 544 sq.; *Cappello*, I, n. 335 sq.; *Vlaming*, I, n. 260 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 548 sq.

Canon 1067. « *Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt* ».

« *Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet* ».

Praenotiones

205. Impedimentum constituitur *absolutum* — non ex aliqua iuris praesumptione — consistens *in facto* non adimpletae determinatae aetatis; quamvis ex una parte ante aetatem sufficientis discretionis ad dandum consensum matrimonialem valor matrimonii ex natura rei excludatur, et ex alia parte adsit maxima convenientia ut matrimonium irritetur ex positiva iuris dispositione, si fuerit contractum antequam, adveniente physiologica seu naturali pubertate, actualis habeatur generandi capacitas.

206. Notae historicae. Binae illae rationes, desumptae ex aetate sufficientis discretionis et actualis potentiae generandi, in se sunt adeo obviae ut nihil mirum, quod non solum in modernis legislationibus, sed etiam in antiquis omnium fere populorum civilium legislationibus latae fuerint leges de aetate requisita ad matrimonium.

Ecclesia primis saeculis apud iudaeos, romanos, graecos et germanicos populos repperit multiplices leges et consuetudines de *aetate* pro matrimonio praescriptas. In lege *mosaica* de aetate qua matrimonium esset ineundum praecepta non existunt; verum consuetudine introductum fuit ut puellae non ante annum 12 completum, pueri vero non ante annum 13 completum, dum-

modo generandi facultate pollerent, matrimonio coniungerentur[2]. Apud *athenienses* annus decimus octavus pro pueris, pro puellis annus decimus quintus videtur fuisse aetas legitima ad nuptias celebrandas[3]. *Iure Romano*, cum pubertas *naturalis* seu physiologica simul cum mentis maturitate haberi aestimaretur, masculi puberes et feminae viri potentes a contrahendo matrimonio non arcebantur. Controversiam autem inter iuristas Romanos, i. e. Cassianos, Sabinianos et Proculeianos agitatam, quomodo constaret de pubertate marium, reiecta inspectione corporis indecenti, imperator Iustinianus cum Proculeianis potius in favorem praesumptionis iuris *et de iure* ita diremit, ut « *quemadmodum feminae post impletos duodecim annos omnimodo pubescere iudicentur, ita et mares post excessum quatuordecim annorum puberes existimentur* »[4]; et inde pubertas *iuridica* seu legalis fuit requisita ad matrimonium, videlicet *factum* expleti anni decimi quarti in viris, duodecimi in feminis. Apud populos germanicos pro moribus receptis, qui matrimonia contrahebant saepe iam maturioris erant aetatis[5]. Qui populi duplicem quendam gradum aetatis ita distinguebant, ut quis diceretur aut nondum pervenisse *ad suos annos*, i. e. ad completum a. 12 aut *ad suos dies*, i. e. ad aetatem maiorem 21 a. completorum; attamen speciales leges de certa quadam aetate *nuptiis* praescripta ordinarie in antiquis collectionibus iuris germanici non reperiuntur. Sane in legibus visigothorum *Recesvindus* rex (a. 652-672), ut matrimonia inter *feminas adultas* et *puerulos* impediret, statuit ne vir iunior esset quam femina[6]. Item *Luitprandus*, rex longobardorum, ob graves abusus mundualdorum tribus legibus iuxta sanctiones iuris Romani impuberibus pueris puellisque matrimonia interdixit[7]. Quae apud anglos et saxones de aetate ad statum religiosum amplectendum fuerunt statuta, etiam matrimonio sunt applicata[8].

---

[2] *Moy*, 52; *Freisen*, 223.

[3] *Zhishman*, l. c., 201.

[4] Pr. Inst. de nuptiis I, 10; L. 24. C. de nupt. V, 4; L. 3. C, quando tutor V, 60; *Kekule*, in Arch. f. f. k. K. LXXIII, 370 sq. *Scherer*, § 115, not. 97. Ex L. 14, D. nupt. XXIII, 2, ad sponsalia requiritur ne sint sponsi « *minores quam septem annis* »; *Zhishman*, l. c., 202, 196 sq.; *Accarias*, « Précis de droit romain », I, n. 82.

[5] *Moy*, l. c. 312 sq.; *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 484, 514; *Geber*, System. d. Privatr. §§ 35, 244.

[6] *Hefele*, III, 98, 113; *Freisen*, 444; *Scherer*, § 115, not. 131.

[7] *Moy*, 313; *Freisen*, 324.

[8] *Moy*, 114; *Freisen*, 324 sq.; *Theodor. Cantuar.*, Paenitential. lib. II, 12, n. 35, 36, lib. I, 8, n. 14, iuxt. ed. *Schmitz*, D. Bussbuecher, 548, 532.

Legibus atque consuetudinibus rationabilibus Ecclesia sese ut plurimum facile accommodavit[9], ut eruitur ex praxi primorum christianorum. S. Basilius firmae professioni virginitatis illam aetatem propriam esse dixit, *quae solet apta nuptiis deputari;* professiones autem ab eo tempore admisit, quo puella supra sexdecim vel septemdecim annos nata fuerit[10]. Concil. Hippon. (a. 393), c. 18 statuit: *Lectores cum ad annos pubertatis* (perfectae) *pervenerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri*[11].

At singularem nacta est Ecclesia difficultatem in moribus populorum medii aevi, penes quos vigebat praxis, ut ipsi parentes proprios filios in tenera aetate, immo in incunabulis desponsarent, sive per sponsalia de futuro sive etiam de praesenti. Qui rigor praesertim capitibus h. t. Decret. ad iustos limites fuit reductus, ut salva esset libertas atque natura contractus consensualis sponsalium et matrimonii, simulque per praesumptiones iuris pro condicione illorum temporum ea statuta sunt, quae a nostris moribus nunc magis sunt aliena. Qua in re Ecclesia suis expressis legibus rata habuit quae consuetudine legitima et doctorum theoriis iam antea fuerant praeformata.

V. g. *Gratianus,* (c. unic. C. XXX, q. 2 = cum additione quadam cap. 2, X, h. t.) non distinguens inter sponsalia de praesenti et de futuro, in dicto can. cit. praemisso simpliciter asserit; *Sponsalia ante septennium contrahi non possunt.* Neque in palea c. 2, C. XXXI, q. 2 = cap. 1, X, h. t. disertis verbis aetas certorum annorum exprimitur. *Paucapalea,* l. c. 121, manifeste docet sponsalia de futuro iuxta *leges* a sacris canonibus approbatas contrahi *in septennio et post septennium. Rolandus,* vero, l. c., 145, « *Legibus sponsalia septennio licite contrahuntur, ante non; canonibus vero ante tempus consentiendi sponsalia minime contrahenda iubentur.* Postquam iam *S. Isidorus* (cap. 3, X, h. t.), testatus est quosdam ex annis pubertatem aestimare, inde a Decretalibus *Alexandri III,* a. 1159-1181,[12] (c. 4 sq. X, h. t.) accuratior facta est distinctio, vel potius clarius est expressa[13], inter aetatem legitimam *sponsalium* et *matrimonii*[14], atque quoad aetatem nuptiis aptam non sine *immutatione* quadam ius Romanum adoptatum mansit, addito illo singulari statuto, sc. quod sponsalia de praesenti ab *impuberibus* contracta haberent *ex iuris praesumptione* vim *sponsalium de futuro*[15].

Bonifacius VIII, cap. unic. h. t. in Sext., magis explicavit cap. 1, X, h. t. Inde ab hoc tempore nulla quoad aetatem facta fuerat immutatio iuris Decretalium, quamvis in Concilio Tridentino[16] et etiam ultimo tempore[17] viri catholici fuissent qui huius impedimenti canonici correctionem postulassent. Quin immo, Concilium Tridentinum postulatum novi cuiusdam impedimenti *aetatis minoris* atque *dissensus parentum* quoad matrimonium *et* sponsalia respuit. Cfr. cap. *Tametsi.*

Cum religio catholica in India atque imperio Sinensi inde ex saeculo XVI propagari coepta est, ex singularibus moribus illorum populorum in desponsatione impuberum quoad interventum *parentum* novae ortae sunt difficultates, ad quas solvendas Ecclesia novum ius non condidit, sed ius constitutum prudenter applicavit et authentice explicavit, v. g. de anno lunari. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F., l. c. n. 1212, 1380 sq.

207. Notio, origo et ambitus impedimenti. I. Impedimentum canonicum *aetatis* vel potius *defectus aetatis,* consistit in facto quod uterque vel alteruter sponsus nondum *expleverit* aetatem a iure hoc canone requisitam, i. e. vir annos 16, femina annos 14, independenter ab eo quod acquisierit vel non naturalem pubertatem. Immo impedimentum existit, tametsi sponsi iam habeant iuridicam seu legalem pubertatem, quam ius Codicis perinde ac ius praecedens ad tramites iuris Romani reposuit in anno decimo quarto pro masculo, in duodecimo pro femina (c. 88, § 2). Quae iuridica pubertas praesumptionem inducit naturalis pubertatis acquisitae.

Aetas requisita dicitur *expleta,* secundum modum supputandi c. 34 § 3, 3° hic applicandum, si, die ipso nativitatis non supputato, ultimus dies eiusdem numeri penitus praeterierit; quare

---

[9] *Kraus,* Real-Encykl. I, 385.

[10] In epistol. canon. secund. ad Amphiloch. c. 18.

[11] Cfr. c. 9 Concil. Forumiul. (a. 796): c. 22 Conc. Papien. (Ticin.). (a. 850).

[12] Cfr. c. unic. C. XXX, q. 2, (cap. incert.), c. 1, 4, 15, X, h. t.; cap. unic. pr. § I, h. t. in Sext.; Bened. XIV Const. *Probe,* 15 dec. 1751, § 6, iunct. *Kekule,* l. c., 393, cuius deductionibus passim calculum adicere non possum; *Scherer,* § 110, not. 51 sq., § 115, not. 100 sq., § 131. not 3 sq., 17 sq.

[13] Cap. 11, h. t. in compil. I; cap. 4, 9, X, h. t.; *Bernard. Pap.,* l. c. 302, 341; *Freisen,* l. c., 326.

[14] *Rolandus,* l. c., 114, 4; *S. Thomas,* Comment. in 4 lib. sent. d. 36, art. 5, i. f.; *Bernard. Pap.,* l. c., 301 sq.; *Freisen,* l. c., 328.

[15] Cap. 6, 14, X, h. t.; 8, 11, 14, X, h. t.; cap. unic. § 1, h. t. in Sext.

[16] *Theiner,* Acta genuin. S. C. Conc. oec. Trid. II, 313, 314; cfr. quoque iudic. critic. de hac edit. per *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. XXXV, 189 sq.

[17] Arch. f. k. K. XXIII, 166 sq., 324 sq.

Titius natus die 3 maii 1910, non nisi 4 maii 1926 nuptias inire valet, dum Bertha eodem die et anno nata iam 4 maii 1924 habilis est ad validum matrimonium ineundum. At si vel unus dies desit atque adeo una hora ad aetatem requisitam, matrimonium contractum, ex iuridica incapacitate partis in qua huiusmodi circumstantia verificatur, est omnino invalidum, nisi fuisset obtenta dispensatio.

II. Quod impedimentum, supposito usu rationis et sufficiente discretione ad matrimonialem consensum praestandum requisita, quae huc non pertinent, unice est repetendum ex positiva dispositione *iuris ecclesiastici*. Nam ex iure naturali independenter a naturali habilitate ad praestandum consensum nulla determinata aetas pro matrimonio est praescripta; porro *actualis* potentia generandi licet sit maxime conveniens ut iam habeatur tempore quo matrimonium initur, ad validum contractum matrimonialem ex natura rei non requiritur; matrimonium enim facit partium consensus et licet ad eius valorem requirantur corpora habilia tanquam *obiectum* circa quod versatur contractus, illa habilitas ex natura rei non requiritur *actu* et *proxime*, sed satis est si *suo tempore* habeatur; quare sicut ante aetatem canonicam matrimonium est invalidum, tametsi adsit capacitas naturalis copulae perfectae, in expleta aetate canonica validum est matrimonium, tametsi illa capacitas *actu* et *proxime* desit, modo nupturientes sint tales quoad corpus ut *suo tempore*, v. gr. ob tardiorem evolutionem, per naturalem rerum cursum illa capacitas sit adventura[18].

208. Inde apparet *discrimen inter ius praecedens et novum*. **Praecedens** illud **ius** requirebat ad matrimonium *pubertatem*, et quia pubertas *naturalis* est difficilis cognitionis, ius ad imitationem iuris Iustinianei definiverat annos quibus pubertas supputari debebat (pubertas *iuridica*); quos annos exigebat ad matrimonium non *absolute*, sed veluti *condicionate*, in quantum exigentia illius aetatis — 14 a. in masculo, 12 in femina — innitebatur in praesumptione ipsius iuris de duplici defectu, sc. *discretionis iudicii* ad consensum coniugalem et

[18] S. C. Inq. 17 apr. 1839, 2 maii 1866, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1380, 1381. Iure divino quamvis praeter *consensum* corpora quoque requirantur habilia ad valorem matrimonii, tamen non *actu* et *proxime*, sed tantum *suo tempore* habilia sint necesse est. Cfr. Bened. XIV. Const. cit. *Magnae nobis;* S. C. Inq. 10 dec. 1885, 6 aug. 1886, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1288, 1384, et S. C. Inq. 18 mart. 1903, in ASS. XXXVI, 116 sq.; *S. Thom.*, in 4 lib. sent. dist. 36, q. 1, art. 5; *Schmalzgr.*, h. t. n. 48 sq.; *Feije*, n. 531; *Gasparri*, I, n. 546, 548; *Rossel*, n. 1499 sq.

potentiae actualis ad generandum; qui duo defectus expleto legali tempore pubertatis praesumebantur non adesse.

Quare si prior condicio de discretione iudicii vel in *uno* ex contrahentibus, etiam *completa* aetate legitima, de facto deesset, non obstante iuris positivi praesumptione, secundum veritatem iuris naturalis illicitum et invalidum erat matrimonium[19]. Si altera tantum condicio potentiae actualis ad generandum annis legitimis expletis in *uno* ex contrahentibus aut in utroque deesset, licitum et validum erat matrimonium[20], sed usus matrimonii usque ad pubertatem actu ab utroque obtentam omnino erat interdictus[21].

Vicissim ubi constaret illum duplicem defectum non adesse, seu probata esset aptitudo animi et corporis ante annos legitimos pubertatis, ex expressa iuris sanctione inhabilitas sponsorum ad matrimonium non sustinebatur. Illa sanctio iuris continebatur in clausula exceptiva « *nisi malitia suppleat aetatem* »; ex qua clausula adiecta facile apparet aetatem pubertatis iure praecedente non *absolute*, sed *hypothetice*, fuisse requisitam; formula erat: « impuberes sunt inhabiles ad matrimonium, si malitia non supplet aetatem »[22]. Verificata condicione ante legitimum tempus pubertatis a iure praesumptae, facultas contrahendi matrimonium ipsa canonum dispositione erat concessa. Sed ut sponsi *licite* matrimonium contrahere possent, *Episcopi* aut pro maiore actus sollemnitate *Romani Pontificis* sententia *declaratoria* requirebatur[23] certo constare de casu a iure excepto, sive de duplice illa aptitudine animi et corporis ante annos legitimos pubertatis. Quae sententia mere declaratoria evidenter versabatur in *solo facto*.

E contra **iure Codicis** non attenditur pubertas, quae iam

[19] S. C. C. in c. Ventimilliensi, 19 maii 1888 (cfr. ASS. XXI, 162 sq.) matrimonium a puella 12 annorum et 9 mensium contractum declaravit invalidum, quoniam illa puella fuit adeo tardi ingenii, ut quid esset matrimonium nondum intelligeret; *Fagnan.*, in cap. 9, X, h. t. n. 14 sq., 27 sq.

[20] Cfr. cap. 2, X, de frig. IV, 15; *Schmalzgr.*, h. t. n. 51; *Pirhing*, h. t. n. 35; *Reiffenstuel*, h. t. n. 7; *Sánchez*, lib. XII, disp. 104, n. 15; *Feije*, n. 531.

[21] S. C. Inq. 2 maii 1866, in cit. Collectan. n. 1481; *Rossel*, n 1511. Cfr. de moribus antiquis: Synod. Ticin. (a. 850) c. 24; *Hefele*, l. c. V, 597.

[22] Cap. 9, 14, X, h. t.; S. C. Inq. 23 iun. 1865, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 974; *Feije*, l. c. n. 533; *Fagnan.*, l. c. in cap. 9, X, h. t. n. 47; *Giovine*, l. c. tit. I, 543, 549; *Sánchez*, l. c. lib. VII, disp. 104, n. 20 sq.; 41; Bened. XIV Const. cit. *Magnae nobis; Schmalzgr.*, h. t. n. 55.

[23] Benedict. XIV Const. *Magnae nobis*, 29 iun. 1748; S. C. C. 16 aug. 1902; S. C. Inq. 18 mart. 1902; Instr. C. Rauscher §§ 17, 72; *Gasparri*, I, n. 552, 556; *Schnitzer*, 872, not. 1.

supponitur a. 14 et respective a. 12, sed determinata aetas annorum 16 et 14 completorum[24].

209. Ratio iuridica impedimenti quoad substantiam eadem est ac in iure praecedente, quamvis ampliore modo intellecta; sed, praeter eam, alias quoque rationes hygienicas, sociales et morales prae oculis habuit legislator. Sane etiam Codex pubertatem iuridice definivit per aetatem 14 a. in masculis, 12 in feminis, ideoque sicut pubertatem naturalem sive sufficientem discretionem mentis et corporis evolutionem non agnoscit ante hanc aetatem, ita post illam utramque maturitatem statuit esse praesumendam (c. 88 § 2; c. 1082 § 2). At probe noverat legislator pubertatem *naturalem* haberi diversissimo tempore in diversis regionibus: citius videlicet haberi in regionibus meridionalibus et calidis, tardius in septentrionalibus et frigidis; citius in urbibus quam ruri, in hominibus deditis studio quam in iis qui vacant operibus manualibus.

Quare Ecclesia ex una parte debuit consulere integritati morum, quae in periculum vertitur, si nimium differatur matrimonium postquam non solum habetur potentia generandi, sed etiam iam vivide sentiuntur incitamenta instinctus sexualis, ob quae naturaliter fit ut mulier ad virum tendat et versa vice. Illa autem potentia generandi in viro habetur cum incipit secernere sperma, quod pro diversa condicione regionis et personae accidit a decimo tertio ad decimum sextum annum, quamvis non statim ac secernitur sperma iam hoc est prolificum seu spermatozoidis refertum; in femina habetur quando incipit ovulatio, quae per menstrua revelatur; hoc autem accidere solet decimo tertio vel decimo quarto anno, attenta tamen diversitate petita ex condicione regionis et ex circumstantiis personae. Inde apparet quod, attenta necessitate evitandi morum corruptionem, aetas *iuris* apta ratione posita fuerit in a. 16 pro viris, 14 pro feminis. Cfr. *Antonelli*, Medic. past. I, 100, II, 344 sq.[25].

---

[24] Praecedens disciplina, vi cuius matrimonia ratione impubertatis invalide celebrata olim vim *sponsalium* habere censebantur et producebant impedimentum publicae honestatis, iam fuit abrogata per Decr. *Ne temere*, hoc ipso quod ad valorem sponsalium requisita fuit forma sollemnis scripta. Multo magis idem obtinet iure Codicis (c. 1017).

[25] Exempli gratia media aetas pubertatis naturalis in Lapplandia censentur esse 18 anni; Hafniae in Dania 16 anni et 9 menses; Monachii in Bavaria 16 anni et 5 menses; Viennae 15 et 8 menses; in insula Corcyrensi (Corfù) 14 anni; in civitate Calcuttensi 12 anni et 6 menses; in Aegypto 10 anni. Cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, 311, not. 6.

Ex alia parte memoratae rationes hygienicae, sociales et morales postulant ut matrimonium non contrahatur, nisi postquam in utroque coniuge corpus iam est plene evolutum, augmentum perfectum obtinuerit atque robustas vires praesertim fortitudinem nerveam adeptum sit, ne ex debilibus adhuc corporibus oriatur proles debilis et infirma et ipsa corpora parentum in generalem debilitatem degenerent, quam multi morbi frequenter comitantur[26]. Ad mores autem quod attinet etiam sufficiens maturitas iudicii in matrimonio contrahendo requiritur, qua statim ab initio vitae communis possint coniuges apte intelligere et serio amplecti maximum ac nobile officium, quod natura ipsis credidit, subministrandi elementa ad gignendam novam creaturam ad aeternam caeli gloriam destinatam. Quae mentis et corporis maturitas circiter habetur ea aetate, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet[27]; qui mores apud probas et honestas familias recepti in ipsa natura fundamentum habent atque illis solent esse conformes leges civiles in unaquaque regione de aetate ad matrimonium latae[28]. Atque inde explicationem accipit illa cura pastoribus animarum commissa (c. 1067 § 2), ut iuvenes ante receptam aetatem, secundum mores regionis nubilem, a matrimonio avertant, salva semper exceptione de casu in quo animae salus promptiorem celebrationem exigat.

210. Scholion. *Codices civiles* in determinanda aetate ad matrimonii civilis celebrationem *generatim* exigunt aetatem *maiorem* quam quae iure canonico statuta est, salva tamen quandoque facultate *dispensandi*[29]: aetatem autem statuunt absolute,

---

Praeterea iam ipso iure Romano a legali pubertate *absoluta* sive initiali (14, 12 anni) distinguebatur *pubertas plena* seu *perfecta*, quae habebatur in viro post completum a. 18, in femina post a. 14 completum. L. 40, § 1, D. de adopt. I, 7; L. 14, § 1, D. de aliment. XXXIV, 1.

[26] Cfr. *Antonelli*, Medicina pastor., II, 345 sq.

[27] Iam iure praecedente distinguebant doctores a pubertate *naturali* et a pubertate *plena* seu *perfecta* aetatem *maturae nubilitatis* — circiter inter a. 20 et 24 — ante quam docebant matrimonium non expedire, ne coniuges *sibi* et *proli suae* noceant; at etiam addebant maturitate nubili obtenta per se etiam abstinendum a *nimia* matrimonii *dilatione* et ab excessiva *inaequalitate aetatis* inter sponsos. Cf. Instr. *Card. Rauscher*, § 72; *Eschbach*, Disput. physiol.-theolog., 102 sq.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, 748; *Gasparri*, I, n. 547; *Scherer*, § 115, not. 119, 120; *Leitner*, 99 sq.

[28] Codex *italicus* (art. 82) exigit annos 16 pro viro.

[29] Quae dispensatio expresse est permissa in *Gallia, Italia, Belgio, Hollandia, Romania, Russia et Hungaria*. Cf. *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 145, not. 4.

non admissa *limitatione* de *malitia* vel prudentia *supplente aetatem*. At in decernendo *numero* annorum ad aetatem legitimam in contrahendo matrimonio requisitam magna est *varietas* in legibus civilibus nunc vigentibus. Aetas legitima in *Italia* (cod. civ. art. 84) sunt sedecim anni completi pro viro et quatuordecim anni item completi pro muliere; in *Austria* (cod. civ. §§ 21, 48) pro utroque sexu sunt quatuordecim anni completi. In *Gallia* (cod. civ. art. 144, 145), *Belgio* et *Romania* exiguntur ad valorem matrimonii in viris duodeviginti, in feminis quindecim anni completi. In *Germania* ex novo cod. civ. § 1303 viri ante aetatem maiorem (21 a. completorum) vel legitimam emancipationem, quae completo anno decimo octavo fieri potest, feminae vero ante annum decimum sextum completum nequeunt contrahere matrimonium. At, mirabile dictu! idem codex tantum permittit ut *dispensatio* ab impedimento aetatis *feminis, non viris*, per singula gubernia foederata concedi possit. Porro defectus aetatis — legitimae — ex eodem codice non est impedimentum ipso iure dirimens, sed impediens, propter quod matrimonium non nisi ob alias circumstantias concurrentes fit *impugnabile*, non *irritum* pro singulari ista distinctione huic codici propria. In *Hollandia, Helvetia, Russia* et *Hungaria* pro diversitate sexus aetas legitima habetur post duodeviginti et sedecim annos completos, excepto *Caucaso*, ubi viget norma 15 et 13 annorum. In *Dania* pro pueris et puellis statuta est aetas viginti et sedecim annorum completorum. In *Hispania, Anglia, Lusitania* et *Graecia* viget aetas pubertatis (14, 12) exceptis insulis ionicis, ubi pro pueris 16, pro puellis 14 anni completi sunt necessarii. At *Hispania* publicatum Codicem Ecclesiae recepit pro foro civili quoad catholicos, sicut ante receperat ius canonicum vigens.

Pariter magna est diversitas in modernis codicibus civilibus de *iure accusandi* matrimonium propter impedimentum aetatis [30]. V. g. in *Helvetia* ex lege de matr. civ., art. 27, matrimonium ante aetatem legitimam contractum ex *officio* impugnari non potest. In cod. civ. *Italiae* (art. 115) larga data est potestas accusandi tum *publico* procuratori tum *sponsis aliisque* personis, at salvis quibusdam limitationibus; v. g. si sex menses elapsi sint post habitam legitimam aetatem, vel *ante* sex illos menses completos mulier concepit, vel expressa facta sit ratihabitio cum

[30] *Allègre*, l. c. 82 sq. ad art. 144, 145 sq.; *Hollweck*, D. Civileher., 97 sq.; *Lehmkuhl*, D. buergerl. Gesetzb. § 1303; *Scherer*, 290 sq.; *Rossel*, n. 2310.

perfecto consensu, actio iudicialis negatur. Similes, sed non omnino aequales, sanctiones atque in Italia reperiuntur in cod. civ. *Galliae* art. 184 sq. In *Hungaria* secundum novam legem, (a. 1894) §§ 56 sq., matrimonium impuberis ante legitimam aetatem celebratum *ex officio* impugnandum est, quamdiu defectus pubertatis durat. Quo defectu sublato, sola pars antea impubes, nisi matrimonium tacite praeferat ratum facere, illud intra annum impugnare potest. In cod. civ. *Hisp.*, artic. 102, licet promotori fiscali, sponsis aliisque personis quarum interest detur facultas satis ampla accusandi matrimonia, tamen ex art. 83 matrimonia impuberum dicuntur ipso facto convalidata, si coniuges iam puberes per unum diem pacifice cohabitarint, aut uxor ante aetatem legitimam vel ante matrimonii accusationem prolem conceperit. In *Germania*, cum defectus aetatis non constituat impedimentum ipso facto dirimens, *ius* quoque *impugnandi* valorem matrimonii solummodo conceditur, si aliae circumstantiae concurrant, v. g. defectus consensus parentum vel tutorum (cfr. cod. civ. §§ 1303, 1304, 1330 sq., 1339,,1340) [31]. Quibus exemplis patet etiam codices modernos iuris civilis antiquam exceptionem canonicam de malitia supplente aetatem non penitus reicere sed indirecte aliquo modo admittere. Praeterea dispensationibus liberaliter concessis — v. g. in *Germania* intra 15 annos 20.000 puellis — rigor theoreticus iuris civilis in praxi relaxatur.

211. De matrimonio infidelium. Quoad impedimentum aetatis, infideles profecto in matrimoniis inter se contrahendis subsunt honestis legibus civilibus regionis ante determinatam aetatem matrimonium prohibentibus vel irritantibus. Ubi lex civilis non adsit, de valore matrimonii iudicandum est ex principiis iuris naturalis: quare matrimonium inter utramque partem infidelem validum est, si in utroque contrahente adest ea iudicii maturitas, quae ad quemlibet contractum et in particulari ad contractum matrimonialem ex natura rei requiritur, tametsi neuter sponsus ad pubertatem physiologicam pervenerit; actualis enim pubertas seu actualis potentia generandi aut copulae maritalis perficiendae ex iure naturae non requiritur, dummodo adsit habilitas ut suo tempore carnalis commixtio haberi possit. Id omnino attendendum est in illis regionibus, ubi saepe pagani nuptui tradunt filias in prima earum aetate novem aut decem

[31] *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 145, not. 5 sq.; *Allègre*, l. c. ad art. 184 sq.; *Hollweck*, l. c. 98, not. 1, 188 sq.; *Lehmkuhl*, l. c. §§ 1303, 1304, 1330 sq.; *Rossel*, n. 2303.

annorum, et sponsa in domo sua manet usque dum pervenerit ad pubertatem, qua obtenta domicilium stabile in domo sponsi acquirit [32].

Quodsi unus ex sponsis sit fidelis et alter infidelis, profecto ex sola inhabilitate fidelis, qui nondum aetatem requisitam adeptus est, matrimonium est invalidum, cum ad valorem matrimonii requiratur habilitas utriusque partis. Quodsi pars fidelis canonicam habeat aetatem et infidelis sit impubes — supposito quod sit ablatum impedimentum disparitatis cultus — matrimonium est validum, quamvis ipsi obstet lex civilis ob defectum aetatis ab illa lege requisitae [33]. Ratio autem disparitatis inter primum et alterum casum ea est, quod licet generatim ad valorem matrimonii requiratur habilitas utriusque partis, at quando agitur de lege lata a duplici potestate ecclesiastica et civili, prior in lege condenda est independens ab altera; at potestas civilis est tanquam inferior indirecte subordinata Ecclesiae, et in re sacra fidelis, cuiusmodi est matrimonium, potestas civilis est absolute incompetens etiam ratione alterius partis.

212. De cessatione et dispensatione impedimenti aetatis. I. Pro speciali indole impedimenti aetatis, quod est mere temporaneum, ipso lapsu temporis impedimentum *cessat,* cum primum sponsi requisitam aetatem obtinuerint. Quodsi matrimonium ante canonicam aetatem fuit invalide celebratum, non statim convalidatur per adeptionem aetatis canonicae et meram perseverantiam consensus praecedentis; sed necesse est ut, cognita invaliditate prioris matrimonii, *novus* ponatur consensus ad normam cc. 1133-1135, i. e. in forma a iure praescripta, si nullitas fuit publica, privatim et secreto si nullitas fuit occulta.

II. Praeter lapsum temporis, cum iure Codicis impedimentum sit *absolutum,* consistens in mero facto defectus aetatis requisitae, non cessat nisi per *dispensationem;* quod ius dispensandi ex natura rei reservatur R. Pontifici [34]. Qua in re duplex ratio, in qua praecedente iure impedimentum nitebatur, etiam iure Codicis suum habet momentum. Quare deficiente iudicii discretione ex iure naturali ad consensum matrimonialem requisita, in qua-

[32] Cfr. responsum S. Officii, 5 aug. 1886; *Gasparri,* I, 497; *Cappello,* I, n. 336; *De Smet,* n. 547.

[33] *Feije,* n. 531; *Gasparri,* I, n. 498 iunct. n. 256; *Cappello,* I, n. 336; Benedict. XIV Const. *Singulari,* 9 februar. 1749, de nullitate legis latae a principe laico in quantum comprehendat casum matrimonii inter christianum et infidelem ineundi.

[34] Cfr. *Rosset,* n. 1510, ubi affert exempla dispensationum S. Pii V, Clementis VIII et Gregorii XV; *Giovine,* 543.

cumque aetate hoc accidat, validum matrimonium iniri nequit, ideoque independenter ab impedimento aetatis nec ille defectus est dispensabilis [35]. At sufficiens discretio, qua saltem apta quadam ratione cognoscatur matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos, iam post pubertatem praesumitur simplici praesumptione iuris (1082 § 2); multo magis censetur dari in aetate canonica ad matrimonium requisita. Eodem modo, saltem generaliter, post pubertatem (88 § 2), et a fortiori in aetate canonica, non praesumitur defectus potentiae actualis ad generandum; at si ille defectus in casu particulari daretur, dispensatio ad licite et valide contrahendum post aetatem canonicam non esset necessaria, nec ille defectus impedit quominus R. Pontifex possit dare dispensationem in impedimento aetatis.

Concessa dispensatione, coniugibus interdicenda est cohabitatio usque dum ambo potentes evaserint, ob grave periculum incontinentiae quam cohabitatio secum afferret [36]. Quae res est valde practici momenti in missionibus, ubi passim accidit ut pueri, ante pubertatem uxorati, cum tota familia ad fidem convertantur: quibus in adiunctis S. Offic., 2 maii 1866, de casu in Synis occurrente iussit separationem quoad torum et, si prudenter fieri posset, a missionariis curandum ut etiam separentur quoad habitationem.

III. Relate ad *causam* dispensationis satis communiter dicebatur requiri causam boni publici, v. gr. pacis alicuius regni vel civitatis aut inter praecipuas familias conciliandae, ideoque dicebatur rarissime concedi [37]: quae doctrina referebatur ad per-

[35] *Hefele,* V, 597, affert exemplum de mira dispensatione concessa a Legatis Sed. Ap. a. 1160, ut septennis puer cum *trienni* puella *sollemnes* celebrare posset nuptias. Atque *Sägmüller* dispensationem illam explicat ex concessione ad ius illarum nationum facta, quod voluntati patris potestatem tribueret supplendi voluntatem infantis filii filiaeve obligatorio modo etiam quoad contractum matrimonialem; contra ius nationum paulatim ius romanum et ecclesiasticum obtinuit, atque consensus personalis utriusque contrahentis ad valorem matrimonii habitus est necessarius; cfr. Act. theol. Tubing. LXXXVI, (a. 1904) 556 sq. Quae explicatio, si agitur de facto vero non est apta nec iuridica (cfr. c. 1081 § 1 enuntiantem ius naturale), nisi intelligatur de concessione facta *sub condicione* quod postea suo tempore accederet proprius ac liber consensus sponsorum. Cfr. *Cappello* I, n. 338, not. 13.

[36] *Giovine,* 545; *Rosset,* n. 1511; *Gasparri,* I, n. 499; *Cappello,* I, n. 338; S. C. de P. Fide concedit Ordinariis missionum facultatem dispensandi ab impedimento aetatis, dummodo sponsi ad antiqui iuris aetatem pervenerint; cfr. Formul. n. 22.

[37] *Gasparri,* I, n. 499; *Rosset,* n. 1510; *Cappello,* l. c.

missionem matrimonii infra annos pubertatis; aucta vero per Codicem aetate canonica ad matrimonium, illa doctrina mitiore modo videtur esse intelligenda, nec omnino excludenda causa boni privati, quae certe in periculo mortis habenda est sufficiens.

213. Scholion. Ius antiquum romanorum, quod viros sexagenarios et mulieres quinquagenarias matrimonia celebrantes poenis caelibatus et orbitatis subiecit, ab imperatore Iustiniano abrogatum est. Cfr. L. 27, Cod. de nupt. V, 4. Porro quamvis proportionata quaedam *aequalitas* sponsorum non solum quoad *conditionem vitae* (cfr. S. Leon. M. in c. 12, C. XXXII, q. 2), sed etiam quoad *aetatem* sit desideranda (cfr. c. 9 Synod. Foriiul. a. 796), tamen Ecclesia illas leges civiles, v. g. visigothorum vel longobardorum vel modernorum Statuum, nunquam ratas habuit, quibus *viri iuniores* a matrimoniis cum mulieribus, aetate multo provectioribus, impedirentur. Neque unquam Ecclesia catholica *certam* quandam *aetatem* constituit, qua adimpleta *senes* a matrimonio contrahendo prohiberet [38].

CAPUT VII

De impedimento impotentiae

214. Fontes: C. XXXIII, q. 1; c. 29, C. XXVII, q. 2; c. 27, C. XXXII, q. 7. — Cpl. I, lib. IV, tit. 16, de frig. et malef. et imp. coeundi; cpl. II, lib. IV, t. 9, de frig. et malef.; cpl. III, lib. IV, tit. 11, de impotentia coeundi: cpl. V, lib. IV, tit. 2, de frig. et malef. — Decretal. Gregor. IX, lib. IV, tit. 15, de frig. et malef. et imp. coeundi. — Sixt. V Constit. *Cum frequenter*, 22 iun. 1587; Gregor. XV Const. *Omnipotentis*, 20 mart. 1623, § 2. — Instr. S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. (a. 1883) in ASS., XVIII, 365 sq., 386; Instr. S. C. C., 22 aug. 1840; Instr. S. C. Inq. a. 1858 data et 6 aug. 1890 confirmata et cum novis animadversionibus ad Ep. Mysur. transmissa; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1153, 1737. — Instr. *Card. Rauscher* §§ 16, 118, 174, 175, 198. — Caus. decis. a S. C. C. in ASS. v. g. VII, 491, sq., et indic. gen. v. Matrimon. et in ed. *Richt.* Conc. Trid., 258 sq.; Instr. S. C. Inq. 12 febr. 1851, pro singulari plane casu in Collect. (Paris), Const. S. Sed. n. 1002.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in h. t. — *Devoti*, Inst. can. l. c. §§ 126, 127; *Aichner*, l. c. § 170; *Scherer*, § 115; *Paucapalea*, l. c., 130 sq.; *Roland*. l. c., 130, 188 sq.; *Rufinus*, ed. Singer, 496; *Stephan. Tornac.*, l. c., 245 sq.; *Bernard. Pap.*, Summa de matrim., 301; Summa decretal.

[38] *Sánchez*, lib. VII, dis. 12, n. 19 sq.; *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 1, n. 241; *Lehmkuhl*, Theolog. mor. II, n. 748; *Olfers*, l. c., 14; *Freisen*, 361; *Schulte*, l. c. 172, 202 sq. Qua in re Ecclesia non ignorat potentiam generandi deficere in muliere ab anno 45 ad 50, in viro autem ab anno 50 gradatim minui, donec etiam penitus ea dispareat.

175 sq.; *Tancredi*, Summa de matrim. tit. 30, 12; *S. Raymundus*, Summa, lib. IV, tit. 16, de impotentia coeundi. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 92; *Van de Burgt*, 180 sq.; *Schulte*, § 18; *Feije*, n. 538; *Giovine*, 490 sq.; *Mansella*, 25 sq.; *Gasparri*, I, n. 502 sq.; *Rosset*, n. 1377 sq.; *Schnitzer*, 347 sq.; *Leitner*, 152 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 864 sq.; — *Moy*, 60, 166, 330; *Freisen*, 330 sq.; *Esmein*, I, 259; sq.; II, 306 sq.; *Zhishman*, 207 sq.; *Ojetti*, Synopsis v. Impotentia; *Zacchias*, Quaestion. medico-legal. I, lib. III, tit. 1; *Capellmann*, Medicina pastoralis, 159 sq.; *Eschbach*, Disputationes physiologico-theolog. 121 sq.; *Antonelli*, De conceptu impot. et steril., Pro conceptu imp. et ster., De mulier. excis. impot., Medicina pastor. I, P. I, cap. 2-11, II, cap. 1-6; *Ferreres*, De vasectomia duplici etc.; *Vermeersch*, De castitate, 46 sq. — *Chelodi*, n. 69 sq.; *De Smet*, n. 550 sq.; *Cappello*, I, n. 340 sq.; *Vlaming*, I, n. 264 sq.; *Arendt*, De impotentia feminae ad generandum (a. 1913) et circa controv. validit. matr. feminae excisae Diatriba, (a. 1923).

Canon 1068. § I. *Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta, sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit.*

§ 2. *Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.*

§ 3. *Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit.*

Praenotiones

215. Hoc impedimentum apte intelligi non potest, nisi eorum quae ad humanam generationem pertinent saltem summaria habeatur notitia, quae idcirco ipsi declarationi impedimenti est praemittenda.

216. Requisita ad humanam generationem. Humana generatio, ad quam per se ordinatur matrimonium, fit per maris et feminae sexualem unionem, cui peculiaria organa deserviunt. Externa organa eorumque functio in unione sexuali semper nota fuerunt: videlicet unio sexualis dicebatur *copula* seu *coitus*, quo nomine semper intelligebatur penetratio vaginae mulieris facta per membrum virile, i. e. per virgam erectibilem cum seminatione seu infusione seminis in ipsam vaginam. Cetera, quae naturaliter subsequuntur post coitum usque ad generationem perfectam, quando haec ex copula sequitur, parum antiquitus erant nota: v. g. natura seminis virilis eiusque functio, natura et functio seminis feminei (ovuli). Haec omnia nunc sunt perfecte nota quoad substantiam.

Ergo in viri *testiculis* elaboratur *semen* sive sperma continens *spermatozoida* (*nemaspermata* seu *zoospermata*), sc. cellulas vitales, quae sunt principium activum fecundationis veri

seminis feminei (ovuli); sperma in testiculis elaboratum conservatur in vesiculis seminalibus, quae per canales deferentes coniunguntur cum testiculis; inde ex vesiculis — praesertim in actu copulae — eiaculatur per virile membrum (penem, veretrum, virgam), quod tunc erigitur sub venereae excitationis influxu [1].

Mulier membrum virile recipit in *vagina* seu canali flaccido, ab exteriore parte ad interiora seu ad uterum ducente, quam vaginam in parte exteriore in virginibus operit *hymen* seu membrana plus minusve resistens et perforata, quae in primo coitu per membrum virile generatim laceratur. Sperma in vagina receptum inde spontaneo motu vitali transit in *uterum* cum vagina coniunctum, et per *tubas fallopianas* spermatozoida permeant usque ad *vesiculas Graaf ovariorum*, ibique *ovulum* femineum — verum feminae semen — fecundant, nisi iam antea ovulum, in uterum decisum, reppererint et fecundaverint. Fecundatio essentialiter consistit in fusione substantiae spermatozoidicae cum vesicula germinativa ovuli, qua fusione perfecta ex ea incipit formatio novi hominis in utero. Haec nunc physiologice sunt certa [2].

Illa ergo coniunctio duplicis elementi spermatozoidis et ovuli est fecundatio seu generatio humana, in qua intervenit actio *humana — hominis* — et actio *naturalis* — naturae —. In actione hominis principium *activum* est vir, quatenus per membrum virile vaginam mulieris penetrat et in ea deponit seu effundit verum semen; principium *passivum* est femina, quatenus semen effusum recipit in vagina atque hic sistit *actio hominis;* quae deinde sequuntur constituunt *actionem naturae*, quae unice locum habet in muliere.

Actio hominis, unio sexualis, est quae vocatur *copula* seu *coitus*: reliqua quae inde sequuntur sunt mysterium generationis

[1] Notum est a vero *semine* distinguendum esse humorem, qui non a testiculis, sed ab aliis quibusdam glandulis secernitur — praesertim a *glandula Cowperiana* et a prostata — et iuxta physiologos inservit semini liquefaciendo et sic facilius eiaculando: huius humoris emissio, seorsim a copula aut a vera pollutione, a moralistis dicitur *distillatio*.

[2] Notum est etiam veteres doctores plerumque agnovisse in feminis seminationem, sed eo nomine intellexisse emissionem humoris muco-vaginalis, quamvis non omnes admitterent eius necessitatem pro fecundatione. Sane proligenum feminae elementum Aristoteles (De generatione II) intellexit sanguinem menstruum; Galenus (De sanit. tuenda cap. I) humorem muco-vaginalem; alii cum S. Thoma (p. 3, q. 31, art. 5 ad 3) sanguinem puriorem et perfectiorem; generatim vero intellexerunt doctores hoc nomine illam emissionem humoris muco-vaginalis, quae plerumque copulam comitatur et in qua femina veneree satiatur. *Ojetti*, l. c. n. 2400; *Gasparri* I, n. 508.

humanae. Illius actionis humanae organa ex parte viri sunt testiculi verum semen efformantes et penis illud emittens cum pervia communicatione: ex parte mulieris vagina recipiens ad membrum virile pervia. Alia organa interiora mulieris pertinent ad operationem naturae. Unio sexualis — *copula, coitus* — spectatur in organis actionis humanae, non in organis actionis naturae, quorum existentia per plurima saecula mansit ignorata atque etiam nunc in particulari persona saepe cognosci non potest, ac multo minus describi valet potestas functionalis eorundem organorum [3].

Hinc impotentia semper considerata fuit in ordine ad coitum, sc. impotentia *coeundi*, quae distincta fuit ab impotentia *generandi*, haec autem, supposita coitus potentia, dicta est *sterilitas*. Quae distinctio semper facta est, antequam novissimae excitarentur controversiae circa naturam copulae perfectae.

Codex impotentiam, quae ex ipso iure naturae est impedimentum dirimens matrimonii, non definivit, ideoque controversias antea existentes non diremit nec indirecte ex notionibus traditis sustulit.

217. Notio impotentiae. Satis communiter admissa fuit illa notio impotentiae, qua dicebatur esse « incapacitas viri aut mulieris *ad copulam perfectam*, i. e. *de se aptam ad prolis generationem* ». Quae tamen notio impingit in difficultatem ortam ex controversiis doctorum ultimo tempore excitatis circa determinatos casus impotentiae, praesertim mulieris, nec definitio impotentiae potest apta dari, nisi simul explicentur ex una parte notio *impotentiae,* quae matrimonium dirimit, et ex alia parte notio *sterilitatis,* quae nec matrimonium dirimit nec ex sese impedit. Iam vero traditionalis divisio in hac materia adhibita, a qua nullo modo recedendum, illa est quod alia sit impotentia *coeundi*, alia vero impotentia *generandi*, et eadem traditionalis doctrina impotentiam generandi vocat *sterilitatem,* quae matrimonium non impedit [4].

[3] Ad existentiam ovariorum in feminis non nisi serius deventum est; nam primus *Von Graaf* (1678) descripsit vesiculas femineas quas ipse pro ovulis habuit, atque idem traditur fecisse *Malpighi* (1687); verum in ovariis mulieris ovulum in vesicula Graaf contentum, si non primo cognovit, saltem primus scientifice asseruit et illustravit *von Baer* (1827). Evidens autem est existentiam ovariorum in determinata femina, eorum statum, v. gr. utrum sint perfecte atrophizata, quod eorum carentiae aequivaleret, eorundem potestatem functionalem, perviam eorum cum utero communicationem etc. haec omnia mediis ordinariis cognosci non posse ac proinde potentiam ad commixtionem sexualem non posse diudicari ex illorum organorum existentia, statu et normali potestate functionali.

[4] De facto in definitione impotentiae *coeundi* et sterilitatis non omni-

Ergo, cum sit danda notio impotentiae in quantum est impedimentum matrimonii, *impotentia* videtur apte definiri, si dicatur esse: *incapacitas viri vel mulieris ad copulam coniugalem.* Copula autem coniugalis, licet a natura sit ordinata ad generationem prolis et sit naturalis via ad illam, cum tamen obtentio illius finis *etiam* dependeat ab *actione naturae*, quae *de se* imper-

no conveniunt antiqui et recentiores quidam scriptores. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 92, n. 7, 17, disp. 99, n. 37; *Pirhing*, h. t. n. 2, 3; *Scherer*, 272, n. 37; *Gasparri*, I, n. 510; *Ballerini-Palmieri*, n. 865; *Zacchias*, l. c. t. 1, q. 1, n. 1 sq. Profecto alias definitiones dare debent *impotentiae coeundi* vel sterilitatis qui tenent ad copulam perfectam vel matrimonii consummationem sufficere, ut semen virile absque penetratione vaginae *quacumque arte* in vas mulieris introducatur. Revera *Sánchez*, l. II, disp. 21, n. 2, 5 et l. VII, disp. 99, n. 37 pr., ubi ex professo agit de *consummatione matrimonii valide* a personis *vere habilibus* contracti, opinatur «*cum omnibus*» *huiusmodi* matrimonium vere fieri *consummatum* et absolute *indissolubile*, si semen virile absque *penetratione* in vas naturale «a daemone vel *quacumque* arte» introducatur. At cum *Sánchez* pervenit ad *alteram* quaestionem plane *distinctam* — unde parum accurate a nonnullis, v. g. *Scherer* et *Schnitzer*, accusatur contradictionis — num matrimonium esset *valide* celebratum, si propter impedimentum *perpetuum* et *incurabile* viri vel feminae semen virile, non per naturalem penetrationem, sed aliqua arte, v. g. vase vitreo, *intra* vaginam mulieris effundi posset, *valorem* illarum nuptiarum, l. VII, disp. 92, n. 7 sq. et disp. 99, n. 37, propter impedimentum *impotentiae coeundi* omnino negat; ideoque casum impossibilitatis seminandi intra debitum vas mulieris habet ut casum impotentiae matrimonium dirimentis. Qua in re, reducta priore sententia Sánchez de *consummatione* matrimonii *quacumque arte* ad legitimos terminos, (cfr. *Eschbach*, l. c. 133 sq., 190 sq., 193 sq.), certe altera qua *impotentiam coeundi defendit*, si solummodo *artificialis* fecundatio sit possibilis, retineri plane debet, ut patet ex resp. S. C. Inq. 24 mart. 1897. Immo eidem etiam adstipulandum est, si tenet potentiam *coeundi non existere*, quando semen solummodo extrinsecus ad vaginam *applicari possit*, unde per attractionem in interiora vasis muliebris introducatur. Cfr. *Rosset*, n. 1413 sq.; *Scherer*, 267, 270 sq.; *Schnitzer*, 353 sq. cum aliis antiquioribus et recentioribus scriptoribus; quibus doctoribus calculum adiecit *Gasparri*, I, n. 515; ille enim modus seminandi non est modus naturalis ab auctore naturae institutus nec in se est medium licitum. Quare sicut matrimonium nec *valide celebratur* nec *vere consummatur*, si inter coniuges solummodo possibilis sit *artificialis fecundatio*, ita a pari nihil absurdi vel absoni habetur, ut putavit *Leitner*, 157, si matrimonium dicatur *invalide* celebratum, quia inter coniuges copula *naturalis* fieri *non potuit*, sed solummodo locum habuit extrinseca applicatio seminis virilis, ex qua de facto per accidens secuta est generatio. Nam ut matrimonium quoddam sit *vere consummatum*, imprimis debet esse *valide contractum*. At vinculum matrimoniale, quod constat mutuis *iuribus* et *obligationibus* ad *copulam naturalem*, nequit *oriri* in ordine ad actum in se et *perpetuo turpem*. Cfr. *Suárez, De leg.* l. II, cap. 12. Hinc proles illa per accidens de facto nata, non in matrimonio *valido*, sed ex turpissima *fornicatione* est genita. Cfr. *Eschbach*, Disp. cit., 109 sq.; *Rosset*, n. 1916.

via et occulta est, notio copulae coniugalis non potest fieri dependens ab illo fine, sed solum respici debet in actione *humana*, ad quam immediate fit traditio corporum, quae obiectum matrimonii constituit: illa autem actio humana perficitur sola effusione seminis in vase muliebri; quae deinde sequuntur unice dependent ab actione naturae, quae variis ex causis frustrari potest ac suo effectu privari, atque haec frustratio quando est habitualis et permanens, diuturno tempore aut etiam perpetuo durans, sistit conceptum *sterilitatis*, supponentis copulam vere coniugalem permanenter suo effectu frustratam.

218. Copula coniugalis. Ergo *copula coniugalis* apte dicitur esse: *Actio qua vir verum semen modo naturali effundit intra vaginam mulieris* [5].

Copulae elementa. Ex data notione sequitur ad veram copulam quatuor elementa requiri et sufficere.

1°) *Effusio* seminis ex parte viri, quae si locum non habet, tametsi unio habeatur membrorum seu vaginae penetratio, vera copula non datur. At attenta naturali conexione inter *physicam* unionem sexualem et seminis effusionem, haec, illa existente, in foro externo praesumitur et pro hoc foro iudicandum est extitisse copulam *physiologice* et *iuridice* perfectam. Quae praesumptio, convincentibus argumentis elidenda, est maximi momenti in causis ubi quaestio est de matrimonii consummatione [6]. Tale argumentum habetur cum constat esse omnino imperviam communicationem penis cum testiculis aut ingressum vaginae esse perfecte occlusum.

2°) Effusio illa *veri seminis* esse debet, sive prolificum sit illud sive vi generativa carens [7], non alterius cuiuscumque hu-

[5] Propositam in textu *impotentiae* et *copulae coniugalis* notionem libenter ex *Cappello* I, n. 342, excribimus, licet iam inde deducitur sententia tenenda in quaestione controversa de impotentia mulieris excisae, ne perpetuo disputatio versetur in ambiguo sensu copulae *perfectae* vel copulae *de se* aptae ad generationem. Quae notio praesertim copulae coniugalis etiam inde commendatur, quod necesse omnino est ut Ecclesia mediis ordinariis cognoscere possit, et quidem certo, quando copula coniugalis intercessit in aliquo matrimonio; inde enim pendet eius absoluta indissolubilitas.

[6] Ita iure antiquo, cum ex copula perfecta induceretur affinitas et impedimentum matrimoniale, posito *facto* copulae inter puberes, in foro *externo* semper praesumebatur copula cum seminatione facta et affinitas contracta, et exceptio contra seminationem non secutam concludentibus argumentis erat demonstranda. Cfr. S. C. C. in caus. Pisaur. 22 maii 1875, in ASS. VIII, 630 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 64, n. 6 sq., 21; *Ballerini-Palmieri*, n. 783; *Feije*, n. 370; *Rosset*, n. 1914, 2021 sq.

[7] Existentia veri seminis in testiculis elaborati et vim generativam non

moris, qui etiam in eunuchis seu castratis haberi potest. Quam
veri seminis effusionem impedit quidquid reddit imperviam com-
municationem virgae cum vesiculis seminalibus et testiculis, ta-
metsi haec organa et verum semen non desint.

3°) Semen effundendum est intra *vaginam* mulieris, quae
est organum a natura destinatum ad illud recipiendum ideoque
ad unionem sexualem. Quandocumque pervertitur hic ordo na-
turae, non habetur nisi turpis pollutio solitaria, spoliata relatione
ad communem operationem utriusque sexus, aut fortasse pro di-
verso modo perversionis etiam destituta ordinatione ad finem a
natura illi communi operationi inditum, i. e. turpis *onanismus*
(*Vermeersch*, De castit. n. 258). Quodsi semen intra vaginam ef-
fundi *non potest*, deest potentia ad unum ex elementis quibus
copula constat, ideoque deest potentia ad copulam, v. gr. in ca-
su occlusionis de qua n. 1°.

4°) Semen intra vaginam effundi debet *modo naturali* seu
a natura ordinato, i. e. per erectionem membri virilis eiusque pe-
netrationem in vaginam. Quare ex communiter contingentibus,
si agatur de copula cum virgine, perforanda est vagina per ab-
ruptionem hymenis, nisi agatur de casu extraordinario et pro-
bando hymenis, tanta elasticitate praediti, ut penetratio membri
virilis in vaginam fieri possit hymene integro relicto, quo in casu
probatio inconsummationis matrimonii ex integritate hymenis
specialem patitur difficultatem: at in communibus circumstantiis
illa penetratio non fit sine hymenis abruptione, ideoque sicut hy-
menis integritas ex iurisprudentia S. C. C., S. C. de d. Sacr. et
S. R. Rotae est argumentum efficax inconsummationis, ita ex
eadem iurisprudentia incapacitas perforandi est argumentum
impotentiae ac proinde penetratio est elementum essentiale co-
pulae. Quae penetratio, dummodo sit talis ut seminatio fiat *intra*
vaginam, i. e. intra vas a natura ad hoc destinatum, non neces-
sario debet esse *completa* aut determinatum quendam gradum
habere; qua in re medici, tanquam periti in causis matrimonia-
libus adhibiti, saepe ambigue loquuntur.

Inde manet exclusa vera copula in *fecundatione artificiali*,
tanquam re vere turpi omnino damnata. Nec copula vere talis
perficitur per seminationem ad os vaginae factam, tametsi ex
doctrina physiologorum possibilis sit seminis, vitali motu prae-

habentis, v. gr. quia caret spermatozoidis, est unus ex casibus sterilitatis
ex parte viri; sed sterilitas supponit veram potentiam ad copulam, cuius
proinde non est elementum essentiale semen *vere prolificum*, modo sit
verum semen in testiculis elaboratum, non alius quidam humor ex glan-
dulis procedens.

diti, penetratio et consequens fecundatio; quae possibilitas so-
lum probat conceptionem etiam posse haberi extra naturalem
viam, quae unice nomine copulae venit. At *valido* matrimonio
celebrato, cum coniuges habeant ius meliore quo possunt modo
unionem sexualem tentandi, conceptione subsecuta ex tenta-
mine, matrimonium dicendum est consummatum, tametsi pro-
baretur provenisse ex semine mere in illo tentamine ad os de-
posito et vitali modo ad vaginam et uterum attracto (infra n. 231).

Quare copula coniugalis perfecta habetur seminis per ipsum
membrum virile intra vaginam effusione. Ad quam ex parte
viri requiritur et sufficit: 1°) *virga erectilis;* 2°) *unus* saltem *tes-*
ticulus ad verum semen elaborandum; 3°) *pervia communicatio*
inter virgam et testiculum. Ex parte feminae requiritur et suffi-
cit *vagina* absolute et relative penetrabilis per membrum virile.

219. Impotentia et sterilitas. Ex dictis admittenda est com-
munis doctrina superioris aetatis, ipsis fontibus iuris innixa, dis-
tinguens impotentiam *coeundi* et impotentiam *generandi*, quam
postremam eadem doctrina *sterilitatem* appellat.

Prior, quae unice venit sub nomine *impotentiae* stricte ac-
ceptae, est « quodlibet vitium sive naturale sive accidentale ma-
ris vel feminae *copulam coniugalem*, in sensu explicato ac-
ceptam, impediens ».

Sterilitas est « vitium sive naturale sive accidentale maris vel
feminae modo *permanenti*[8] impediens *quominus ex copula rite*
peracta sequatur generatio ». Nostra autem sententia nihil refert
ex quanam causa, temporanea vel perpetua, per se vel per acci-
dens[9] in peracta vera copula impediatur generatio, adeo ut cen-
seamus sterilitatem confundi cum impotentia seu *impossibilitate*
generandi. Stante tamen controversia circa determinatum casum
impotentiae mulieris excisae, ambitus *sterilitatis* variatur prout
latius vel arctius designantur limites impotentiae.

Sterilitas adest: 1°) in iuvenibus ante plenam pubertatem, si,
ut communius accidit, sperma quod secernunt in vera copula

[8] Impedimentum non permanens haud dicitur sterilitas, v. gr. saltem
ultimis praegnationis mensibus uterus perfecte clauditur ideoque ex co-
pula eo tempore habita sequi non potest generatio, nec tamen mulier
praegnans dicitur sterilis, immo praegnantia et sterilitas habentur ut res
quae inter se pugnant. Praeterea ex natura rei copula saepe debet esse
sterilis seu infrugifera, cum videlicet non coincidit cum decisione ovuli,
quae fere fit singulis mensibus.

[9] Distinctio passim adhibita *per se* et *per accidens* videtur versari in
aequivoco: nam si v. gr. senex ob aetatem dicitur sterilis, *per accidens*
quidem est quod copula habeatur a sene, at non est *per accidens* sed *per*
se, quod ex copula in tam senili aetate habita sequi *non possit* generatio-

nondum est prolificum. Eorum tamen sterilitas, quae cito disparere debet, minus propria est. Atque idem dicatur de femina iam capaci ad copulam, quae tamen necdum menstrua habet nec ovulationem.

In viris aetate provectis, quorum semen caret spermatozoidis aut, si quae continet, sunt debilia et parum evoluta ideoque plerumque infrugifera.

In mulieribus aliquot annos post *menopausam* seu cessatum fluxum menstruum, quod accidere solet inter annum 45 et 50.

2°) Ex diversis morbis quibus afficiuntur testiculi vel vesiculae aut prostata — vel eorum functio perturbatur — illi mares, sunt steriles qui semen emittunt destitutum spermatozoidis (*azoospermia*) aut iis praeditum, sed non vitalibus (*necrospermia*).

3°) Pariter ob vitium interiorum organorum aut ob perturbatam eorum functionem, mulier quae nullum ovulum suppeditat — v. gr. ob atrophizata ovaria — vel nullam permittit coniunctionem inter ovulum et sperma — v. gr. si adest deviatio ostii uterini vel uteri ipsius — vel ovulum ipsum maturare non potest, sterilis dicenda est.

4°) Nec desunt casus in quibus sterilitas pendet certo quodam modo ab utraque parte, v. g. si adest quando mucus vaginalis vel uterinus nemaspermata occidit; item si mulier virile semen retinere non valet etc.[10], praeter casum senectutis utriusque.

220. Vera sterilitas, tametsi sit perpetua et insanabilis « matrimonium nec dirimit nec impedit » (c. 1068 § 3). Ergo Ecclesia in hac parte impedimentum ultra limites iuris naturalis non vult extendere et consequenter naturalis impossibilitas generationis, quae in sterilitate insanabili habetur, sicut ex iure naturae matrimonium non dirimit nec impedit, ita ex iure ecclesiastico tale impedimentum non infert. Cuius rei ratio est quod generatio prolis, quamvis sit finis *institutionis* matrimonii, *instituti* matrimonii nec immediatum obiectum est nec finis unicus et necessarius. Matrimonii immediatum obiectum est mutua corporum traditio in ordine ad unionem sexualem, quae de se quidem tendit ad generationem; ea tamen etiam in iis qui steriles non sunt saepe illa efficacia destituitur quin eo ipso honestatem suam amittat.

---

[10] Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 92, n. 11, 45 sq.; *Gasparri*, I, n. 589; *Scherer*, 271 sq.; *Eschbach*, l. c., 155 sq. ubi varias causas *sterilitatis virorum* et mulierum recenset, e quibus *Antonelli*, Pro conceptu, 111, De muliere excis., 83, 120, 139, alias tacite admittit, alias in dubium vocat, alias reicit.

Porro praeter finem primarium propagationis speciei, qui positive excludi non potest, Deo sic disponente ac natura, matrimonium ordinatur tanquam ad fines secundarios ad mutuum adiutorium et solatium coniugum et ad sedationem concupiscentiae, qui duo fines etiam in coniugio insanabiliter sterili obtineri possunt.

221. Divisio impotentiae. Impotentia proprie dicta seu impotentia coeundi dividitur: I. In *certam* et dubiam[11].

II. In *antecedentem*, quae — certo vel dubie — existit ante matrimonii celebrationem, et in *subsequentem*, quae — certo vel dubie — supervenit matrimonio valide contracto[12].

III. In *perpetuam*, quae sine *miraculo* aut medio *illicito* aut sine *probabili vitae periculo* tolli nequit, et in *temporalem*, quae ipso tempore, ut in impuberibus, aut mediis *honestis* et *sine probabili vitae periculo* per ordinaria medicae artis subsidia, licet cum *gravi* quodam incommodo, aut per media spiritualia absque miraculo cessat[13].

---

[11] *Sánchez*, l. VII, disp. 103; ASS. XVII, 3 sq. ubi refertur caus. Seinen. 11 febr. 1884 a S. C. C. decisa.

[12] S. C. Inq. 12 febr. 1851, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 1002; *Gasparri*, I, n. 590; *Scherer*, § 115, not. 61, 73, unde constat ex variis praesumptionibus, non in iure statutis, sed ab auctoribus privatis allegatis illam esse doctrinae capit. 1, et 5, X, h. t. conformiorem, quae innititur distinctione utrum dubium *brevi tempore* an *longo intervallo post* matrimonium celebratum moveatur. Nam certe in secundo casu contra potentem partem, allegantem impotentiam alterius, militat praesumptio ideoque eidem imponitur onus probandi impotentiam allegatam; contrarium vero obtinet in primo casu, cum homo a natura factus sit potens nec brevi tempore censeatur transire ad impotentiam; hinc potius partis impotentis erit probare potentiam, sibi statim a celebratione matrimonii obiectam et negatam.

[13] Cfr. c. 3, 6, X, h. t.; *Sánchez*, lib. VII, disp. 93, n. 16 sq.; *Schulte*, l. c. § 18, p. 89 sq.; *Gasparri*, I, n. 591; *Rosset*, l. c. n. 1379, qui recte docent impotentiam perpetuam non existere, si ea v. g. *gravi* quidem operatione chirurgica, at *sine probabili vitae periculo* tolli potest. Cfr. quoque *Eschbach*, Disput. cit., 151 sq.; *Capellmann*, l. c. 163; *Olfers*, Pastoralmedicin, 55; *Cappello*, I, n. 346, ubi in nota *grave damnum salutis* aequiparat mortis periculo. S. R. Rota, 15 nov. 1909, (16 dec.) nullum declaravit matrimonium, cum adesset impotentia relativa et *curabilis*, quia « regiones, ubi mulier degebat, medicis in gynecologica scientia peritis et artis salutaris praesidiis carent ». De convalidatione matrimonii post operationem chirurgicam cum *vitae periculo* feliciter peractam cfr. *Sánchez* l. VII, disp. 93, n. 8 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 99 sq., 43 sq.; *Rosset*, n. 1393; aliter *Scherer*, § 115, not. 19, 89, qui ob rationes inefficaces ex cap. 6, X, h. t. petitas vocat communem et certam sententiam veterum et antiquorum doctorum male fundatam, secundum quam matrimonium, propter impotentiam *legitime declaratum* irritum, nequaquam restaurari debet,

IV. In *naturalem* et *accidentalem*. Illa oritur ex vitio quodam naturali congenito et intrinseco ipsius corporis[14]; haec repetenda est ex causa quadam extrinseca velut ex facto hominis vel ex infortunio vel ex superveniente morbo vel ex influxu quodam directo daemonis sive ex maleficio[15].

V. In *absolutam*, quatenus incapacitas coeundi existit cum omnibus personis alterius sexus, et in *relativam*, quae carnalem copulam perfectam tantum cum persona *certae complexionis* aut

---

si postea *miraculo* vel actione *inhonesta* vel *periculosa* operatione chirurgica impotentia cessavit. Cfr. quoque S. C. C. in c. Bonear. 23 iun. 1900, in *Anal. eccl.*, VIII, 291 sq.

[14] Quaenam sint illa vitia naturalia, quibus vera impotentia coeundi constituatur, non mera sterilitas, auctores et antiquiores et recentiores non omnino inter se conveniunt. Cfr. *Zacchias*, lib. III, tit. 1, q. 1, n. 22; *Eschbach*, l. c., 145 sq.; *Gasparri*, I, n. 572 sq.; *Capellmann*, l. c., 159 sq.; *Olfers*, Pastoralmedicin, 54 sq.; *Antonelli*, De conceptu, n. 16 sq., 92; Pro conceptu, n. 27.

[15] De ista causa impotentiae longe lateque agunt veteres scriptores usque ad ultimum fere saeculum. Cfr. v. g. *Hincmar. Remens*, in c. 4, C. XXXIII, q. 1; *Tancred.*, l. c., 61, 63 sq.; *S. Thom.*, Summa theol. P. III, Suppl. q. 58 art. 2; *Goffred. de Trano*, Summa h. t. n. 1 sq.; *Hostiensis*, Summa h. t. n 9; *Sánchez*, lib. VII, disp. 94 sq.; *Zacchias*, lib. III, tit. 1, q. 5, n. 42 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 14, 20 sq., iunct. *Rosset*, n. 1457 sq. Quamvis negari nequeat Deum *posse* diabolo permittere, ut hac in re suam vim in homines exerceat (cfr. Tob. VI, 14 sq., VII, 11 sq.; cap. 2, X, h. t. in parte decisa; Gregor. XV Const. *Omnipotentis Dei*, 20 mart. 1623), tamen *de facto* nequaquam quibuslibet historiunculis de sagis et maleficis, quondam relatis, fides est habenda. Non pauca quoque, quae veteres scriptores influxui diabolico tribuerunt, ex causis naturalibus facile explicantur. Cfr. *Eschbach*, l. c., 147 sq.; *Le'tner*, 155. Denique, non obstante contradictiose veterum scriptorum, non intelligitur quomodo impotentia quaedam ex maleficio *sit et probetur* antecedens et *perpetua*, si nulla laesio in organis corporalibus locum habuit. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 107, n. 8, 9; *Eschbach*, l. c.; *Feije*, n. 538; *Diefenbach*, D. Hexenwahn et D. Zauberglaube d. sechzehnt. Iahrh.; *Duhr*, Act. theolog. Oenipont. XII, 132 sq. Quodsi *Scherer*, § 115, not. 23, 45, vel ipsam *doctrinam* de *possibilitate* maleficii hac in re amandat ad superstitiosam credulitatem, certe iustam viam mediam egreditur. Cfr. *Feije*, l. c.; *Leitner*, 155, et in ed. *Santi*, l. IV, t. 15, n. 2; *Gasparri*, I, n. 593; *Hofmann*, Act. theol. Oenipont. XXV, 127. Propter rationes diversas *Innocentius IV* in comment. ad cap. 7, X, h. t. n. 2 cum *quibusdam doctoribus* tenuit: « *Melius videtur quod propter maleficium nullum matrimonium separandum sit* », cui *Hostiensis*, l. c. aliique vehementer sese opposuerunt. Cfr. *Esmein*, I, 273 sq. At ipse *Hostiensis* non videtur fuisse omnino persuasus de sua opinione circa perpetuitatem maleficii; secus non optasset ut R. Pontifex hac in re duas *novas daret Decretales*, quibus matrimonia ex capite maleficii in duobus casibus declararentur invalida. Cfr. *Ioann. Andreae*, Novella commentaria l. IV, t. 15, X, cap. 6, n. 25, cap. 7; n. 15; Decisiones cappellae Tolosan. apud *Esmein*, I, 272, not. 4.

quae habeat organa alteri parti haud apte conformata, non cum *omnibus* aliis personis excludit[16].

VI. Est etiam practici momenti distinctio in impotentiam *organicam* seu anatomicam et *functionalem*, prout pendeat ex vitio seu laesione in organis ad copulam requisitis, aut sine horum laesione perturbatur ipsorum functio, quod solet provenire ex variis morbis praesertim in nerveum systema influxum habentibus.

222. Notae historicae. Impedimentum impotentiae cum nitatur lege naturali[17], iuris mere humani mutationes et vicissitudines non subiit. Hinc potius inquirendum est qua ratione Ecclesia illud impedimentum successu temporis magis *declararit* et causas matrimoniales de impotentia coeundi in suo foro examinatas legitime definierit. Sua quoque utilitate non caret, si breviter exponatur quae fuerint de isto impedimento pro diversitate temporum *opiniones canonistarum et praxes receptae*.

Primis saeculis canones ecclesiastici, quibus impedimentum impotentiae proponatur, non reperiuntur. Cuius silentii, praeter singularem indolem huius impedimenti ab ipsa *natura* traditi nec ab hebraeis alieni[18], etiam assignari potest ratio quod Ecclesia generatim leges romanas de impedimento impotentiae tacite approbarit[19], reiectis erroribus iuris Romani et Talmudici

---

[16] Optimo consilio *Sánchez*, lib. VII, disp. 93, refutat illorum doctorum sententiam, qui tenuerunt impotentiam *perpetuam* mereque *respectivam* non existere; at in praxi non facile admittenda est impotentia *relativa* tanquam *perpetua*, eo quod saepe per artem medicam curari possit. Cfr. *Capellmann*, Medicina pastor., 164; caus. Warsav. coram S.C.C., 27 aug. 1892 disceptata, in ASS. XXV, 542 sq.

[17] Fuerunt doctores, qui putarunt impotentiam coeundi etiam perpetuam et antecedentem *solo iure canonico* dirimere matrimonium, v. g. *Pontius* aliique. Cfr. *Sánchez*, lib. VII, disp. 98, n. 1, disp. 97, n. 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 65; *Leitner*, 164 sq.; *Santi*, h. t. n. 7 sq.; *Rosset*, n. 1419; *Freisen*, 350 sq.

[18] Cfr. Levit. XXII, 24; Deuter. XXIII, 1, iunct. *Freisen*, 330.

[19] Ex L. 39, § 1, D. de iure dotium XXIII, 3, solummodo *spadones* perfecte *castrati*, sive fractione sive compressione testiculorum, fuerunt *inhabiles* ad *validum* matrimonium celebrandum, alii autem *natura* spadones et impotentes ad generandum (cfr. L. 2, § 1, D. de adopt. I, 7; L. 128. D. de V. S. L, 16; Novell. 117, cap. 12) absque ulla sanctione poenali *validum*, sed *solubile* potuerunt contrahere matrimonium. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 10, n. 2; *Freisen*, 330 sq.; *Scherer*, § 115, not. 1, 76; *Schnitzer*, 348; *Zhishman*, 207 sq.; aliter *Sehling*, D. Wirkungen der Geschlechtsgemeinsch., sq., qui opinatur iure Romano *castratorum* quoque matrimonium non fuisse prohibitum. Imperator Iustinianus postquam, L. 10, de repudiis V, 17, permisit ut possint mulier vel eius parentes sine periculo dotis amittendae repudium marito mittere, si is uxori ab initio matrimonii usque ad *duos*

de permissa dissolutione matrimonii propter *solam sterilitatem*[20].

Prima vice impotentia quaedam *mulieris* videtur commemorari in responsione Gregorii II (a. 726) S. Bonifacio data[21] = c. 18, C. XXXII, q. 7. Probatum quoque est hoc impedimentum canonibus Conciliorum francorum[22] atque libris paenitentialibus
anglicis et germanicis saeculi VIII vel IX[23]. Neque desunt documenta, quibus impotentia non solum ex *naturali impossibilitate*
coeundi, sed etiam ex *diabolica* repetitur operatione. Cfr. c. 4,
C. XXXIII, q. 1. Quam doctrinam canonibus confirmatam in suo
quoque Decreto tradit *Gratianus*, cui consentiunt: *Rolandus,*
Tancredus, Bernardus Papiensis et Hostiensis. Illud singulare
est in illis scriptoribus quod impotentiam ex *naturali* frigiditate
potius habuerint impedimentum quoddam *absolutum*, ex *maleficio* vero solummodo *relativum*. Cfr. *Freisen*, 337 sq.

Ecclesia romana usque ad finem saeculi duodecimi, querelis partis *potentis* contra *valorem* matrimonii non facile admissis,
cohabitationem coniugum tanquam fratris et sororis declaratio-
ni nullitatis praetulit[24]. Cfr. cap. 4, X, de frigidis et maleficiatis

---

annos continuos computandos coire minime propter naturalem imbe-
cillitatem valet; deinde Novell. 22, cap. 6, (a. 536), biennium produxit
ad triennium. Cfr. *Esmein*, I, 260 sq.

[20] L. 60 D. de donationib. XXIV, 1; *S. Augustin.*, in c. 18, C. XXXII,
q. 5; c. 27, C. XXXII, q. 7; *Zhishman*, 759.

[21] Frequentius in antiquis canonibus impotentia *viri* commemo-
ratur; canon vero in textu allegatus congrua interpretatione de impo-
tentia perpetua et antecedente *mulieris* est intelligendus, neque ad alias
interpretationes plus minusve contortas et difficiles est confugiendum.
Cfr. *Moy*, 510, ubi rem bene explicat; *Palmieri*, 109; aliter saltem ex
parte *Freisen*, 331; *Scherer*, in Arch. f. k. K. LXV, 371 sq., ubi putat
canonem non esse intelligendum de *impotentia* sensu stricto, sed de *in-*
firmitate uxoris, quae consummationem matrimonii reddidit *impossibi-*
lem; *Schnitzer*, 348, not. 5, ubi dubius videtur haesitare.

[22] Cfr. c. 17 Conc. Vermer. (a. 753), ubi mulieri *potenti*, non *viro*
impotenti ad copulam, novae nuptiae permittuntur, si impotentia viri
legitime fuerit probata (*exeant inde ad crucem*); c. 20 Conc. Compend.
(a. 757) = c. 3, C. XXXIII, q. 1; c. 15 Synod. Salisburg. (a. 799-800). De
auctoribus, qui a medio saec. XII impotentiae ex parte mulieris mentio-
nem faciunt, cfr. *F. Gillmann*, Arch. f. k. K., LXXXIX, 772.

[23] Paenitentiale *Theodori Cantuar.* († a. 690), (falso adscriptum),
apud *Schmitz*, D. Bussbuecher etc., 547, c. 32 iunct. 517, c. 29 ex ep.
Rabani ad Heribald. (a. 853), C. XXVII, q. 2; *Esmein*, I, 261 sq.

[24] In Gallia et Germania alia obtinuit praxis, ut patet ex canon.
supra allegatis et ex can., quem *Hincm. Remens.* citat ex Conc. Liftin.
(a. 745) (cfr. *Hefele*, III, 504) et ex parte decisa cap. 2, X, h. t.
(*Alexandri III*, a. 1170-1171), et c. 1, 2, C. XXXIII, q. 1 cum dict. —
Scherer, in Arch. f. k. K. LXV, 372, et in suo manuali iur. eccl. § 115,

IV, 15,[25]. Quae disciplina cum non paucis videretur esse seve-
rior[26] et paulatim plurima afferret incommoda, a RR. Pontifi-
cibus inde ab *Alexandro III* (a. 1159-1181[27]) est immutata. Insti-

---

not. 6 sq., cum aliis putat in antiquis illis canonibus impotentiam potius
haberi *causam solvendi* matrimonium valide contractum quam *impedi-*
mentum dirimens statim ab initio matrimonii *valorem*. Quae distinctio
magis subtiliter est inventa quam solide ex fontibus probata. Illa enim
« separatio » (cfr. v. g. c. 4, C. XXXIII, q. 4 iunct. c. 1, 2 ibid.) multo
naturalius ita explicatur, quod coniuges *ideo* fuerint separandi, *quia*
inter ipsos matrimonium *omnino non existit*. Cfr. *Rosset*, n. 1402.

[25] Cfr. de antiquiore praxi Ecclesiae roman. etiam cap. 2. (*Alexan-*
dri III, a. 1159-1181). « *Taliter respondemus, quod diversa sunt inde de-*
creta et diversae sententiae, sed consuetudo est romanae Ecclesiae in
similibus taliter tenere, quod si non potest eam sicut uxorem ha-
bere, ipsam habeat sicut sororem » et cap. 4, (*Clem. III*, a. 1190-1191), de
frigid. IV, 16, in Compl. I. (*Super quo Sedis Apostolicae litteras rece-*
pisti, in quibus continebatur, quod de romanae Ecclesiae consuetudine
non erat talium matrimonium separandum...); « Mandamus, *quatenus* pro
memoratis occasionibus non dimittat, quin praedictos virum et uxorem
(qui a *quinquennio* fuerunt matrimonio iuncti et per tres menses in eo-
dem lecto *dormierunt*, et vir *maleficio* dicitur fuisse impeditus a de-
bito coniugali) *per censuram ecclesiasticam insimul habitare compel-*
las ». Quae duo capita in compilationem authenticam *Gregorii IX non*
fuerunt recepta. *Scherer*, l. c. § 115, not. 9, putat *Rolandum* (postea Ale-
xandrum III), in sua Summa (canonica) adhuc dubium haesisse, utrum
impotentia esset impedimentum dirimens an causa separationis, et non
nisi in suis Sententiis (theologicis) postea publicatis omnino claris ver-
bis impotentiam proponere ut impedimentum dirimens. At *Rolandus*
scribit in Summa, 114: « *Idoneitas personarum* valde *est necessaria,*
sine qua consensus et pactio penitus probantur inania. *Nisi enim perso-*
nae fuerint idoneae ad matrimonium inter se contrahendum, consensus
et pactio eorum nullius erunt momenti. *Circa quam multa consideran-*
tur: Votum, ligatio, dissimilitudo fidei, error, condicio, spiritalis pro-
ximitas, aetas, enormitas delicti, impossibilitas coeundi... » praeterea,
p. 130, haec leguntur: « *Si quis acceperit uxorem,* cui carnaliter concordari
non possit, *si uterque eorum idem asseverat, divertere ab invicem atque*
aliis copulari licebit », unde *Gregorius*: « *Quod autem interrogasti* » etc.
Quod eis non liceret, si inter eos matrimonii vinculum existeret. Quae verba
videntur esse adeo clara, ut dubiae haesitationis nullum sit vestigium.
Sägmüller, Lehrbuch d. k. Kirchenrechts,[2] n. 594.

Si *Schnitzer*, 348, not. 5, provocans ad cap. 2, 4, X, h. t., *Freisen*, 345
sq., *Scherer*, in Arch. f. k. K. LXV, 371 sq., docent: « *certum est ex con-*
suetudine romana impotentiam non impedivisse validum matrimonium »,
tenent sententiam certo non fundatam; confundunt enim *denegationem*
separationis et novarum nuptiarum cum *validitate matrimonii*. Immo sola
permissio cohabitandi uti *frater* et *soror* potius demonstrat matrimonium
antea contractum habitum fuisse *invalidum*.

[26] *Tancred.*, l. c., 63; *Bernard. Pap.*, Summa, 180; *Hostiensis*, Sum-
ma, l. c.

[27] Cap. 2, 3, 4, (quod est *Alexandri III*, non *Lucii III*, ut legitur in
edit. corp. iur. can.) X, IV, 15.

tuto processu de nullitate matrimonii propter impedimentum im-
potentiae, ex iure Romano [28] Ecclesia adoptavit saltem ex parte
experimentum de triennali cohabitatione [29], atque processus ger-
manici sollemnitatem iuramenti *credulitatis* septimae manus [30]
potissimum in hac materia a suo foro non duxit esse repellen-
dam, neque respuit inspectionem corporis per peritos [31].

Inde a iure Decretalium [32] potissimum notanda est Sixti V Const. *Cum frequenter*, 23 iunii 1587, ad Nuntium Apostolicum in Hispania, ubi doctrinam catholicam de natura et origine huius impedimenti quoad eunuchos *« et spadones, qui utroque testiculo carent »* clarius definivit, et etiam *huiusmodi* coniuges, qui sive *scientes* sive *ignorantes* illum defectum matrimonia contraxerint, *separandos esse decrevit.* Celeberrima Benedicti XIV Constit. *Dei miseratione*, etiam processui de hoc impedimento *novam formam* imposuit, et Instr. SS. CC. supra citatis, praesertim S. C. C., 22 aug. 1840, singulae ordinis iudiciarii sollemnitates in istis causis matrimonialibus magis in specie sunt determinatae. Fatendum tamen est aliquas ex illis formalitatibus iuris antiqui et novi, secundum disciplinam nunc in Ecclesia vigentem, non iam adeo rigorose observari. Cfr. ASS. IV, 198, VI, 515, 518; Instr. Card. Rauscher, l. c.; *Rosset*, n. 1476 sq.; *Esmein*, II, 306 sq.

---

[28] Novell. 22, cap. 6. Cfr. supra h. tit. not. 19.

[29] Cap. 2 (*Caelestin. III*, a. 1191-1198), cap. 7, (*Honor. III*, a. 1216-1227) X, h. t.

[30] Cfr. c. 2, C. XXXIII, q. 1; cap. 5, 7, X, h. t.

[31] Gloss. ad c. 1, C. XXXIII, q. 1. et ad c. 29, C. XXVII, q. 2; cap. 3, (*Alexandri III*), cap. 6, (*Innoc. III*, a. 1206), X, h. t.; *Bernard. Pap.*, l. c., 177 sq.; *Esmein*, I, 281 sq.

[32] *Goffred. de Trano*, Summa h. t.; *Hostiens.*, Summa h. t.; *Ioann. Andreae*, Nov. comment. l. IV, t. 15, X.; *Panormitan.*, Commentar. in l. IV, t. 15, X; *Freisen*, 362 sq.; cuius tamen opinionibus passim calculus adici non potest. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 92, n. 3, 4, disp. 97, n. 1, sq., disp. 98, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 59 sq.; *Scherer*, § 115, not. 25, 26. Tempore medii aevi iam occurrunt vestigia illius doctrinae in compluribus codicibus, v. g. Galliae, Germaniae, nunc receptae, quod *impotentia coeundi* non constituat proprium et independens impedimentum dirimens ex inhabilitate personae, sed reducatur ad impedimentum *erroris* et aequiparetur impedimento erroris de condicione servili. Quae sententia tribuitur imprimis *Petro Lombardo*, Sentent. l. IV, disp. 34, aliisque non paucis, v. g. *Petro Paludano*, *S. Antonino*, immo ipsi *S. Thomae*. Cfr. *Panormit.* l. c. in cap. 4, X, h. t. addit. a.; *Sánchez*, l. c.; *Rosset*, n. 1420, 1424 sq.

Art. 1. De origine et ambitu impedimenti impotentiae

223. I. Viri [33] vel mulieris [34] impotentia perfecte *coeundi* [35],
non generandi, antecedens [36] et perpetua [37], sive cognita sive igno-
rata [38] a partibus contractum matrimonialem inter se celebran-
tibus, naturalis [39] vel accidentalis ex quacumque causa orta, fide-

---

[33] Perfecta in his est paritas inter virum et mulierem. Cfr. c. 29, C.
XXVII, q. 2; c. 1, C. XXXIII, q. 1; cap. 1, 7, X. h. t.

[34] Cfr. c. 18, 25, C. XXXII; q. 7; cap. 3, 7, X. h. t.

[35] Cfr. c. 27, C. XXXIII, q. 7; cap. 2, X, h. t.; *S. Thom.*, Comment.
in 4, l. sent. dist. 34, q. unic. art. 2; *Schmalzgr.*, h. t. n. 31 sq.; *Eschbach*,
Disp. cit. 142 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 92.

[36] Cfr. cap. 1, 2, 3, 6, X, h. t.; *Rosset*, n. 1402 sq.

[37] Cfr. cap. 3, 6, X, h. t.; Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 45; *Sán-
chez*, l. c.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 39 sq.

[38] Doctores quidam catholici etiam finito medio aevo, v. g. *Pontius*,
De matrim. l. VII, cap. 53 sq., cum *Petro Soto*, *Vasquez*, *Gotti* aliisque
opinati sunt impotentiam utrimque *cognitam non dirimere matrimonium*,
sicuti *servilis condicio* alterius partis cognita non irritat contractum ma-
trimonialem. Ipse quoque *S. Thomas*, qui in Comment. in lib. IV sent.
disp. 34, q. unic. art. 2, ad quart. et dist. 36, q. unic. art. 1, in corp. diffi-
ciliores quasdam habet locutiones, inter patronos huius sententiae recen-
setur. Cfr. *Sánchez*, lib. VII, disp. 92, n. 3, 4, disp. 97, n. 1; *Schmalzgr.*,
h. t. n. 62 sq.; *Rosset*, n. 1383 sq.; *Schnitzer*, 357. At contraria senten-
tia supra in textu asserta est vera et certa, et evidenter deducitur ex notis-
sima iuris regula: *Impossibilium nulla* est *obligatio;* sed contractus ma-
trimonialis est essentialiter mutua traditio iuris ad copulam carnalem,
quod a parte impotente ad coeundum tradi omnino non potest; ergo, defi-
ciente materia contractus, hic est nullus. Porro idem suadetur ex cap. 4,
X, h. t., ubi matrimonium cum *supposita scientia* impotentiae celebratum
dicitur invalidum. Denique Sixtus V, in Const. *Cum frequenter*, coniugia
sive matrimonia, per eunuchos et spadones utroque testiculo carentes cum
quibuslibet defectum illum sive *ignorantibus* sive *scientibus* contracta,
declaravit nulla et irrita. Profecto *Sánchez*, l. VII, disp. 97, n. 13, opinatus
est virum et feminam cognita ab initio impotentia *non* posse quidem *vero
matrimonio* copulari, sed *alio quodam contractu civili*, quo simul habitan-
tes mulier sese obliget ad *servitia* praestanda et vir ad ministranda ali-
menta, dummodo periculum incontinentiae non subsit. Cfr. *Schmalzgr.*,
h. t. n. 62 sq. Quare *Scherer*, II, 277, not. 64, minus accurate opinionem
tribuit Sánchez quod istae personae possint *matrimonium inire* vel potius
simulare (sich ehelichen, Simulation), ideoque perperam provocat ad cit.
Sixti V Const., ubi *matrimonium*, non qualiscumque contractus civilis in-
ter tales personas damnatur. At recte Sánchez monet *« huiusmodi confoe-
derationem »* non esse facile permittendam. Immo in iis, quae *Sánchez* ar-
guit ex permissis *aliis* contractibus civilibus, non valet paritas, et codi-
ces civiles non solent permittere pacta de servitiis praestandis cum obli-
gatione *absolute perpetua*. Cfr. cod. civ. German. § 624.

[39] Rubrica huius tituli iuris Decretalium: De frigidis et maleficiatis
et impotentia coeundi continet tria membra, e quibus duo priora ratione
causae denotant duas determinatas species impotentiae; tertium vero mem-

lis vel infidelis, matrimonium *contrahendum* cum omnibus personis, si sit *absoluta*, cum certis tantum personis determinatae complexionis, si sit *relativa*, ipso *iure naturae*, non iure mere ecclesiastico, irritat (c. 1068 § 1)[40].

Paludanus quidem, *Pontius* aliique opinati sunt impotentiam coeundi solo iure positivo Ecclesiae irritare matrimonium contrahendum: quae sententia solido vereque probabili fundamento erat omnino destituta, et cum *S. Thoma*[41] et *Sánchez*[42] ab omnibus fere doctoribus catholicis contraria sententia tanquam certa et indubitata tenebatur. Nam contractus matrimonialis essentialiter consistit in mutua traditione iuris in corpus ad exercendos actus ab ipsa natura destinatos tanquam naturalis via ad generationem; iam vero qui laborat illa impotentia antecedente et perpetua huiusmodi ius alteri parti tradere omnino non potest; ergo ex natura rei, cum impossibilium nulla sit obligatio, contractus matrimonialis a tali impotenti celebratus nullus est et irritus. Quae ratio etiam procedit, si de sola impotentia *relativa* agatur; etenim matrimonium est essentialiter contractus inter duas determinatas personas: ergo si una ex illis saltem relative sit impotens, principale obiectum contractus tradere nequit, ideoque ipso iure naturae saltem *iste* contractus matrimonialis est invalidus. Quae argumentatio ex natura rei petita comprobatur cit. Const. Sixti V *Cum frequenter*, neque ulla ratione obstat *comparatio* inter puerum et impotentem cap. 2, X, h. t. adhibita, cum non procedat de *iure*, quo nullitas matrimonii in utroque casu oritur. Inde efficitur *infideles* quoque seu omnes homines non baptizatos hoc impedimento ligari, neque ullam in eo a R. Pontifice posse concedi dispensationem.

II. Impotentia vero coeundi *antecedens* et *temporalis*, sive absoluta sit sive relativa, cognita vel ignorata, naturalis vel accidentalis, matrimonium contrahendum *non irritat* nec iure naturae nec iure ecclesiastico, nisi quoad ius ecclesiasticum excipiatur temporanea impotentia impuberum vel puberum ante canonicam nubilem aetatem, quo in casu irritatio unice repetitur ex facto non habitae aetatis iure ecclesiastico requisitae.

III. Denique impotentia coeundi *temporalis* vel *perpetua* qualiscumque, matrimonio sive consummato sive etiam rato *superveniens*, matrimonium ab initio *valide* contractum *non* dirimit. Quodsi matrimonium certo mansit ratum, impotentia superveniens unius partis potest esse ratio sufficiens petendi et obtinendi a R. Pontifice *dispensationem* super matrimonio rato[43].

At quamprimum impotentia superveniens *certo* est cognita, et actus solummodo separatus unius coniugis seu mera pollutio, non vera copula, fieri potest, illius matrimonii etiam valide initi usus tamdiu omnino redditur illicitus[44] quamdiu impotentia *certo* perdurat.

IV. Si post contractum bona fide matrimonium impotentia *antecedens* et *perpetua* sive absoluta sive relativa saltem unius coniugis *certo* detegatur, a fortiori matrimonii istius, utpote omnino irriti, omnis usus est interdictus. At quoniam dissociatio matrimonii privata auctoritate fieri non potest, sed publicae auctoritatis sententia, interim coniuges secluso incontinentiae periculo, quod exceptis forte senibus fere semper adest, tanquam frater et soror in eadem domo cohabitationem continuare *possunt*, sed non debent, ideoque in praxi ista cohabitatio non est facile permittenda[45]. Verum si ex officio procedatur contra ma-

---

brum sese habet ad instar *clausulae generalis* et aliis verbis ita enuntiari posset: «*Et aliis impotentibus ad coeundum*» v. g. castratis; cfr. *Panormit.*, l. c. l. IV, t. 15, X, pr. Quid veteres scriptores intellexerint nomine *maleficiatorum* patet ex dictis in praecedenti nota; *frigidos* vero appellarunt eos viros, qui necessario *calore* fuerunt destituti ut *erigerent* membrum, mulierem *perforarent* atque *seminarent intra vaginam*. Cfr. *Antonelli*, De *conceptu*, 58, 67 sq. Quibus frigidis opponebantur *nimis calidi*, qui extra vas mulieris effundebant semen antequam sexualem coniunctionem perficere possent. Cfr. *S. Thom.*, l. IV, sent. dist. 34, q. un. a. 2. At nostra aetate antequam propter impotentiam coeundi ex frigiditate vel caliditate nullitas matrimonii declaretur, sedulo inquirendum est num revera illius impotentiae coeundi adsit causa *perpetua* et *incurabilis*. Cfr. S. C. C., 24 ian. 1871, iunct. 9 maii 1874; *Eschbach*, l. c. 145 sq.

[40] Cap. 5, 6, 7, X, h. t.; S. C. C., 15 dec. 1877, in ASS., XI, 134 sq.; *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 93; *Schmalzgr.*, h. t. n. 39 sq.; *Rosset*, l. c. n. 1398 sq.; *Scherer*, l. c. II, § 115, not. 22, 85, aliique communiter contra paucos antiquiores et recentiores scriptores, inter quos *Uhrig.*, Eher., 319, ob cap. 6, X, h. t. impotentiam *relativam* perperam restringit ad solas *mulieres*.

[41] *S. Thomas*, dist. 34, q. unic art. 2, ad prim. Quare *S. Thomas*, eod. loco ad quartum et dist. 36, q. unic., art. 1, in corp., ne manifestae arguatur contradictionis, alio modo est explicandus; videtur enim S. Doctor loqui non de obligatione ex *valido* matrimonio orta, sed de *alia* obligatione, sc. cohabitandi ut frater et soror aut saltem alimenta suppeditandi comparti ob impotentiam relictae, si quis *scienter* cum impotente contraxit. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 42; *Gasparri*, I, n. 526.

[42] *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 98.

[43] *Sánchez*, l. VII, disp. 102, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, n. 45, 46; *Gasparri*, I, n. 594; *Feije*, n. 439; *Eschbach*, Disp., 143 sq.; c. 25 (ex interpret. ad Pauli sentent.) C. XXXII, q. 7; *Rosset*, n. 1402 sq., 1446 sq.; *Freisen*, 178, 333, 810 sq.

[44] *Sánchez*, l. VII, disp. 102, n. 5 sq., l. IX, disp. 17, n. 20; *Schmalzgr.*, h. t. n. 48 sq.; *Eschbach*, l. c., 69 sq.; *Scherer*, II, 275 sq.

[45] Cfr. cap. 2 (in parte decisa) 3, 4, 5, X, h. t.; S. C. Inq. 8 mart. 1900; *Benedictus XIV*, De Syn. dioec. l. IX, cap. 10, n. 2; *Feije*, n. 541;

trimonii valorem propter *notoriam* impotentiam coeundi, v. gr. in notorie castratis vel post sententiam nullitatis ex capite im-potentiae prolatam, etiam quoad cohabitationem separandi es-sent [46], nisi forte lex civilis obstet separationi et desit periculum incontinentiae [47].

V. In casu *impotentiae dubiae*, sive dubio iuris sive praeser-tim facti, *matrimonium non est impediendum* (c. 1068 § 2). Quae canonis praescriptio supponit dubium positivum, sive iuris sive praesertim facti, post diligentem investigationem persevera-re sive ex iudicio medicorum sive ex positivis indiciis et experi-mentis [48], et si agatur de dubio facti partem positive de sua poten-tia dubitantem alteram partem de hoc dubio praemonuisse, ne contra iustitiam privet eam iurium matrimonialium exercitio. Quibus suppositis *ius naturale* ad matrimonium est in *possessio-ne*, donec de contrario *certo* constet. Nec iusta gravisque causa deest cur, stante dubio, talis sacramenti matrimonii celebratio permittatur; secus enim is, qui ita dubitat de sua potentia, ad perpetuum cogeretur caelibatum et cum gravi dispendio salutis aeternae careret remedio contra concupiscentiam [49].

Matrimonio celebrato, eodem perseverante dubio vel dubio tum primum exorto, ex generali iuris principio (c. 1014) stan-dum est pro valore matrimonii, et coniugibus licet conatus co-pulae quamdiu est spes consummationis matrimonii, et utraque pars erga alteram tenetur adhibere apta remedia ut fiat potens ad copulam ordinario et perfecto modo habendam.

VI. *Experimentum triennale*, quod iure Decretalium poterat et debebat iniungi coniugibus dubia impotentia antecedente et perpetua laborantibus, ita ut eo inutiliter elapso posset procedi ad sententiam pro nullitate ferendam [50], licet saec. XVIII adhuc

---

Rosset, n. 1485; *Gasparri*, I, n. 549. Si mala fide fuit celebratum, per se patet posse et debere fieri separationem etiam privatim.

[46] Sixti V Const. *Cum frequenter; Gasparri*, l. c.; *Scherer*, II, 277.

[47] S. C. C. 15 dec. 1877, in ASS. X, 504 sq.; *Gasparri*, l. c.

[48] Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 103, n. 10; *Leitner*, 160; *Cappello*, I, n. 367.

[49] Quae ultima ratio certe non urget in casu impotentiae mere rela-tivae; nihilominus Codex absolute loquitur de quavis impotentia dubia *Cappello*, I, n. 366; *Vlaming*, I, n. 273 sq.

[50] Cfr. c. 5, 7, X, h. t. iunct. Novell. 22, cap. 6 et *Bened. XIV*, De Syn. dioec. l. IX, cap. 10, n. 2 et *Scherer*, § 115, not. 76, *Sánchez*, l. VII disp. 108-112; *Schmalzgr.*, h. t. n. 80 sq. At penitus condemnandum fuit experimentum « congressus », quod saec. 16 et 17 a tribunalibus Galliae fuit iniunctum; cfr. *Esmein*, II, 309 sq.; *Sánchez*, l. VII, d. 109, n. 15; *Scherer*, l. c. n. 82. Cuius turpissimae praxis vestigia vel in ipsis actis causae Castri Maris, 6 maii 1893 a S. C. C. decisae, occurrunt (cfr. ASS. XXVI, 85).

in praxi S. C. C. retineretur (cfr. ed. *Richter* Conc. Trid., 258 sq.), postquam a. 1817 ultima vice applicatum fuit in causa *Fo-rolivien.*, iam in Instr. S. C. Inq. 20 maii 1882, non amplius com-memoratur, ideoque saltem ab eo tempore erat censendum a disciplina vigente alienum, quamvis formaliter et expresse non fuisset abrogatum; iam enim propter malam fidem coniugum fa-cile non amplius erat medium *honestum* et *utile* [51]. Quare nihil mirum quod S. C. C. contra experimentum triennalis cohabita-tionis, ab inferioribus iudicibus impositum, admiserit recursum. Cfr. S. C. C., 1 sept. 1883 et 9 aug. 1890, in ASS. XVI, 215 sq.; XXXIII, 215 sq. At Syn. Sciarf. (a. 1888) refert experimentum triennii ut vigens.

Cum in Codice nulla mentio fiat talis experimenti, huiusmodi silentium, praesertim attenta praecedenti praxi, interpretandum omnino videtur de absoluta ipsius suppressione. Gravissimae dif-ficultati, quae ex natura rei invenitur in probanda impotentia antecedente et perpetua, ex praxi recepta iam alia via provide-tur, qua simul consulitur bono spirituali et temporali coniugum; quia, si saltem constet matrimonium non fuisse consummatum, dubium de impotentia habetur ut sufficiens causa ad impetran-dam a R. Pontifice dispensationem super matrimonio rato et non consummato, quod satis ostendit processus de novo ordina-tus a S. C. de d. Sacr., 7 maii 1923.

224. Vitia impotentiam constituentia. Quoniam in arte medi-cinae et chirurgiae post progressus recenter factos, vitia quibus curandis antea media praesto non erant, nunc haud raro non habentur incurabilia, singularis est difficultas pro foro ecclesias-tico in diudicandis vitiis, quae antecedentem et *perpetuam* in-ducunt impotentiam. Quae difficultas crescit, cum quaestio est de impotentia mere relativa.

Vera impotentia admittenda est *in viro*: 1°) si caret virga aut utroque testiculo aut ii perpetua seu insanabili atrophia la-borant: quae impotentia est absoluta, cum quae omnes doctores ad copulam coniugalem requirunt a tali viro praestari non pos-sint. Atque huc pertinet declaratio Sixti V, Const. *Cum frequenter*, 27 iun. 1587, de eunuchis et spadonibus utroque testiculo caren-tibus, licet aptitudo ad copulationem in ipsis agnoscatur, quae plerumque datur in iis qui in adulta aetate castrati sunt, etsi deficiat in iis qui a nativitate utroque testiculo carent.

At cum spadonibus non sunt confundendi *cryptorchidae* in

---

[51] *Leitner*, 162; *Scherer*, l. c. not. 93; *Feije*, n. 544 sq.; *Esmein*, II, 453 sq.

quibus testiculi non desunt, sed eos habent in interiore parte abdominis reconditos, nisi simul alio vitio laborent.

2°) Casus *hypospadiae* vel *epispadiae*, cum nempe orificium virgae sistitur in ipsius medio vel radice, etiam videtur esse casus impotentiae, nisi per mutationem situs in coitu intra vaginam, per virgam penetratam, semen effundi possit. Sed de ablatione defectus per operationem dubitant ipsi chirurgi; quae tamen operatio cum admittatur difficilis et periculosa, saltem hodie eius possibilitas non videtur auferre ab illo duplici vitio rationem impedimenti matrimonialis.

3°) Casus virgae abnormiter magnae, quae vaginam penetrare non possit, aut perquam exiguae, quae nequeat hymenem perfringere; haec tamen impotentia est plerumque relativa.

4°) Absolutus defectus conductionis seminis, cum perinde sit semine in testiculis elaborato carere, ac semen non posse conduci ad eiaculationis organum.

5° Qui laborant defectu erectibilitatis virgae, qui saepe est coniunctus cum variis morbis — defectus organicus seu physicus — aut cum *vitio functionali* organorum, aut cum variis appetitus sexualis anomaliis — *anaphrodisia*, impotentia psychica —. Item qui laborant *aphrodisia* seu defectu contrario nimiae excitationis venereae, ita ut semen ante copulam effundant, quos veteres vocabant nimium calidos, sicut *frigiditatem* dicebant, quando aderat anaphrodisia vel defectus functionalis in organis, quam nimis frequenter tribuebant maleficio.

Quae impotentia quando est functionalis aut psychica difficulter potest probari *perpetua*, cum, si medicos audias, curari possit; haec autem saepe non est nisi relativa, et in quantum relativa multoties est vere insanabilis ideoque perpetua.

6°) Impotens habendus est vir qui non potest nisi ad ostium vaginae semen deponere, sive haec impotentia proveniat ex defectu in viro sive proveniat ex defectu in muliere — quo in casu haec erit proprie impotens, si defectus mulieris efficiat ut quilibet vir non nisi eo modo possit seminare —. Sane hucusque canonistae unanimiter admiserant impotentiam absolutam sive saltem relativam mulieris, quae vaginam habet adeo arctam ut membrum genitale aut nullius viri aut certe mariti illam ad seminandum penetrare non possit, atque insuper non esset sperandum fore ut *arctitudo* illa sine vitae periculo curetur. Quam sententiam difficiliorem reddidit nova opinio medicorum, qua fecundatio dicitur fieri posse, si vir saltem ad orificium vaginae semen applicare valet. Cfr. *Eschbach*, l. c. 68 sq.; *Antonelli*, De conceptu, 52. Inde *potentia* mulieris — vel viri — non videtur

esse asserenda, cum vir vaginam — artam — mulieris penetrare nequeat, ut videntur admittere: *D'Annibale*, P. III, 431, not. 10; *Scherer*, II, 273 sq., aliique. Cui opinioni obstat cap. 6, X, h. t., quo evidenter impotentiae impedimentum existere declaratur, si vir vaginam mulieris ad seminandum penetrare non potest. Porro praxis Ecclesiae accurate inquirendi de *artitudine*, latitudine et proportione vaginae, in sententia ista *nullum* amplius haberet sensum. Praesertim vero impotentia *relativa* vix iam esset admittenda — quod attenta praxi et doctrina Ecclesiae est omnino reiciendum —; nam applicatio seminis ad orificium vaginae semper fieri posset. Deinde in hac *materia* unanimis sententia canonistarum et moralistarum suum retinet pondus. Tandem idem probat ratio interna; nam potentia ad consummationem requiritur iuxta *modum* a natura institutum, nec valor matrimonii pendere potest a casibus *fortuitis;* cfr. supra n. 218, 4°. Quare si peracto experimento copulae per triennium nulla consummatio sequeretur, per se sententia pro nullitate matrimonii ex impotentia absoluta vel relativa poterat ferri, nunc autem potius omisso triennali experimento petenda est dispensatio matrimonii rati. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 93, n. 15; *Schmalzgr.*, h. t. n. 44; *Tarquini*, in cit. vot. caus. Salernit. n. 15; *Gasparri*, I, 516; *Rosset*, n. 1413 sq.; *Leitner*, 156 sq. Quodsi iste modus habendae copulae in orificio vaginae ad constituendam potentiam mulieris est omnino reiciendus, multo magis erit improbanda fecundatio *plane artificialis*, qua semen virile in vaginam mulieris arte, non per copulam *naturalem* et perfectam inducitur. Nam ista fecundatio habetur contra modum *a natura* statutum et per media omnino *inhonesta*, i. e. per onanisticam sive solitariam pollutionem. Quare S. C. Inq. ad quaesitum: « *An adhiberi possit artificialis fecundatio* » 24 mart. 1897, respondit: « *Non licere* ». Cfr. *Eschbach*, l. c., 70 sq.; *Gasparri*, II, n. 1095; *Leitner*, l. c.; *Scherer*, l. c., not. 47.

225. *Mulier* autem est impotens: 1°) si caret vagina; 2°) si eam omnino habet occlusam seu impenetrabilem — occlusio autem intelligenda est quae impedit virgae ingressum —; 3°) si habet nimis artam sive absolute sive relative; 4°) si laborat vaginismo. Hi tamen casus, praeter primum, intelligendi sunt de vitio insanabili sive per medicinas sive per operationem, quae nec grave vitae periculum nec grave sanitatis detrimentum afferat; secus enim illa impotentia non est nisi temporanea: temporaneae autem impotentiae plurimi sunt casus, quos referunt physiologi ac doctores qui de medicina pastorali scripserunt, nec rarus est casus, in quo impotentia de se curabilis sit vera et insanabilis

impotentia *relativa*, quod praesertim accidit in morbis animi, v. gr. saepe est morbus insanabilis unius ab altero invincibilis aversio, undecumque proveniat, velut ex odio, deformitate, halito tetrum spirante etc. Cfr. *Vlaming*, I, n. 266bis, cui reciso modo contradicit [52] *Cappello*, I, n. 351, not. 29.

226. De muliere carente utero et ovariis. Utrum talis mulier sit impotens est res quae ultimis hisce annis acriter controversa fuit, nec illa controversia penitus cessavit.

De impotentia *ad generandum* mulieris utroque ovario perfecte privatae in praesenti statu scientiae physiologicae nullus potest dubitare; utroque ovario deficiente, deest ovulatio et in fecundatione ovuli essentialiter consistit conceptio. Uno ovario deficiente et alio existente et sano, nihil est cur impossibilis habeatur conceptio. Si caret solo utero, a pluribus habetur capax conceptionis sic dictae *extra-uterinae;* ab aliis conceptionis extra-uterinae possibilitas negatur, quia vagina tunc est perfecte clausa nec habet communicationem cum ovariis [53]. Praesens quaestio relate ad carentiam uteri unice versatur in altera sententia seu hypothesi absolutae carentiae communicationis inter uterum et ovaria, in qua sola incapacitas generationis est admittenda, atque ex huius incapacitatis suppositione praesertim procedit controversia.

Defectus ovariorum vel uteri vel utriusque rei potest esse congenitus vel arte seu chirurgica operatione procuratus [54]. Illa chirurgica operatio vel est operatio *porrensis*, a doctore Porro ita appellata, consistens in laparatomia, qua omnino auferuntur uterus et ambo ovaria; vel est operatio dicta *hysterotomia consistens* in ablatione uteri, quae dicitur *vaginalis* si fit per vaginam, *abdominalis* si fit per laparatomiam seu incisionem ven-

---

[52] Cfr. *Capellmann*, l. c., 159 sq.; *Rossel*, n. 1389 sq., n. 1406; *Antonelli* et *Eschbach* alias referunt causas impotentiae. In qua quaestione de casibus impotentiae opportuna incidit illa animadversio *Gasparri*, I, n. 504, not. 1, « medicorum seu physiologorum esse in hac materia describere humanum organismum et singulorum organorum functiones ac relationem ad generationem prolis: sed cum facta certa sunt et iam quaeritur utrum aliquis actus sit licitus necne, utrum aliquis in organismo defectus secum ferat impotentiam et ideo matrimonii nullitatem, an simplicem sterilitatem, medicorum seu physiologorum specialis competentia cessat omnino, et subintrat auctoritas Ecclesiae, quae sola est legitimus et authenticus interpres iuris divini seu naturalis seu positivi ».

[53] Cfr. *Antonelli*, De conceptu impot. n. 109 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. n. 1007; *Cappello*, I, n. 353.

[54] Cum ovaria omnino atrophizata perinde sint ac ovaria non existentia aut exsecta in ordine ad capacitatem generandi, iam ex sese intelligitur quod defectus ovariorum etiam ex morbo oriri potest.

tris: quae operationes si habendae sunt licitae, cum fiunt ad vitam feminae salvandam aut proximum vitae periculum avertendum, omnino reprobandae sunt, sicut quaevis alia gravis mutilatio, quando illa gravis causa excusans non adest, v. gr. si unicum scopum habent impediendi ne mulier gravida fiat et in partum periculosum veniat et a fortiori si fiant ex turpi fine reddendi mulierem prorsus sterilem, retenta facultate percipiendi voluptatem ex coitu eodem modo ac antea possibili [55].

In memorata controversia ab omnibus est admittendum utramque sententiam asserentem et negantem impotentiam impeditivam validi matrimonii, attentis patrocinio plurium et gravium doctorum [56], iurisprudentia SS. CC. et rationibus intrin-

---

[55] Cfr. *Lehmkuhl*, II, 856; *Noldin*, De praecept. n. 322; *Eschbach*, disp. 3, cap. 4, app. I; *Ferreres*, Theolog. mor. II, 1009; *Cappello*, I, n. 353.

[56] Negant existere in casu veram impotentiam: *Eschbach*, Disp. phys. theol., 14 sq., 35 sq., De novo quodam sterilit. conceptu in *Analect. eccl.* X, 85 sq., De essentia imped. impotent. ibid. XI, 269; *D'Annibale*, III, n. 413, not. 9; *Gasparri*, I, n. 578 sq.; *Ojetti*, Synopsis v. Impotentia cum magna eruditione et solida argumentatione; *Ferreres*, Theol. mor. II, 1005 sq.; Derecho sacramental, n. 568 sq., De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae, n. 253 sq.; *De Smet*, n. 554 sq.; *Cappello*, I, n. 353 sq.; *Laurentius*, Inst. iur. can. n. 619; Theses in coll. Lovaniensi S. I. de univ. theolog. (a. 1904), thes. 78; *Vermeersch*, De castitate, n. 58 sq., 62 sq.; *Berardi*, Praxis confess. IV, n. 800 sq., et in pag. 646; *Génicot*, II, n. 503; *Elbel-Bierbaum*, Theol. moral. III, n. 270; *Aertnys*, Theol. mor. II, n. 563 etc. Cfr. quoque *Ballerini*, II, n. 865, itemque *Palmieri*, De matrim. christiano, 9 sq.

Impotentiam affirmant: *Antonelli*, in operibus: De conceptu impot. et sterilit., Pro conceptu impot. et sterilitat., De mulieris excisae impot. Medicina pastoral. II, n. 43 sq.; *Bucceroni*, Theol. mor. IV, n. 958, cum nota; *De Luca*, Commentarii in l. IV Decret., 36 sq., 231 sq., 230 sq.; Santi-Leitner, libr. IV, t. 15, n. 1, in nota; *Rosset*, n. 1408 sq.; *Casacca*, De carentia ovarior. relate ad matrim., Papiae (1904).

Si *Wernz* adnumeratur inter patronos sententiae affirmantis, quam revera in nota 34 ad n. 345 dixit esse praeferendam, certo scimus quam eo loco expressit non esse eius veram mentem et sententiam. Mitissimus vir dum ea controversia *ferventibus disputationibus*, ut ipsius verbis utar, in Urbe agitaretur atque intra ipsos domesticos parietes haberet collegas, qui sententiae contrariae essent *fervidi* patrocinatores, satius duxit nullum pro sua parte dare praetextum concertationi partium, abstinendo a propria sententia propugnanda et commendando moderationem in disputando, cum conclusio practica in utraque sententia, sive una sive altera dicatur *mere probabilior*, debeat esse eadem. Quod consilium a praeclaro auctore susceptum est dum in sui operis impressione — cui nos ipsi adiutricem manum praebuimus — pervenit ad hunc locum, quo tempore patroni sententiae propugnantis impotentiam sollicite ab officialibus S. Officii conabantur expiscari aliquam responsionem, qua possent elidere vim responsorum ipsius S. Officii ab eorum adversariis allegatorum. Inde

secis, vera et solida probabilitate donari, ideoque impotentiam esse dubiam et dubium impedimentum; inde autem consequens est utriusque sententiae patronos admittere debere in casu practice obtinere principium c. 1068 § 2 « *matrimonium non esse impediendum* ».

227. Theoretice omnino praeferenda et probabilior nobis videtur sententia impotentiam negans.

Cui sententiae praeter auctores in praecedente nota allegatos favet iurisprudentia S. Officii; quae est Congregatio competens ad declarandum ius naturale. Quatuor habentur S. Offic. responsa: *a*) Die 3 februarii 1887. « Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum. Et re mature perpensa E.mi dom. decreverunt: matrimonium non esse impediendum » [57].

b) S. C. S. Officii, 23 iulii 1890 — *Quebec.* — « Se una donna cui per mano chirurgica siano state asportate ambedue le ovaie e l'utero, possa validamente contrarre matrimonio — R. Matrimonium non esse impedimentum [58] ». (Collect. S. C. de P. F. n. 1733).

c) Tertium responsum ita refertur in n. 1907 eiusdem Collectanea: « S. C. S. Offic., 1 iulii 1895 — *Westmonasterien.* — « Utrum puella N. cui ovaria per operationem chirurgicam ablata sunt quaeque proinde, licet ceteroquin perfecta sit, prolem concipere nequit, matrimonium valide et legitime contrahere possit — R. Detur responsum in *Reghinensi*, sc. iuxta exposita, matrimonium in casu non esse impediendum » [59].

---

nemo mirabitur quod auctor, consultor S. Officii, revocaverit ad privatam communicationem sibi factam ab anonymo agente in Urbe. Idem etiam patet ex correctione quam dicit esse faciendam in nota 39 numeri 302, quam notam redegerat et typis iam mandaverat secundum propriam sententiam de validitate matrimonii mulieris excisae. Similem immutationem valde moderato modo postea fecit, cum ageret de impedimento affinitatis, n. 432, nota 51. Quare non duximus esse contra, sed iuxta mentem clarissimi *Wernz*, si mutatis circumstantiis absentiam impedimenti impotentiae in casu mulieris excisae in ipso textu propugnamus.

[57] Dubium alia ratione referunt fuisse propositum: *Ojetti*, n. 2421; *Gasparri*, I, n. 578; *Rosset*, n. 1412; *Palmieri*, in nota ad n. 865 (operis *Ballerini-Palmieri*, VI) sc. « Num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum *sterilis effecta*, ad matrimonium ineundum admitti valeat et liceat, necne ».

[58] Hoc responsum ab *Antonelli* dicitur datum die 30 iulii, fortasse quia hoc die fuit transmissum, licet datum die 23 iulii. Cfr. *Ferreres*, De vasectomia etc., 185, not. 7.

[59] Cfr. *Ferreres*, l. c. not. 2, utrum responsum in *Reghinensi* sit legendum in *Regiensi* et concordet cum responso in Quebecensi.

Quae responsa, licet sint data de casibus particularibus, debent iudicari esse data ad dubia prout ea proposita sunt, nec resolutio casus particularis fieri potest nisi applicando casui particulari doctrinam theoreticam, seu principium quo responsum innitatur; quod principium aliud esse non potest, nisi quod impossibilitas generandi — stante possibilitate copulae — aut non est impotentia de iure naturae matrimonium irritans aut saltem est impotentia *dubia* ideoque practice impotentia nulla (*Ojetti*, l. c. n. 2421).

d) Quae conclusio de impotentia omnino habenda ut *dubia*, singularem accipit confirmationem ex responso dato a S. C. de d. Sacr. 2 april. 1907, a qua cum interrogatum fuisset an permittendum vel prohibendum esset matrimonium determinatae feminae, cui uterus et utrumque ovarium *totaliter* ablata fuerant, respondit: « detur responsum S. C. S. Officii diei 23 iulii 1890 in causa *Quebecen.*, sc. matrimonium non esse impediendum ». Iam remissio negotii ad S. C. de d. Sacr. manifeste probat a S. Officio iudicatum esse hanc materiam, saltem pro praxi, satis esse discussam, ideoque impotentiam in casu saltem esse dubiam, quae matrimonium non impediat [60]. Inde etiam patet exceptiones ab *Antonelli* aliisque ad decisiones S. Officii propositas de dubiis circa factum perfectae sterilitatis, per operationem inductae, omni valore destitui.

228. Eadem sententia benignior impotentiam negans intrinsecis rationibus commendatur. In favorem quidem alterius sententiae merito allegari potest paritas cum viro testiculis privato, qui verum semen in copula suppeditare non potest, cum physiologice aeque principale elementum sit semen virile et ovulum femineum ut ex copula sequi possit generatio. Aeque vero fatendum est cum paritate ex hac parte — hoc ipsum autem est in quaestione utrum vera certaque impossibilitas generandi sit necne mera *sterilitas* quae matrimonium non impedit — ingentem aliunde dari disparitatem. Nam ovulum ad generationem necessarium a femina non subministratur in actu coniugali, sed independenter ab ipso; decisio ovuli nullam habet coniunctionem cum actu coniugali, sed est effectus processus evolutivi

---

[60] Cfr. *Ferreres*, in cit. opusculo, De vasectomia etc. n. 249 sq. ubi ex allegatis documentis constat responsum S. C. pertinere ad factum certum totalis et perfectae extirpationis utriusque ovarii et uteri per laparatomiam seu per viam abdominalem, de qua ipse *Antonelli*, Medicina pastoralis, II, n. 546, 548 fatetur: « In casu ablationis uteri vel uteri et ovariorum simul per laparatomiam, nullum amplius dubium facti esse potest ».

physiologici, qui perficitur independenter a copula et eodem modo verificatur in virgine castissima, et in muliere coniugata. Atque haec est radicalis differentia inter eunuchum testiculis carentem et feminam ovariis orbatam: in utroque deficit elementum essentiale ad generationem; sed in primo deficit id, quod se tenet ex parte copulae seu actus coniugalis; in altera id quod ex parte actus coniugalis de materiali se habet et quod saepissime a muliere nullo defectu laborante in actu coniugali non praestatur. Insuper defectus in viro est facile cognoscibilis; in femina defectus ovariorum difficillime, nempe non nisi secando mulierem est cognoscibilis, multo minus sciri potest utrum sint perfecte atrophizata; quin immo per plurima saecula ipsa ovariorum existentia eorumque necessitas ad generationem vel ipsos artis medicae peritos latuit; porro est a verisimilitudine omnino alienum quod Deus voluerit facere dependentem valorem matrimonii a re non cognoscibili et inexplorabili, quae Ecclesiam per decem et octo saecula debuit invincibiliter latere [61].

Quae ultima disparitas inter eunuchum et mulierem excisam positivum et efficax est argumentum pro sententia negante talis mulieris impotentiam. Nam matrimonium est contractus, qui natura sua ordinem externum et socialem respicit et a publica auctoritate regulari debet, ideoque ab eadem publica auctoritate debet posse iudicari de eius existentia et validitate. Ergo ex ipsa natura matrimonii exigitur quod impedimenta naturalia, unde eius valor pendet, nitantur facto obvio, regulariter et ex communiter contingentibus cognoscibili. Quare impotentia debet consistere in defectu capacitatis, qui proveniat ex absentia aut ex vitio organi, de cuius absentia aut vitio via ordinaria constare possit. Hoc obtinetur, si ad capacitatem matrimonii habendam sola attendenda sit capacitas ad copulam seu unionem sexualem, quae possit exerceri modo natura sua et *ex parte actus* idoneo generationi, non autem sit attendenda capacitas generandi, quae ex pluribus defectibus seu vitiis internis et non cognoscibilibus provenire potest [62].

Quae distinctio inter impotentiam *coeundi* — coitus perficiendi — et impotentiam *generandi* constanter recepta fuit in Ecclesia et a classicis canonistis proposita [63]. Atque inde prodiit

[61] Cfr. *Ferreres*, Derecho sacram. n. 569, Theol. mor. II, n. 1006.
[62] *De Smet*, n. 554; *Cappello*, I, n. 356; *Gasparri*, I, n. 580; *Vermeersch*, De castitate, n. 63; *Ojetti*, n. 2399.
[63] *Vermeersch*, De castitate, n. 60; *Gasparri*, I, n. 582; *Cappello*, I, n. 356; *Feije*, n. 538; *Ojetti*, n. 2389.

distinctio inter impotentiam et sterilitatem, quae in contraria sententia non servatur; atque Ecclesia hoc sensu sterilibus, v. gr. senibus, constanter permisit matrimonium nullo alio adhibito examine aut probatione, cum tamen *naturalis* praesumptio, quam *et scientia* et *praesertim communis sensus* comprobant, est contra potentiam generandi senum, contra quam naturalem praesumptionem esset exigenda probatio — quod in casibus particularibus non verificatur — antequam matrimonium permitteretur, si potentia generandi ad valorem matrimonii esset necessaria [64].

Iam vero sterilitas est talis defectus, qui *per accidens quidem datur* sive in viro sive in femina, sed quo posito generatio *per se* sequi non potest etiam in perpetuum, si defectus est insanabilis: quod patet ex communi hominum existimatione et ex S. Scriptura, saepe exhibente conceptionem sterilis ut verum miraculum [65], et miraculum exhibetur patratum in his qui *valido* matrimonio proponuntur coniuncti. Ergo est manifestum quod vera impotentia generandi non obstat valori matrimonii, quicumque sit defectus unde proveniat, modo adsit capacitas illius actionis *humanae*, cuius potestas *immediatum* obiectum matrimonii constituit et unice potest promitti in contractu matrimonii; ius autem ad *actionem naturae* ex qua pendet fecundatio et conceptio non est obiectum immediatum contractus matrimonialis nec promitti seu tradi potest, cum non sit in hominis potestate.

Denique, matrimonium habet quidem pro fine primario propagationem generis humani ideoque prolis generationem, contra quem finem utpote bonum speciei quidquam agere aut tentare coniuges vetantur, et propter eandem rationem in ipsa celebratione matrimonii nequit in pactum deduci actio positiva contra prolem; at prolis generatio ita est finis a natura praestitutus matrimonio, ut sit obtinendus non per ipsum matrimonium, sed per copulam maritalem, quae *semper libera est* coniugibus et quae non semper efficax est; ac proinde actus proprius matrimonii est ea ipsa copula maritalis, ad quam potestas per matrimonium obtinetur, sive exinde sequatur proles sive secus; huius copulae finis immediatus est proles, sed non unicus nec necessarius. Ipsius ergo matrimonii — vinculi coniugalis — finis unus (primarius) est proles; alter finis (secundarius) est amicitia et communicatio operum mutuumque obsequium et auxilium (*Au-*

[64] *Gasparri*, I, n. 583; *Ojetti*, l. c. n. 2417.
[65] *Gasparri*, I, n. 586; *Vermeersch*, De cast. n. 60.

gustinus, De bono coniugii cap. 1, 3); tertius finis — pariter secundarius — ex eadem mutua obligatione et potestate in corpus alterius obtinendus, consequenter ad infirmitatem vitiatae naturae, est refrenatio concupiscentiae intra limites honestatis et bonum morale inde resultans (*S. Augustinus*, l. c. cap. 3, 5 iunct. Apost. I Corinth. VIII, 2) [66]. Quos tres fines complexus est Isidorus (l. 9 Etymol. cap. 7): « Tres ob causas ducitur uxor; prima est causa prolis, de qua in Genesi I, 28; secunda causa adiutorii, de qua ibid. II, 18; tertia causa incontinentiae, unde dicit Apostolus ut qui se continet, nubat ».

Quandocumque adsit obiectum matrimonii, sc. traditio iuris ad copulam, i. e. ad actionem *humanam* de se, secundum communem speciem actus, tendentem ad procreationem prolis, propter quemlibet ex tribus enumeratis finibus iniri potest matrimonium, tametsi ceteri non sint possibiles. Iam vero in muliere excisa est possibilis copula, licet carens effectu prolis, sicut in muliere perfecte sana, in qua etiam copula saepissime ex ipso ordine naturae effectu prolis caret, et sunt possibiles alii duo fines matrimonii tanquam fines operi ipsi inditi. Nihil ergo est cur ea mulier sit dicenda inhabilis ad matrimonium. Ceterum senibus, quibus est impossibilis generatio ob perfectam sterilitatem, esse nihilominus concessum matrimonium in remedium concupiscentiae erat communis doctrina theologorum et canonistarum cum S. Thoma et S. Bonaventura [67].

Quodsi copula, ut in contraria sententia asseritur, non esset obiective ordinabilis ad sedationem concupiscentiae — nec proinde maritalis — ubi ex ea generatio sequi non potest, non explicatur cur copula sit permissa iuxta omnes perfecte et perpetuo sterilibus, nec cur iuxta omnes — saltem nunc — habetur licita in casu uxoris praegnantis, cum tempore gestationis saltem iam progredientis, quod omnes norunt, uterus sit perfecte clausus nec sperma ullo modo possit pervenire ad ovulum. (*Ojetti*, Synopsis, l. c. n. 2419; *Gasparri*, I, n. 509).

229. Quae argumenta sive ex responsis S. Officii sive ex rationibus intrinsecis deducta non infirmantur per probationes a patronis sententiae contrariae prolatas: 1°) Allegatae causae, in

[66] Cfr. *Palmieri*, De matrim. christ. 2; *Ojetti*, l. c. n. 2405.

[67] Senibus, ait S. Thomas, Suppl. tert. p., q. 58, art. 1 ad 3 « conceditur matrimonium secundum quod est in remedium, quamvis non competat secundum quod est in officium naturae ». Cfr. S. Bonavent. in 4, D. 31, art. 1, q. 3; *Schmalzgr.* IV, 15, n. 34; *Sánchez*, l. VII, disp. 92, n. 26; *Ojetti*, l. c. n. 2408; *Palmieri*, l. c. thes. 3.

quibus S. C. C. pronuntiasset nullitatem matrimonii, v. gr. *Salernitana*, 2 aug. 1862, *Verulana*, 24 ian. et 22 iun. 1871, *Abiganensis*, 7 sept. 1895, *Monasteriensis*, 17 dec. 1899, responsa S. Officii nullo modo infirmant, cum gratis asseratur sententiam nullitatis fuisse datam ob absentiam uteri et ovariorum; quin potius manifeste constat in memoratis causis simul adesse aut plenum defectum vaginae aut eam esse talem, quae ad copulam perficiendam esset prorsus insufficiens et inepta, ex qua sola causa potuit matrimonium declarari nullum [68].

2°) Si additur matrimonium ordinari ad prolis generationem ideoque ex sua natura exigere capacitatem copulae *de se* aptae ad procreationem, iam probatum est non esse unicum nec necessarium finem matrimonii, immo nec immediatum obiectum ipsius, cum pro obiecto habeat traditionem mutui iuris in corpus alterius in ordine ad actum, qui secundum communem speciem actus tendit ad prolis generationem; quae species actus eadem prorsus est in copula cum muliere excisa ac cum muliere perpetuo et insanabiliter sterili, vel cum muliere praegnante, aut cum muliere quae in actu copulae non suppeditat ovulum. Omnes istae copulae eodem modo sunt *de se* aptae ad generationem hoc sensu, quod sunt *actio humana* ab ipsa natura ordinata ad generationem, sive deinde subsequatur sive deficiat *actio naturae*, qua perficitur fecundatio, quae nec est obiectum matrimonii nec promitti a partibus potest.

3°) Si demum dicatur inter sterilitatem et carentiam uteri aut ovariorum esse ingens discrimen, sc. quod in sterili ineptitudo ad generandum est *incerta* et *per accidens*, in carente utero et ovariis est *certissima* et *per se*, conceptio sterilis, quae in Scriptura exhibetur naturaliter impossibilis et solum habenda per miraculum, etiam — non dato miraculo — erit *certissime* impossibilis ideoque fundata in defectu *per se* illam impossibilitatem inducente, licet per accidens sit quod ille defectus

[68] Cfr. *Cappello*, I, n. 358; *De Smet*, n. 556; *Ferreres*, in cit. opusc. De vasectomia etc. n. 268 sq.; *Gasparri*, I, n. 509; *Ojetti*, l. c. n. 2400 sq., ubi etiam scite monet S. C. C. nunquam sibi assumpsisse pro suo munere onus edendi in his rebus declarationes doctrinales, sed potius quoad dubia de iure naturali assumit principia theoretica ex S. Officio, quae ad casus particulares applicat, ideoque a priori illius Congregationis decisiones ita interpretandae sunt ut decisionibus S. Officii non contradicant. Sententia autem de nullitate matrimonii contracti dari non potest nisi innitendo principiis certis, non mere probabilibus; alioquin potius est danda sententia « non constare de nullitate matrimonii ».

existat, sicut per accidens est quod mulier utero vel ovariis careat [69].

230. Scholion I. Inter sententiam asserentem et sententiam negantem impotentiam mulieris excisae mediam viam recentius tenuit *Arendt,* « Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum »; deinde vero suam mediam sententiam novis argumentis roboravit et ab impugnationibus defendit in alio opusculo « Diatriba pro sanctitate pacti coniugalis » a. 1923. Iuxta hanc sententiam carentia uteri et ovariorum *non constitueret impedimentum impotentiae;* at si evaserit per se *facile cognoscibilis* ante contractum connubium, ipsum irritat *ex capite consensus substantialiter vitiati,* quia videlicet consensus in finem operis i. e. generationem, utpote stricte impossibilem, ferri nequit.

Quam sententiam, eruditissimo labore propugnatam, videntur excludere omnia argumenta quae allata sunt contra impotentiam mulieris excisae, quae simul inducebant eius habilitatem ad matrimonium, quam habilitatem ipse *Arendt* fatetur existere ex parte corporalis defectus, cum impotentiam neget. Iam vero si defectus non excludit habilitatem personae, datur quidquid necessarium est ut contractus suum habeat obiectum, quod profecto non est obtentio finis generationis sed traditio mutui iuris ad actionem humanam, quae secundum speciem actus de se tendit ad prolis generationem sive haec sit sive non sit possibilis. Nec satis apparet cur cognitio subiectiva possit mu-

[69] Hic etiam illud est notandum quod quae dicuntur de certitudine possent inservire ad permittendum matrimonium sterili et non excisae mulieri; at Ecclesia idem criterium adhibet ad dissolvendum matrimonium; nam in iudiciis de impotentia vel inconsummatione, si semel constet per testes, iuramentum partium, inspectionem hymenis etc. virum penetravisse vaginam cum potentia verum semen emittendi, nihil aliud requirit ad declarandum matrimonium esse consummatum et impedimentum impotentiae non adesse. Cfr. decl. S. C. C. 16 dec. 1905, et S. C. de Sacr., 15 dec. 1911, apud *De Smet,* n. 555, nota 4. *Gasparri,* I, n. 534, refert responsionem S. Tribunalis Signaturae Apostolicae d. 27 iun. 1931. Facti species haec erat: Mulier N. vaginam habebat sanam, sed retroversam ab utero, ita ut possibilis esset penetratio membri virilis et effusio seminis intra vaginam, sed impossibilis transitus spermatis a vagina in uterum. Supremum Tribunal propositis dubiis: 1° « An constet de nullitate matrimonii in casu ». Et quatenus negat ve: 2° « An saltem constet de inconsummatione ita ut consilium praeberi possit Ss.mo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu » reposuit: « Negative ad utrumque, seu nec de nullitate nec de inconsummatione matrimonii constare in casu ».

tare obiectivam rerum veritatem: si obiectiva corporis condicio ignorata non impedit quod contractus habeat suum obiectum, i. e. verum non mere putatum vinculum coniugale, circa hoc obiectum fertur consensus contrahentium si matrimonium pure sine ulla condicione contrahatur, licet possit quis alligare suum consensum condicioni, v. gr. contraho tecum si non es facta sterilis per internorum organorum extirpationem, quo in casu clarum est quod deficeret consensus substantialis non ob defectum obiecti — quod est vel non est independenter a subiectiva cognitione vel ignorantia — sed ob defectum circumstantiae, cui contrahens ut condicioni sine qua non suum consensum alligavit.

231. Scholion II. *De consummatione matrimonii.* Cum c. 1015 § 1 dicat matrimonium esse *consummatum* « si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro », iam ipse sensus obvius verborum satis clare indicat actum coniugalem matrimonium consummantem esse copulam supra descriptam, consistentem in vera seminatione per membrum virile intra vaginam facta, cum traditio iuris ad talem copulam sit unicum obiectum contractus matrimonialis. Atque eodem modo deducitur hanc copulam esse qua coniuges *fiunt una caro* et matrimonium evadit prorsus indissolubile, nec requiritur ut semen virile fecundet ovulum. Hoc autem etiam inde deducitur quod iuxta omnes matrimonium consummatur et coniuges fiunt una caro per copulam habitam cum praegnante, in qua coniunctio seminis cum ovulo est impossibilis; item, ut ex ipsa physiologia generationis constat, ovulatio in femina non coincidit cum copula seu sexuali unione, sed ab ea est independens fitque periodicis temporibus, i. e. circiter singulis mensibus. Quodsi doctores, antequam interna feminae organa essent cognita eorumque functio perspecta, passim dicebant coniuges fieri unam carnem per *commixtionem seminum,* nihil aliud intelligebant illa locutione nisi *actionem humanam* copulae coniugalis supra descriptae, quamvis erronee putarent emissionem humoris mucovaginalis, quae actionem humanam copulae comitatur, esse verum semen femineum [70].

Ceterum consummatio matrimonii in communi doctorum doctrina et in constanti Ecclesiae praxi, authentice et expresse

[70] Cfr. *Ojetti,* l. c. n. 2391, erudite de hac re disserentem. Quid autem sit « coniuges fieri unam carnem maritali copula, non actualiter in prole, *sed potentialiter relate ad prolem* » (*Bucceroni,* Theol. moral., XIV, 496) vix capitur, nisi intelligatur de actu secundum suam speciem naturali modo ad prolem ordinato.

confirmata in Codice (c. 1976 sq.), est factum *externum* quod possit ac debeat *externe cognosci* et *iuridice probari;* est autem res manifesta quod factum fecundationis ovuli per semen viri nec externe cognosci nec iuridice probari potest, nec valet praesumi in sterili atque adeo in sterili debet iudicari impossibile, v. gr. in muliere iam annis provecta, in qua tamen Ecclesia, cum occurrit, iubet examen institui de consummatione matrimonii.

Si autem consummatio matrimonii fit solo modo *naturali* seu a natura ad id ordinato, manet exclusum matrimonium consummari per fecundationem utcumque *artificialem*, ceteroquin damnatam (S. Offic. 24 mart. 1897), tametsi inde sequi possit conceptio ut passim docent physiologi [71]. Unde sequitur quod conceptio prolis ne pro foro quidem *externo* et *iudiciali* sit *pro omni casu* peremptorium ac decisivum argumentum consummationis matrimonii [72].

Quodsi, ut dictum est [73], qui non potest copulam coniugalem peragere naturali modo, i. e. per penetrationem vaginae et seminationem intra ipsam est impotens, v. gr. is qui solum deponere valet semen ad os vaginae, clarum est conceptionem per accidens secutam ex seminis attractione non esse argumentum consummati matrimonii cum ad hoc opus sit ut prius detur validum matrimonium. At si inter coniuges valido matrimonio iunctos sive illicite sive licite fieret copula deponendo semen ad os vaginae vel intra vulvam et per naturalem seminis attractionem sequeretur conceptio, utrum in eo casu matrimonium dicendum sit consummatum vel adhuc dicendum sit mansisse inconsummatum res in se est valde dubia. Nam ex una parte illa incohatio actus coniugalis elementa essentialia perfectae copulae non habet, matrimonium autem ex communi doctrina consummatur per copulam perfectam; aliunde vero videtur absonum quod vir et mulier sint valido matrimonio iuncti et mulier ex opera viri conceperit ac mater effecta sit et nihilominus eorum matrimonium manserit ratum — filius natus erit legitimus vel illegitimus? —. Praeterea generatim moralistae, exorto dubio de impotentia superveniente, permittunt coniugibus copulae tenta-

[71] Antiqui passim negabant posse sequi generationem. Cfr. *Zacchia*. l. III, tit. 1, q. 8, n. 20; *Gasparri*, I, n. 1302.

[72] Cfr. *Cappello*, I, n. 381, ubi refert a S. R. Rota in caus. *Parisien*. (17 aug. 1920-3 aug. 1921) decisum fuisse matrimonium non esse consummatum, licet factum conceptionis extra controversiam esset ex ipsius actricis confessione et ex aliorum testimoniis.

[73] Cfr. supra hoc cap. nota 4 iunct. n. 218, 4°; *Gasparri*, I, n. 1301.

mina, quamdiu aliqua vera potentiae spes subest et repetita tentamina habent pro recte incohatis copulis (*Vermeersch*, Theol. moral. IV, n. 60), et attractio seminis potuit evenire in uno ex illis copulae tentaminibus. Insuper Ecclesia permittebat atque adeo multo tempore iniunxit triennium experimenti copulae in exorto dubio de impotentia — quod praesertim locum habebat in impotentia relativa — et durante tali experimento potuit evenire seminis attractio et conceptio, quin tamen copula penetrativa accidisset; si illud experimentum ordinabat Ecclesia ad probationem, procul dubio secuto facto conceptionis sine alio examine decisionem tulisset pro potentia, pro valore matrimonii et pro secuta consummatione, nec copula, unde id evenisset, ab Ecclesia ut fornicaria sed ut maritalis habita fuisset. Videtur ergo dicendum in tali casu matrimonium ut consummatum esse habendum, filium procreatum non ex fornicatione sed ex maritali coniugum unione ortum ducere [74]; res tamen adeo dubia deferenda esset ad iudicium S. Sedis.

232. De iis qui passi sunt vasectomiam duplicem. Vasectomia duplex est operatio qua viro, per operationem chirurgicam, quae perhibetur valde simplex et omni carens periculo, secantur canales utriusque testiculi semen deferentes, ita ut impediatur communicatio inter testiculos et virile membrum, unde vir semen emittere amplius non potest, licet testiculos retineat qui semen verum et ex se prolificum adhuc pergunt elaborare [75]. Per se autem patet eundem effectum non obtineri per sectionem unius dumtaxat canalis deferentis (vasectomia simplex).

De qua operatione chirurgica acris controversia excitata

[74] Aliter videtur sentire *De Smet*, n. 157; *Cappello*, I, n. 381; *Gasparri*, II, n. 1097 in fine, quamvis in foro externo admittit praesumptionem consummationis. Cfr. *Rossel*, n. 1916; *Ojetti*, l. c. n. 2427, iunct. *Sánchez*, lib. II, disp. 2, libr. VII, disp. 99, n. 37, seclusis iis, quae exaggerate dicit de introductione seminis *quacumque arte*. Attentis rationibus in textu allegatis, vix quisquam sibi persuadeat R. Pontificem, cui factum sincere expositum fuerit, adductum iri ut tale matrimonium solvat veluti mere ratum cum periculo violandi ius divinum et excitandi admirationem fidelium, qui audiant habitum esse ut non consummatum illud matrimonium, in quo ex consortio coniugum proles nata sit.

[75] Cfr. *Ferreres*, De Vasectomia duplici etc., n. 1 sq., Theol. mor. II, n. 1010, Derecho sacramental, n. 552 sq.; *Ojetti*, Synopsis l. c. n. 2425 et v. Vasectomia n. 4540 sq.; *Vermeersch*, De castitate n. 52, 73, 84; *De Smet*, n. 550, not. 1; *Cappello*, I, n. 375, ubi etiam facit mentionem de vasectomia in femina, i. e. de *fallectomia* seu sectione tubae falloppianae, de qua hic nihil est dicendum, cum ei conveniant omnia quae disputata sunt de muliere excisa seu ovariis privata, cui privationi in hac parte aequiparatur sectio oviducti.

est, praesertim postquam in aliquibus Statibus Foed. Americae septentr. et recentius in Germania lege praescripta fuit partim in poenam criminis, partim ut medium praeventivum evitandi ne transmittantur in prolem criminales, aut aiunt, instinctus [76] vel generetur proles infirma.

Relinquimus moralistis quaestionem de liceitate huius operationis, sive privata auctoritate factae sive ex praescripto publicae auctoritatis in poenam criminis aut tanquam medium praeservativum criminalitatis vel infirmae prolis. Nobis certa videtur illiceitas in his casibus et solum posse fieri licitam hanc operationem ex gravissima causa necessitatis pro vita servanda [77].

233. Eum qui duplicem vasectomiam passus est censemus omnino *impotentem* et *inhabilem* ad matrimonium, quippe omnino aequiparandum eunucho, iure naturae a matrimonio propter impotentiam excluso ex declaratione [78*] Sixti V *Cum frequenter*,

---

[76] *Ferreres*, cit. opusc. n. 5; *Ojetti*, l. c. n. 4040; *De Smet*, n. 439 sq.

[77] *Ferreres*, cit. opusc. n. 33 sq., *Ojetti*, l. c.; *Cappello*, I, n. 376; *De Smet*, n. 439.

[78*] In comperto est Sixtum V solos eunuchos et spadones, i. e. viros qui utroque testiculo carent, declarasse inhabiles ad matrimonium contrahendum. Quoad rationes adductas a S. Pontifice ad fulciendam suam decisionem, dicendum est in primis eum directe et explicite non asserere eunuchos et spadones esse arcendos a matrimonio quia « certum et manifestum est eos *verum semen emittere non posse;* .....et humorem forsan quendam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum, effundunt » Nam haec verba inveniuntur solum in parte expositiva casus propositi a Nuntio pontificio in regno hispanico et manifesto exhibent rationes in Hispania adduci solitas ab assertoribus impotentiae eunuchorum. Dein, si perpendantur rationes quas ipse S. Pontifex effert in sua responsione apparet itidem eum non confugere ad incapacitatem emittendi verum semen, sed ad frigiditatem naturae et ad inutilitatem coniugiorum quae spadonibus et eunuchis permitterentur. Prima ratio adducebatur iam communiter a theologis et canonistis antiquis; altera vero, ait Vermeersch, nititur opinione eo tempore admissa, quae asserebat castratos copula non satiari sed excitari (Theol. Mor. IV, n. 46 i. f.). Licet haec omnia verissima sint, videtur tamen asseri posse Sixtum V approbase *implicite* rationes in parte expositiva propositas, quae si iudicio S. Pontificis valore caruissent, non fuissent profecto adeo accurate descriptae in ipso sollemni prooemio Constitutionis pontificiae, cum ad plenam responsionem dandam satis fuisset solam speciem facti exhibere; haec igitur sollemnis repetitio simulque absentia vel minimae animadversionis contrariae satis superque demonstrare videntur S. Pontificem approbare rationes in parte expositiva adductas. Sunt qui contendant has rationes influxisse ut deinceps canonistae assererent eos *omnes eosque solos* esse impotentes inter viros, qui nequeunt *perficere copulam per se aptam ad generationem*, dum tota praecedens traditio iuridica reposuisset essentiam impedimenti impotentiae in physica incapacitate ad copulam *satiativam, praecisione facta a capacitate generandi* (cfr. *Knecht*,

22 iunii 1587. Quae aequiparatio cum eunucho in ordine ad facultatem verum semen effundendi in copulatione, quae fuit ratio cur ex iure naturali *Sixtus V* pronuntiavit irritum matrimonium eunuchi, est manifesta; nam in ordine ad possibilitatem verae

---

Handbuch des k. Eherechts, 357; *Arend*, Ephem. theol. Lovanien. IX, 28).

Mirum quidem videtur quod rationes numquam antea ab auctoribus in medium prolatae adeo clare et exacte prima vice proponerentur, ut efficaciam haberent ad novam formulam verae copulae canonistis omnibus indistincte et suggerendam et imponendam. Nec valet confugere, ut hoc factum explicetur, ad auctoritatem documenti pontificii, cum ibi potius aliae rationes urgeantur. Nonne rectius diceretur locutiones adhibitas in prooemio Constitutionis Sixti V clarius et profundius patefacere quae iam continebantur saltem implicite in formulis adhibitis ab antiquis canonistis? Sic optime explicaretur influxus quem de facto exercuerunt, ut aiunt, citata verba prooemii in modum loquendi canonistarum subsequentium; ageretur enim solum de acceptanda formula, qua res iam communiter admissa clarius exactiusque exprimeretur.

Nunc de vexata quaestione habilitatis vel impotentiae in ordine ad matrimonium virorum, qui operationem duplicis vasectomiae passi sunt, pauca addenda videntur. Qui essentiam impotentiae volunt reponere solummodo in physica incapacitate ad copulam satiativam, respondent absque haesitatione eos posse valide contrahere matrimonium. Hi enim, secundum eos, non debent aequiparari eunuchis quoad capacitatem copulae matrimonialis. Nam, aiunt, dum eunuchi sunt incapaces copulae per se aptae tum ad prolis generationem tum ad sedandam concupiscentiam et propriam et compartis, e contra viri qui vasectomiam duplicem passi sunt, incapaces quidem fiunt copulae per se aptae ad prolis generationem sed simul retinent capacitatem ad habendam copulam satiativam, i. e. copulam vi cuius obtinetur resolutio orgasmi in quo stat causa sedationis concupiscentiae (cfr. Ephem. theol. Lovanien, IX, 48). Iis enim non deest, sicut eunuchis, secretio interna testiculorum, quae non modo signa virilitatis et vim alendi appetitum sexualem procurat sed etiam tribuit perpetuam coeundi potentiam; in hac autem copula perfectam similitudinem habente cum actibus sexualibus senum, quibus secundum omnes permittendum est matrimonium, effunditur humor prostraticus vel cooperianus atque hac ratione concupiscentia utriusque partis perfecte sedatur. Iam vero, cum secundum eos ad validum matrimonium contrahendum requiratur *aut causa* suscipiendae prolis *aut* causa incontinentiae, utraque saltem *disiunctive* obtinenda per copulam naturalem, sequitur viros, qui operationem duplicis vasectomiae passi fuerint, habiles esse ad matrimonium ineundum; ii enim sunt capaces copulae satiativae qua removetur causa incontinentiae. Fautores huius opinionis solent praeterea insistere in eo quod copula horum virorum plene sit aequiparanda copulae senum, non modo sub ratione aptitudinis — vel potius ineptitudinis — ad prolis generationem sed etiam sub ratione capacitatis copulae plene satiativae. Si igitur senes, aiunt, habiles sunt ad matrimonium contrahendum, quippe qui possunt obtinere remedium concupiscentiae per actum coniugalem, eodem modo dicendi sunt habiles viri qui operationem duplicis vasectomiae passi fuerint. Nihilominus negandum est omnino posse copulam horum virorum aequiparari copulae senum. Vir enim qui operationem du-

copulae coniugalis perinde est vero semine in testiculis elabo-
rato carere — ut evenit in eunucho testiculos non habente — ac

---

plicis vasectomiae passus est nequit iam, etiamsi solum consideretur actio
hominis quae una pendet a libera voluntate, uti organis, ab auctore natu-
rae destinatis ad concursum praestandum *in ipso actu coniugali, eo modo*
quo fit in copula per se apta ad prolis generationem. Ideo ergo dicitur
adesse impotentia ad copulam perfectam, quia organa sexualia destinata
ad concursum praestandum in ipsa actione hom.nis substantialiter sunt
laesa, ita ut imposs bilis evadat *copula perfecta etiam sub sola ratione*
actionis hominis, quod saltem requir.tur iuxta omnes ad consummationem
matrimonii. Immo, in hac copula nec sedatio concupiscentiae haberetur
eo modo quem natura ipsa exigit, sc. effundendo intra vaginam mulieris
liquorem in testiculis elaboratum. Contra, senes sunt capaces copulae per-
fectae, quae nihilo differt *sub ratione actionis hominis* a copula fecunda
et simul apta est ad sedandam concupiscentiam modo naturali perfecto.
Quod vero liquor elaboratus in testiculis et eiaculatus in ipso actu copu-
lae contineat spermatozoa vel contra eisdem careat, pendet unice *a prae-*
cedente actione naturae, quae insuper dignosci nequit mediis ordinariis
et licitis.

Huic rationi ex natura rei depromptae accedit iam constans et uni-
formis iurisprudentia S. R. Rotae, quae viros *quacumque de causa* inca-
paces *vel* ad semen in testiculis elaborandum *vel* ad illud perducendum
et effundendum in vaginam mulieris impotentia coeundi laborare incunc-
tanter solet declarare, ubi primum probetur perpetuitas huius defectus.
Constans hic agendi modus S. Tribunalis, cuius est decisionem ferre in
ultima instantia circa causas matrimoniales ad S. Sedem delatas, non
potest non habere vim maximam attento potissimum praescripto canonis
1014 de sustinendo valore matrimonii etiam in causis dubiis, donec con-
trarium certo probetur. Proinde apud S. R. Rotam incapacitas perpetua
emittendi in copula semen in testiculis elaboratum praebet argumentum
excludens omne dubium circa impotentiam viri, et de facto pluries ex
hoc solo capite matrimonia declaravit nulla (cfr. Dec. 23, XII, 215; Dec.
30, XIII, 278; Dec. 12, XV, 103; Dec. 15, XVI, 113; Dec. 17, XXIII, 131;
Dec. 20, XXIV 418). Quae iurisprudentia S. R. Rotae non potest non in-
fluere in decisiones tribunalium dioecesanorum circa causas matrimo-
niales eiusdem generis. Nisi quis ergo malit asserere posse dari in Eccle-
sia apertam et continuam oppositionem in exercitio potestatis iudiciariae
et regiminis quoad incapacitatem viri qui operationem duplicis vasecto-
miae passus est, debet necessario abiudicare omnem veram probabilita-
tem sententiae propugnanti capacitatem huiusmodi viri; hac enim proba-
bilitate admissa, matrimonium vi c. 1068 § 2 non erit impediendum,
quod tamen si dein deferatur ad tribunal ecclesiasticum certo certius
nullum declarabitur.

Demum haec iurisprudentia S. R. Rotae recentioribus temporibus est
indirecte confirmata per actus personales ipsius R. Pontificis in
usu supremae potestatis vicariae. Cum enim decerneret interdum
hoc sacrum Tribunal non constare de nullitate matrimonii ex capite
incapacitatis emittendi semen in testiculis elaboratum, eo quod non
probaretur certo perpetuitas huiusmodi impedimenti, vi facultatis spe-
cialis acceptae a S. Pontifice cognovit de facto inconsummationis ma-
trimonii. Quo in examine faciendo hoc principium statuit tanquam

verum semen in testiculis retentis elaborare cum impossibilitate
absoluta deferendi illud in organum eiaculationis — quae da-

---

certum, sc. constare de inconsummatione matrimonii quoties certo pro-
betur virum saltem a prima die vitae coniugalis usque ad definitivam
separationem fuisse incapacem emittendi semen in testiculis elaboratum;
cui facto certo si accederent insuper iustae gravesque causae consilium
praestabat Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non
consummato. Pius XI et Pius XII pluries de facto concesserunt gratiam
expetitam (cfr. Periodica, XXXIII, 216). Notare iuvat saltem bis agi de
casibus in quibus locum habuerat actus coniugalis atque in copula cete-
roquin rite peracta solum defuerat semen in test culis elaboratum (cfr.
Decisiones S. R. Rotae, XXIII, 136; Periodica, XXXIII, 214). Clarissime
ergo patet laudatos RR. Pontifices considerasse tanquam argumentum cer-
tum et peremptorium ad gignendam certitudinem moralem de facto in-
consummationis matrimonii incapac tatem emittendi semen in testiculis
elaboratum, cum illa certitudo sit prorsus necessaria ad praedictam dis-
pensationem dandam. Ergo RR. Pontifices in usu supremae potestatis vi-
cariae confirmarunt indirecte *certitudinem* sententiae, quae asserit viros
perpetuo incapaces emittendi semen in testiculis elaboratum esse eo ipso
inhabiles ad matrimonium consummandum. Cum autem agatur de casu qui
ob leges civiles non uno in loco latas frequenter in praxi occurrere po-
test, utilissima esset directa declaratio S. Sedis circa principium hac in
re firmiter tenendum.

Debitos limites ex alia parte praetergrediuntur qui exigunt ad
validitatem matrimonii capac:tatem emittendi semen *prolificum,* sc. se-
men continens nemaspermata, quae omnino necessaria sunt ad prolis
generationem. Secus, enim, aiunt, non licet loqui de *vero semine in*
testiculis elaborato. Nam, prosequuntur, ex una parte semen eiaculatum
in copula eatenus potest dici verum quatenus est aptum ad prolis
generationem et ex alia parte testiculi stricte dicti secundum scientiam
biologicam, i. e. didymi, non producunt nisi nemaspermata. Si haec doc-
trina admitteretur, dispareret iam distinctio inter impotentiam coeundi
et impotentiam generandi, saltem in viro, constanter hucusque et in iure
et in praxi retenta. Insuper nondum constat certo didymos sola nemasper-
mata elaborare, et quamvis id probaretur minime tamen assertio prae-
dicta evinceretur, cum non solum didiymi sed etiam epididymi qui in
eodem scroto continentur veniant nomine testiculorum secundum *com-*
munem loquendi modum, ad quem omnino attendi debet, quoties agatur
de capacitate ad rem ipsa natura omnibus concessam, nisi contrarium
certo probetur. Denique defectus substantialis in re ad quam impellit
natura ipsa debet esse cognoscibilis mediis ordinariis! utrum vere adsint
vel non nemaspermata solummodo ope microscop:i cognosci potest. Acce-
dit quod praesent a nemaspermatum pendeat non ab actione hominis in
copula exercenda, sed ab actione naturae quae praecedit ipsam copulam.
Iam vero obiectum contractus matrimonialis est ius ad copulam per se
aptam ad prolis generationem secundum quod ea est actio hominis, quod
sane praestare possunt viri qui solummodo sint incapaces ad elaboranda
nemaspermata, cum in eorum apparatu sexuali *omnes* partes destinatae
ad concursum praestandum in *ipso actu coniugali* eodem prorsus operen-
tur modo ac in apparatu sexuali viri capacis ad generandum, ideoque
actus coniugalis eorum, abstractione facta ab actione naturae quae iam

tur in eo qui vasectomiam passus est [79] —. Nec sufficit ex dic-
tis quod hi viri sint capaces copulationis perficiendae modo
normali ut ceteri homines et quod possint emittere in copula-
tione humorem procedentem ex vesiculis seminalibus, ex pros-
tata et ex glandulis Cowper, quem humorem a castratis emitti
posse supponit *Sixtus V*, asserta etiam possibilitate copulationis
perficiendae quae omnino admittitur in castratis in adulta ae-
tate [80]. Substantialis paritas in re attendenda ad iudicandum de
impotentia negari non potest.

Quae impotentia habenda est ut *certa;* inhabilitas vero ad
matrimonium dependet ab eo quod sit *perpetua;* perpetua autem
habenda est, si redintegratio communicationis inter testiculos
et canales deferentes obtineri non potest; eam autem non posse
obtineri solide probat ex medicorum testimoniis *Ferreres*, opusc.
cit. n. 69 sq., 115 sq., 142 sq., 218 sq. Quodsi impotentia dicitur
perpetua, si est incurabilis vel solum sanabilis per miraculum
aut per media plane extraordinaria ac valde periculosa aut illi-
cita, etiam ii, qui sine comprobatione factorum asseruerunt pos-
sibilem redintegrationem communicationis per novam coniunc-
tionem extremitatum resecti canalis deferentis, fateri coguntur
illam instaurationem fieri non posse nisi per media extraordina-
ria, valde expertam manum requirentia, atque ideo raro felicem
exitum sperari posse, praesertim ubi vasectomia non fuerit recen-
ter peracta; quo posito impotentia censenda est perpetua. Et certe
is de quo constat semel fuisse impotentem, ut possit admitti ad
matrimonium, *debet probare* se factum esse potentem (*Chelodi*,
n. 70, not. 2); quomodo autem *per media licita* cognosci possit
factum restitutae communicationis non liquet. Cfr. *De Smet*,
n. 551 cum [81] not. 2.

---

habita est quaeque medi:s ordinariis cognosci nequit, recte dici potest
per se aptus ad prolis generationem (cfr. Periodica, XXXIII, 203).

[79] Aliter *Vermeersch*, De castitate, n. 84, ex ambigua ipsi propria in-
terpretatione Constitutionis Sixtinae.

[80] *Ferreres*, opusc. cit. n. 186 sq.

[81] Si *Cappello*, I, n. 378, putat redintegrationem communicationis
probari posse per *media licita* eadem facilitate ac probatur ipsa opera-
tio vasectomiae, sc. attestatione medici et illius qui passus est operatio-
nem, in tali assertione facienda vix crediderim quod sufficientem ratio-
nem habuerit extremae exiguitatis *lucis* sive cavitatis canalis deferentis
— cuius diametrum ex iudicio medicorum vix pertingit ad dimidium
milimetri — aut satis considerasse intrinsecam difficultatem quam in
ea re vident ipsi chirurgi et *incertitudinem* exitus quam ipsi aperte af-
firmant: quodsi exitus est incertus, quinam erit modus *licitus* probandi
quod in casu particulari felix ille exitus obtentus est? Cfr. *Ferreres*,
opusc. cit. n. 72 sq., 218 sq.

Cum tamen agnoscenda sit artis chirurgicae perfectibilitas,
si quando inveniatur medium non extraordinarium nec pericu-
losum aut illicitum instaurandae illius communicationis, *tunc*
certe impotentia dicenda erit mere temporanea (*Ferreres*,
Theol. mor. II, n. 1010); nihilominus ipsa operatio vasectomiae
esset omnino illicita; aequivaleret enim mediis onanisticis qui-
bus pro lubitu scelerati plures abutuntur ad habendam copulam
et impediendam generationem (cfr. *Ferreres*, opusc. cit., n. 63 s.).

Art. 2. De procedura canonica in declaranda nullitate matrimonii propter impedimentum impotentiae

234. Coniux potens, etiamsi *certus* sit de impotentia alterius
coniugis, *propria auctoritate* matrimonium dissolvere et a con-
iuge impotente recedere non potest, sed iudicis ecclesiastici
auctoritas interveniat necesse est, saltem si agatur de perfecta
dissolutione vitae coniugalis [82]. At si *certa* est impotentia, iam
ante iudicis sententiam *privata* coniugum auctoritate separatio
a *toro* fieri *potest*, immo *debet*, cum scandalum et admiratio-
nem in populo non producat *et* sit medium moraliter necessa-
rium ad vitandum periculum incontinentiae.

235. Coniuges *soli* [83], exclusis aliis personis privatis, i. e. tum
pars potens tum pars impotens matrimonii valorem in foro ex-
terno Ecclesiae coram iudice ecclesiastico competente *accusare*
possunt propter impotentiam coeundi *propriam* vel *alterius par-
tis;* quod ius ipsis competit sive *bona fide* matrimonium contra-
xerint, sive solus unus *mala fide* id fecerit, cum Codex distinc-
tionem non faciat [84].

---

[82] Cfr. cap. 3, X, de divort. IV, 19; *Schmalzgr.*, h. t. n. 69 sq.; *Feije*,
n. 540; *Schulte*, § 18, p. 94 sq.; *Rosset*, n. 1473; *Esmein*, I, 278 sq., II,
318, 452 sq.

[83] Cfr. cap. 1, 5, X, h. t.; Instr. S. C. Inq. 20 iunii 1883, n. 45; Instr.
S. C. de P. F. eodem anno, n. 46, in ASS., XVIII, 365, 386; Instr. *Card.*
Rauscher, § 113; *Schmalzgr.*, h. t. n. 71 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 115;
Rosset, n. 1474 sq., 1433; *Périès*, « Code de procedure canonique etc. »
63 sq.

[84] Plures doctores severi fuerant negando coniugi, qui conscius suae
impotentiae mala fide contraxerat, ius accusandi matrimonium, v. gr.
Bernardus Pap., l. c., 180; *Reiffenstuel*, h. t. n. 61. At mitius iam iudi-
cabant: *Sánchez*, l. VII, disp. 97, n. 2 sq. et disp. 114, n. 4, 5; *Schmalzgr.*,
h. t. n. 42, 59 sq.; *Scherer*, l. c. § 115, n. 25, 62. — Sane cum matrimo-
nium sit nullum, et ex cohabitatione vix non semper sit periculum
incontinentiae et onus perpetui caelibatus cum dispendio salutis aeter-
nae non possit imponi, saltem debebat admitti quod etiam pars dolosa
posset adire iudicem, ut is *ex officio* contra tale matrimonium proce-

Ceteri, v. gr. consanguinei, possunt nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiare, ut is *ex officio* procedat; quod ius procedendi ex officio procul dubio competit promotori, cum agitur de impotentia *notoria* (c. 1971).

236. *Iudex* causae impotentiae in prima instantia ex iure *ordinario* est Episcopus, salva obligatione adhibendi tribunal collegiale trium iudicum (cc. 1572 § 1, 1576 § 1, 1°). Cui iudici competenti assistant necesse est *notarius* atque *defensor* vinculi matrimonialis (c. 1967), nec assessores prohibentur. Partes quoque suos possunt constituere *procuratores* vel *advocatos*, atque adeo in isto processu canonico *actor* etiam admittitur ut *testis* [85].

237. Admissa *accusatione* matrimonii in *scriptis* porrecta, ut certo et in forma legitima constet de antecedente et perpetua impotentia coeundi sive absoluta sive relativa, non solum *sollemnitates* praescriptae in cc. 1960-1989 [86] sedulo sunt servandae,

---

deret et sententiam ferret nullitatis atque ulteriorem cohabitationem prohiberet.

[85] Cfr. S. C. C. in c. Warsav., 16 iun. 1894; Instr. C. *Rauscher*, §§ 97 sq.; Instr. S. C. Inq. ad Episc. orient. 20 iun. 1883, n. 46.

[86] Matrimonium non potest declarari *invalidum*, nisi nullitas *certo* probetur. Cfr. cit. Instr. S. C. C. pr. Quod principium *Ecclesia* etiam in *difficili* causa nullitatis matrimonii ex capite impotentiae constanter retinuit neque unquam sola *probabilitate* vel mero testimonio credulitatis fuit contenta; paulo aliter *Scherer*, l. c., 278, 281, not. 80. Quare acta iudicialia in hoc processu summa cura formaque legitima sunt conficienda, ut veritas non qualicumque ratione, sed certo et iudicialiter pateat. Cfr. cit. Inst. S. C. Inq. n. 45; *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 107, n. 1. Qui scopus ut obtineatur, *tria* sunt praestanda:

I. *Examen* accuratum ipsorum *coniugum sub iureiurando requiritur*, quorum tamen confessiones *solae*, etiamsi iuratae fuerint, propter collusionis periculum ad declarandam nullitatem *non sufficiunt*. Cfr. C. 1, X, h. t.; cit. Instr. S. C. Inq. n. 46; *Roland.*, *Summa* l. c. 130; *Pirhing*, h. t. n. 14; *Périés*, l. c. 67 sq.

II. *Testes iurati* a partibus inducti examini subici debent. Qui partim ut testes de *visu* vel *auditu* directe *de factis* deponunt, v. g. domestici, pharmacistae, medici, partim ut testes *credulitatis* sive *septimae manus*, qui deponunt se coniuges tanquam religiosos et honestos cognoscere ideoque verisimiliter *credere* illos coniuges verum dixisse atque iuramento confirmasse, (c. 1975, iunct. c. 5, 7, X, h. t.; cit. Instr. S. C. C., cit. Instr. S. C. Inq. n. 47, 48; *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 103, n. 7 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 89 sq). Qui testes credulitatis sive septimae manus per se requiruntur in solis causis *nullitatis* matrimonii ex capite *impotentiae* vel *dispensationis* super matrimonio rato *« ad corroborandam » confessionem iuratam coniugum quoad inconsummationem matrimonii*, non in causis nullitatis matrimonii ex *alio* titulo coram iudice ecclesiastico agitatis.

III. *Inspectio ocularis* corporis coniugum, modis licitis facta, medium est maximi momenti ad probandam impotentiam. Inspectio vero cor-

sed omnia, quae ad eruendam veritatem de hoc impedimento difficilis probationis inservire possunt, diligentissime sunt praestanda.

---

poris mulieris *omittitur*, utpote inutilis: 1) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi; 2) si certo iam constat de mulieris defloratione; 3) si ex inspectione viri plene constiterit de huius incapacitate ad matrimonium consummandum. *Omitti poterit* utriusque coniugis inspectio si, attenta partium et testium excellentia, ac serio pensatis eorum animi dispositionibus necnon ceteris adminiculis aut argumentis, Ordinarii iudicio, plenissima iam habeatur probatio de impotentia vel de *inconsummatione*. Si autem mulier aut inspectionem ipsam aut virorum operam recuset, ubi mulieres laurea doctorali in arte medica vel saltem legitimo peritiae in arte obstetricia testimonio praeditae haberi nequeant, abstinendum est ab urgenda inspectione vel ab exigendo virorum interventu; satis tunc erit illam monere de iuridicis suae recusationis consectariis, seu de graviori difficultate vel etiam de probabili impossibilitate assequendi sui propositi probationem. Peracta per mulieres inspectione, earum orale examen fiat ab ipso Tribunali, semper tamen adstante medico in his rebus vere perito ac honestate claro, qui suas animadversiones et opportunas interrogationes proponere possit. Excussio mulieris, quae est pars in causa, paratis ad normam iuris interrogationibus, eidem proponendis, semper quidem fiat coram Tribunali, *sed a medico*, qui sit religione, moribus, aetate gravis, ab ipso Ordinario deligendus, omni exceptione maior. (Cfr. Instr. S. C. de d. Sacram. d. 7 maii 1923, n. 86 et Decr. S. Offic. 12 iun. 1942, nn. 1, 2, 3, 4, 5, 6; AAS. XV, 389; XXXIV, 200; Period. XXXI, 368). Quoties autem utraque vel alterutra pars physicum experimentum subire debeat, documenta de personae identitate iam in actis asservata aut eorum exemplaria dentur peritis aut obstetricibus, ut ipsis bene explorata sit persona examini subicienda (cfr. Norm. observ. in processibus super matrimonio rato et non consummato ad praecavendam dolosam personarum substitutionem, n. 4; AAS. XXI, 490).

Quodsi de *viri* impotentia agatur, inspectio fiat *saltem* a duobus peritis et honestis *medicis* per iudicem ecclesiasticum designatis nec a partibus vel defensore vinculi merito reiectis; si de *mulieris* potentia quaeratur, exploratio mulieris immediata *saltem* duabus *obstetricibus* peritis et bonae famae eodem modo electis est committenda, servata in omnibus *forma* a iure praescripta, nisi mulier maluerit a duobus medicis inspici (c. 1979 sq., iunct. Instr. S. C. C., 22 aug. 1840, Instr. S. C. Inq. a. 1858, Instr. S. C. Inq. ad Ep. orient. 20 iun. 1883, n. 48, 49 et S. C. de Prop. F., a. 1883, n. 46).

Finitis probationibus et defensionibus aliisque de iure requisitis iudex ecclesiasticus ad *sententiam* de impotentia absoluta vel relativa in prima instantia *rite* ferendam procedit. Cfr. S. C. C. 15 dec. 1877, in ASS. XI, 134 sq. Quodsi ex oculari inspectione impotentia omnino certa et evidens est per signa visibilia, v. g. ex amputatione virilium, ex carentia utriusque testiculi, ex defectu vel nimia artitudine vaginae, statim etiam per se sine iuramento partium vel septimae manus, sententia nullitatis matrimonii ferri potest. Cfr. S. C. C. in ASS. XI, 134 sq., XXIII, 465 sq.; *Sánchez*, disp. 107, n. 3, 5 sq.

238. Coniux, cuius matrimonium propter impotentiam antecedentem et perpetuam et absolutam alterius partis per *duplicem* conformem sententiam tribunalium ecclesiasticorum declaratum est nullum et irritum, si defensor vinculi pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius habet ad alias nuptias transeundi elapsis decem diebus a sententiae denuntiatione (c. 1987)[87]; alteri vero coniugi impotenti novi matrimonii cele-

---

Si vero impotentiae signa, non physice, sed *moraliter* tantum *vereque* sunt *certa*, accedente coniugum iuramento cum septima manu propinquorum et vicinorum ac etiam adstipulante *concordi* peritorum iudicio, sine mora ac citra novae cohabitationis experimentum itidem dissolvitur matrimonium. Cfr. *Sánchez*, l. c. n. 4; *Schmalzgr.*, h. t. n. 78 sq.; *Scherer*, 279 sq.; *Schnitzer*, 360, not. 4 i. f.

Denique si aut periti non sint concordes, aut aliter *dubia* sint argumenta impotentiae, a sententia nullitatis proferenda est abstinendum (cfr. cit. Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 50), et potius in casu *dubiae impotentiae* omnino ferenda est sententia: « *Non constare de nullitate matrimonii* » (cfr. S. C. C., 16 febr. 1883, 16 dec. 1893, in ASS. XVII, 3 sq. et XXVI, 470 sq.) omnique solido fundamento caret opinio, ab advocatis quibusdam in nonnullis causis coram S. C. C. ob veterum quorundam scriptorum auctoritatem propugnata, sed ab eadem S. C. non approbata (cfr. ASS. XXII, 266, XXIII, 473, XXIV, 335) sc. « *in dubio* (*de impotentia*) *standum esse pro exclusione matrimonii* ». At cum tristis et periculosa sit condicio coniugum, praesertim partis potentis, in quos talis sententia lata est, *stante vero dubio* de impotentia coniugis *et* accedente *certa* probatione inconsummationis matrimonii et sufficientiae causarum (cfr. ASS. XXIV, 424, 733), Sedes Apostolica coniugum felicitati temporali et spirituali consulere solet per solutionem matrimonii *rati*. Cfr. S. C. C. 20 ian. 1894, in ASS. XXVI, 585 sq., 600; *Scherer*, 384 sq.; *Feije*, 829.

Porro difficilis est probatio impotentiae, et magna quoque adhibita diligentia intervenire potest *error*, ut constat v. g. ex sententia in prima instantia a Curia episcopali pro nullitate matrimonii ex capite impotentiae data et 24 ian. 1871 a S. C. C. confirmata, attamen ab eadem S. C. C., 9 maii 1874, in aliam decisionem commutata. Cfr. ASS. VII, 498. Quare casus declarationis *nullitatis* matrimonii propter impotentiam in Rom. Tribunalibus nunc rariores sunt. Cfr. decis S. C. C. in c. Castrimaris, 6 maii 1893, in ASS. XXVI, 85 sq.; *Schnitzer*, 362, not. 6; *Antonelli*, De conceptu ..., 59 sq., De mul. excis., 137 sq.

[87] Cfr. S. C. C., 15 dec. 1877, ad 1, in ASS. X, 504 sq., de duplici sent. conform. iunct. declar. S. C. Inq., 5 iun. 1889, cui consonat c. 1990, ubi impedimentum *impotentiae* non recensetur inter illa, ob quae in casibus *evidentis* probationis nullitas matrimonii declarari possit, *quin opus sit secunda sententia*; S. C. Inq., 16 febr. 1894 et 27 martii 1901; Concil. plen. Amer. lat. (an. 1899), n. 959; *Schmalzgr.*, h. t. n. 92 sq.; *Feije*, n. 546; *Leitner*, 574.

Si matrimonium ratum per dispensationem R. Pontificis propter impotentiam saltem *probabilem* dissolvatur, S. C. C. concessioni factae adiungere solebat clausulam, ut parti probabiliter impotenti *non liceat transire ad alias nuptias, nisi petita prius et obtenta venia ab Aposto-*

bratio non est permissa. Quodsi impotentia tantum fuisset *relativa*, post duplicem conformem sententiam de nullitate matrimonii latam neque appellatione suspensam, *neutra* pars a novo matrimonio cum persona *sibi* convenienti prohibetur. Denique cum causae vinculi matrimonialis nunquam transeant in rem iudicatam (c. 1989), si non obstante duplici conformi sententia postea detegatur partem declaratam impotentem vere habilem fuisse ad matrimonium primum consummandum, *redintegrandum* est illud matrimonium, quod propter impotentiam sive absolutam sive relativam falso declaratum fuerat invalidum, et *dissolvenda* sunt matrimonia *secunda* forte a coniugibus denuo celebrata. In praxi vero videndum est an secundum matrimonium convalidari possit, si primum matrimonium forte *de facto* mansit ratum, quod per sollemnem professionem religiosam alterius partis iam est solutum vel propter legitimas causas accedentes per dispensationem Romani Pontificis solvi potest[88].

239. Scholion I. Cum canonistae disputant[89] de valore et liceitate matrimonii, quod ab *hermaphrodito*, i. e. ab homine duplici sexu — saltem apparenter — instructo, celebratur, in Glossa ad c. 3, § 22, C. IV, q. 2 et 3, recte videtur esse scriptum: *De monstro possunt fieri monstruosae quaestiones*. Quae quaestiones cum in raris quibusdam casibus de facto sint solvendae[90], quid in facto et in iure tenendum sit breviter est enucleandum.

---

lica Sede. Quae clausula cum decreto *irritante* careret, vim habebat simplicis *prohibitionis*, non impedimenti *dirimentis*. Cfr. ASS. IV, 196, 198 sq., VI, 519, XI, 594, XVIII, 409 sq. XXIV, 181; *Feije* n. 545; *Scherer*, l. c. § 115, n. 63. Immo non desunt exempla, in quibus S. C. C. illam clausulam apposuerit etiam sententiae *nullitatis* matrimonii ex capite *impotentiae*. Cfr. S. C. C., 6 maii 1893, in ASS. XXVI, 97. Quae clausula a S. C. quandoque saltem post solutionem matrimonii remittebatur, ita ut matrimonium non solum *cum vidua*, sed etiam *cum virgine* denuo celebrari posset. Cfr. S. C. C. in c. Olinden. 18 sept. 1886, in ASS. XIX, 497 sq. At ista relaxatio clausulae post sententiam *nullitatis* ob impotentiam *absolutam*, non mere *relativam*, eadem ratione fieri nequit; denuo enim incidit difficultas de *valore prioris* matrimonii.

[88] Cfr. Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 50; ASS. X, 501 sq.

[89] *Sánchez*, l. VII, disp. 106; *Schmalzgr.*, h. t. n. 52 sq.; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 236, 245; *Van de Burgt*, 183; *Schulte*, § 18, i. f.; *Rosset*, n. 144 sq.; *Gasparri*, I, n. 550; *Scherer*, 274 sq.; *Leitner*, 166 sq.

[90] ASS. XXI, 480 sq., ubi in c. Ferent. S. C. C. 24 mart. et 18 aug. 1888, declaravit constare de *nullitate* matrimonii, in quo *asserta uxor* ex testimonio optimorum medicorum revera praedita fuit sexu *masculino* et certe *ut femina* laborabat perpetua et insanabili *impotentia* ad consummandum matrimonium. S. C. C. in c. Camerac., 18 mart. 1893, (ASS., XXVI, 223 sq.) confirmavit sententiam primae instantiae, sc. non constare

II. Antiqui poetae somniarunt de homine a Mercurio et Venere nato, qui *utriusque sexus particeps* a suis *genitoribus* (Ἑρμῆς, Ἀφροδίτη) nomen hermaphroditi nactus esset. Nec defuerunt veteres et recentiores scriptores, qui putarent non paucos homines fuisse hermaphroditos sive androgynos.

Quodsi quaeratur de *perfectis* hermaphroditis, i. e. de hominibus, qui tum masculinis tum femininis genitalibus ita *perfecte* et complete ad generationem instructi sint, ut pro lubitu in perficiendo generationis actu unius vel alterius sexus officium *efficaciter* obire possint, plerique viri docti *tales* hermaphroditos unquam exstitisse vel existere posse omnino negant.

At hermaphroditi *imperfecti* certo reperiuntur, i. e. homines, qui praeter órgana *unius* sexus *perfecta* etiam aliquid ex *essentialibus* organis alterius sexus, v. g. ex ovariis vel testiculis bilateraliter vel *unilateraliter* possident, *aut* qui *utriusque* sexus organis ita incomplete et monstruose donati sunt, ut ad neutrius actus coniugales aliquid *valeant*. Quare non raro vel ipsi medici in cognoscendo *vero* sexu istorum hermaphroditorum dubii haerent atque discordes sunt.

Denique hermaphroditi *apparentes* sunt illi, qui hominibus in arte medica non peritis *videntur* duplici sexu instructi, at ex testimonio medicorum sunt indubitanter aut exclusive viri aut feminae, v. g. si testiculi in abdomine sint latentes [91].

III. Si dubium incidat an aliqui sint hermaphroditi, id non solum in admissione ad statum clericalem vel religiosum, sed etiam in contrahendo matrimonio et quandoque in aliis actibus legitimis praevia investigatione est sedulo examinandum. Quo in examine ius Romanum (cfr. L. 10, D. de statu homin. 1. 5) hanc normam statuit: *Hermaphroditum... eius sexus* (esse) « *aestimandum, qui in eo praevalet* ». Quae norma ab antiquioribus et recentioribus scriptoribus usque ad nostra fere tempora vel in ipso matrimonio contrahendo fuit retenta, ea tamen adiecta clausula quod alterius sexus munia naturalia tali hermaphrodito exercere non liceret [92]. Quodsi *neuter* sexus *praevaleat*, sed uterque ae-

de nullitate matrimonii in casu, i. e. mulieris quae hermaphroditus dicebatur, sed inspectioni medicorum noluit se subicere.

[91] ASS. XXVI, 228; *Eschbach*, Disput. cit., 52 sq.; *Capellmann*, Medicina pastor., 164 sq.; *Olfers*, l. c., 58; *Zacchias*, II, l. VII, tit. 1, q. 8; *Scherer*, 274 sq.; *Rosset*, n. 1442; *De Smet*, n. 559, ubi allegat testimonium *Brouardel* viri summae auctoritatis.

[92] *Hostiensis*, Summa, lib. II, tit. 20, de testib. n. 2; *Sánchez*, l. c. n. 1, 4, 5; *Pirhing*, h. t. n. 3; *Schmalzgr.*, h. t. n. 53 sq.; *Freisen*, 343 sq.; *Eschbach*, 54; ASS. XXI, 491 sq., 495, 501, XXVI, 229 sq. 233, in votis consultorum.

qualis sit, inde a Glossatoribus putarunt veteres scriptores, immo etiam recentiores quidam doctores, hermaphrodito adulto ius esse ita sibi eligendi sexum etiam in ordine ad contrahendum matrimonium, ut sexum semel electum ex promissione iuramento firmata constanter servare teneatur, cum indecens valde esset ut modo uno, modo altero sexu uteretur [93].

Quae normae sane facili negotio applicari possunt, ubi de ordinanda vita mere *externa* et *sociali* agitur, v. g. de gestandis vestibus mulierum vel virorum, de testimonio dando in testamentis vel de iure instituendi heredem [94].

At maior est difficultas, si *matrimonium* ab hermaphrodito sit contrahendum. Qua in re certissime hermaphroditus *validum* contrahit matrimonium, si quoad sexum, *secundum quem* contrahit, *non* sit aliunde *impotens*, ideoque nequaquam in antecessum ab omni matrimonio est excludendus [95]. Omnis igitur difficultas tandem in eo est, *secundum quem sexum potens* vel *impotens* sit ad celebrandum matrimonium. Quodsi quis ex testimonio peritorum medicorum et iudicio Ordinarii, qui omnino antea consulendi sunt, reperiatur hermaphroditus mere *apparens certoque sexu perfecto* et *vera potentia* instructus, a matrimonio secundum illum praevalentem sexum contrahendo non est prohibitus, salvis iuribus alterius partis forte deceptae [96]. At hermaphroditi *imperfecti*, in quibus *neuter* sexus praevalet et utriusque sexus incompleta et monstruosa organa aequaliter habentur, a nuptiis celebrandis sunt arcendi. Nam solummodo vir et femina validum contractum matrimonialem inire possunt; hisce autem hominibus obstat *incertitudo* sexus saltem unius partis contrahentis. Praeterea isti hermaphroditi ad *neutrius* sexus ac-

[93] *Sánchez*, l. VII, disp. 106, n. 3, 6 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 52, 53, 54, cui consentit consultor in ASS. XXI, 491 sq., sc. hermaphroditum, relicto sexu in se praevalente, *etiam quoad sexum imbecilliorem, dummodo idoneum* (?) ad copulam perfectam, posse licite et valide contrahere matrimonium. Cui sententiae *Rosset*, n. 1444 sq., cum *S. Alphonso* aliisque contradicit. At melius in hac controversia videtur negandum *suppositum*, sc. existere homines, qui secundum *duplicem* sexum etiam imbecilliorem, *vere potentes* sint ad habendam copulam *perfectam* et ad prolem generandam, ut *Rosset*, l. c. n. 1445, i. f., recte urget, et tandem allegatus consultor in ASS. l. c. 493, votum pariter dedit in favorem *nullitatis* matrimonii ab hermaphrodito cum viro contracti etiam propter *impotentiam muliebrem*.

[94] L. 15. D. de testib. XXII, 5; L. 6, § 2, D. de liberis et posthum. XXVIII, 2, c. 3, § 22, C. IV, q. 2 et 3; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 55; *Scherer*, l. c. § 115 not. 50; *Eschbach*, l. c., 54, not. 1.

[95] *Schmalzgr.*, h. t. n. 52; ASS. XXI et XXVI, l. c.

[96] *Eschbach*. l. c., 54; *Leitner*, 167; *Scherer*. 275, not. 54; ASS. l. c.

tus coniugales videntur esse capaces, unde etiam ex capite *impotentiae*, non merae sterilitatis, a matrimonio impediri debent[97]. Paritas quoque non videtur existere inter *incertitudinem sexus* et *dubiam illam impotentiam*, in qua *diversitas* sexuum utriusque partis contrahentis est omnino *certa*[98].

240. Scholion II. Leges civiles nostra aetate in plerisque regionibus, v. g. in Gallia, Germania, Helvetia et Hungaria, non admittunt proprium quoddam impedimentum impotentiae secundum sanctiones iuris naturalis et canonici. Pronuntiata igitur sententia nullitatis matrimonii in foro ecclesiastico ex capite impotentiae, ibidem in foro civili ex alio quodam titulo, v. g. propter errorem, declaratio nullitatis est imploranda[99]. In Belgio ne quidem indirecte ut causa invalidationis invocari potest impotentia, unde unicum remedium suppetit petitio divortii civilis[100].

At contra, v. g. in Austria (cod. civ. § 60), in Italia (cod. civ. art. 121), in Hispan. (cod. civ. art. 83) impedimentum impotentiae admittitur. Hinc fieri potest ut in processu civili, legitime instituto, matrimonium per iudices *saeculares* declaretur *invalidum* ex capite impotentiae. Quae acta iudicialia cum ab incompetente iudice sint confecta, certe in foro ecclesiastico valore carent. Nihilominus eae possunt esse circumstantiae, ut saltem actus quidam iudiciales fori civilis, v. g. depositiones peritorum, in foro ecclesiastico ex venia *Sedis Apostolicae* opportune adhibeantur. Cfr. v. g. S. C. C., 15 decemb. 1877 et 23 mart. 1878 in causa austriaca iunct. c. Tarnov., 19 sept. 1885, c. Veron., 24 iul. 1886, c. Neapol., 18 aug. 1888, c. Mediol., 9 aug. 1890, c. Castrimaris, 29 apr. 1893 in ASS., XI, 134 sq., XVIII, 242 sq., XIX, 272 sq., XXI, 453 sq., XXIII, 465, XXVI, 85 sq. et praesertim Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 43, 44.

---

[97] *Eschbach*, l. c.; *Leitner*, l. c.; *Scherer*, 275.

[98] *Sánchez*, l. c. n. 6 sq.; *Schmalgr.*, h. t. n. 55 aliique, si etiam in casu *dubio* de *praevalentia* sexus hermaphroditi optionem permittunt, quo sexu velit celebrare matrimonium, nimium videntur fidere *proprio testimonio* hermaphroditi; eius enim depositio tum de *sexu* tum de *potentia* exiguum habet valorem. At fatendum est *Sánchez*, l. c. n. 10, ob rationes satis obvias boni *publici* negare *paritatem* matrimonii hermaphroditi cum ordine sacro et professione religiosa ipsius, quas rationes *Scherer*, 275, not. 53, immerito vocat insufficientes. Cfr. quoque *Leitner*, l. c.

[99] Cod. civ. Germ. § 1333; lex Hungar. de matr. civ. § 54; *Feije*, n. 547; *Schulte*, Eher., 514; *Hollweck*, D. Civileher., 120, not. 1; *Allègre*, II, 230 sq. ad art. 312, 313 cod. civ. Gall.; *Scherer*, II, 291, not, 126 sq.

[100] Cfr. *De Smet*, n. 562 cum notis.

CAPUT VIII

De impedimento ligaminis

241. **Fontes:** C. XXVII, q. 2; C. XXVIII, C. XXXII, q. 7; C. XXXIV[1]. — Cpl. I, lib. IV, tit. 4 de sponsa duor. et e converso; cpl. III, lib. IV, tit. 3 de sponsa duor. — Decretal. Gregor. IX, lib. IV, tit. 4 d. sp. d., tit. 19 de divort., tit. 21 de sec. nupt. — Concil. Trid. Sess. XXIV, doct. de sacram. matr. can. 2 et decis. S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr,. 253 sq.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1280 sq.

Scriptores: Commentat. iur. Decretal. in h. t. 4 — *Aichner*, l. c. § 173; *Devoti*, Inst. § 130; *Scherer*, l. c. § 112. — *S. Raym.*, Summa lib. IV, tit. 13 de impedimento ligationis (tit. 14 de imped. publ. honest. iustitia); *Bernard. Pap.*, l. c., 298 sq.; *Tancred.*, l. c., 48 sq., tit. 27 de impedimento ligationis alteri. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 80; *Feije*, n. 438 sq.; *Van de Burgt*, l. c., 17 sq. 130; *Schulte*, Eher. § 27; Arch. f. k. K. XXXI, 396 sq., XLVIII, 53 sq.; *Gasparri*, I, n. 552 sq.; *Rosset*, n. 457 sq., 1697 sq.; *Leitner*, 168 sq. — *Esmein*, I, 297 sq., 406, II, 379 sq.; *Moy*, 10 sq., 106 sq. 120 sq., 224 sq., 273 sq.; *Freisen*, 364; *Zhishman*, 373 sq.; *De Smet*, n. 563 sq.; *Chelodi*, n. 76 sq.; *Cappello*, I, n. 390 sq.; *Ferreres*, Derecho sacr. n. 581 sq. Praeterea consulendi sunt theologi dogmatici, ubi agunt de *unitate* atque *indissolubilitate* matrimonii, velut *S. Thomas*, Summa th. P. III, Suppl. q. 65; *Perrone*, III, 5 sq.; *Palmieri*, De matr., 97 sq., 125; *De Augustinis*, De sacr. II, 655 sq., 675 sq.; *Pesch*, VII, n. 761 sq.; *Billot*, De sacr. II, 363 sq.

Canon 1069. § 1. *Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei.*

§ 2. *Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.*

Praenotiones

242. Definitio. Impedimentum *ligaminis* est vinculum matrimoniale ex *valido* matrimonio ortum, quo unus coniux sive vir sive femina alteri ita alligatur, ut eo vinculo durante sive vere non soluto, etiamsi matrimonium manserit ratum, cum tertia

---

[1] L. 1, 13, D. de his, qui notantur infamia, III, 2; L. 11, § 12, D. ad leg. Iul. XLVIII, 5; L. 2, Cod. de incest. et inut. nupt. V, 5; L. 18, Cod. ad leg. Iul. de adult. IX, 9; cod. civ. Ital. art. 52, 104; cod. civ. Gall. art. 147, 184, 188, 189; cod. crim. Gall. art. 340, cod. civ. Germ. §§ 1326, 1309; cod. crim. Germ. § 171; cod. civ. Hisp. art. 31, 52, 83, 104; *Friedberg-Ruffini*, § 144; *Allègre*, I, 76, *Hollweck*, D. Civileher. 128 sq.; *Vering*, Gesch. u. Pandekt. § 221.

persona valide nuptias celebrare non possit, salvo tamen privilegio fidei.

Divisio. Impedimentum ligaminis sive ligationis[2] constitutum est, ut servetur *unitas* matrimonii sive *monogamia*, quae sita est in legitima coniunctione maritali unius cum una. Quae unitas est *perfecta*, si neuter coniux, etiam post legitimam matrimonii prioris dissolutionem, secundas nuptias celebrat, *imperfecta* vero dicitur, si saltem unus ex coniugibus, dissoluto priore matrimonio, ad secunda vota transit. Unitati matrimonii sive monogamiae opponitur polygamia, quae denuo subdividitur in *polygamiam* et *polyandriam* et in *simultaneam* et *successivam*. Polygamia *simultanea* consistit in coniunctione maritali *unius* viri cum compluribus simul feminis (polygynia sive plerumque simpliciter polygamia) aut unius feminae simul cum compluribus viris (polyandria). Polygamia vero *successiva* habetur, cum vir vel femina, legitime soluto vinculo prioris matrimonii, novas nuptias celebrat[3].

243. Notae historicae. Deus in ipsa creatione protoparentum unitatem matrimonii iure *naturali* iam constitutam et commendatam *positiva* quoque lege *irritante* praecepit[4]. A primigenia institutione divina quamvis iam Lamech de facto recesserit[5],

[2] *Roland.* l. c., 114; *Bernard. Pap.*, l. c., 134, 287; *Freisen*, 367 sq., 225 sq.

[3] Cfr. c. 11 (S. Hieron.) C. XXX q. 1; *Palmieri*, l. c., 107; *Freisen*, 669.

[4] Unitatem *uxoris* ex lege *naturae* esse tantum *de consilio, non de praecepto*, putavit *Schnitzer*, 10 sq., immo, 12, existimat vel ipsi *polyandriae* saltem legem *naturalem* non obstare. Longe aliter, et quidem recte *Leitner*, 170 sq. aliique. Nonnulli theologi hanc assertionem de iure positivo negant (cfr. *Perrone*, III, 34 sq.), at immerito. Atque haec quaestio nequaquam habenda est ut mere critica et historica; agitur enim de verbo Dei scripto rite interpretando. Qua in interpretatione a Decretalibus Romanorum Pontific. (cfr. *Nicol. M.*, in respons. ad consult. bulgar. c. 51); cap. 8 (*Innoc. III*, a. 1201) X, de divortiis IV, 19 et a declaratione Concilii Trident. Sess. XXIV, doct. de sacr. matrim. cap. unic. et a communi sententia theologorum (cfr. *S. R. Bellarmin.*, l. c. cap. 11) non est recedendum. Cfr. *S. Thom.*, Suppl. q. 65, art. 2; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. XIII, cap. 21, n. 8; *Palmieri*, l. c., 115 sq.; *Sánchez*, lib. VII, disp. 80, n. 14; *Rosset*, n. 503 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 9. *Gasparri*, I, n. 557. At non est confugiendum ad illud argumentum, quod *infideles* ante susceptum baptisma lege positiva Christi non ligentur. Id sane verissimum est de lege *canonica* ab *Ecclesia* lata, sed non est extendendum ad Christum Dominum, *divinum* legislatorem *universi generis humani*. Cfr. *Suarez*, De legib. l. IX, cap. 21, n. 8, l. X, cap. 1 sq., c. 4, n. 3.

[5] Genes. IV, 23; at Nicol. M. l. c., Innocent. III, l. c., aliique facinus *Lamech reprehendunt*. Cfr. *Palmieri*, l. c. 118 sq.; *Schnitzer*, 10 sq.; *Leitner*, 32 sq.

cum duas sibi copularet uxores, tamen usque ad diluvium dispensationem a Deo fuisse concessam minime constat. Post diluvium ad celeriorem et maiorem propagationem *populi electi*, saltem inde ab antiquis patriarchis, i. e. Abraham etc., polygamia quaedam *moderata* populo iudaeorum unice fuit divina concessione permissa[6]. Denique in legislatione mosaica polygamia disertis verbis probatur[7]. Nusquam vero a Deo polyandriam concessam esse legitur.

Cum venisset plenitudo temporis, Christus Dominus, abrogata permissione Veteris Testamenti, matrimonium ad primitivam unitatem ut verus legislator omnium hominum divina sua auctoritate revocavit pro toto genere humano[8], ideoque denuo viget etiam positiva prohibitio polygamiae iuris divini primigenii.

Quae revocatio eo minorem nacta est difficultatem, cum tempore adventus Christi polygamia a moribus iudaeorum et graecorum esset aliena, et in ipso imperio romano legibus quoque civilibus et antiquissima romanorum praxi prohiberetur. Quae prohibitio gravissimis poenis, v. g. infamiae, fuit munita. Inter populos germanicos saltem viri nobiles et divites duxerunt complures uxores[9].

Matrimonii unitatem a Christo restauratam Ecclesia sua doctrina et praxi constanter vindicavit proscripsitque uxorum pluralitatem[10]. At quoniam vel ipsae leges civiles romanorum polygamiam prohiberent, atque adeo primis saeculis polygamia *successiva* apud christianos et Ecclesiae pastores non esset laudata.

[6] *Innoc. III*, cap. 8, X, de divort. IV, 19; *Rosset*, n. 510 sq., 723 sq. cum aliis, v. g. *Sánchez*, l. VII. *disp.* 80, n. 13. Quam permissionem alii auctores statim post diluvium Noë ita datam fuisse putant, ut illa deinceps saltem *indirecte* ad gentes quoque *infideles* extenderetur. Ita *S. R. Bellarm.*, De matrim. cap. 11 cum aliis, v. g. *Pontio*, *Wiestner*. Cfr. quoque *Schnitzer*, 13; *Leitner*, 32 sq., 170; *Billot*, l. c. 372 sq.

[7] Deuter. XXV, 5 sq.; Ruth IV; *Tirin.*, Comment. in cit. loc. S. Script.; *Schnitzer*, 13, quem severius reprehendit *Leitner*, 170, gratuitae assertionis de matrimonio leviratus, in quo Deus ipse polygamiam causarit. Nam ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. Quare potius *Leitner* sine sufficiente ratione videtur fratrem iam *uxoratum excludere* a matrimonio leviratus. Cfr. *Palmieri*, l. c., 111 sq.; paulo aliter *Scherer*, § 1 8, not. 4, 6, § 136, V.

[8] *Suarez*, l. c. l. IX, cap. 21, n. 8.

[9] Cfr. L. c. in not. 1, h. tit.; *Tacitus*, Germania cap. 18; *Perrone*, III, 65 sq. de fabula edicti Valentiniani; *Freisen*, 364 sq.; *Scherer*, 352 sq.; *Zhishman*, 373 sq. Immo Constant. M. a. 320, L. 1, C. de concub. V, 26 statuit: *Nemini licentia concedatur constante matrimonio concubinam penes se habere.*

[10] Clem. Alex., Strom. l. III, c. 12; *Perrone*, III, 57 sq.

raro inveniuntur clari expressique canones contra polygamiam [11]. Quare lex divina unitatis matrimonii praesertim fuit practici momenti, cum infideles *plures* uxores habentes ad fidem catholicam converterentur [12], aut perversi christiani, spreta lege *indissolubilitatis* matrimonii et repudiata legitima uxore, secundam sibi copulare attentarunt [13]. Historica igitur disquisitio de isto impedimento maxima ex parte confunditur cum historia *indissolubilitatis* matrimonii, de qua in titulo de divortiis est agendum.

Gratianus aliique Glossatores licet non semper vocabulo artis *ligaminis* uterentur, rem ipsam recte explicarunt et genuinam defenderunt doctrinam [14]. Mentio potius facienda est singularis doctrinae quorundam doctorum saeculi XII, quam commemorat et refutat *Petrus Lombardus* [15], sc. matrimonium ante copulam carnalem non consistere [16]. Cuius doctrinae falsum consectarium fuit illa theoria doctorum et praxis nonnullarum ecclesiarum particularium ab *Alexandro III* et *Innocentio III* proscripta, secundum quam matrimonium ratum dicebatur dissolvi per *subsequens* matrimonium consummatum [17]. Quae rescripta Rom.

[11] Cfr. c. 4 (c. 17 Conc. Tolet. a. 400), 5 (S. Isid.), D. 34; c. 9 Syn. Rom. (a. 402); Concil. Rom. (a. 826), c. 37; Nicolaus M., l. c. c. 51. Item Gregorius II, (in sua authentica responsione, a. 726, S. Bonifacio data non permisit polygamiam, ut patet ex interpretatione illius c. 18, C. XXXII, q. 7 supra titul. de imped. impotentiae in not. historic. exhibita. Neque recurrendum est ad interpretationem Berard. (cfr. *Palmieri*, l. c., 109) aut ad theoriam a *Freisen*, 331 sq., olim propugnatam et nunc retractatam. Concedendum vero est Coelestinum III, cap. 5, X, de frig. et malef. IV, 15, huius epistol. Gregor. II non dare interpretationem, cum « *decretum Gregorii* », ibidem citatum, sit, c. 1, C. XXXIII, q. 1, a Gratiano *falso* Gregorio M. attributum.

[12] Cfr. cit. cap. 8, de divort. IV, 19. Quibus infidelibus etiam iudaei sunt adnumerandi; qui iure talmudico a quatuor uxoribus ducendis non impediuntur, atque synedrium, a. 1807 Parisiis congregatum, declaravit polygamiam *ibi* iudaeis esse prohibitam, *ubi moribus regionis* non esset recepta. Cfr. *Rosset*, n. 521 sq., de casibus quibusdam particularibus toleratae polygamiae hebraeorum infidelium in Statu pontificio sub Martino V, Paulo IV et Gregorio XV.

[13] Cfr. tit. de divort.; C. XXVIII, q. 2; C. XXXII, q. 6; C. XXXIV, q. 1.

[14] *Freisen*, 367.

[15] Cfr. l. IV sentent. dist. 27; *Feije*, n. 439; *De Smet*, n. 332.

[16] *Freisen*, 368, 151 sq., 164 sq.; *Vermeersch*, De castit. n. 106; *De Smet*, n. 96 ubi copulatheoria erudite exponitur et efficaciter confutatur.

[17] Alex. III in cpl. I, cap. 6, 7, 8, de sponsa duor, et e converso IV, 4; cap. 3 (Alex. III), cap. 5 (Innocent. III, a. 1200), X, h. t. At ex paucis et obscuris verbis cap. 3, X, h. t. erui non potest ullum ex praedecessoribus Alexandri III *ex cathedra approbasse* doctrinam a successoribus damnatam, quaecumque tandem ex tribus interpretationibus illius capitis acceptetur. Cfr. infra n. 622, not. 21.

Pontif. saltem ex parte in hunc titulum compilat. Greg. IX fue-

Imprimis cum *Sánchez*, l. II, disp. 14, n. 4, *S. R. Bellarmino*, *Cano* aliisque, v. g. *Rossel*, n. 1699 sq. verba illa Alexandri III: « *Quamvis* aliter *a quibusdam praedecessoribus nostris* sit *aliquando iudicatum* » possunt intelligi de decisionibus *iudicialibus* in causis *particularibus*, quae vere *erroneae* fuerunt. Idem insinuant vocabula « *sit* (non videatur) *aliter* (non apparenter) *iudicatum* » — pro more illius aetatis, qua RR. Pontifices etiam personaliter partes iudicis in causis particularibus susceperunt —. At huiusmodi particulares sententiae et responsiones RR. Pontificum non sunt definitiones ex cathedra et normae generales. Quare mirum non est quod illa *iudicia* in nulla collectione reperiantur. Nec obici potest cum *Santi*, h. t. n. 11 sq,. indissolubilitatem matrimonii constanter agnitam fuisse in Ecclesia romana. Nam quaestio illa num subsequente matrimonio consummato dissolveretur prius matrimonium ratum, fuit plane *specialis* atque *ante Alexandrum III* non adeo clare dirempta, ut patet ex ipso modo loquendi Alexandri III in rescripto originali, unde cit. caput 3 desumptum est, et ex iteratis *quaesitis* Sedi Apostolicae propositis et ex *controversiis* doctorum. Multo minus *De Angelis* aliquid evincit, si hanc explicationem cum infallibilitate R. Pontificis componi non posse autumat; gratuito enim supponit illa iudicia sive rescripta particularia fuisse definitiones *ex cathedra*. Cfr. *Rosset*, n. 1703; *Schmalzgr*, h. t. n. 25. Cfr. *Scherer*, l. c., 549 sq. et speciatim de hac quaestione, 551, not. 31; *Fahrner*, Geschichte der Ehescheidung, (1903) p. 169 sq. Et revera si Innocentius III, cap. 7, X, de divort. IV, 19 scribit: « *Licet quidam praedecessores nostri sensisse aliter videantur* », id passim auctores intelligunt saltem de *erroneo* rescripto *particulari* Coelestini III (a. 1191-1198) in parte *decisa* cap. 1, X, de convers. infid. III, 33, quod nequaquam est definitio ex cathedra. Cfr. *González* in cap. 7, X, de divort. III, 33; *Leitner*, l. c., 598, 590. Quare omnibus attentis primae explicationi saltem solida probabilitas negari nequit.

Altera explicatio a *Wagnereck* et *Schmier* proposita, quam etiam *Schmalzgr.*, l. c. non respuit, eo reducitur quod praedecessores illi Alexandri III ex plenitudine potestatis *solverint* prius matrimonium *ratum* et deinde in *radice* sanarint alterum matrimonium consummatum. Quae explicatio a priori est mere conficta et non cohaeret cum verbis textus « *aliter iudicatum* ». Praeterea gratis illo tempore iam supponitur iteratus usus potestatis pontificiae solvendi matrimonia rata, de quo hucusque nullum habetur vestigium. Denique RR. Pontifices *veram* sanationem *in radice* omnino non concedunt, si sanandum sit matrimonium, cui obstabat impedimentum iuris *divini*. Hinc ista opinio non est vere probabilis.

Tertia explicatio datur a *Santi*, h. t. n. 18, qui dicit Alexandrum III inseruisse illa verba propter aliquam *difficultatem* forte ab Archiepiscopo Salernitano allegatam cui videbantur nonnulli RR. Pontifices secundum matrimonium consummatum vere praetulisse priori matrimonio rato, cum non satis perspectas haberet circumstantias facti et rationes decidendi, v. g. difficultatem *probandi* prius matrimonium in foro externo. Quae explicatio a priori est possibilis et ingeniose excogitata; at ista *difficultas* Archiepiscopi est mere conficta, de qua nullo documento constat. Praeterea responsio Alexandri III ad illam difficultatem fictam vere esset inepta; simpliciter enim respondit: « *Aliter iudicatum est* »

runt recepta [18]. Tempore reformationis contra duos extremos errores sana doctrina catholica fuit defendenda. Cum *Calvinus* polygamiam adeo rigorose iure naturae prohibitam esse contenderet, ut vel ipsos sanctos patriarchas Veteris Testamenti propter pluralitatem uxorum diceret adulterii reos, *Lutherus* polygamiam simultaneam neque praeceptam neque prohibitam esse arbitratus est [19]. Quam doctrinam anabaptistae practice secuti sunt, atque ipse Lutherus Philippo, Landgravio Hassiae, ut retenta priore uxore secundam sibi duceret, cum consensu septem aliorum theologorum protestanticorum 4 mart. 1540 benigne indulsit. Quod exemplum inter protestantes non est unicum [20], atque etiam post Lutherum polygamiam suos nacta est defensores et patronos [21]. Praesertim vero Mormones polygamiam, quam licitam esse theoretice sustinuerunt, cum turcis et paganis practice diu exercuerunt, donec a. 1862 et multo magis a. 1878 legibus latis a comitiis

---

non *videntur* aliter iudicasse, sed non *vere*. Tertia igitur explicatio, nisi melioribus argumentis positivis corroboretur, non videtur sustinenda.

[18] Inde etiam patet absurditas illius fabulae Gregorium IX, a. 1240, i. e. sex annis elapsis post promulgationem compilationis suae authenticae dedisse dispensationem comiti *Gleichen* ducendi secundam uxorem, retenta prima. Qui comes, ut fert fabula, postquam cruce signatus cum Landgravio Thuringiae a. 1227 in terram sanctam ad bellum profectus est, incidit in captivitatem saracenorum, ex qua ope filiae sultani liberatus aufugit et in praemium audacis facinoris, consentiente Rom. Pontifice Gregorio IX, liberatricem suam duxit secundam uxorem. Ista narratio, a. 1584 prima vice publicata, purum est figmentum atque originem duxisse videtur a phantastica interpretatione alicuius monumenti, in quo comes Gleichen (a. 1494) inter duas mulieres repraesentatur, unam vestibus germanicis, alteram vestibus turcicis indutam, ut fusius exponit *Doellinger*, Papstfabeln, 34 sq.

Immo illo saeculo XIII Clemens IV, a. 1266 et 1267, eadem fortitudine apostolica restitit regi Aragoniae polygamiae cupido, qua postea Urbanus V etiam in difficiliore condicione Carolo V, regi christianissimo Galliae, pluralitatem uxorum denegavit. Quibus praeclare gestis RR. Pontificum non obstant quae Martinus V, Paulus IV et Gregorius XV, *ut principes civiles*, tolerarunt in nonnullis hebraeis Status pontificii, ut latius exponit *Rosset*, n. 521 sq.

[19] De his quaestionibus consulendi sunt theologi dogmatici, veluti *Perrone*, III, 50 sq.; *Palmieri*, l. c., 121, de fallaciis *De Dominis* quoad concubinatum olim permissum; *Pesch*, n. 832 sq.; *Rosset* n. 466 sq.

[20] *Leitner*, 169, not. 6; *Scherer*, 359, not. 50, ubi allegantur Carolus Ludovicus, Elector Palatinus, deinde Eberhardus Ludovicus, dux Wuertembergiae et Frider. Guilelmus II, rex Borussiae, qui vivente legitima uxore sibi copularunt secundam.

[21] *Schulte*, § 27, not. 1; *Friedberg-Ruffini*, § 144, not. 1. Verum fabulis quoque adnumerandum est Pium VI viro nobili in Helvetia indulsisse per Breve Paenitentiariae dispensationem, ut non obstante matrimonio priore cum femina catholica secundas nuptias celebraret. Fictio

generalibus Americae septentrionalis saltem ex parte impedirentur. Socialistae ne a polyandria quidem abhorrent [22].

§ I. De vi et origine impedimenti ligaminis

244. Ad inducendum impedimentum ligaminis, quod obstat *valori novi* matrimonii tria requiruntur:

I. Matrimonium *praecedens* in se et obiective debet esse *validum*, non irritum sive ob defectum consensus sive propter aliud etiam occultum impedimentum iuris divini vel humani [23]. At probata *nullitas* prioris matrimonii, quamvis *valori* novarum nuptiarum sive *bona* sive *mala* fide contractarum non obstet, tamen minime impedit quominus ex priore illo matrimonio *invalido alia* oriantur impedimenta, v. gr. publicae honestatis vel criminis, quae secundas nuptias saltem *cum determinata* persona omnino reddant invalidas.

II. Matrimonium prius initum saltem *ratum* sit oportet, nec requiritur ut sit consummatum.

III. Requiritur praeterea ut vinculum prioris matrimonii *consummati* morte vel privilegio Paulino, matrimonii vero *rati etiam* sollemni professione religiosa vel dispensatione R. Pontificis, tempore celebrationis secundi matrimonii *vere* et *obiective non sit solutum*. Hinc si forte contrahentes *solutionem* prioris matrimonii penitus *ignorent*, v. g. propter errorem de morte alterius coniugis, *valor* novi matrimonii non impeditur [24].

---

ista historica evidenter refutatur ex testimonio authentico Card. Antonelli, Paenitentiarii maioris, dato in epist. 25 maii 1807.

[22] Illorum spurcitias iam recensuit *Perrone*, III, 7 sq. Nostra aetate socialista *Bebel* scripsit abominabilem librum: Die Frau (La donna).

Quibus erroribus socialistarum, ut omnino concedendum est, viam paraverant viri quidam docti, inter quos *Schopenhauer*, mirus ille philosophus qui (Parerga u. Paralipomena, II, 647), patrocinium polygamiae tanquam *formae naturalis matrimonii* in se suscepit. Quodsi idem auctor eo progressus est ut *polygamiam pro sexu femineo generatim* diceret esse *beneficium*, vel ab ipso *Bebel* refutatur. Cfr. *Cathrein*, Moralphilosophie, II, 397 sq.; *Schnitzer*, 15, n. 4.

[23] Cfr. cap. 2, X, h. t.; R. I, 52 in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIV de ref. matr. cap. 2; Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 40 sq.; Inst. C. Rauscher, § 20; *Schmalzgr.*, h. t. n. 1 sq. Quodsi agatur de matrimonio infidelium *ante* conversionem contracto, forte etiam incidit dubium num valori illius contractus matrimonialis, nullo iure divino sive naturali sive positivo irritati, saltem obstiterit impedimentum *dirimens* iuris *civilis*. Cfr. cit. Inst. S. C. Inq. n. 43 sq.; S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr. 285, n. 151 sq.

[24] S. C. C. in c. Smyrnensi, 9 sept. 1752, in ed. *Richt.* Conc. Trid.,

IV. Si adest *dubium* de *valore* prioris matrimonii vel de *momento* quo illud solutum est, etiam quaestio de valore secundi matrimonii manet suspensa.

245. *Polyandria* et *polygamia* simultanea iure divino et naturali et positivo absolute per modum legis *irritantis* interdicta est non solum omnibus *christianis*, sed etiam omnibus hominibus *non baptizatis* saltem inde a lege nova per Christum promulgata; hinc vinculum sive ligamen ex priore matrimonio ortum nec legitime dissolutum ex eodem iure divino, tum naturali tum positivo, constituit impedimentum irritans valorem secundi matrimonii forte attentati.

Qua in re *polyandria* quidem *simultanea* nullum dubium esse potest quin ex lege *naturali* prohibente et irritante sit illicita et invalida; repugnat enim non solum *fini principali*, sed etiam secundariis finibus matrimonii. Ea graviter damnificat prolis generationem et *ignoto* patre etiam moralem educationem; deinde destruit mutuam pacem et concordiam familiae, cui plures viri *praesunt;* nec in remedium est concupiscentiae, cum una mulier pluribus viris satisfacere non possit, nisi cum gravi damno atque vitae abbreviatione [25]. Porro ut eruitur ex doctrina S. Pauli — Rom. VII, 3; I Cor. VII, 39 — lex quoque evangelica eandem illiceitatem atque irritationem polyandriae simultaneae ratam habet. Cfr. quoque Confess. Michaël. Paleologi apud *Denz.-Bannw.* Enchirid. n. 383.

Polygamia vero *simultanea* tum disertis textibus librorum sacrorum Novi Testamenti, v. g. Matth. V, 2, 8, XIX, 4 sq. et I Cor. VII, 10, 11, tum authentica interpretatione sacrorum canonum tanquam legi evangelicae contraria reprobatur et irritatur. Relicta theologis [26] uberiore expositione probationis ex Sacra Scriptura et SS. Patribus, sufficiat allegare verba ex epistola Nicolai M. ad consult. bulgar. c. 1: « *Duas tempore uno*

---

254 sq., n. 92; *Sánchez*, l. II, disp. 33; *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 21, n. 4 sq., 24, 30 sq.

[25] *S. Thom.*, Suppl. q. 65, a. 1 ad 8; *Cathrein*, Moralphil. II, 397 sq.; *Rosset*, n. 457; *Leitner*, 172 cum communi doctorum catholicorum sententia; *Schnitzer*, 12, not. 2, ubi tenet matrimonium polyandricum esse infimam quidem formam matrimonii, nihilominus *matrimonium* esse habendum. Cfr. de controversia num ipse Deus polyandriam concedere possit: *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 9 et *Rosset*, n. 523 sq. Quae controversia, quamvis in iure canonico non habet utilitatem practicam, tamen ex argumentis in favorem sententiae *negantis* allatis denuo solide confirmatur repugnantia polyandriae cum iure naturali; *De Smet*, n. 303.

[26] *Pesch*, VII, n. 821 sq.; *Rosset*, n. 481 sq.

habere uxores, nec ipsa origo humanae condicionis admittit nec lex christianorum ulla permittit ». Neque minus peremptoria est argumentatio et decisio Innocentii III [27], quae citata confessione Michaëlis Paleologi, maxime vero authentica declaratione Concilii Tridentini Sess. XXIV, doct. de sacr. matr. can. 2 sollemniter confirmata est.

Praeterea polygamia sive polygynia simultanea, quamvis non adversetur *primario iuri naturali* [28], tamen *secundario* iuri naturali omnino est contraria [29]; sententia vero illorum doctorum etiam catholicorum, qui polygyniam iuri naturali solummodo *minus congruere,* non stricte repugnare opinantur [30], simpliciter improbabilis est dicenda. Quare unumquodque matrimonium a viro post primum validum connubium nondum solutum cum alia quadam muliere attentatum, *ex iure naturae* non solum est minus conveniens, sed vere illicitum atque irritum.

Sane polygamia simultanea non reddit assecutionem *primarii finis* matrimonii *impossibilem,* sed solummodo valde *difficilem,* ideoque *primariis* principiis iuris naturalis [31] non repug-

---

[27] Cap. 8, X, de divort. IV, 19.

[28] Calvinus, praeeuntibus manichaeis aliisque consentientibus, docuit polygamiam absolute iuri naturae esse contrariam. Cfr. *Rosset*, n. 466 iunct. n. 470 sq. Cfr. de distinctione inter primaria et secundaria iuris naturalis praecepta, praeter *S. Thomam*, l. c.; *Palmieri*, De matr., 111, 117, 119; *Billot*, De sacr. II, 368; *Suarez*, De leg. l. II, cap. 15; *De Smet*, n. 300 sq.

[29] *S. Thomas*, l. c., quem saltem *communius* philosophi et theologi et canonistae catholici sequuntur, v. g. *S. R. Bellarminus, Sánchez, Schmalzgr., Kugler, Benedictus XIV, Van de Burgt, Billot* aliique, ut fatetur *Schnitzer*, l. c. 12. Cfr. *Cathrein*, l. c. II, 398 sq., I, 372; *Rosset*, n. 496, 474 sq.; *Leitner*, 170 sq.; *De Smet*, n. 304.

[30] Quae sententia duce *Durando* defenditur a *Maldonato, Collet, Schwarz* aliisque antiquioribus, posterius vero a *Perrone*, l. c. III, 26, 29; *De Angelis*, h. t. n. 4; *Santi*, h. t. n. 7; *Schnitzer*, 12 sq. aliisque. Qui scriptores catholici profecto non negant prohibitionem *positivi* iuris divini a Christo promulgati, atque a difficultate ex *praxi* antiquorum patriarcharum, iudaeorum ipsorumque populorum infidelium facile sese expediunt, eo quod illi *dispensatione non* indiguerint. Quomodo cum verbis Innocentii III, cap. 8, X, de divort. IV, 19, conciliari possit haec opinio viris istis doctis enucleandum relinquimus. Cfr. *Rosset*, n. 503 sq.

[31] *S. Thomas*, l. c.; *S R. Bellarminus*, l. c. cap. 11; *Rosset*, n. 470 sq.; *Billot*, l. c. 369 sq.; *Cathrein*, l. c. in not. 29, h. tit. At *Leitner*, 33 et 170, minus accurate disserit de *dispensatione* a Deo in Vetere Testamento data. Etenim confundit *dispensationem* cum casu in lege naturali *omnino non contento*. Quare exemplum de furto in extrema necessitate non est ad rem. Praeterea non satis distinguere videtur *strictam dispensationem* in lege a dispensatione *sensu latiore* accepta. Cfr. *Cathrein*, l. c. Quodsi tandem *Leitner*, 33, 170, putat praxim antiquorum patriarcharum

nat. At difficultas illa gravis obtinendi finem principalem matrimonii iuncta seriae difficultati etiam consequendi fines secundarios polygamiam simultaneam constituit talem *perpetuam turpitudinem*, ut ipsa ex *secundariis* principiis iuris naturalis sit non solum illicita, sed etiam invalida [32]. In his enim rebus attendenda sunt damna, quae ex *communiter contingentibus* imminent, si *universo generi humano* polygamia *simpliciter* permittatur, non sola incommoda quae per accidens in *casibus particularibus* vitari possunt. Et profecto polygamia non servat *paritatem* inter virum et mulierem in *contractu* matrimoniali, obstat *paci* et *concordiae* familiarum, immo tertio fini matrimonii, quo nuptiae ordinantur in remedium *concupiscentiae*. Quare sicut Deus pari fere numero divisit viros et mulieres, ita ipsa natura duce monogamia est instituta [33].

Eadem doctrina comprobatur extrinseca auctoritate tot doctorum, inter quos potissimum allegandus est *Benedictus XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 9, ubi haec leguntur: « *Docent quidem Duranдus et Abulensis iuri naturae polygamiam non repugnare. Quamvis autem singularis haec eorum opinio dici non possit a Trid. Concilio fuisse proscripta, cum in eo damnata unice fuerit eorum sententia, qui polygamiam iure divino vetitam non esse contenderent, sicut in allato Concilii canone aperte conspicitur: censuram tamen non fugit doctrinae* **improbabilis** *et alienae a communi sententia aliorum theologorum docentium polygamiam, divino aeque ac* **naturali** *iuri eo modo, quem supra innuimus, esse contrariam* ». Denique S. C. Inq., 20 iun. 1866 (in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1354) declaravit matrimonium vivente prima uxore cum secunda femina contractum « *nullum et irritum esse tum lege divina tum* **naturali** ». Codex quoque eandem doctrinam firmat, dum c. 1013 § 2 unitatem dicit esse proprietatem matrimonii essentialem.

---

absque licentia divina explicari posse per « *peccatum materiale* » et *dispensationem* Dei in dubium vocat vel ad meram *tolerantiam* sive dissimulationem divinam — quae *liceitatem* polygamiae in populo hebraeorum excludat? — deprimit, defendit propositiones theologice non satis fundatas. Cfr. *Rosset*, n. 492 sq.; *Billot*, l. c., 371 sq. iunct. cap. 8, X, de divort. IV, 19; c. 1, 2, 7 (S. August.) 3 (S. Ambros.) C. XXXII, q. 4.

[32] *Suarez*, De leg. l. II, cap. 12, n. 3 sq.; *Schmalzgr.*, in dissertatione prooem. n. 70 sq., 77.

[33] *Rosset*, n. 474 sq., 480; *Leitner*, 172 sq.; *Cathrein*, l. c. II, 398 sq. Si *Schopenhauer* et *Hellwald* docent *natura* virum ad polygamiam, mulierem ad polyandriam esse *formatos*, ab ipsis peritissimis medicis, v. g. *Ribbing*, omnino refutantur.

§ II. De effectibus impedimenti ligaminis

246. Effectus impedimenti ligaminis *obiective existentis* vere *primarius* ipsoque iure divino inductus in eo consistit, ut omne matrimonuim denuo contractum *dirimat*. Quare si quis cum duabus feminis matrimonium contraxit, ei omnino adhaerere debet, quam prius duxit in uxorem, quamvis illam nondum carnaliter cognoverit. Immo etiamsi secundam uxorem prius carnaliter cognovisset, atque adeo prima uxor propter morbum vel impotentiam supervenientem vel sterilitatem vel absentiam diuturnam aliamve ob causam ipsi facta esset inutilis, nihilominus « *quod prius de iure factum fuerat, non poterit irritari* » [34]. Pendente vero causa *nullitatis* prioris matrimonii saltem *illicita* est secundarum nuptiarum celebratio, et generatim ad secundum matrimonium quis licite transire non potest, nisi prius *certo* et in forma legitima constet primum matrimonium *aut* invalide fuisse *contractum aut* legitime quoad vinculum *solutum* (c. 1069 § 2) [35].

247. Effectus *secundarii* et *poenae* bigamiae simultaneae ex iure canonico sunt: I. *Impedimentum criminis*, quo coniuges *mala fide* secundum matrimonium attentantes et consummantes ita ligantur, ut etiam post mortem prioris coniugis sine dispensatione ad validum matrimonium contrahendum inhabiles sint (c. 1075, 1°).

II. *Irregularitas* — bigamiae — qua *vir* afficitur, si aliam superinduxit uxorem per attentationem novi matrimonii etiam mere civilis (c. 985, 3°).

III. *Infamia iuris* ipso facto incurrenda (c. 2356), quam multae iuridicae sequelae comitantur (c. 2294, § 1).

IV. Praeterea sunt *excommunicandi* aut *personali interdicto* plectendi, si spreta Ordinarii monitione in illicito contubernio persistant, ad normam c. 2356.

V. Polygami, cum sint *publici peccatores*, arcendi sunt ab *Eucharistia* (c. 855 § 1), a piis associationibus (c. 693 § 1, a benedictionibus Ecclesiae, v. gr. si mulier superinducta post partum petat benedictionem puerperae, tandem etiam ab *ecclesiastica sepultura*, si absque paenitentia decedant (c. 1240 § 1, 6°).

248. Causae polygamiae simultaneae fidelium, quae cum

---

[34] Cfr. decis. S. C. C. in cit. c. Smyrnensi de *errore* circa existentiam impedimenti ligaminis; *Rosset*, n. 1698.

[35] Cfr. *Benedict.* XIV Const. *Dei miseratione*; Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 42 i. f.; *Pirhing*, h. t. n. 9, 10; *Van de Burgt*, 295 sq. ubi agit de impediente impedimento « *defectus certitudinis de morte prioris coniugis* »; *Rosset*, n. 1708 sq.

quaestione de valore vinculi prioris matrimonii conexae sunt, ad solum forum ecclesiasticum pertinent; quatenus spectant *punitionem criminis* per se sunt *mixti fori* [36]. Et revera potestas civilis etiam nunc delictum polygamiae impunitum [37] non relinquit. At propter conflictum inter ius Ecclesiae et leges civiles non raro *veri polygami*, qui in foro divino et canonico nefandi huius sceleris rei sunt, in foro civili plane immunes a poena abeunt, dum alii, qui ex legibus divinis et canonicis ad secunda vota *legitime* transeunt, tanquam polygami castigantur et ad *fornicariam* coniunctionem redire vi *compelluntur,* v. g. in Gallia, Germania, Helvetia et Hungaria.

249. Scholion. Si secundum matrimonium initum fuit in *dubio* de solutione prioris: 1°) si *mala fide* hoc factum est, licet matrimonium validum esse possit, at manente dubio illicitus est usus si *utraque* pars fuit in mala fide; si *una* tantum, haec non potest petere sed solum reddere, altera innocens petere et reddere; 2°) *si bona fide* matrimonium est celebratum, deinde vero *leve dubium* suboriatur, hoc est spernendum; si *fundatum dubium* oritur, adest obligatio inquirendi et durante investigatione pars dubitans potest reddere non autem petere; quodsi *dubium* peracta diligenti investigatione *perseveret,* usus matrimonii non est prohibitus [38].

§ III. De dispensatione et cessatione impedimenti ligaminis

250. Impedimentum ligaminis, cum nitatur iure divino et naturali et positivo, a nulla auctoritate *humana* atque ne a *Romano* quidem *Pontifice* per dispensationem in casibus particularibus tolli potest, neque unquam *de facto* ab ullo Romano Pontifice huiusmodi dispensatio est attentata. Cui assertioni non obstat quod RR. Pontifices matrimonia *rata* ex legitimis causis dissolvere soleant; vere enim vinculum prioris coniugii rescindunt. Qua rescissione facta per secundas nuptias non committitur crimen *simultaneae* polygamiae.

Quodsi vinculum matrimoniale ex legitimis nuptiis non baptizatorum ortum sit atque accesserit consummatio, certe ex privilegio divino a S. Paulo promulgato vinculum prioris coniugii, contractu matrimoniali a parte conversa legitime celebrato, penitus solvitur.

---

[36] *Nussi,* Conventiones, 171, 178, ubi ex concordato cum regno utriusque Siciliae (a. 1741) inito cognitio et punitio delicti polygamiae pertinent ad solam potestatem ecclesiasticam.

[37] Cod. crim. Ital. art. 556, German. § 171, Gall. art. 19, 340 iunct. not. 1, h. tit. etc.

[38] Cfr. *Leitner,* 170; *Lehmkuhl,* n. 1075, 1077; *Cappello,* I, n. 402. 403; *Chelodi,* n. 77, not. 1.

Cessatio quoque huius impedimenti non est asserenda, si priore matrimonio *rato* manente secundum quoddam matrimonium contrahatur et *consummetur.* Etenim primo matrimonio rato unaquaeque pars solo consensu mutuo alteri *totum* ius in corpus iam tradit, ita ut neuter coniux ius in proprium corpus retineat; at exhausto iure sublataque penitus potestate omnis nova corporis traditio ex natura rei est nulla et irrita; etenim in consummatione matrimonii non traditur ius, sed *pleni iuris* iam *acquisiti* tantum fit *usus.*

251. Quin immo, recte omnino asseritur Romanum Pontificem *ne posse quidem* ulla lege generali statuere ut matrimonium ratum et non consummatum dirimatur per subsequens matrimonium copula carnali consummatum. Nam prius matrimonium ratum ex ipsa lege naturali praefertur secundo isti matrimonio consummato; sed in lege naturali R. Pontifex directe dispensare nequit; ergo lege quadam generali indiscriminatim efficere non potest, ut matrimonium ratum dissolvatur per subsequens matrimonium consummatum vel potius irriti et attentati matrimonii consummationem.

Unicus enim modus, quo id explicari posset, consisteret in eo quod matrimonium consummatum ad instar sollemnis professionis religiosae ex vi iuridica, ei per legem R. Pontificis indita, dissolveret praecedens matrimonium ratum. At hic modus explicandi rem omnino est reiciendus. Nam R. Pontifex *valide* matrimonium ratum dissolvere non potest, nisi *iusta* subsit *causa.* Quae iusta causa non est *delictum* contra legem naturalem commissum, cui R. Pontifex lege sua universali veluti in *praemium* concederet solutionem matrimonii, immo *antecedenti* sua concessione generali potius ad delictum illud patrandum *excitaret* [39].

252. Nulla demum *consuetudine* vel *praescriptione* impedimentum ligaminis tolli potest, neque unquam *legi* unitatis matrimonii iure consuetudinario derogari potuit. Omnis enim consuetudo ex natura sua est ius *humanum,* quod contra ius *divinum* naturale et positivum sanciens unitatem matrimonii praevalere nequit. Quare polygamia moribus sive consuetudine apud populum etiam electum recepta, non propter morem vel consuetudinem facta est licita, sed consuetudines istae iuridicum fun-

---

[39] *Schmalzgr.,* h. t. n. 26; *Pirhing,* h. t. n. 6; *Rosset,* n. 1706 sq. aliique communiter cum *Sánchez,* l. II, disp. 14, n. 3 sq. contra non paucos antiquiores doctores.

damentum habuerunt in *dispensatione* divina *ad tempus* concessa. « *Nec ulli unquam,* inquit Innoc. III, cap. 8, X, de divort. IV, 19, *licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum* ».

§ IV. De iure accusandi matrimonium et de probatione libertatis

253. Cum impedimentum ligaminis etiam in foro ecclesiastico sit impedimentum dirimens iuris *publici,* contra matrimonium secundum propter ligamen prioris matrimonii irritum etiam *ex officio* a promotore iustitiae procedi potest et debet [40].

254. Iure Decretalium, si quis *scienter* vivente uxore cum secunda, hoc *factum* bona fide *ignorante,* matrimonium putativum contrahit, prima uxore mortua *ad sui petitionem* non separatur a secunda. Nam dignum non est ut vir, « *qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet* »; at si *mulier* petat divortium in hoc casu, illius actio a iudice ecclesiastico est admittenda. Si iste vir *post mortem primae* uxoris, antequam consensum cum secunda uxore legitime renovavit, non obstante repulsa suae actionis iudicialis (cfr. quoque cap. 34, X, de iureiur. II, 24) duceret tertiam uxorem, novum matrimonium esset *validum.* At secundum matrimonium invalide contractum per *solam* mortem primae uxoris non fit validum (cfr. R. I. 18 in Sext.), nisi novus legitimusque interveniat consensus; hinc vir pro suo *debito* ad continuationem vitae coniugalis cum secunda uxore bonae fidei, in coniugio remanere *volente,* omnino tenetur renovare consensum.

Si mulier quoque scivit uxorem priorem viri sui adulteri vivere, illi dolosi coniuges, quantocumque tempore *cohabitaverint,* ob contractum *impedimentum criminis* etiam post obitum prioris uxoris sunt separandi. Cfr. c. 5, X, de eo qui dux. IV, 7. Quae sententia separationis a neutro ex coniugibus in mala fide tempore attentati secundi matrimonii constitutis implorari potuit, si *post* obitum prioris coniugis ob impedimentum criminis non plene verificatum, v. g. non interveniente *copula carnali,* nihil iam valori secundi matrimonii obstaret [41]. Cfr. cap. 8, X, de eo qui dux. IV, 7.

---

[40] C. 1971; S. C. C. in cit. c. Smyrn., 9 sept. 1752; Instr. C. Rauscher § 122; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in collect. Lac. II, col. 176; *Schulte,* Eher. § 27 pr.; *Schnitzer,* 440; *Périès,* Code de proced. can. dans les caus. matrim., 98 sq.

[41] Cap. 1 (Alexand. III), X, de eo qui dux. IV, 7 de qua decisione Alexandri III. *Freisen,* 370, non fert verum iustumque iudicium; Instr.

Quibus in casibus, ut vix opus est animadvertere, vir et mulier pari utuntur iure, si in bona vel mala fide sint constituti; at nostra aetate etiam attendendum est num in contrahendo matrimonio servari debeat forma ecclesiastica.

255. Probatio libertatis. I. *De nullitate prioris matrimonii.* Quicumque praetendit se propter *nullitatem* sui prioris matrimonii licite et valide posse transire ad novas nuptias, omnino habet *onus probandi,* a tribunalibus ecclesiasticis primum matrimonium per *duplicem* sententiam *conformem* certo declaratum fuisse invalidum (c. 1987) [42], nisi agatur de *iis* impedimentis dirimentibus *evidenter* probatis ad normam c. 1990, in quibus *unica* sententia nullitatis, etiam sine sollemnitatibus processus data, sufficit. Immo, si appellatione a prima sententia pendente vel etiam nulla interposita, ob malitiam vel negligentiam vel collusionem defensoris vinculi et partium, unus vel uterque coniux novas novas nuptias celebrare ausus fuerit, velut *polygamus* erit *tractandus* [43].

Quare sententiae de nullitate prioris matrimonii, quam pronuntiant tribunalia *civilia* vel conventus *haeretici* vel *schismatici,* in Ecclesia non eam habent vim, ut *fidelis* neglecta auctoritate tribunalium ecclesiasticorum licite novum matrimonium celebrare possit [44].

Porro cum a competente iudice ecclesiastico lata sit sententia: *Non constare in casu de nullitate matrimonii,* coniux in causa succumbens ad novas nuptias in *foro externo* non est admittendus, licet ex iudicio suo privato matrimonium prius contractum certo videtur esse invalidum.

Assertio coniugis se ficte tantum in matrimonium consensisse, quamquam possit vera esse, in foro tamen externo non respicitur neque ut ratio declarationis nullitatis matrimonii admit-

---

C. Rauscher, § 121; cap. *Tametsi* Concil. Trid.; *Schmalzgr.,* l. IV, t. 7, n. 37 sq., iunct. n. 11; *Schnitzer,* 441; *Scherer,* 358, 178; *Lehmkuhl.* D. buerg. Ges. d. d. R. ad §§ 1312, 1343 sq., 1323 sq., 1348 sq.

[42] Instr. S. C. C., 22 aug. 1840, et Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883; *Pèriès,* cod. de proced., 1 sq., 43 sq., 98 sq.; *Leitner,* 568 sq.; *Schulte,* Ehepr. 1 sq., 113 s., 157 sq.; *Rosset,* n. 3709 sq.

[43] S. C. Inq., 5 ian. 1889 et 16 feb. 1894 et 27 mart. 1901; *Leitner,* 574. Cfr. quoque Benedict. XIV Const. *Dei miseratione,* § 9; *Hinschius,* V, 814, not. 8.

[44] Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 40 sq., 43, 44; *Scherer,* II, 354 sq. Quodsi sententia nullitatis ab illis tribunalibus lata sit ex titulo etiam a iure canonico recognito, non vetatur, immo quandoque expedit, ut acta iudicialia istorum tribunalium expetantur et in foro *ecclesiastico* adhibeantur ut *subsidium* cognoscendae veritatis, non ut *unicum fundamentum iudicii.*

titur, nisi fictio ita probetur ut in foro externo de ea constet. Probationes eiusmodi nonnunquam adsunt, ex quibus vel de fictione vel de adiecta condicione contra substantiam matrimonii constat [45].

II. *De solutione prioris matrimonii*. Si pars ad novas nuptias adspirans contendat se liberam esse propter *solutionem prioris* matrimonii *rati* iam factam per sollemnem professionem religiosam alterius coniugis vel per dispensationem R. Pontificis, aut sibi ex privilegio Paulino ius competere ad novum matrimonium ineundum, omnes illae assertiones a partibus *authenticis* instrumentis sunt certo probandae [46]. Alii modi solutionis — excepta unius coniugis morte — inter acatholicos *contra ius divinum* recepti, in foro ecclesiastico a *limine* repelluntur [47].

III. *De coniugis morte*. Probatio libertatis a vinculo prioris matrimonii haud raro specialem difficultatem habet. Plena probatio habetur ex **authenticis documentis** *obitus* debita legalitate munitis de morte prioris coniugis, v. g. ex regestis paroeciae vel militiae vel etiam ex testimonio gubernii *civilis* loci, in quo coniux obiit, si ab auctoritate ecclesiastica documentum haberi nequit [48]. Quo in casu non est recurrendum ad Ordinarium loci, ut processu canonico instituto maior quaedam certitudo quaeratur. Nam ex R. I. 31 in Sext.: « *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non* oportet ». Quare saltem *hisce in casibus* oblati authentici documenti obitus nihil videtur obstare quominus parochus *absque licentia Ordinarii* permittat novi matrimonii celebrationem [49]. At in casibus, in quibus ex documentis aliisque argumentis

---

[45] Cap. 34, X, de iureiur. II, 24; Benedict. XIV Const. *Dei miseratione*, § 9; S. C. C. 29 aug. 1868, apud *Rossi; Anal. eccl.* XVIII 361; *Gasparri*, I, 361; *Périès*, l. c., 101, not. 16 (de foro interno, si *primum* matrimonium *certo* nullum est et in loco *novi* matrimonii ignoratur).

[46] *Leitner*, 537; *Gasparri*, l. c.; *Périès*, l. c., 101.

[47] Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. d. s. matr. can. 5, 7; Pius VII in ep. ad Arch. Mog., 8 oct. 1803; Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 43, 44; Inst. C. Rauscher § 122; *Périès*, l. c., 110 sq.

[48] *Clement*. X Instr., 21 aug. 1670, n. 14. iunct. Instr. S. C. Inq. a. 1868, n. 2. Quae *legalitas* rigorosius est exigenda, si agatur de documento obitus *extra dioecesim* et praesertim in remotis regionibus confecto. Cfr. S. C. Inq. 24 feb. 1847 ad 1; *Scherer*, II, 144 sq., 354, not 16; *Schnitzer*, 438, not. 7; *Leitner*, 175.

[49] Qua in re *Reiffenstuel*, l. IV, t. 21, n. 10 sq., 19, 20 et *Schmalzgr.*, l. IV, t. 21, n. 19, aliique nimia liberalitate universum hoc negotium in *omnibus* casibus, quibus certitudo moralis qualicumque ratione, v. g. etiam per examen testium haberi potest, *iudicio parochi* relinquunt, nisi agatur de casibus *dubiis*. Quae sententia certe Instructionibus S. Sedis non est conformis, in quibus inquisitio et iudicium hac de re constanter *Ordinario* loci vel personis insignioribus ab eo specialiter depu-

a parocho collectis, praesumpta mors resultet dubia vel documentum ipsum obitus difficultatibus non careat et ad *alias* probationes *legitimas* sit deveniendum, summarius quidam processus canonicus est necessarius sive iudicialis sive administrativus (S. Offic. 7 apr. 1887), qui a parocho nec propria auctoritate confici nec per sententiam terminari potest. Quare universa causa ad Ordinarium loci deferatur necesse est, ut is tanquam ordinarius iudex primae instantiae, prae oculis habitis Instructionibus S. Sedis, rem serio examinet atque sententia iudiciali seu decreto administrativo definiat. *Nequaquam* igitur *necessarium* est, immo ad vitandas inutiles et periculosas dilationes regulariter *ne expedit quidem*, ut huiusmodi causae iudicio *Sedis Apostolicae* subiciantur, nisi agatur de casibus *extraordinariis* in ipsis Instructionibus SS. CC. *exceptis* [50] aut in quibus ipse Ordinarius, omnibus diligentiis adhibitis, anceps haeret. Cui processui de *morte* alterius coniugis *defensor vinculi* ex *iure communi* non *debet* necessario interesse, sed si ex iure particulari interveniat et iuret et *appellet* ad formam Const. *Dei miseratione*, id servari *potest* [51]. Porro ad ferendam sententiam in favorem status liberi, eae procurandae sunt probationes, quae iuxta Instructiones a Sede Apostolica datas *certitudinem moralem mortis* suppeditent, i. e. omne *dubium prudens* excludant. Hinc quamvis certitudo *metaphysica* vel *physica* non requiratur, tamen *mera probabilitas*, quae ad *omne dubium prudens* excludendum *non* pertingat, nullo modo sufficit [52]. Inde sequitur mitiores praxes quarundam

---

tatis non parochis reservatur. Cfr. cit. Inst. Clem. X, a. 1670, iunct. resp. S. C. Inq., 24 febr. 1847, ad 7 et 30 nov. 1898 cum Instr. 1 febr. 1865 et Collect. Lac. II, col. 44 et *Scherer*, l. c., 354, not. 16, ubi haec sententia aliaeque laxiores opiniones recte reprobantur; nequaquam enim ex antiquo iure Decretalium *privato* iudicio *partium* fuit commissum ut sufficientem sibi procurarent certitudinem de *morte* prioris coniugis. Cfr. cap. 5, § 4 ut lit. II, 6; cap. 19, X, de sponsal. IV, 1; cap. 3, X, de cland. desp. IV, 3; cap. 8, X, qui fil. IV, 17; cap. 2, X, de secund. nupt. IV, 21; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 7 de ref. matr. (de vagis). At ex altera parte *Giraldi*, Exposit. iur. pontif. P. I. sect. 656, nimis *universaliter* in *omnibus* casibus videtur pro parochis urgere *obligationem* petendi praeviam *licentiam Ordinarii*.

[50] Instr. S. C. Inq. a. 1868 pr. n. 1, 2, 3 sq.; resp. S. C. Inq. 18 iul. 1900; Instr. S. C. Inq. 1 feb. 1865, iunct. resp. 30 nov. 1898 in *Anal. eccles.* VII, 8 sq.

[51] S. C. C. in c. Wratislav. 14 dec. 1889; Instr. S. C. Inq. 22 aug. 1890 et resp. eiusdem S. C. 6 mai 1891 in ASS. XXIV, 747 sq., iunct. Instr. C. Rauscher §§ 246, 247; *Périès*, l. c. 102.

[52] Cfr. Instr. et resp. S. C. Inq. cit. not. 51 h. t.; resp. S. C. Inq. 25 iul. 1898; *Leitner*, 183, not. 2; saltem diversa terminologia utuntur: *Scherer*, 355 et editores *Monit. eccl.* X, 145 et *Anal. eccl.*, VI, 387 et

dioecesium in observandis formalitatibus a Sede Apostolica praescriptis nunquam eo usque tolerari posse, ut probationes *ex natura rei* ad *plenam certitudinem* moralem requisitae omittantur. Cfr. S. Offic. 13 maii 1868 (ASS. II, 199); S. Offic. ad Oriental. 20 iun. 1883 (ASS., XVIII, 344); S. Offic. 29 aug. 1890 (ASS. XXIII, 189); S. Offic. 6 maii 1891 (ASS., XXIV, 747) [53].

Gury-Ferreres, II, n. 789. A quo principio in textu propugnato S. C. Inq. 20 iul. 1898 (cfr. ASS. XXXI, 252), non recessit, cum uxoribus militum italicorum, qui *certo* interfuerunt pugnae apud Aduam et attentis omnibus circumstantiis merito mortui reputabantur, secundas permitteret nuptias. Eo enim in casu *declaratio* R. Pontificis non *supplevit* defectum certitudinis. Nam R. Pontifex sua declaratione non potest supplere *quod iure divino* requiritur, atque nequit reddere certum quod tantum est probabile. Hinc si revera permittit secundas nuptias, potius *signum* habetur veram adfuisse moralem certitudinem, quae dubium prudens excluserit. Porro licet S. C. Inq. in Instr. a. 1868, n. 6, *maximam probabilitatem* mortis videatur admittere ut sufficientem ad permittendas novas nuptias, tamen non illam ita explicat, ut habeat vim *moralis certitudinis*. Similiter eadem S. C. in resp. dato 6 maii 1891 ad 1 et 2 evidenter requirit ut ex illis « *aliis probationibus* » omnino « *certo* » de morte constet. Responsum pro his qui interfuerant pugnae de Adua S. C. de d. Sacr. confirmavit post bellum *russ.-iaponicum*, at post *terraemotum messanensem* remisit ad Instr. S. Offic. anni 1868. Cfr. AAS. II, 196 sq.

[53] Ex documentis in textu allegatis sequitur quod, si authenticum documentum haberi non potest, illud imprimis sit tenendum, sc. nullam probabilitatem etiam magnam, nullam absentiam etiam diuturnam, quae argumenta mere *negativa* sunt, sufficere, sed ex *positivis* argumentis acquiratur necesse est *moralis certitudo* iuxta Instructiones iam a S. Sede datas. Capita unde probatio desumi potest reducuntur ad sequentia:

1º) Defectus documenti suppletur per depositionem testium, qui sint *saltem duo*, iurati, fide digni, oculares, concordes quoad factum et circumstantias substantiales, puta *locum* et *causam* mortis.

2º) Quandoque non respuitur *unus testis* ocularis, si videlicet nulli sit exceptioni obnoxius et eius depositio *gravibus adminiculis* fulciatur, aut saltem certo modo constet nihil in eius testimonio reperiri quod non sit verisimile.

3º) Si de visu haberi nequeant, etiam *testes de auditu*, qui testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, sufficere possunt, si reliquae omnes circumstantiae eorum dicto respondeant.

4º) Tandem testibus deficientibus, probatio fieri debet recurrendo ad *praesumptiones, coniecturas, indicia* et *adiuncta*, quae simul sumpta possint inservire ad moralem certitudinem gignendam.

Unde autem coniecturae et praesumptiones sint desumendae in iisdem Instructionibus declaratur:

a) Aliae desumentur *ex persona* praesumpti defuncti, de qua inquirendum: an esset bonus et religiosus, uxorem diligeret, causam sese occultandi haberet — an possideret bona stabilia vel alia sibi obventura speraret — an discesserit annuentibus uxore et coniunctis — an aliquando et e quo loco scripserit — quae tunc eius aetas, quae valetudo esset.

256. *Duplex* sententia *conformis* in hisce *processibus* de morte prioris coniugis non exigitur, *neque* defensori vinculi, qui forte intervenit, *semper* incumbit *obligatio* appellandi ad *secundam* instantiam [54]. At pars, cuius interest et in causa cecidit, non prohibetur quominus per appellationem ad secundam instantiam Metropolitani vel etiam ad Sedem Apostolicam obtineat *declarationem*: *Constare de morte prioris coniugis*. Ordinariis quoque

---

b) Si abierit *ob militiam* exquiratur: utrum alicui pugnae interfuerit, utrum ab hostibus captus, num castra deseruerit aut destinationes habuerit periculosas.

c) Si abfuit *ex causa negotiationis* inquirendum erit de periculis, quae in itinere forte fuerint superanda, an solus vel aliis comitatus discesserit, utrum in regione, ad quam se contulit, evenerint seditiones, bella, pestis etc.

d) Si arripuerit *iter maritimum* inquirendum e quo portu solverit, quo se contulerit, nomen navis, an naufragium acciderit etc.

5º Etiam potest esse argumentum *fama* seu *rumor* sparsus de morte, si a duobus saltem testibus iuratis et fide dignis comprobetur, qui praeterea deponant de rationabili ipsius causa, modo dubium non subsit quod rumor fuerit sparsus ab iis in quorum commodum inquisitio de absentis obitu instituitur.

6º) Demum, ubi opus fuerit, non est omittenda inquisitio *per publicas ephemerides*, nisi speciales circumstantiae ab hoc medio inquisitionis suadeant abstinere. Cfr. AAS. VII, 40, 235, 486; VIII, 101, ubi inveniuntur causae solutae a S. C.

Responsum Commissionis Codicis 2-3 Iun. 1918 (AAS., X, 344, ad IV), quo remittitur prudentiae Ordinarii requisitio aliarum probationum *non excluso iuramento suppletorio*, sese refert ad certitudinem adquirendam de carentia impedimentorum *in genere*. Quo responso sane nunc datur Episcopis facultas admittendi sponsos ad iuramentum suppletorium, qua ante Codicem non pollebant *citra indultum Apostolicum* (cfr. S. Offic. 2 apr. 1873 ad III et IV, et 9 dec. 1874 in Coll. S. C. de P. F. n. 1374, 1375, iunct. S. Offic. 30 nov. 1898 cum Instr. 1 febr. 1865 in *Anal. eccl.*, VII, 8 sq., et Collect. Lac. II, col. 44, 176). Quo iuramento suppletorio coniux praesens, qui ad novas nuptias transire cupit, nequit *probare mortem* prioris coniugis absentis, nec difficulter patet discrimen inter iuramentum de statu libero et iuramentum de morte prioris coniugis. Nam in priore casu libertas et ius ad matrimonium sunt in possessione, neque quis ob rationes dubias a matrimonio in perpetuum repelli potest; at in casu matrimonii, olim certo contracti, ipsum matrimonium est in possessione, a qua non deturbatur, si mors prioris coniugis maneat dubia. Nihilominus, si coniux praesens eiusque nova compars ab *Ordinario* compellantur *iurare*, quod nec sciant nec credant priorem coniugem adhuc in vivis esse, huiusmodi iuramentum saltem inservire potest ad comprobandam ignorantiam sive bonam fidem nupturientium. Cfr. *Reiffenstuel*, l. IV, tit. 12, n. 21; *Scherer*, § 111, not. 26, 78, § 121, not. 26.

[54] Cfr. decis. S. C. C. et S. C. Inq. in not. 55 h. c.; *Périès*, l. c. 102; *Scherer*, § 121, p. 356; aliter *Heiner* et *Laemmer*.

est permissum ut in casibus *implicatis ipsi* per *relationem* ad S. Sedem petant dubiorum solutionem [55].

Quodsi duo sponsi non exspectata decisione Ecclesiae de morte, *serio* non *leviter* dubia, prioris coniugis saltem unius ex contrahentibus, ad novas nuptias *mala* fide properant, non solum seipsos quoad vitam coniugalem in tristem et periculosam condicionem coniciunt [56], sed *etiam nova* compars a matrimonio cum qualicumque *tertia* persona impeditur. Nam, *stante dubio* de morte prioris coniugis, *dubius* quoque est *valor secundi* matrimonii. Quare *utraque* pars a novo matrimonio est omnino arcenda [57].

257. Scholion. Nationes, etiam nunc aliqua ratione *christianae,* non obstante matrimonio civili in codicibus statuto, omnibus *civibus* praescribunt *monogamiam,* relicta turcis atque civitatibus infidelium abominabili praxi polygamiae simultaneae, atque etiam *peregrinos* et *vagos* in suis territoriis a polygamis nuptiis celebrandis et retinendis penitus arcent [58]. At pro perversis principiis iuris moderni, quibus lex *divina* et *naturalis* posthabetur, polygamia a matrimonio civili non est necessario excludenda, immo de facto quoque permittitur, cum in non paucis casibus, vinculo prioris matrimonii *nondum vere soluto,* contra *divini iuris* sanctiones novum matrimonium concedatur [59].

Quodsi impedimentum ligaminis ex matrimonio quoque civili dicatur *indispensabile* et iuris *publici* et *ex officio* vindicandum, frequenter ista indispensabilitas, si *res ipsa* consideretur non existit atque *privato* arbitrio relinquitur [60]. Profecto nova

---

[55] Cit. resp. S. C. Inq. 6 maii 1891 ad 3; S. C. C. in c. Wratislaw. 14 dec. 1839, iunct. resp. S. C. Inq. 18 iul. 1900 in *Anal. eccl.* VIII, 489 sq.

[56] Cap. 44, X, de sent. excom. V, 39; cap. 2, X, de secund. nupt. IV, 21; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 21, n. 21 sq.; *Leitner*, 477 sq.; doctores theol. mor. de debito coniugali legitime exigendo vel praestando.

[57] S. C. Inq. 22 mart. 1865 et 21 nov. 1866, in Collect. S. C. de Prop. F. n.1369, 1371; *Schmalzgr.*, l. c. n. 24.

[58] Cfr. supra h. tit. not. 1; *Scherer*, II, 360 sq., 444 sq., 367 sq.; *Lehmkuhl*, D. buerg. Ges. d. d. R. ad § 1326; *Allègre*, l. c. ad art. 3, 147.

[59] *Hollweck*, D. Civileher., 128 sq., 109 sq., 129 sq.; ubi non paucos errores novi cod. civ. Germ. recenset; *Lehmkuhl*, D. buerg. Ges. d. d. R. ad §§ 1309, 1312, 1326, 1343 sq.; *Allègre*, I, 164 sq., 192 sq.

[60] V. g. in cod. civ. Gall., art. 139, *solummodo coniugi* post absentiam redeunti datur ius accusandi matrimonium secundum ab altero coniuge durante absentia contractum. Item ex cod. civ. Germ., §§ 1348 sq., si aliquis coniux *post declarationem mortis* (cfr. cit. cod. §§ 13, 14) etiam *erroneam* alterius coniugis, qua prius matrimonium per se *non* solvitur, novas celebret nuptias, ad analogiam privilegii Paulini hisce demum

matrimonii celebratio legibus quoque civilibus non est *licita,* nisi *prius* matrimonium in *forma,* ex iure civili legitima, fuerit declaratum invalidum *aut* solutum [61]. At declaratio illa nullitatis iudicum civilium, si data sit de matrimonio coniugis *christiani,* propter defectum *competentiae* iam *formaliter* est irrita et nullius momenti in foro ecclesiastico; immo non raro *materialiter* quoque spectata prorsus est *invalida,* etsi ordo iudiciarius fori civilis maxima cura fuerit observatus. Nam ius civile quandoque statuit impedimenta *dirimentia* etiam matrimonii christiani, v. g. defectum proclamationum in Austria, quae in foro Ecclesiae non admittuntur [62]. *Solutio* vero prioris matrimonii saepe non solum *declaratur probata* ob rationes insufficientes, quae veram certitudinem non praestant, v. g. de morte alterius coniugis ex longa absentia et lapsu annorum [63], sed etiam omnino arbitrarie contra ius divinum *decernitur* [64] vel vicissim *reprobatur,*

---

secundis nuptiis primum matrimonium solvitur et secundum *valide,* sed *rescindibiliter* (cfr. cit. cod. § 1350) initur, nisi ambo coniuges scivissent tempore contracti novi matrimonii priorem coniugem adhuc esse superstitem. Cfr. *Lehmkuhl,* l. c. post § 1349; *Hollweck,* l. c., 109 sq., 128 sq.; *Scherer,* II, 361 sq.

[61] Cuius formalitatis sive impedimenti prohibentis temeraria violatio in cod. crim. Germ., art. 171, adeo rigorose castigatur, ut etiam tunc *poenae bigamiae* incurrantur, cum secundum matrimonium revera *valide* fuerit celebratum, v. g. propter *mortem* prioris coniugis vere iam secutam. At in aliis regionibus, v. g. in Austria ex cod. crim., §§ 206, 207, ad constituendam *speciem facti delicti bigamiae* omnino requiritur, ut secundum matrimonium fuerit mere *attentatum* sive *invalidum.* Cfr. *Leitner,* 180; *Hollweck,* l. c.; *Scherer,* l. c.

[62] Inst. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 33, 44; *Rosset,* n. 752 sq.; 2293 sq., 2304.

[63] Cfr. Instr. S. C. Inq. (a. 1868), n. 1, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1372; Collect. Lac., II, col. 44, 176. V. g. in cod. civ. Germ. §§ 13, 14 sq. *declaratio mortis* permittitur *etiam in ordine ad secundum matrimonium* celebrandum, quae innititur *meris praesumptionibus,* non probationibus *vere certis.* Cfr. quoque pro Italia decretum-l. d. d. 15 aug. 1919, n. 1467, et reg. decr. d. d. 11 ian. 1920, n. 40, de praesumptione mortis relate ad *non redeuntes e bello;* cod. civ. in Austr. § 24, et leg. matr. Hungar. (a. 1894) §§ 22, 73, 132 iunct. Instr. C. Rauscher, §§ 22, 246 sq. et leg. civ. Austr. 8 oct. 1856, §§ 23 sq.; *Gerber,* System d. d. Privatr. § 34; L. 6, D. de divort. XXIV, 2 iunct. Novell. 117, cap. 11; S. C. Inq., 28 iun. 1865, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1370, de lege anglica in India *praesumente* morali certitudine mortem post lapsum septennii cum frustranea publicatione in diariis.

[64] Cod. civ. Gall., art. 227, ubi per condemnationem definitivam unius coniugis ad poenam *mortis civilis,* (nunc ex lege, 31 maii 1854, ablatae) matrimonium (civile) declaratur solutum. Cfr. *Esmein,* I, 299; *Allègre,* l. c. ad art. 227. Porro quamvis in iure civili Galliae non reperiatur declaratio mortis in ordine ad matrimonium, tamen ex art. 139 cod. civ. soli coniugi post absentiam redeunti datur ius accusandi matrimonium

si per privilegium Paulinum vel sollemnem professionem religiosam vel dispensationem R. Pontificis legitime facta sit[65].

Praeterea interdum potestas civilis quoad subditos *catholicos* matrimonia mixta contrahentes condidit alias leges — v. g. in Austria, ubi viget impedimentum catholicismi — tam pro catholicis quam pro *acatholicis*. Quare in praxi non leves occurrere possunt difficultates, si acatholici quidam convertantur ad fidem catholicam, vel vicissim catholici a fide catholica deficiant, ut non obstante ligamine iuris divini et in fraudem legum civilium patriae secundam sibi copulent uxorem[66]. Tandem in Hispania et Italia vel ipsum matrimonium *civile* hucusque habetur absolute indissolubile[67].

CAPUT IX

De impedimento disparitatis cultus

258. Fontes: C. XXVIII, q. 1. In cpl. antiq. et collect. authent. proprius quidam titulus de hoc impedimento non habetur, neque sub alia rubrica libri quarti statuta canonica de disparitate cultus reperiuntur. — Benedict. XIV Const. *Singulari nobis*, 9 febr. 1749. — Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 881 sq.; Collect. S. C. de Prop. F. n, 1257; Instr. C. Rauscher § 25 — Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 165; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), 96; Synod Sciarf. sir. (a. 1888), 181.

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. non raro sub tit. I, lib. IV, de hoc imp. disputare solent velut *Pirhing*, n. 164; *De Angelis*, n. 21 sq.; *Santi*, n. 169 sq.; *Schmalzgr.*, l. IV. tit. 6, n. 120 sq. — *Devoti*, § 141; *Aichner*, § 172; *Scherer*, § 123 — *S. Raymund.*, lib. IV, tit. 10, « *de dispari cultu* »; *Rolandus*, l. c. 138 sq.; *Bernardus Pap.*, l. c., 291 sq.; *Tancred.*,

secundum ab altero coniuge contractum. At ex cod. civ. Germ. §§ 1348 sq., et ex lege matrim. Hungar. (a. 1894) §§ 74, 54, per *erroneam* declarationem mortis factam prius matrimonium *solvi* potest per secundum etiam *bona fide* contractum; aliter ex iuri civili Austriae, vi cuius secundum matrimonium etiam *bona* fide initum nunquam solvit primum, si *erronea* declaratio mortis intercessit. Praeterea *Lehmkuhl*, l. c. ad art. 1331 sq., *Hollweck*, l. c., 100 sq., 198 sq., recte disputant contra alias erroneas et praesertim catholicis iniuriosas dispositiones nov. cod. civ. Germ.; v. g. si parentibus vel tutoribus datur ius ad *dissolvendum* matrimonium filiorum sine legitimo ipsorum consensu celebratum, licet ex principiis catholicis sit omnino *validum* et *indissolubile*.

[65] *Rosset*, n. 2293 sq.; *Scherer*, II, 576, not. 111, de dispensationibus ab impedimento *ligaminis* per imperatorem in Austria concessis.

[66] Cod. civ. Austr. § 111, iunct. *Scherer*, II, 362 sq., 446, 576 sq., not. 10 sq.; *Leitner*, 182.

[67] Cod. civ. Hisp. art. 52, 105, Ital. art. 149, qui saepe a nonnullis impugnatus est. Cfr. *Friedberg-Ruffini*, § 159, not. 44.

l. c., 44 sq. tit. 24, de impedimento dispar. cult.[1] — *Sánchez*, lib. VII, disp. 71 sq.[2]; *Giovine*, I, 416 sq.[3]; *Feije*, n. 459 sq.; *Van de Burgt*, 129 sq.; *Schnitzer*, 474 sq.; *Gasparri*, I, n. 566 sq.; *Rosset*, n. 1710 sq.; *Leitner*, 287 sq.; *Mansella*, 75 sq.; 104 sq.; *Schulte*, § 31 — *Moy*, 76, 195, 344; *Freisen*, 635 sq.; *Esmein*, I, 242 sq., II, 299 sq.; 378; *Zhishman*, 506 sq.; *Milas* l. c.; *De Smet*, n. 583 sq.; *Chelodi*, n. 79 sq.; *Cappello*, I, n. 410 sq.; *Ferreres*, Derecho sacram. n. 591 sq.; *Vlaming*, I, n. 284 sq. .

C. 1070 § 1. *Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.*

Praenotiones

259. Impedimentum disparitatis cultus merito dicebatur repeti ex *nimia* personarum contrahentium *differentia* sive distantia. Ex ipsa natura rei atque teste experientia nullum dissidium inter homines profundiores agit radices quam *disparitas* in *professione cultus* sive religionis; est enim discrepantia in fundamentalibus quaestionibus supremisque principiis veritatis et honestatis. Hinc disparitas cultus ob profundum illud dissidium maxime adversatur matrimonio, intimae illi animorum coniunctioni et omnis iuris divini et humani communicationi[4]. Optimo igitur iure inter impedimenta ex distantia quadam coniugum principem locum tenet impedimentum disparitatis cultus.

260. Definitio. *Disparitas cultus.* Si nomen attendatur sensu proprio et stricto est diversitas *religionis*, quae inter personam *baptizatam* et *non baptizatam* intercedit; sensu vero minus stricto etsi proprio est diversitas religionis, quae existit inter *catholicum* et *acatholicum baptizatum*. Illa constituit impedimentum matrimonii *dirimens*, de quo solo hic agitur et unice venit nomine *disparitatis cultus*, haec est impedimentum mere *prohibens* et dicitur *mixta religio*[5], de qua re actum est iam sub proprio titulo.

[1] L. 7 Cod. Theod. de iudaeis, XVI, 8, (Constantin. a. 339): L. 6. C. de iudaeis, I, 9, (Valentian. a. 388); cod. civ. Austr. § 64; cfr. Arch. f. k. K. LV, 177 sq., et *Scherer*, l. c., 375 sq. Alii vero codices civiles impedimentum disparitatis cultus non admittunt. Cfr. *Schulte*, l. c., 530 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 150.

[2] De disparitate cultus superveniente agunt cap. 1, de convers. infid. III, 20, in cpl. II, et cap. 7, 8, X, de divort. IV, 19.

[3] Cfr. ex theologis: *S. Thom.*, l. c. lib. IV sent. dist. 39; *Perrone*, II 293 sq.; *S. R. Bellarmin.*, De sacr. matr. lib. unic. cap. 23; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 699 sq.

[4] L. 1, D. de ritu nuptiarum, XXIII, 2.

[5] Illa terminologia iamdiu recepta sine dubio in praxi est retinenda.

261. Notae historicae. Matrimonia israelitarum cum infidelibus quamvis lege mosaica non *irritarentur*[6] tamen cum septem gentibus in terra Chanaan habitantibus specialiter fuerunt prohibita[7]; at cum aliis quoque infidelibus saltem eatenus erant illicita quatenus *lex naturalis* obstabat. In Novo Testamento S. Paulus primos christianos, ut a matrimoniis cum infidelibus abstinerent, gravissimis verbis hortatus est[8]. Quare etiam S. Cypria-

---

quamvis differentiam utriusque impedimenti clare obvioque sensu non exprimat. Nam tandem aliquando in utroque impedimento habetur diversitas *cultus* et disparitas *religionis*, quemadmodum quilibet infidelis est acatholicus, licet in causis matrimonialibus frequenter solummodo acatholici dicantur christiani sive baptizati qui sectis haereticis et schismaticis, non Ecclesiae catholicae, sunt adscripti.

Quodsi terminologia *in se* spectatur, solidissimum habet fundamentum obiectivum. Nam disparitas illa cultus non inducitur actu mere *interno* fidei facileque mutabili, sed signo quodam sensibili haud difficulter certo cognoscibili, i. e. baptismo sive sacramento fidei, quod imprimit characterem *indelebilem* et est *ianua Ecclesiae* atque *reliquorum sacramentorum*, consequenter etiam *matrimonii*. Inde fit ut *infidelis* sacramenti matrimonii sit plane incapax; immo iuxta probabiliorem sententiam ipse quoque *fidelis sacramentum* matrimonii non recipit, si cum parte infideli nuptias ceteroquin validas celebret (cfr. n. 42). Quare liquet cur Ecclesia in tanta differentia *per baptismum* introducta statuerit impedimentum dirimens inter personam baptizatam et non baptizatam.

Quae discrepantia profecto est minor inter partem catholicam et acatholicam, quae per baptismum accepit characterem indelebilem et iurisdictioni Ecclesiae fuit subiecta. Sed ut de haeresi vel schismate in acatholicis baptizatis ex signo quodam sensibili certoque cognitio facile constet, Ecclesia attendit num quis *sectae acatholicae sit adscriptus*. Cfr. *Rosset*, n. 1710, 1744, iunct. *S. Thom.*, Suppl. q. 59, art. ad. 5.

[6] Benedict. XIV Const. *Singulari*, 9 febr. 1749, §§ 3 sq.; *Tirinus*, Comment. in I Esdr. X, 3; *Rosset*, l. c. n. 1719; paulo aliter *S. R. Bellarmin.* quem sequuntur Calmetus aliique pauci.

[7] Deuteron. VII, 1 sq.; Exod. XXXIV, 16; III Reg. XI, 1 sq.; I Esdr. X, 3; II Esdr. IX, 2, X, 30; Benedict. XIV, l. c.; *Schegg*, D. bibl. Archaeolog., 637 sq.; *Freisen*, l. c., 636; *Ballerini-Palmieri*, n. 699 sq.; *Rosset*, n. 1911 sq.

[8] Cfr. I Cor. VII, 39; II Cor. VI, 14. Quae verba apostoli Pauli secundum sensum obvium continent *prohibitionem*, non merum consilium, matrimonii fidelis cum infideli *denuo contrahendi*. Cfr. *S. R. Bellarmin.*, l. c. At illa prohibitio primis temporibus religionis christianae certe non ita rigorose potuit in praxim deduci, ut in casibus particularibus cessante prohibitione *legis naturalis* matrimonia fidelium et infidelium non tolerarentur. Cfr. *Rosset*, n. 1716. Multo minus primis saeculis post aetatem apostolicam ullum reperitur vestigium *legis ecclesiasticae*, qua huiusmodi matrimonia disparia declarata fuerint *invalida*. Quare *Binterim* perperam impedimentum *dirimens* disparitatis cultus iam antiquissimis Ecclesiae temporibus statutum fuisse existimavit. Nimiam antiquitatem huius impedimenti dirimentis a fortiori debuerunt admittere pauci illi viri docti, qui cum Catharino ex *divina* quadam *lege irritante*, sive naturali sive

nus[9] et Tertullianus[10] provocantes ad ipsa verba S. Pauli omni vi christianos ab huiusmodi matrimoniis avertere studuerunt. Inter Concilia primum locum occupat Concilium Illiberitanum, (a. 300-306), quod cc. 15, 16, 17, districte interdixit ne puellae christianae cum gentibus aut cum iudaeis et haereticis et cum ipsis sacerdotibus idolorum matrimonio coniungerentur. Mox secuta est lex imperatoris Constantii (a. 339), quae matrimonia inter christianos et *iudaeos*, *poena capitali* statuta, omnino prohibuit[11]. Deinde a. 388 contra eadem matrimonia publicata est constitutio imperatorum Valentiniani, Theod. et Arcad. hac sanctione munita: « *Si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huiusmodi crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata* »[12].

At non obstantibus prohibitionibus, ut patet ex longa serie canonum in Conciliis particularibus[13] promulgatorum, haud raro matrimonia inter christianos et infideles celebrata sunt[14]. Quae matrimonia, cum irritatio ex antiquis illis canonibus certo erui non possit[15], salvis legitimis exceptionibus fuerunt illicita, non invalida[16]. Nam illi canones, quamvis forte in Gallia et Hispania fuissent leges irritantes, tamen utpote a Conciliis particularibus conditi, tantam vim minime obtinere potuerunt, ut iis *universalis*

---

positiva, istud impedimentum dirimens sine solido fundamento derivare studuerunt. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 71, n. 6 sq.; *Rosset*, n. 1717. Vicissim recentiores quidam scriptores non satis distinguentes inter *illicitam* et *invalidam* matrimonii celebrationem pro primis saeculis nimis exaggerant tolerantiam Ecclesiae in istis matrimoniis. Nam Ecclesia *generaliter* nec permisit nec permittere potuit quod *iure naturali* est *illicitum*, nisi certae *condiciones* et *causae* verificentur. Cfr. *Schnitzer*, 475; *Scherer*, 372.

[9] Ad Quirinum l. II, c. 62, (*Migne*, P. L. IV, 767 sq.).

[10] Ad uxorem l. II, c. 1 sq., (*Migne*, l. c. 1, 1287 sq.). Qui scriptor, post suam ab Ecclesia catholica defectionem et transitum ad sectam montanistarum, multo vehementius pro suo exorbitante rigore invehitur in matrimonia fidelium cum infidelibus; v. g. in operibus de monogamia, de corona mil., ac ipsos catholicos laxitatis accusat. Cfr. *Bardenhewer*, Patrologie, § 36, 4.

[11] L. 6, Cod. Theol. de Iud. XVI, 8.

[12] L. 6. C. de Iud. I, 9. Cfr. quoque *S. Ambros.*, *De Abraham*, l. I, c. 9. (*Migne*, l. c. XIV, 451) = c. 15, C. XXVIII, 1.

[13] Cfr. c. 11 Conc. Arelat. (a. 314); c. 12 Conc. Hippon. (a. 393); c. 10 Conc. Aurel. II (a. 533); c. 6 Conc. Arvernens. I (a. 535); c. 13 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 31 Conc. Aurel. IV (a. 541); c. 14 Conc. Toletan. III (a. 589); c. 68 Conc. Tolet. IV (a. 633); c. 10 Conc. Rom. (a. 743); *Raban. Maur.* († a. 856), Epist. ad Heribald. cap. 26, 27.

[14] *S. Cypr.*, De lapsis, c. 6; *S. August.*, De fide c. 19.

[15] *Freisen*, 637 sq.

[16] *S. R. Bellarmin.*, l. c.; *Rosset*, n. 716, i. f.; *Zhishman*, 507 sq.

Ecclesia ligaretur, neque sola receptione illorum in Decretum Gratiani ius commune constituerunt[17]. Uniformi vero illa legislatione et praxi id tandem effectum est, ut inter saeculum septimum[18] et duodecimum[19], non iure canonum, sed generali Ecclesiae consuetudine, quae vim universalis legis irritantis obtinuerat, impedimentum dirimens disparitatis cultus institueretur. Quare cum saeculo decimo sexto quaestio excitaretur num in missionibus iaponensibus et sinensibus hoc impedimentum vigeret ob consuetudinem non receptam, affirmativam sententiam, solidioribus rationibus suffultam, Sedes Apostolica sua praxi comprobavit; at Gregorius XIII missionarios munivit amplissimis facultatibus dispensandi ibidem fideles ab hoc impedimento[20]. Inde ab hoc tempore usque ad nostram aetatem vigor universalis huius impedimenti erat extra controversiam, et in Concilio Vaticano ne postulatum quidem est propositum, quo impedimenti disparitatis cultus peteretur *abrogatio*. Difficultati enim ex crescenti in dies numero acatholicorum etiam in Europa et America, qui baptizati non sunt, novis decretis et responsis S. C. Inquis. satis videbatur esse provisum. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. l. c. in font.; *Gasparri*, I, n. 588 sq. Nihilominus Codex nonnihil immutavit impedimentum.

§ I. Ambitus et origo impedimenti

262. Cum iure praecedente impedimentum consisteret in facto quod unus coniugum esset baptizatus, alter baptismo careret sine ulla exceptione, novo iure impedimentum existit dumtaxat inter partem non baptizatam et alteram baptizatam, modo haec baptismum receperit in Ecclesia catholica vel ad eandem fuerit ex haeresi aut schismate conversa. Quare ab impedimento disparitatis cultus immunes sunt illi baptizati, qui nunquam ad Ecclesiam catholicam pertinuerunt, nec baptismate in eadem recepto nec fidei catholicae professione: e contra qui semel ad Ecclesiam catholicam pertinuerunt, sive baptismate sive subsequenti conversione, impedimento disparitatis cultus ligantur, tametsi postea Ecclesiam catholicam deseruerint, fidem abiecerint et se incredulos profiteantur[21]; nequeunt proinde sine dispensatione Ecclesiae valide contrahere cum persona non baptizata et vicissim valide contrahunt cum catholico.

[17] Bened. XIV Const. *Singulari nobis*, § 9.

[18] Concil. Trullan. (a. 692) c. 72, eo processit, ut vel ipsa matrimonia fidelium cum *haereticis* irritaret. Cfr. *Zhishman*, 509, 519.

[19] Gratianus in dicto ad c. 14, C. XXVIII, q. 1, propter aequiparationem cum consanguinitate et affinitate satis insinuat disparitatem cultus esse impedimentum *dirimens*, licet expressis verbis id nondum asserat. Cfr. *Scherer*, 373, not. 7; aliter de Gratiano iudicant: *Freisen*, 636, 640; *Schnitzer*, 475. Certe *Roland.*, Summa, 114; *Bernardus Pap.*, 291 sq.; *Tancredus*, tit. cit., *S. Raym.* tit. cit.; *Durantis*, Speculum iudic. lib. IV, partic. 4, tit. de divort. cum Addit. ad cit. loc. iam diserte docent disparem cultum inter fidelem et infidelem constituere impedimentum *dirimens;* immo *Tancredus*, l. c., et saltem ex parte *Bernardus Pap.*, l. c. etiam matrimonia fidelium cum *haereticis* nulla et irrita habuerunt, cum *Huguccio*, *S. Raymundus* et *Durantis*, l. c., illa tantum *illicita* esse existimarent.

[20] Benedict. XIV Const. *Singulari nobis* § 19.

263. In Ecclesia catholica baptizari censentur ii omnes, qui ita recipiunt baptismum, ut attento fine *operantis*, i. e. vel ministri baptizantis, vel baptismum mandantis aut recipientis baptizati formaliter deputentur *externae Ecclesiae catholicae communioni*[22]. Quare non solum baptizantur in Ecclesia catholica *adulti* — supra septennium — qui propria voluntate baptismum recipiunt intendendo expresse vel tacite sese *catholicae communioni* aggregare, sed etiam *infantes*, quos parentes aut eorum locum tenentes baptizari curant fine expresso vel tacito ut *catholicae communionis* membra fiant, sive ab ordinario sive ab extraordinario ministro in casu necessitatis baptismus conferatur.

Si quis ex parentibus acatholicis natus *casu* vel *illegitime* contra praescriptum cc. 750-751 baptizatus fuerit *a ministro catholico*, deinde vero iam ab infantia in haeresi vel schismate educatus fuit, is non catholicis sed acatholicis aequiparatur ideoque impedimento disparitatis cultus non ligatur: ergo Ecclesia relate ad impedimentum videtur respicere *deputationem* seu finem *operantis*, i. e. infantem ad baptismum praesentantis, qui in tali casu praesumitur fuisse infantem propriae sectae adscribere, non communioni catholicae aggregare[23]. At si idem filius acatholicorum *legitime* a ministro catholico fuit baptizatus, sc. in vitae discrimine aut de consensu unius saltem ex parentibus ad normam c. 750, et ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut

[21] Quod maneat impedimentum in eo qui fidem catholicam abiecit non expresse dicitur in c. 1070 § 1; implicite autem dicitur ex hoc quod subsequens apostasia aut defectio praeteritum factum reddere nequit infectum; insuper expresse supponitur canone 1099 § 1, 1°. Praeterea merito allegatur principium quod apostatae ex sua defectione non debent reportare commodum exemptionis a legibus ecclesiasticis. Cfr. *Vlaming*, I, n. 289; *Cappello*, I, n. 413.

[22] Per se patet quemlibet baptismum validum, attento fine *operis*, non nisi *verae* Christi Ecclesiae hominem aggregare eiusque subditum reddere et hoc sensu semper baptizari in Ecclesia catholica, i. e. baptismo verae Ecclesiae.

[23] *Cappello*, I, n. 411. Cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 188, p. 306.

in infidelitate vel sine ulla religione adolevit, non satis clare expressum videbatur an impedimento disparitatis cultus ad contrahendum matrimonium cum infideli ligaretur; nam ex una parte ad Ecclesiam catholicam de facto aggregatus fuit ob baptismum in ea legitime receptum, ad quam tamen ex *propria* voluntate nunquam pertinuit; ex alia parte non verificatur quod ab ea *defecerit*, sed potius in hoc similis est ei qui natus, baptizatus et educatus in haeresi fuit [24*]. Can. 1099 tales recenset inter baptizatos in Eccl. catholica. Tandem ad Ecclesiam conversi censendi sunt qui extra eam baptizati, quo tempore usum rationis adepti sunt a parentibus vel tutoribus catholice educati sunt et catholice saltem aliquo tempore vixerunt, ideoque impedimento tenentur licet postea a fide catholica defecerint.

264. In hoc impedimento relate ad baptismum dumtaxat attenditur *factum* seu obiectiva veritas, nec ratio habetur erroris aut ignorantiae vel falsae aestimationis sive ipsorum contrahentium sive aliorum; quare invalide contrahit cum catholico ea persona, quae in eadem religione educata seipsam putat baptizatam et etiam ab aliis talis existimatur, si de facto baptismum non recepit aut recepit quidem sed fuit invalide collatum; e contra valide contrahit cum catholico qui in Ecclesia catholica baptizatus fidem christianam penitus abiecerit. Cfr. Benedict. XIV Const. *Singulari* §§ 16, 17, 18.

265. Ex praemissis circa *ambitum* impedimenti, facile apparet haud parum iure Codicis fuisse restrictum, cum antea existeret inter *quemcumque baptizatum* et *quemcumque non baptizatum;* cuius restrictionis seu moderationis optima ratio habetur in studio evitandi ne innumera matrimonia haereticorum et schismaticorum essent invalida, quos nunc legislator intra terminos explicatos sua lege non comprehendit. Cui rationi etiam illa alia accedit, quod valor baptismi in pluribus sectis collati haud paucis dubiis est obnoxius, unde graves aderant difficultates ad iudicandum de valore matrimonii ab ipsis contracti cum ad fidem catholicam convertebantur. Nihilominus matrimonia ante diem 19

[24*] Hoc dubium est iam solutum per declarationem authenticam Comm. Codicis d. 29 apr. 1940, qua statuitur ab acatholicis natos et in Ecclesia catholica legitime baptizatos subici impedimento disparitatis cultus quoties cum parte non baptizata contraxerint, etsi ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverint. Exceptio ergo statuta pro iis in c. 1099 § 2 quoad formam canonicam celebrationis matrimonii non extenditur ad impedimentum disparitatis cultus, quod satis iam innuebatur silentio c. 1070 § 1, inadvertentiae legislatoris nullo modo adscribendo; cfr. AAS. XXXII, 212; Period., XXIX, 389.

maii a. 1918 celebrata diudicanda sunt, ad valorem quod attinet, secundum ius Codicem praecedens.

266. Etsi disparitas cultus *divino* et *naturali* iure matrimonium *impediat*, nisi *gravis causa* excuset et ad vitanda *pericula animarum* necessariae praestentur *cautiones* [25], tamen matrimonia contra talem prohibitionem *illicite* celebrata ex nullo iure *divino irritantur* [26]. Iure ergo ecclesiastico introducta est lex irritans, qua baptizatis intra ambitum declaratum ita absolute cum infidelibus nuptiae interdicuntur, ut etiamsi in casu quodam *particulari prohibitio iuris divini* cesset, absque dispensatione R. Pontificis vel ipsius delegati neque *licita* neque *valida* sit huiusmodi matrimonii celebratio. Etenim Ecclesia catholica pro sua potestate iurisdictionis in omnes homines baptizatos sive catholicos sive acatholicos, ut efficacius tueretur prohibitionem iuris divini, propter commune periculum extendit *suam* legem prohibentem ad omnes casus atque vi irritandi munivit. Quae lex ecclesiastica, quamvis *directe* partem baptizatam reddat inhabilem ad validum matrimonium cum infideli celebrandum, tamen *in-*

[25] *S. R. Bellarmin.*, l. c.; *Rosset*, n. 1711; *Ballerini-Palmieri*, n. 690 sq.; *Gasparri*, I, n. 585.

[26] *Sánchez*, l. VII, disp. 71, n. 6; *Schmalzgr.*, l. c. n. 126; *Rosset*, n. 1717 sq. contrariam sententiam Catharini recte tanquam plane improbabilem reiciunt.

Nam lex naturalis etiam in Novo Testamento *prohibet* ne quis *fidelis* tum seipsum tum *prolem suam* exponat *proximo* periculo in fide catholica et bonis moribus. Quod periculum proximum licet non semper, tamen frequenter reperitur in matrimonio fidelis cum infideli ; ergo nisi tollatur vel saltem fiat *remotum*, prohibitio legis naturalis subsistit. Immo, etiamsi periculum proximum in casu particulari non existeret aut opportunis et necessariis condicionibus et cautionibus factum esset remotum, iuris naturalis prohibitio nondum penitus est sublata, nisi insuper *accedat causa proportionate gravis;* id autem saepe non sufficienter attenditur. Illa enim matrimonia cum infidelibus etiam solitis cautionibus ex utraque parte datis, sc. de removenda contumelia Creatoris ex cohabitatione proveniente, et educanda universa prole in religione catholica, de promovenda conversione infidelis per partem fidelem, semper in se continent magnam quandam *deformitatem* atque vix unquam *omne* periculum animarum in parte fideli et in prole penitus excludunt. Evidenter igitur aliqua causa vere gravis et proportionata requiritur, ut quis talem deformem et *periculosam* matrimonii celebrationem perficiat.

Quae argumenta profecto *illiceitatem*, non *nullitatem*, istorum matrimoniorum ex lege naturali demonstrant. Adversarii quoque nullam afferunt solidam rationem ad probandam naturalem quandam legem irritantem. *Bona* vero *substantialia* matrimonii hisce nuptiis necessario non excluduntur; hinc lex irritans caret fundamento naturali. Quodsi talis lex naturalis existeret, Ecclesia super hoc impedimento non posset dispensare. Id vero falsum est, ut constat ex perpetua Ecclesiae praxi.

directe etiam infidelem a validis nuptiis cum parte baptizata ineundis arcet. Nam ad valorem matrimonii requiritur habilitas *utriusque* sponsi. Hinc, cum Ecclesia partem baptizatam effecerit inhabilem nec positive permiserit, ut pars non baptizata communicet cum parte baptizata suam immunitatem a lege irritante Ecclesiae, valor matrimonii in casu *absolute* excluditur [27].

267. Casus baptismi dubii. Hoc impedimentum singularem creat difficultatem, si *ante* matrimonium *contrahendum dubium oriatur* de *baptismi* collatione — *dubium facti* — aut de valore collati — *dubium iuris* — aut *superveniat* idem dubium *matrimonio contracto* sive a *catholicis* inter se sive a catholico cum parte *acatholica.* Difficultatem ostendunt quaesita de hac re toties in SS. CC. proposita, quae non in iuris ignorantia, sed in intrinsecis rei difficultatibus suum habent fundamentum, inter quas praesertim illa recensenda est quod *valor* matrimonii videatur esse dependens a *subiectivis dubiis* et praesumptionibus, non a claris et simplicibus normis *obiectivis.*

Qua in re accurate distinguendum est inter matrimonium *contrahendum* et matrimonium iam *contractum,* i. e. utrum dubium exsurgat cum matrimonium adhuc est contrahendum, an exsurgat cum iam est contractum.

268. I. Quoad matrimonium contrahendum. Si in matrimonio *contrahendo duorum catholicorum* incidat dubium prudens de valore baptismi unius partis aut de ipso facto collati baptismi, et dubium post inquisitiones factas perseveret, obvium est remedium tollendi omnem difficultatem. Illa enim pars dubie baptizata *potest* et *debet* denuo sub condicione baptizari, ut sibi certo procuret sacramentum baptismi necessarium necessitate medii pro salute aeterna et praeterea sese reddat habilem ad *sacramentum matrimonii* recipiendum. Eodem modo providendum est casui *acatholici* qui vult converti [28] et matrimonium contrahere

---

[27] Cfr. *Bened.* XIV Const. «*Singulari*» § 19; decr. S. C. Inq., 1 aug. 1759, a *Clem.* XIII approbatum; rescript. S. C. de Prop. F. transmissum 28 iul. 1760, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 884; Instr. C. *Rauscher,* § 25; Synod. Mont. Liban., Alba-Iul., Sciarf. l. c. in font.; *S. R. Bellarmin.,* l. c.; *Sánchez,* l. c. n. 1 sq., 5, 8, 9. Cfr. de individuitate contractus supra, n. 37.

[28] Quod medium solvendi dubium in parte *acatholica,* quae ad fidem catholicam converti nolit, non potest applicari, ut patet ex natura rei. Praeterea teste Episcopo S. Galli (cfr. Arch. f. k. K. XLI, 183), Card. Caterini, Secret. S. C. Inq. in epist., 13 apr. 1878, ad resp. S. C. Inq., 3 apr. 1878 datam, haec adiunxit: «*Reprobandam atque illicitam omnino esse praxim administrandi a parochis baptismum sub condicione* **parti acatholicae,** *quae in haeresi permanere declarat, quando dubium circa eiusdem sacramenti validitatem exoritur. Tunc enim tantummodo licite id*

cum non baptizato aut cum baptizato; in utroque enim casu *stante et perseverante* dubio potest matrimonio obstare impedimentum disparitatis cultus: acatholicus ille post iteratum sub condicione baptismum erit dispensandus ab impedimento disparitatis cultus, si cum infideli vult contrahere; nulla vero in hac parte dispensatione opus erit si contrahat cum alia persona catholica [29].

Quoniam autem potest accidere quod dubium nec per inquisitiones factas nec per iteratam sub condicione baptismi collationem auferri possit ob speciales circumstantias quae illam iterationem non permittant, v. gr. ob mortis periculum in moribundo concubinario, aut ob malitiam unius partis, tunc *baptismus dubius* sive dubio iuris sive dubio facti *in ordine ad validitatem matrimonii habendus est ut validus,* i. e. *dubie baptizatus,* modo baptismus sit probabilis, perinde tractandus est in ordine ad subiectionem ad impedimenta, etiam iuris mere ecclesiastici, ac si esset valide baptizatus; talis enim praesumitur in relatione ad matrimonium contrahendum [30]. At dubium de baptismo est *dubium facti* relate ad matrimonii *impedimentum;* porro in dubio facti impedimentum urget, quamvis ab eo dari possit dispensatio ad cautelam ab Ordinario (c. 15): quae dispensatio si data non fuerit et matrimonium cum dubio celebratur, licet *praesumendum* sit validum (c. 1014), de eius *obiectivo* valore iudicandum erit secundum normam propositam in c. 1070 § 2, quae est norma generalis sine exceptione proposita ad iudicandum de valore cuiusvis matrimonii sine dispensatione *contracti* [31].

---

fieri potest, cum pars heterodoxa paratam se praebet abiurandi errores ac redeundi ad gremium Ecclesiae catholicae». Cfr. speciem facti in cit. Arch., 180 sq.

[29] Si ille acatholicus, qui vult converti, numquam antea pertinuit ad Ecclesiam catholicam — nec baptismate nec professione — profecto ipse non tenetur impedimento disparitatis cultus, cumque eodem modo non teneatur ad formam celebrationis (c. 1099 § 2), nihil impedit quominus ipse sua libertate utatur et deinde condicionate baptizetur. At ex una parte voluntas contrahendi cum infideli plerumque significabit voluntatem conversionis non esse adeo sinceram; ex alia parte ipse quoque tenetur obligatione iuris divini circa catholicam educationem prolis et deinde, requirente Ecclesia, tenebitur ad dandas debitas cautiones: melius ergo est ut, si adsint *graves causae* ad contrahendum cum infideli, prius condicionate baptizetur et postea cum dispensatione a cultus disparitate matrimonium contrahat.

[30] S. Offic. 9 sept. 1868; 7 iul. 1880; 1 aug. 1883; 18 sept. 1890; 4 febr. 1891. In Coll. S. C. de P. F., nn. 1334, 1536, 1605, 1746.

[31] *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 345; *De Smet,* n. 588, ubi in nota refertur ex S. Offic., 19 febr. 1920, factum dispensationis pro dioecesi Brugensi concessae in ordine ad matrimonium a parte catholica *contrahendum* cum acatholico dubie baptizato: dispensavit S. Offic. ab impedimento

269. II. **Quoad matrimonium contractum.** Codex in casu dubii circa baptismum proponit sequentem normam ad iudicandum de eius valore: *Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can.* 1014, *pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem esse baptizatam, alteram vero non baptizatam* (c. 1070 § 2).

Quo iuris praescripto applicatur huic casui particulari principium generale sancitum c. 1014, quod matrimonium gaudeat iuris favore ita ut in dubio standum sit pro valore matrimonii donec contrarium probetur; per quem iuris favorem statuitur pro valore matrimonii *simplex praesumptio iuris*, quae debeat cedere veritati certo modo probatae; veritas autem cui cedere debet praesumptio in casu est quod una pars fuerit valide baptizata, altera vero aut non baptizata aut invalide.

Inde autem infertur: 1°) Si *duo catholici* contrahunt matrimonium et deinde de baptismo unius vel utriusque partis serium oritur dubium quod peracta investigatione tolli non potest, baptismus erit sub condicione iterandus, sed « sine praeiudicio valoris matrimonii » [32], i. e. matrimonium praesumendum est validum; obiective erit invalidum, si de facto una pars erat baptizata altera baptismo carebat, et si hoc certo modo evincatur declarandum erit invalidum.

2°) Si catholicus *certo* baptizatus matrimonium contraxit cum haeretico *dubie* baptizato, aut *dubie* baptizatus cum haeretico *dubie* baptizato aut *nulliter* baptizato, in triplici casu validum censendum est matrimonium, quod tamen erit declarandum invalidum, si certo modo probetur alteram partem esse baptizatam, alteram baptismo carere [33].

---

mixtae religionis, *et, ad cautelam, disparitatis cultus*. Quae dispensatio ad cautelam supponit, stante dubio *facti* de impedimento disparitatis cultus, coniuges non frui libertate ab impedimento.

Paulo aliter *Chelodi*, n. 80; *Cappello*, I, n. 418; *Vlaming*, I, n. 294bis; sed praedicti auctores non explicant qua ratione verificetur, matrimonio sine dispensatione contracto, paragraphus 2 canonis 1070 quod standum sit pro valore matrimonii, *donec certo probetur alteram partem esse baptizatam, alteram vero non baptizatam*, nisi forte libertas ab impedimento, quae dicitur esse in possessione in dubio invincibili, intelligatur de libertate, quae excludat necessitatem *absolutae* dispensationis, non vero dispensationis *ad cautelam* quae in dubio *facti* est requisita, licet non requiratur in dubio *iuris*, cum in dubio iuris perinde est ac si non existeret impedimentum. Quo sensu ista libertas ab impedimento est mere *condicionata* — sicut libertas ab impedimento consanguinitatis, ubi adest dubium de existentia consanguinitatis intra gradus prohibitos — quae per dispensationem ad cautelam convertitur in libertatem *absolutam*, ita ut postea omnino iudicandum sit matrimonium ab initio fuisse certo validum.

[32] Cfr. S. C. C. in causis *Brixin.*, 27 aug. 1796, in *Tarvisina*, 4 martii 1787; in *Ripana*, 12 dec.1733; S. Offic. 29 sept. 1734, 9 sept. 1868, 18 sept. 1890.

3°) Quod dictum est de catholico valet quoque de *acatholico*, qui utpote aliquo tempore ad Ecclesiam catholicam pertinens obnoxius sit impedimento disparitatis cultus ad normam c. 1070 § 1.

4°) Si *haeretici*, qui nunquam pertinuerunt ad Ecclesiam catholicam, matrimonium contrahant inter se, eorum matrimonium semper est validum ex hoc capite, sive certum sive dubium sive nullum sit baptisma unius aut utriusque, cum impedimento disparitatis cultus non ligentur [34].

270. *Iuris praecedentis immutatio.* In iure praecedente rigorose applicabatur principium: « In dubio baptismus censendus est validus » [35]: ex cuius principii applicatione inferebatur aestimandum esse invalidum matrimonium *dubie* baptizati cum *certo* non baptizato [36], quod peculiarem prae se ferebat difficultatem [37].

Utrum autem *ex praesumptione baptismi* ius praecedens inferret *praesumptionem* iuris relate ad existentiam vel non existentiam impedimenti et consequenter relate ad valorem matrimonii, an potius in pluribus responsis S. Officii propositum ius contineret *restrictionem* seu limitationem *impedimenti* aut eius implicitam *dispensationem*, valde controversum erat: quae controversia tandem huc deveniebat, utrum non obstante obiectiva

---

[33] Iure praecedente matrimonium *dubie* baptizati cum *non* baptizato censendum erat nullum ob impedimentum disparitatis cultus. Cfr. S. Offic. 14 iul. 1880, 4 febr. 1891 (Collect. S. C. de P. F. II, n. 1536, 1746). Attentis responsis S. Offic. post iteratum condicionate baptismum non adest in utroque casu (1°) et (2°) stricta obligatio renovandi consensum; at si consensus non renovatur, licet matrimonium pergat praesumi validum, non excluditur possibilis futura eius impugnatio, cum illud per solam renovationem consensus fiat certo modo validum *obiective*, non mere *praesumptive*. Muniz, Procedimientos eclesiást. II, n. 269.

[34] *Chelodi*, n. 80; *Cappello*, I, n. 419; *Vlaming*, I, n. 291; *De Smet*, n. 587.

[35] Cfr. textus citatos in notis praecedentibus.

[36] Cfr. v. gr. responsum S. Offic. 14 iul. 1880: I. Matrimonium dubie baptizati cum non baptizato estne validum? R. Ad 1. Matrimonium esse habendum uti invalidum ob impedimentum disparitatis cultus.

[37] Est manifesta difficultas in *dubio facti*, si matrimonium ponitur ab initio nullum; nam dubium de collatione baptismi potest esse coniunctum cum obiectiva veritate baptismi *non* recepti, quo in casu revera haberetur matrimonium inter duos infideles, quod non apparet qua ratione ab Ecclesia non solum praesumi sed vere possit haberi ut invalidum.

existentia disparitatis cultus matrimonium contractum iam *ab initio* esset vere validum ita ut, sublato dubio, esset omnino sustinendum non obstante reali disparitate cultus certo cognita, an potius ageretur de mera aestimatione fori externi. Theoretice quidem re spectata, utraque explicatio erat possibilis et doctos nacta erat patronos; nam in impedimento iuris mere ecclesiastici nihil impedit quominus Ecclesia per suam legem limitet impedimentum excludendo casus dubios aut in talibus casibus dispenset; difficultas erat in facto, utrum ex responsis S. Officii posset inferri dispensatio implicite data aut exceptio a generali regula, iuxta quam a lege irritante ignorantia non eximit; quodsi illa dispensatio vel exceptio inferri non poterat, non remanebat nisi recursus ad praesumptionem seu aestimationem fori externi, quae deberet cedere veritati certo probatae [38].

Nunc autem *certum est* agi de *mera praesumptione*, ex qua diudicanda sunt matrimonia post 19 maii 1918 celebrata; quoad matrimonia vero ante illum diem inita, habenda prae oculis est memorata diversitas sententiarum, quae ius praecedens reddebant valde dubium et diversam suppeditabant solutionem pro casu in quo dubium cessasset.

271. *Argumenta ad solvendum dubium circa baptismum.* Cum nostro tempore facile quoad personas origine acatholicas huiusmodi dubia occurrant, nec facile quoad baptismos in sectis acatholicis administratos illa dubia solvi possint per *directas* probationes seu per testes aut per documenta [39], plerumque recurrendum erit ad *indirectam* probationem desumptam ex praesumptionibus, pro qua praesumptione colligenda iam a S. Officio propositae sunt aptae normae.

I. Ad dubium *facti* excutiendum S. Offic. sequentes tradit normas in responso ad Episc. Savannen. (in Canada) 1 aug. 1883. (cfr. ASS. XVIII, 460 sq. et Coll. S. C. de P. F. n. 662):

1°) Baptismus *non est praesumendus*, si acatholica pars parentes habuerit pertinentes ad sectam quae baptismum respuit

[38] Cfr. controversiam late expositam ac discussam apud *Wernz*, Ius Decretalium, IV, n. 507, 508 cum notis et apud *De Smet*, De spons. et matr., n. 587.

[39] Cfr. de baptismi probatione per testes c. 779 iunct. c. 742 § 1, et resp. Praef. S. C. de P. F. quod non sufficiat simplex assertio acatholici, de quo agitur, quod baptismum receperit (ASS. XXXIV, 640). Cfr. quoque *Vlaming*, I, n. 293, ubi scite notat documenta et testimonia de acatholicis non nisi admodum difficulter colligi atque iam collecta plerumque carere authentia, quae plenam fidem plenamque probationem faciant.

vel non admittit baptismum infantium, seu in qua non confertur nisi adultis (secta baptistarum), *aut* parentes habuerit qui profitebantur se nolle ad ullam sectam pertinere seque ens supremum honestis potius moribus quam speciali aliquo cultu honorare, aut si nulla militat pro baptismo praesumptio — factum enim non praesumitur sed probandum est —.

2°) *Praesumendus est* baptismus, si parentes habuerit pertinentes ad sectam quae eundem ut necessarium habet, *vel* in qua saltem ordinarie administratur *et* iidem parentes in secta sua zelo praestent, *aut*, si iuxta unius tantum parentis animi zelantem dispositionem in secta praesumptio faveat baptismo, accedat quod ille in educatione prolis de facto et indubie primas partes habuerit nec alter coniux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi.

3°) Si parentes in sua secta, quae ordinarie baptismum administrat socordes fuerint, *aut* ad sectam pertinuerint, quae baptismum quidem non respuit sed eum non habet ut necessarium, et in qua ordinarie non administratur, aut si, facta inquisitione, ignoretur an coniux qui baptismo favet primas in educatione habuerit partes, *recurrendum est ad S. Sedem in singulis casibus.*

Quibus praesumptionibus dumtaxat utendum est, post peractam *normalem investigationem.*

II. Relate ad dubium *de valore baptismi collati* — dubium iuris — S. Offic. praesertim. 17 nov. 1830, ad instantiam Episc. Anneciensis in Sabaudia *de baptismo* calvinistarum et lutheranorum has constituit regulas a Pio VIII approbatas et postea, v. gr. 20 dec. 1837, 20 iul. 1840, 5 febr. 1851, 3 april. 1878, 18 sept. 1890, frequenter applicatas et confirmatas:

1°) Quoad haereticos, quorum ritualia praescribunt collationem baptismi *absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.*

2°) Quoad alios, qui iuxta sua ritualia baptizant valide, validus censendus est baptismus. Quo in casu, saltem si constat de *facto* collati baptismi, examen cuiusque casus *particularis* in ordine ad validitatem matrimonii non videtur esse praescriptum. Quodsi dubium persistat etiam in casu numeri praecedentis, baptismus censendus est validus in ordine ad validitatem matrimonii.

3°) Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine illius sectae, nullum est matrimonium. Ex qua regula relate ad matrimonium data videtur inferri norma pro baptismo:

si *certo* constat de consuetudine sectae *invalide baptizantis*, baptismus iudicandus est *invalidus* [40].

§ II. De cessatione et dispensatione impedimenti disparitatis cultus

272. Impedimentum disparitatis cultus, quatenus est impedimentum *dirimens iuris ecclesiastici* inter duos nupturientes, ipso iure *cessat*, si pars infidelis ad fidem catholicam baptismo valide suscepto convertatur, aut saltem alia quadam ratione, v. g. in secta christiana, valide baptizetur. Idem impedimentum, ut est *impediens ex iure divino*, per cessationem *periculi proximi perversionis* parti *fideli* et *proli* imminentis, proportionata accedente *gravi causa* pariter ipso facto tollitur; iudicium vero authenticum de periculo sublato et iustae causae existentia non est penes homines privatos, sed ab auctoritate ecclesiastica competente est proferendum.

273. Etiamsi in *casu particulari* certo iam cessavit *prohibitio iuris divini* proveniens ex dispari cultu sponsorum, tamen impedimentum dirimens, quod *ex iure ecclesiastico* illis nupturientibus obstat, nequaquam ipso iure est relaxatum [41], sed tantum per veram *dispensationem* R. Pontificis [42] vel Praelati ecclesiastici, v. g. Episcopi vel Vicarii Apostolici necessariis facultatibus a Se-

[40] Cfr. ASS. XIII, 457; XXV, 258. Cfr. applicationem factam a S. C. de d. Sacr. in AAS. VIII, 478 sq.

[41] *Chelodi*, n. 81; *Cappello*, I, n. 199. *Gasparri*, I, n. 595 et *Santi-Leitner*, l. IV, tit. 1, n. 178, tenent ex rationibus intrinsecis — praesertim eo quod ius naturale ad matrimonium praevaleat iuri positivo canonico — impedimentum cessare, sicubi pauci sint christiani ita ut nequeant inter se matrimonium inire et moraliter impossibilis sit dispensationis petitio; cui allegatae rationi sua probabilitas non videtur posse negari, licet contra ac illi auctores vellent, illa cessatio non possit inferri ex responso S. Offic. 4. iul. 1851, a *Gasparri* l. c. allegato.

[42] Cfr. *Giovine*, De disp. I, 418 sq.; *Mansella*, 79; *Gasparri*, I, n. 593. Quae dispensationes a R. Pontifice conceduntur per S. Offic. (c. 247 § 3) sive «*in solita audientia*» sive tempore feriarum «*per facultates*» Assessori vel Commissario datas, ita ut preces remittantur prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, qui datis solitis cautionibus super hoc impedimento «*dispensare valeat*». Quodsi cum parte hebraica celebrandum sit matrimonium, S. Offic. dispensationi addit clausulam: «*Et dummodo neque ante neque post matrimonium, coram parocho catholico initum, partes adeant rabbinum ad matrimonium iudaico ritu celebrandum*». Denique subiungitur clausula finalis: «*Iuxta Instructionem alias datam* (i. e. Antonellianam 15 nov. 1858) *matrimonium celebretur* — ut matrimonium mixtum — *privatim, extra ecclesiam et absque ullo ritu ecclesiastico*». Sed de iis iam cavent canones 1060-1064; 1071, 1102.

de Apostolica muniti [43] sive ad determinatum tempus, v. g. ad quinquennium, sive ad certum numerum casuum, auferri potest.

Quae dispensatio fidelibus in regionibus catholicis degentibus raro, et praesertim ad matrimonium cum parte hebraica contrahendum non nisi magna cum difficultate conceditur [44], sed facilius fideles, in mediis gentibus constituti, ut cum paganis celebrent nuptias beneficium dispensationis obtinent.

Denique ad legitimam dispensationem super lege *Ecclesiae* irritante de disparitate cultus omnino requiritur: 1) ut *condiciones* [45] iure divino et naturali necessariae verificentur; 2) ut *cau-*

[43] S. C. Inq., 1 aug. 1759, et S. C. de Prop. F., 28 iul. 1760, in Collect. (Paris.) Const. S. S. n. 883, et Collect. S. C. de P. F. n. 1260, iunct. n. 32, 33. Quae facultas si amplissimo modo conceditur, solet hanc formam habere: «*Dispensandi cum suis subditis* (i. e. catholicis, non haereticis vel schismaticis) *super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodo cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia praescriptis ac praesertim de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo deque conversione coniugis infidelis pro viribus curanda ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, servata in reliquis adiecta instructione* (Antonelliana) *typis impressa,* **excepto** *tamen casu matrimonii cum viro vel muliere iudaeis,* **nisi** *adsit periculum in mora; tum vero singulis trienniis referat quot in casibus dispensaverit*». Cfr. *Putzer*, Comm. in facult. Apost., 379 sq. In formulis Facultatum S. C. de P. F. ponitur illa clausula: «*Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis: peculiari ratione oportet ut constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahometis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat*». Cfr. Form., n. 22. Similis clausula nunc ponitur in Facultatibus, quae Nuntiis Apostolicis conceduntur, n. 70.

Quae facultas dispensandi super impedimento disparitatis cultus continetur etiam in amplissimis facultatibus Ordinariis, parochis aliisque concessis pro periculo mortis aut pro casu urgentiore in cc. 1043-1046.

[44] Cfr. de dispensationibus particularibus a Sede Apostolica concessis contrahendi matrimonium cum hebraeis: *Perrone*, l. c. II, 333; Arch. f. k. K. VII, 278, LV, 161 sq., LXIII 118 sq., LXIV 578 sq. Quibus exemplis alia recentiora et non pauca accedunt, unde consequitur antiquum iuris rigorem ob tristes condiciones nostrae aetatis haud leviter esse emollitum.

[45] Cfr. c. 1071. Quae condiciones exprimi solent illis verbis Facultatum: «*Quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit*». Contumelia vero vitanda est tum in parte *fideli*, tum in universa *prole* nascitura, tum in ipsa quoque parte *infideli*. Quare in coniuge fideli abesse debet *proximum periculum* perversionis; *educatio universae prolis* in vera religione debet esse in tuto collocata; porro remotius est periculum perversionis partis fidelis et prolis, si aliqua spes affulgeat conversionis in parte infideli, ut quandoque in indulto tanquam condicio exigitur. Certe autem

22

tiones[46], de illis condicionibus implendis rite praestentur; 3) ut

---

parti *fideli* incumbit *obligatio caritatis* iuxta regulas prudentiae christianae *curandi conversionem* coniugis infidelis. Denique in ipso quoque *infideli* absit necesse est *proximum periculum contumeliae Creatoris*, v. g. polygamiae simultaneae; secus dispensatio concedi nequit. Quae circumstantia praesertim in *mahumetanis* est attendenda. Cfr. S. C. de Prop. F., 13 sept. 1760, et S. C. Inq., 15 febr. 1780, in cit. Collect. n. 1261, 1266.

Absentia contumeliae Creatoris ipso iure naturali requiritur, ut cesset naturalis lex *prohibens* talia matrimonia, super qua vel ipse R. Pontifex dispensare nequit. Quare mirum non est quod Sedes Apostolica respondeat dispensationem expetitam *non posse concedi*, si condiciones *iure divino* requisitae non verificentur. Quodsi R. Pontifex — per fictam quandam hypothesim — non verificatis condicionibus iuris divini super lege *irritante Ecclesiae* scienter dispensaret, sane illicite sed valide ageret; inferior vero Praelatus invalidam concederet dispensationem. S. Offic. 21 iun. 1912; AAS. IV, 442 sq.

[46] Praelatus ecclesiasticus, ut legitime dispenset super hoc impedimento, debet esse *moraliter certus* de absentia contumeliae Creatoris et de executione condicionum iuxta prudentiae leges. Quare exiguntur *cautiones*, i. e. *promissiones* quae in pactum deductae praebeant *morale fundamentum* de veritate executionis, ita ut prudenter eiusmodi executio praesumi possit. Cfr. S. C. Inq. 30 iun. 1842, 17 febr. 1875. Hinc utraque pars promittere debet: universam prolem utriusque sexus post matrimonium habitam in religione catholica baptizatum et educatum iri, pars vero *infidelis* polliceri debet insuper se suo coniugi relicturam esse liberum exercitium religionis catholicae. Quae cautiones, si non sincere aut non integre aut nullo modo *ante* concessam dispensationem praestantur, gratia dispensationis est *neganda*. Cfr. S. C. Inq. 17 apr. 1879. *Forma*, qua illae cautiones dandae sint, ex natura rei et rigida lege communi pro omnibus casibus particularibus non est praescripta. Aliqua igitur *varietas disciplinae* hac in re est permissa. Cfr. S. C. Inq. 10 dec. 1902. *Generatim* vero promissio mere *oralis*, saltem partis infidelis, non sufficit, sed regulariter *scripta* est exigenda, ut in archivo paroeciali deponatur, immo etiam *iurata*, saltem si certae circumstantiae concurrant, vel rescripta apostolica in suis clausulis « *formales et iuratas cautiones* » exigant, vel iura particularia maiore severitate utantur. Cfr. *Putzer*, l. c., 380 sq. Demum coniux catholicus moneatur de obligatione conversionem coniugis acatholici prudenter curandi.

* Sancta Sedes, ut iam ab antiquiore tempore exigebat, etiam nunc stricte praecipit ut condicionibus adimplendis in quibuslibet matrimoniis, pro quibus requiratur dispensatio ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, cautum sit per formalem promissionem ab *utraque parte explicite praestitam*. Id omnino ad liceitatem requiritur. Dubium autem occurrebat circa id quod stricte necessarium erat ad *validitatem* dispensationis, quod habebat momentum speciale in impedimento disparitatis cultus, cum validitas matrimonii penderet a validitate dispensationis datae. Ex modo loquendi adhibito in c. 1061 § 1, 2° patebat iam, iuxta praescripta c. 39, exigi ad validitatem dispensationis ut *uterque* coniux praestaret cautiones requisitas. Ideo S. Officium interrogatum de validitate matrimonii initi cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, cautionibus praestitis a *sola parte acatholica*,

in singulis casibus *graves* et *proportionatae* adsint *causae cano-*

---

respondit illud esse invalidum sive ante Codicem sive postea fuerit contractum. Haec responsio non est nisi simplex applicatio regulae clare in c. 1061 statutae. Si vero ulterius quaereretur an cautiones deberent ad validitatem dispensationis *explicite* praestari, res non poterat peremptorie solvi ex solis verbis c. 1061. Nunc autem ex declaratione S. Officii d. 10 maii 1941 authentice constat sufficere ad validitatem dispensationis concessae ab eo, qui a S. Sede potestatem habet, *implicitam* praestationem cautionum ab *utraque* parte factam. Explicita petitio et praestatio cautionum requiruntur profecto semper, sed ad solam liceitatem. Qua de re usus facultatis sive ordinariae sive delegatae in dispensandis impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis nequit dici invalidus si *utraque pars saltem implicite cautiones praestiterit*, i. e. ut declarat ipsum S. Officium, « eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam cognoscere obligationem adimplendi condiciones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi ». Actus, qui hic requiruntur, re vera esse positos constare debebit in foro externo sive e certis documentis sive e testimoniis fide dignis. Actus vero certo positi tales sint oportet ut ex iis possit et debeat concludi etiam in foro externo tum ad cognitionem obligationis adimplendi condiciones praedictas tum etiam ad manifestationem firmi propositi satisfaciendi illi obligationi. Non requiritur tamen ut promissio stricte dicta habeatur; sufficit ut constare possit in foro externo de cognitione obligationis exsistentis et de sincera voluntate eam adimplendi, quod sane haberi non poterit nisi utrumque manifestatum fuerit saltem *implicite*. Cfr. AAS. XXXIII, 294; Periodica, XXX, 317. Cfr. praeterea Sylloge iussu S. C. de P. F. public., ubi, n. 206bis, habentur plura responsa particularia de matrimoniis mixtis ad Ordinarios missionum data. Cautiones exigendae sunt de prole nascitura tantum, ut iam dictum est in n. 177, not. 20*.

Quid vero dicendum de casu in quo utraque vel saltem una pars ficte cautiones dederit? Eritne valida dispensatio data super impedimento disparitatis cultus? « Si cautiones praestentur ficte sed omnino occulte, ait Cappello, ita ut nec dispensans nec alii cognoscant fictionem aut de ea serio dubitent, dispensatio rite concessa valida censetur »; I, n. 312, 4°. Eadem sententia propugnatur fuse in Ius Pontificium (1933), 207; (1935), 196. Contraria sententia item ample exponitur in eadem ephemeride (1934), 270; (1935), 64, 191. Contendunt enim fautores primae sententiae Ecclesiam absolute dare dispensationem expetitam, modo cautiones debito modo praestentur nullaque adsit ratio dubitandi de sinceritate nupturientium. Solutio quaestionis pendet, ut liquet, ab eo quod Ecclesia de facto velit vel nolit tollere impedimentum dirimens disparitatis cultus ab ipsa statutum, cum solum deficiat interna voluntas adimplendi promissa, nullo signo externo manifestata. Videtur tamen dicendum Ecclesiam supponere exsistentiam verae voluntatis de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda et de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo in momento in quo praestantur cautiones, quae ideo postulari videntur, sc. ut de perseverantia illius voluntatis pro tempore futuro securitas moralis haberi possit; secus ei qui sciat callide dolum tegere praemium assignaretur. Sic etiam in responsione S. Officii, quam supra retulimus, ad validitatem dispensationis requiritur saltem manifestatio firmi propositi, i. e. verae voluntatis, adimplendi obligationem iam cognitam;

nicae[47] ex parte *fideli*, cui *directe* dispensatio conceditur, neque admittuntur causae in sola parte *infideli* existentes, v. g. aetas superadulta mulieris *infidelis*.

Praesertim vero Praelati inferiores in concedendis dispensationibus super hoc impedimento in matrimoniis *contractis* vel *contrahendis* sese conforment necesse est *tenori* facultatum acceptarum[48] et specialibus Instructionibus SS. CC. hac de re datis[49].

274. Coronidis loco singularis quidam *effectus*, olim habitus, dispensationis super hoc impedimento est commemorandus, quem S. C. Inq., 16 sept. 1824, ad Archiep. Quebecen. hisce verbis proposuit: « *Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri* ». Quod principium denuo

---

hoc autem elementum, quod veluti requisitum essentiale consideratur, debebit semper et ubique inveniri.

[47] Cum in istis matrimoniis, etiam sublato periculo proximo, semper maneant aliqua pericula et non levia incommoda, nemo ex natura rei *sine gravi* et proportionata *causa* — *distincta a condicionibus*, ut sapienti consilio monent S. C. de Prop. F., 25 mart. 1868, et Conc. plenar. Baltimor. III, a. 1884, n. 131 — tali periculo sese exponere potest. Quare etiam ad dispensationem de disparitate cultus concedendam minime sufficit ut sponsi solitas cautiones praestare parati sint, « *sed insuper iusta gravisque causa canonica omnino requiritur* » (cit. Conc. plen. Baltim. III, l. c.); secus dispensatio vel ab ipso R. Pontifice *illicite*, etsi per se *valide*, ab inferiore vero Praelato facultatibus apostolicis munito etiam *invalide* concedetur, ita ut consequenter etiam matrimonium esset invalidum. Cfr. Instr. Antonellian. 15 nov. 1858; S. C. de Prop. F. (S. Offic.) 4 dec. 1862 et 15 mart. 1868; *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 71, n. 10, 11. Cfr. de causa quadam sufficienti a S. C. Inq., 5 sept. 1736, in casu particulari admissa in cit. Collect. n. 1258; *Putzer*, l. c. 382 sq. Circa *sufficientiam* vero causarum Praelati inferiores ob oculos habeant necesse est *praxim* S. Sedis nec arbitrarias fingant causas canonicas. Per se gravior requiritur causa in regionibus christianis et in matrimoniis contrahendis, dum in terris gentilium et praesertim, si nuptiae iam sunt celebratae, mitiorem etiam quoad cautiones exigendas se ostendit S. Sedes. S. C. de P. F. 13 sept. 1760 et 3 maii 1828.

[48] Quibus in facultatibus imprimis attendendum est ad *clausulas limitantes* et utrum data an negata vel restricta fuerit potestas *subdelegandi*. Cfr. S. C. de Prop. F. 14 ian. 1806; S. C. Inq. 20 febr. 1888 et 18 dec. 1898.

[49] Inter Instr. potissimum eminent illae, quae hoc tit. not. 45, citatae fuerunt, e quibus speciatim colligendum est quibusnam in casibus Episcopi proclamationes bannorum, *moderatam* illam assistentiam *activam* parochi, in Instructione Antonelliana descriptam, permittere possint. Cfr. *Putzer*, l. c., 283 sq.

confirmatum fuit et declaratum insuper idem servandum esse quando super cultus disparitate dispensabatur a *delegato* atque adeo tametsi delegatus non haberet facultatem cumulandi aut dispensandi ab illo impedimento quo ligabatur pars catholica[50].

Nunc vero, ut constat ex responso S. Offic., 20 maii 1932, per S. C. de P. Fide ad Praef. Apost. Districtus Centralis Promontorii Bonae Spei transmisso, « *S. Sedes dispensando super impedimento disparitatis cultus non intelligitur dispensare ab impedimentis, a quibus exempta est pars acatholica* ».

275. Scholion I. Cum impedimentum disparitatis cultus sit iuris *publici*, a quolibet fideli denuntiari et ex officio contra valorem matrimonii in foro ecclesiastico actio iudicialis institui potest[51]. Quo in processu canonico onus *probationis* versatur in duplici obiecto, sc.: 1) de ipso *facto* collati baptismi; 2) de *valore* baptismi forte de facto certissime administrati. Quodsi de uno aut de altero obiecto dubium incidat, praeter generales sanctiones canonicas de probationibus statutas, prae oculis habendae sunt leges *speciales* supra propositae de probando *facto* baptismi eiusque valore in ordine ad *validitatem matrimonii*, non in ordine ad *iterationem* baptismi forte propter dubium prudens saltem sub *condicione* faciendam.

276. Scholion II. Si matrimonio legitime contracto a duobus infidelibus *superveniat* disparitas cultus propter susceptionem baptismi per unum ex coniugibus, infra sub propria rubrica *de separatione coniugum* erit exponendum quando parti baptizatae novi matrimonii celebratio cum *dissolutione vinculi* prioris matrimonii, aut *perdurante* vinculo eiusdem matrimonii saltem *separatio a toro et cohabitatione* sine novarum nuptiarum celebratione sit permissa[52]. Quodsi uterque coniux sit fidelis et alter la-

---

[50] *Chelodi*, n. 81; Ami du Clergé, a. 1913, p. 1019; Collat. Brug. XIX, 122.

[51] S. C. C., 20 mart. 1880, ASS. XIII, 445 sq. *negavit* constare de nullitate matrimonii, cuius declarationem *uxor etiam* ob disparitatem cultus petiit.

[52] Cfr. cap. 7, X, de divort. IV, 19; cap. 1, de convers. infid. III, 20 in cpl. II = rescript. Clem. III (a. 1187-1191); *Tancredus*, l. c., 45, scribit: « *Nec est recipienda illa distinctio, quod aliud sit in iudaeis conversis et aliud in paganis. Quia quidam dixerunt quod iudaeus conversus ad fidem non debet cohabitare uxori infideli volenti cohabitare, sed saracenus vel paganus conversus poterunt cohabitare*, **quoniam idem iuris est hodie in utrisque** ». Quod ut probet, recte provocat ad Decretalem Clementis III, supra allegatam et ilico subiungit: « *Si vero infidelis vult cohabitare fideli sine aliquo praedictorum*, (i. e. sine triplici contumelia Creatoris), *fidelis, si non vult cohabitare infideli*, **non est compellendus** *cohabitare coniugi infideli. Tamen illo vivente non poterit contrahere, quoniam durat matrimonium, ut in praeallegata Decretali* ». Interroga-

batur in schisma vel haeresim vel infidelitatem, neque pars fidelis, forte derelicta aut legitime separata a toro et cohabitatione, potest valide contrahere novum matrimonium [53].

277. Scholion III. Impedimentum disparitatis cultus — et mixtae religionis — in codicibus civilibus nunc regulariter et in ordine ad matrimonium *civiliter* validum non admittitur [54] nisi aliquo modo excipias codicem civilem Austriae, ubi § 64 statuitur: Matrimonia inter *christianos* et personas *non profitentes religionem christianam sunt invalida.* Quod impedimentum in Austria — non amplius in Hungaria — retentum nequaquam *nunc* convenit cum impedimento *canonico* disparitatis cultus. Nam Ecclesia catholica in hoc impedimento ante Codicem solummodo attendebat ad *sacramentum* fidei ab una tantum parte valide receptum, non ad *professionem fidei christianae,* cui leges civiles

---

tum « III, 20, 1 ». Quare Tancredus iam ante septem fere saecula reiecit illam praxim tanquam iuri communi non conformen, quam usque ad nostram aetatem complures scriptores ex conficta quadam praxi communiter recepta et nonnullis canonibus antiqui iuris particularis Hispaniae repetunt. Cfr. *Santi*, l. IV, t. 19, n. 10; *Feije*, n. 490, 500 sq., 576, 602; *Rossel*, n. 611. Difficulter ergo intelligitur quo iure innitatur asserta generalis prohibitio cohabitationis coniugis fidelis cum infideli inter christianos apud *Ballerini-Palmieri*, l. c. VI, n. 432, 707, atque severior videtur reprehensio, qua, l. c. not. (a), *Perrone* afficitur; nam certe *stricta dispensatio* ab aliqua *generali prohibitione* cohabitationis *inter paganos* non existente omnino non requiritur, si necessariae condiciones verificentur. Cfr. S. C. Inq., 19 sept. 1671, in cit. Collect. S. C. de Pr. F. n. 1257.

[53] Cfr. cap. 6, 7, X, de divort. IV, 19; cap. 20, X, de convers. coniug. III, 32; *Bernard. Pap.* l. c. n. 291 sq.; *S. Raymund.*, cit. tit.; *Tancredus*, l. c., 45 sq., postquam eandem tradidit doctrinam, i. f. addit: « *Quamvis quidam Apostolicorum aliter et male senserint* ». Quae verba Tancredi intelligenda sunt de rescripto Coelestini III, (a. 1191-1198), = part. decis. cap. 1, X, de convers. infid. III, 33 = cap. 2, de convers. infid. III, 20, in cpl. II. Idem Coelestinus III est ille « *quidam praedecessor noster* », qui ab Innocentio III, cap. 7, X, de divort. IV, 19, dicitur « *aliter sensisse* ». Cfr. *González Tellez*, in cit. cap. 6, 7, X, de divort. et cap. 20, X, de convers. coniugat.; *Schnitzer*, 477 sq.; *Feije*, n. 471 sq.

[54] V. g. leges civiles Galliae, Germaniae, Italiae, Helvetiae, Hungariae, Belgii, Hollandiae, Angliae et Americae septentr. de isto impedimento tacent; item cod. civ. Hispaniae art. 83 sq. inter impedimenta matrimonii civilis non recenset disparitatem cultus, licet retineat impedimenta ordinis sacri et sollemnis professionis religiosae. Quae lacuna in codice civili Hispaniae facile intelligitur, si quis consideret eiusdem cod. art. 42, de omnibus personis ad matrimonium canonicum obligatis cum fatali clausula « *quae fidem catholicam profitentur* », qua *apostasiae* a fide catholica aliqua aperitur porta ad matrimonium *civile;* quamvis legitima interpretatio illius clausulae non ea sit quod sufficiat se declarare apostatam, cum fraus sua nemini debeat patrocinari, v. g. qui usque ad momentum celebrandi matrimonii vixit ut catholicus regestis Ecclesiae inscriptus. Cfr. *Hirschel*, in Arch. f. k. K. XL, 252 sq.

Austriae *unice* in disparitate cultus tribuunt vim et efficaciam; post Codicem impedimentum retinet in apostata a fide catholica. Inde fit ut leges Austriae partim praemium concedant apostasiae, partim ad rigorem pertingant ab Ecclesia catholica repudiatum. Nam si quis *catholicus* rite declaret sese nulli societati religiosae adscriptum esse (confessionslos), ipsius *civili* matrimonio cum parte *infideli*, v. g. cum hebraeo, ex lege civili Austriae disparitas cultus non obstat; et vicissim si *catholicus*, qui avitae suae fidei non valedixit, vellet inire matrimonium cum parte, quae *olim* rite *baptizata* fuit, sed nunc *ante* nuptiarum celebrationem ad sectam infidelium, v. g. hebraeorum vel mohamedanorum per apostasiam defecit vel sese omnis religionis expertem declaravit, ligaretur impedimento *dirimente* disparitatis cultus Austriae [55].

Hebraeus vero vel quicumque infidelis sive *non* baptizatus qui sese omnis religionis expertem — confessionslos — declaraverat, *nequit* in Austria cum parte catholica, suae Ecclesiae fideli, contrahere validum matrimonium civile.

---

[55] Arch. f. k. K. XXXVI, 120 sq., XXXVII, 75 sq., LVI, 194 sq.; Scherer, 375 sq.; *Aichner*, § 172, not. 5.

CAPUT X

De impedimento Ordinis sacri

278. Fontes: Dist. 27, 28, 30; C. XVII, q. 1, 2; XXVII, q. 1. - Cpl. I, l. IV, tit. 6; Cpl. II, l. IV, tit. 4 - Decret. Greg. IX, l. IV, t. 9, qui cleric. vel voventes etc., l. I, tit. 11 de t. o. et qual. ordin., t. 21 de bigamis; l. III, t. 3 de cleric. coniug. - Conc. Trid., Sess. XXIV, can. 6, 9; Syllab. prop. 72; Instr. S. C. C. a. 1838 super nullit. subdiac. ex causa vis et metus apud *Sentis*, Liber sept. Decret., 41 sq.; decis. S. C. C. in ASS. I, 335 et in ed. *Richt.* C. Trid., 201 sq.

De Ecclesiae Orientalis iure in hac materia speciatim consulendae sunt Constitut. Benedict. XIV « *Etsi pastoralis* » 22 maii 1742, Const. « *Eo quamvis* », 4 maii 1745; « *Anno vertente* » 19 iun. 1750; Synod. Ruthenor. a. 1720, Synod. Mont. Lib. a. 1736 in Collect. Lac. II, col. 507 sq., 45, 166; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 177 [1].

Scriptores: Comm. iur. Decretal. in h. t. - *Devoti*, §§ 128, 129; *Aichner*, § 174; *Scherer*, § 122; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 242; *Papp-Szilâgyi*, Enchirid. Iur. Eccl. Orient. cath., 322, 430 sq. - *Roland.*, Summa, 125 sq.; *Bernard. Pap.*, Summa, 149 sq., 288 sq.; *Tancred.*, Summa de matr. tit. 26, qui ordines impediant matr., 48 sq.; *S. Raym.*, l. c. lib. IV, tit. 12 de imped. ordinis; *S. R. Bellarm.*, c. 21; *Sánchez*, l. VII, disp. 27 sq.; *Schulte*, Eher. § 28, *Feije*, n. 504 sq.;*Schnitzer*, 454 sq.; *Leitner*, 197 sq.; *Rosset*, n. 1564 sq.; *Van de Burgt*, 112 sq.; *Mansella*, 92 sq.; *Giovine*, I, 435 sq.; *Gasparri*, I, n. 665 sq.; *Laemmer*, in Arch. f. k. K., X, 242 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 763 sq.; *Laurin*, D. Caelib. 137 sq., 154 sq.; *Moy*, 68 sq., 189 sq., 336 sq.; *Freisen*, 719 sq.; *Mittermueller*, in Arch. f. k. K. XVI, 1 sq.; *Esmein*, I, 313 sq., II, 270 sq.; *Zhishman*, 449 sq., 467 sq. - *Allègre*, Le mariage des prêtres en droit civil. - *A. Scharnagl*, Das feierliche Gelübde als Ehehindernis, 25, 203 sq. - *Chelodi*, n. 82 sq.; *Cappello*, I, n. 428 sq.; *De Smet*. n. 568 sq.; *Vlaming*, I, n. 297 sq.; *Ferreres*, Derecho sacr., n. 593 sq.

Canon 1072. « *Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti* ».

Praenotiones

279. Hoc impedimentum directe oritur ex *vinculo* quodam iuridico consequente officium *libere* susceptum. Quamvis ex iure divino nulla sit obligatio servandi caelibatum, neque pro eo qui libere statum clericalem amplectitur, tamen Ecclesia legem *condicionatam* condere potest, ut nemo ad ordinem sacrum admittatur, nisi *obligationem* servandi caelibatum libere suscipiat, atque adeo sua lege etiam *modum* suscipiendi illam obligationem, sc. per *votum*, praescribere non prohibetur. Qua condicione impleta votoque castitatis emisso, *ex iure divino* consequente clericis in sacris constitutis matrimonium fit *illicitum*. Quae obligatio libere suscepta ut magis sit firma et secura, Ecclesia *lege sua irritante* clericos maiores reddit *inhabiles* ad nuptias valide celebrandas.

280. Definitio. Impedimentum ordinis sacri est inhabilitas clerici in ordine sacro sive maiore rite constituti ad contrahendum valide matrimonium, et ad continuandum *usum licitum* matrimonii ante sacram ordinationem forte contracti: quae altera inhabilitas directe oritur ex obligatione caelibatus (c. 132 § 1). Atque ita vir coniugatus, qui *vivente* uxore ad sacros ordines *legitime* promovetur, ad *eandem castitatem* saltem in Ecclesia Occidentali obligatur ac si *ante* matrimonium ordinatus fuisset. Quare non solum ex *novo titulo* fit inhabilis ad alias nuptias *valide celebrandas*, licet prima uxor mortua fuerit, vel vinculum prioris matrimonii *rati* per sollemnem professionem uxoris iam sit solutum, sed etiam cum uxore adhuc *vivente* ab omni consortio maritali per petitionem et redditionem debiti coniugalis debet abstinere [3]. Quod impedimentum ordinis sacri, cum existere *possit* etiam *sine* sollemni *voto* castitatis a clerico in sacra ordinatione emisso, evidenter est impedimentum matrimonii *distinctum* ab impedimento professionis religiosae. Cfr. *Suarez*, l. c. tract. VII, l. 9, cap. 17, n. 11.

281. Divisio. Ordinibus *maioribus* sive sacris in Ecclesia *Occidentali* adnumerantur, praeter Episcopatum, *subdiaconatus*, diaconatus et presbyteratus: reliqui ordines dicuntur *minores* (c. 949). Eadem fere distinctio viget in Ecclesia *Orientali* eo tantum discrimine, quod non omnes ritus orientales *subdiaconatum* inter ordines maiores recenseant, sed potius minoribus adscribant [4].

282. Notae historicae. *Qui germanam traditionem de caelibatu ac continentia cleri sedulo expenderit, inveniet profecto vel*

---

[1] L. 42, § 1, L. 45, 48 Cod. de Episc. et cleric. I, 3; Novella 6, cap. 5; *Zhishman*, 468 sq.; cod. civ. Hispan. art. 83, Austr. § 63. Cfr. *Laurin*, l. c. 197 sq.; *Scherer*, § 122, not. 36 sq. Reliqui codices civiles ut plurimum hoc impedimentum non admittunt, v. g. cod. civ. Galliae, Ital., German., Helvetiae. Cfr. *Schulte*, l. c. *Eher*. 529 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 144 i. f.

[2] Cfr. praesertim ex antiquioribus theologis: *S. Thom.*, Summa theol. IIª IIªᵉ, q. 88, a. 7, 11, et Suppl. q. 53, a. 1 sq., 3 sq.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VII, l. 9, cap. 13-20, ubi etiam quaestiones historicas usque ad nostram aetatem discussas sobrio iudicio examinat.

[3] Cfr. *Suarez*, l. c. cap. 19, n. 10, 12; *Leitner*, 197, 204 sq. Cfr. quoque *S. Thom.*, Suppl. q. 52, a. 3 in corp.

[4] Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 226, 227, 238; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), p. 88, 90, 142; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 141 sq., 177, 201 sq., ubi ordines *sacri* etiam quoad caelibatum et matrimonium computantur a *diaconatu*.

a primis Ecclesiae catholicae saeculis, si non generali et explicita lege, moribus saltem atque consuetudine fuisse firmatum, ut nedum Episcopi et presbyteri, sed ut clerici in sacris constituti virginitatem vel perpetuam continentiam inviolate servarent. Quae assertio de obligatione caelibatus clericorum hisce circumspectis terminis in Instr. S. C. de Prop. F. ad Episc. prov. eccl. Albaiul., 24 mart. 1858, enuntiata sepositisque controversiis de origine apostolica[5] obligationis caelibatus per veram legem impositae, sane est verissima. Quare derelicta inquisitione historica de origine et ambitu obligationis ad *caelibatum*, alibi[6] iam exposita, vi cuius ad ordines sacros tantum aut viri singulares admittuntur, qui onus servandae virginitatis in se suscipiunt, aut viri uxorati, qui ad abstinentiam ab usu matrimonii sese obstringunt, potissimum *de inhabilitate* clericorum maiorum ad *validam* matrimonii celebrationem hoc titulo est disserendum[7]. *Obligatio* enim *caelibatus* certe est antiquior quam *impedimentum dirimens* ordinis sacri.

Ecclesia Orientalis et Occidentalis communem habuerunt praxim *antiquissima traditione* comprobatam, quod clerici *caelibes* ordinem sacrum saltem diaconatus suscipientes *postea* ad nuptias celebrandas non iam procedere possent[8]. Ecclesia quoque

---

[5] *Suarez*, l. c. cap. 14, n. 1 sq.; 10 sq.; cap. 15, n. 8 sq.; 11; *Laurin*, l. c., 64 sq.; *Freisen*, 719 sq.; *Gasparri*, I, n. 667; *Schnitzer* l. c. 454 sq.; aliter, sed argumentis parum persuasivis, iam tempore apostolorum sacros ordines fuisse *impedimentum* matrimonii saltem *prohibens* defendunt: *Rosset*, n. 1565 sq.; *Bickell*, Act. theol. Oenip. II, 26 sq., III, 792 sq., quem impugnavit *Funk*, Act. theol. Tubing. a. 1879, p. 208 sq. et a. 1880, p. 202 sq.

[6] *Wernz-Vidal*, Ius canonic. II, n. 102 sq.

[7] *Suarez*, l. c. cap. 18, n. 1 sq., ubi ab exaggeratis assertionibus longe alienus est, et non raro *insufficientiam argumentorum* partium concertantium probat; *Rosset*, n. 1583 sq., 1591.

[8] Cfr. c. 27 Apost.; c. 1 Conc. Neocaes. (a. 314-325) = c. 9, D. 28, ex quo canone certe sequitur matrimonii celebrationem presbytero fuisse *illicitam; nam poena* adeo gravis, sc. *depositionis ab ordine clericali* et reductio ad communionem laicam, ipsi non fuisset inflicta, nisi grave commisisset *delictum;* at *nullitas* matrimonii in eodem canone non reperitur expressa, immo potius *validitas* insinuatur. Nam in secunda parte eiusdem canonis presbytero *fornicanti* vel adultero *praeter* depositionem a gradu clericali etiam statuitur poena *excommunicationis* et *paenitentiae publicae inter laicos*. Quodsi matrimonium fuisset *irritum*, presbyter etiam *gravioris fornicationis* fuisset reus. Quae *Suarez*, l. c. cap. 18, n. 4 sq., disputat ad elidendum hoc argumentum, non sunt in omnibus accurata vereque efficacia; quare ipse tandem n. 5 fatetur: « *Ex illo ergo textu non satis probatur hoc votum (?) illo tempore non irritasse matrimonium, quamvis ex illo etiam probari non possit irritasse* ». Cfr. *Hefele*, I, 244.

Orientalis, quamvis non eodem rigore atque Ecclesia Occidentalis[9] usum legitime contracti matrimonii interdiceret[10], tamen mortua uxore clericis maiorum ordinum secundas nuptias omnino prohibuit[11].

Quodsi de *illiceitate* matrimonii *post* susceptionem ordinis sacri a clerico celebrati in Ecclesia *Orientali* dubium existere non potest, inde a saeculo sexto et septimo eae leges latae sunt, quibus *nullitas* quoque istorum matrimoniorum apertius insinuaretur. Id imprimis factum est per Constitutiones imperatoris Iustiniani, qui non solum statuta poena depositionis clericis maiorum ordinum, ipsis subdiaconis non exclusis, matrimonium prohibuit, sed etiam nuptias ab ipsis attentatas declaravit *nullas* prolemque

---

Pariter ex c. 10 Conc. Ancyr. (a. 314) = c. 8, D. 28 comprobatur vel ipsis diaconis post ordinationem sub poena depositionis ab ordine suo celebrationem nuptiarum fuisse interdictam; *exceptio* enim addita de casu, in quo diaconus sibi ius contrahendi matrimonium in ipsa ordinatione *expresse reservavit*, denuo confirmat regulam. Cfr. *Hefele*, l. c., 230.

Deinde etiam Paphnutius in oratione, quam in Concilio Nicaeno (a. 325) habuisse dicitur, omnino admittit *secundum antiquam traditionem* caelibes ordinatos postea fuisse prohibitos a nuptiis. Quae narratio de Paphnutio a *Baronio, Valesio* aliisque doctis viris tanquam spuria et a Socrate inventa reicitur argumentis plane inefficacibus, ut solide demonstravit *Hefele*, l. c. 433 sq. Cf. quoque *Suarez*, l. c. cap. 15, n. 8 sq.; *Schnitzer*, 456 sq. cum *Esmein, Freisen, Funk* aliisque v. g. *Hinschius, Zhishman*.

Quodsi *Rosset*, n. 1612 sq., *positiva* argumenta in favorem authentiae illius facti allata ratione *fontium* non habuisset omni exceptione maiora, usus esset iure suo et praeter *Thomassinum, Bickell* in novo editore historiae ecclesiasticae *Cardin. Hergenroether*, I, 449, not. 3, rem in medio relinquente nancisceretur praeclarum socium. At modum excedit, si *Funk* etiam ob istam rationem impugnat, quod is vicissim inter fabulas amandet narrationem de baptismo Constantini M. a Papa Silvestro administrato. Quae narratio etiam Romae a viris doctis merito et impune inter facta spuria recensetur, neque « *Breviario* et *Martyrologio* », quibus hisce in rebus historicis *Rosset*, III, 173, not. 2, nimiam tribuit auctoritatem, ullo modo impediuntur, ut evidenter patet ex doctrina communiter recepta Benedicti XIV de Martyrologio Romano, et quasi ad oculos demonstratur per novam commissionem historico-liturgicam a Leone XIII a. 1902 institutam.

[9] Cfr. c. 33 Conc. Illiberit. (a. 300-306); cap. 7 in rescript. Siricii Papae ad Himerium Episc. Tarrac. (a. 385 = c. 3, 4, D. 82. Cfr. quoque c. 4, 5, 6, D. 31; c. 2, D. 82 (Innoc. I); *Laurin*, l. c., 63 sq.; *Schnitzer*, l. c., 458 sq.

[10] Cfr. c. 6 Apostol. = c. 14, D. 28; c. 1, 4, 9, 10, 14, Concil. Grangrens. (c. a. 350); *Laurin*, l. c., 97 sq.; Act. theolog. Oenip. II, 32, 51 sq.

[11] Constit. Apost. lib. VI, cap. 17; *Laurin*, l. c., 97 sq.; *Freisen*, 720 sq.; *Wojucki Emilian*, Die Wiederverehelichung der Priester in der morgenländischen Kirche, aus dem Romänischen von *Octavian Isopescul*: Arch. für k. K. LXXXVIII, 405.

susceptam *illegitimam* [12]. Sanctiones imperatoris Iustiniani de nullitate matrimoniorum clericorum, quae ex se utpote a potestate incompetente latae valorem non habuerunt [13], a Concilio Trullano (a. 692), cc. 3, 6 receptae sunt. Quod ius Trullanum, quo mitior quoque praxis Ecclesiae Orientalis de usu matrimonii per clericos maiorum ordinum, non sine inconveniente impugnatione Ecclesiae Occidentalis, approbata est [14], etiam subsequentibus saeculis tanquam stabilis norma retentum [15] ipsam quoque approbationem Ecclesiae Romanae consecutum est [16].

Ecclesia Occidentalis, inde a primis saeculis maiorem rigorem secuta, post susceptos ordines sacros tum matrimonii celebrationem interdixit tum usum matrimonii antea in minoribus ordinibus legitime contracti omnino prohibuit [17]. Quae continentiae observatio ut eo efficacius obtineretur, votum quoddam verum castitatis in sacra ordinatione exigi coeptum est [18]. Quare mirum non est quod praesertim ex saeculo septimo matrimonia huiusmodi iis nominibus atque *poenis* afficiantur, quae potius nullitatem quam meram prohibitionem significant [19]. At cum canones isti neque *universales* sint neque necessario de invaliditate *certo* sint intelligendi, peremptorium argumentum pro nullitate istorum matrimoniorum ex iis derivari nequit, praesertim quia iterum alii canones potius *insinuare* videantur *validitatem* nuptiarum a clericis quorundam maiorum ordinum celebratarum [20].

[12] L. 45 (a. 350) de Ep. I, 3; Novell 6, cap. 5; *Laurin*, l. c. 137; *Freisen*, 721 sq.; *Scherer*, 366 sq.

[13] *Laurin*, l. c. 138 sq.; Bened. XIV Const. « *Eo quamvis* » 4 maii 1745, § 39.

[14] Conc. Trull. cit. cc. 13, 32; *Hefele*, III, 331 sq., 345; *Laurin*, l. c., 109 sq., 140 sq.; *Zhishman*, 476 sq.

[15] *Freisen*, 723; *Laurin*, l. c. 141 sq.

[16] Cap. 6, X, de cler. coniug. III, 3; cap. 13, X, de vit. et honest. cler. III, 1; *Laurin*, l. c. 113 sq., 143 sq.

[17] Cfr. in praec. not. 9 c. 53 Conc. Illib. aliosque can. cit.; *Schnitzer*, 458 sq., ubi tamen ex Tertulliano et Hippolyto, testibus hac in re non omni exceptione maioribus, videtur deducere conclusiones nimis generales de iure quodam mitiore Ecclesiae Occidentalis.

[18] Cfr. c. 22 Concil. Arausic. I (a. 441); cc. 2, 43 Concil. Arelat. II (a. 443 vel 452) = c. 6, 7, D. 28; c. 1 Concil. Toletan. II (a. 527 vel 531) = c. 5, D. 28. Cfr. *Suarez*, l. c. cap. 17, n. 4; *Laurin*, l. c., 83 sq.; *Freisen*, 730 sq.; *Schnitzer*, 460. In Synod. Vintoniensi a. 1076 (in Anglia) celebrata haec reperitur « *formula professionis castitatis ab ordinandis suscipiendae* »: « *Ego frater* (i. e. canonicus, cfr. cap. 4, X, de his quae, III, 10) *N. promitto Deo omnibusque Sanctis eius castitatem corporis mei secundum canonum decreta et secundum ordinem mihi imponendum servare, Domino Praesule N. praesente* ».

[19] Cfr. c. 4 sq. Conc. Tolet. VIII (a. 653); c. 10 Conc. Tolet. IX (a. 655) = c. 3, C. XV, q. 8; Act. theol. Oenip. II, 63.

At post decreta *Leonis IX*, a. 1049, in Synodo romana publicata praesertim versus finem saeculi undecimi dubia ista magis magisque evanescunt [21]. Etenim ineunte saeculo duodecimo complura Concilia declarant copulationes clericorum maiorum ordinum *matrimonia non esse*, sed *fornicationes*. Quam nullitatem non repetunt ex iure quodam tunc primum constituto, sed quod matrimonia ista *contra ecclesiasticam regulam*, iam existentem, sint contracta. Hinc lex irritans ex ipsa suppositione illorum Conciliorum iam *antea* exstitit [22]. Quodsi *Freisen*, 742, vel ab ipso Concilio Lateranensi II (a. 1139), c. 7 = c. 40, C. XXVII, q. 1, nondum clare nullitatem sancitam esse arbitratur, sua dubia ex communi doctorum sententia gravibus rationibus non probavit [23]. Multo magis valor istis matrimoniis denegatur per Decretales Rom. Pontificum inde ab *Alexandro III* (a. 1159-1181) atque a compilationibus antiquis, et praesertim in compilatione authen-

[20] Cfr. c. 8 Conc. Aurel. II (a. 533) et c. 1, D. 27 cum dict. Grat. de *diacono* nuptias celebrante; *Suarez*, l. c. cap. 18, n. 6 sq., 10; *Laurin*, l. c. 154 sq.; *Freisen*, 731; *Schnitzer*, 459, qui tamen nimis facile videtur admittere *validitatem* matrimonii esse simpliciter probatam, ubi solummodo permissa est conclusio de *nullitate certo non constare*. Praesertim vero c. 2, D. 32, *Gregorius M.* nequaquam *generaliter* permisit ut subdiaconus, ad licite retinendam uxorem ante suam promotionem valide ductam, posset derelinquere ministerium altaris et exercere officium notarii. Illa enim epistola *Gregorii M.* scripta est pro *Sicilia*, ubi prius ex antiqua consuetudine subdiaconi *ante ordinationem* iam *legitimo* matrimonio iuncti ab eiusdem *usu* etiam *post* susceptum ordinem subdiaconatus non fuerunt prohibiti. Multo minus ex eodem canone legitime deducitur *universaliter* in Ecclesia *Occidentali* fuisse permissum ut clerici in ordine subdiaconatus *iam constituti* certo *validas celebrarent nuptias*.

[21] *Urban II* in Conc. Amalph. (a. 1089) c. 12 = c. 10, D. 32. Cfr. *Hefele*, V, 195.

[22] *Paschal. II*, in Conc. Trecens. (Troyes) (a. 1107) c. 4. Cfr. *Hefele*, l. c., 289; *Callixtus II*, in Conc. Remens. (a. 1119) c. 5, et in Conc. Lateran. I, (a. 1123) cap. 21 = c. 8. D, 27; *Laurin*, l. c., 156 sq.; *Suarez*, l. c. n. 10; *Hefele*, IV, 841, n. 1, ubi tamen ex cap. 6 Turon. (a. 1060) sine certo fundamento deducit *validitatem* matrimonii a presbytero celebrati; nam ad summum isto canone, in quo praeter presbyteros, diaconos et subdiaconos nominantur *Episcopi*, argumentum solidum *pro nullitate* non suppeditatur.

[23] *Scherer*, 366, not. 15; *Schnitzer*, 463 sq. Eadem nullitas istorum matrimoniorum iam sustinetur a *Gratiano* (cfr. c. 8 = c. 21, Conc. Lat. I et c. 40, D. 27; *Laurin*, l. c., 155), neque fundatae sunt dubitationes et exceptiones *Freisen*, 750 sq. A *Gratiani* doctrina non sunt alieni: *Petrus Lombard.*, lib. IV, dist. 37; *Roland*. l. c., 117 sq.; *Bernard. Papiensis*, l. c., 149, 288; *Tancred*. l. c., 20 sq., 48 sq.

tica *Gregorii IX* iura sunt adeo clara et perspicua, ut etiam teste *Freisen* dubia sint sublata [24]. Hinc efficitur propositionem 72 in

[24] Cap. 1, 2, X, h. t. (*Alex. III*); *Freisen*, 744, ubi tamen per lapsum calami non satis distinguit rubricas titulorum a summariis capitum in collectionibus authenticis; *Laurin*, l. c., 157 sq., 143; *Esmein* I, 323 sq. Ab illa disciplina *Alexander III*, speciatim quoad subdiaconos illis in locis non recessit. Nam si v. g. cap. 4, de cler. coniug. III, 3, cpl. I, dicit: « *Illi vero, qui in* **subdiaconatu** *vel supra ad matrimonia convolaverint*, **mulieres** *possunt et* **debent** *invitas et renitentes relinquere, nec huiusmodi coniunctio matrimonium, sed contubernium est potius nuncupandum* », eodem evidenti modo negat vel ipsam existentiam veri validique matrimonii ac cap. 4, X, de cler. coniug. III, 3, ubi statuit: « *Sane* sacerdotes *illi, qui nuptias contrahunt, quae non nuptiae, sed contubernia sunt potius nuncupanda, post longam paenitentiam et vitam laudabilem continentes officio suo restitui possunt* ». Quare cum *Freisen*, 743, consentire non possum, si putat ex hisce verbis pro nullitate vel validitate parum deduci posse. Cfr. *Rosset*, n. 1604. Quodsi *Alexander* III, cap. 3, 4, 5, qui clerici IV, 6, cpl. I, *in collectionem Gregorii IX non receptis*, mitiorem videatur sequi doctrinam de valore matrimonii saltem subdiaconorum, potius propter *speciales* circumstantias aliquam dissimulationem vel dispensationem in casibus particularibus super hoc impedimento eadem ratione concedit, qua antiquis temporibus etiam super aliis impedimentis in ordine ad *convalidandum* matrimonium fuit vere dispensatum.

Qui modus procedendi satis probat *Alexandrum III* illa matrimonia a subdiaconis contracta habuisse *invalida*. Et profecto cit. cap. 3, qui cler. cpl. I, aliis subdiaconis honestae vitae ante contractum matrimonium iniungit *absolutam* et *perpetuam dimissionem* et separationem ab illis *mulieribus*, « *quae uxores eorum dicuntur esse* », quoad alios vero subdiaconos, qui « *antea dissolutae vitae* » fuerunt, Episcopo Exonensi rescribit: « *Tu id dissimulare poteris..., quod insimul maneant..., ita tamen quod ad altaris ministerium non accedant nec ecclesiastica beneficia percipiant* ». Similiter cit. cap. 5, eod. tit. cpl. I, decrevit: « *Si qui in* **diaconatu** *et supra matrimonia contraxerunt*,, **cogendi** *sunt uxores* **relinquere** *et vivere continenter* » de solis *subdiaconis*, qui *ante* matrimonium fuerunt *dissolutae vitae* rescribit: « *Dissimulare poteris cum suis mulieribus remanere* ». Denique cit. cap. 4, qui cler. cpl. I, de cuius authentia dubitatur, *Alexander III* solvit casum plane *singularem* subdiaconi qui « *ad* (subdiaconatum) *recipiendum nimis enormiter et inordinate sese ingesserat* ». Quare mirum non est quod *Alexander III* in suo rescripto praecipiat *talem* subdiaconum *obtentu praedicti ordinis subdiaconatus* non esse prohibendum quominus matrimonium legitime contrahat; i. e. R. Pontifex non resolvit casum matrimonii valide vel invalide *iam contracti*, sed dedit licentiam sive *dispensationem* ad matrimonium denuo contrahendum. Cuius decisionis *Alexander III* in parte *historica* rescripti etiam hanc dedit obscuriorem et difficiliorem rationem: « *Nos itaque studiosius attendentes, quomodo praedictus ordo* (subdiaconatus), *cum nullam sibi dignitatem attulerit vel honorem* (?), *matrimonium eius non impedit* (?) ». Quae verba et mitior praxis *Alexandri III* exinde videntur accipere congruam interpretationem, quod ordo subdiaconatus, licet legi caelibatus atque impedimento dirimenti matrimonii tempore Alexandri III iam diu esset obnoxius (cfr. c. 1, 2, D. 31; c. 1, 2, 7, 10, 11, 12, D. 32; c. 40, C. XXVII, q. 1 =

Syllabo *Pii IX* proscriptam: « *Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere* **primus** *asseruit* », omni fundamento historico carere. Quod si eadem nullitas denuo a Concilio Tridentino, Sess. XXIV doctr. de sacr. matr. can. 9, est declarata, nequaquam a Patribus Tridentinis antiquá illa controversia virorum doctorum de origine huius impedimenti est dirempta. Nam ex intentione Patrum solummodo proscribendus fut error Lutheri, non definienda origo impedimenti ordinis ex sola lege ecclesiastica aut ex solo voto sollemni [25]. Quare ex ipso textu Concilii Tridentini frustra *Schulte* argumentatus est in favorem suae sententiae [26]. Ceteroquin concertatio, quae usque ad nostram aetatem de hac re fervet, si principia *obligationis* ad caelibatum distinguantur a principio *nullitatis* matrimonii a clerico maiore attentati, facilem admittit solutionem [27].

§ I. De origine et ambitu impedimenti ordinis sacri

283. Clerici *Ecclesiae Occidentalis* in *sacris* ordinibus rite constituti ad quodvis matrimonium valide contrahendum inhabiles sunt [28]. Clerici vero *minorum* ordinum hoc impedimento non ligantur. Hoc autem est discrimen inter ius praecedens et ius Codicis, quod iure praecedente clerici minores per se poterant matrimonium inire quin a statu clericali deciderent

c. 7, Conc. Later. II, a. 1139), tamen aliis ordinibus *sacris sive maioribus* plena honoris praerogativa, v. g. quoad ius passivum electionis ad dignitatem episcopalem non nisi ex tempore Innocentii III sine ulla controversia adnumeraretur. Cfr. cap. 9, X, de aetat. I, 14. (Innoc. III a. 1207) iunct. c. 4, D. 60 = c. 1. Conc. Benevent. hab. sub *Urbano II* a. 1091; cap. 2, X, h. t. (*Alex. III*, a. 1159-1181); cap. 1, qui cler. IV, 4, cpl. II, (Coelestin. III, a. 1191-1198). Quae difficultas ex cit. cap. 4, qui cler. cpl. I, radicitus solvitur, si quis cum Petro Hispano ex depositione unius testis fide digni dicat rescriptum Alexandri III esse subreptitium. Cfr. *Freisen*, 757 sq.; *Scherer*, 369 sq.

[25] *Theiner*, Acta genuin. C. Trid. II, 463 sq., 475; *Pallavicin.*, Histor. Conc. Trid. l. 23, cap. 9; *Devoti*, Inst. canon. l. I, tit. 2, § 35, not. 1; *Laurin*, l. c., 174 sq.; *Schnitzer*, 464 sq.

[26] *Schulte*, l. c. § 28, i. f.

[27] *Suarez*, l. c. cap. 17; *Nilles*, in Act. theolog. Oenipont. XI, 186 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. IV, n. 235 sq. iunct. VI, n. 763 sq.; *Rosset*, n. 1635 sq. 1644; *Laurin*, l. c., 83 sq., 154 sq.; paulo aliter *Leitner*, 200 sq.; *Schnitzer*, 468 sq.

[28] Cfr. c. 40, C. XXVII, q. 1; cap. 1, 2, X, h. t.; cap. un. de vot. III, 15, in Sext.; cap. un. tit. 6, de vot. in Extravag. Ioann. XXII; Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. can. 9; *Suarez*, l. c. cap. 18, n. 2; *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 28, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 1 sq.; *Rosset*, l. c. n. 1583.

(*Wernz-Vidal*, II, n. 109); hodie ex iuris dispositione ipso facto initi matrimonii a statu clericali decidunt. Praeterea iure praecedente maritus de consensu uxoris, castitatem profitentis, poterat ad ordines etiam sacros promoveri [29]; at nunc coniugatis est exclusus accessus ad quoslibet ordines (c. 987, 2°) nisi ab hac lege obtinuerint dispensationem. Illa inhabilitas clericorum maiorum ordinum neque ex iure quodam divino sive naturali sive positivo vi *ordinis sacri* [30], neque ex vi *intrinseca voti* castitatis in ordinatione libere emissi [31], sed ultimatim ex *sola lege ecclesiastica* [32] est repetenda. Nam quamvis ex *natura rei* caelibatus clericis maiorum ordinum sit summopere *congruus*, tamen nullo solido argumento probatur existentia *naturalis* legis *prohibentis* et *irritantis* matrimonium clerici maioris. Nam huiusmodi lex naturalis solummodo posset colligi ex absoluta incompatibilitate vinculi vitaeque coniugalis cum obligationibus ortis ex sacris ordinibus ad functiones ministerii ecclesiastici sancte exercendas. Id vero manifeste falsum est, ut aliis omissis evidenter patet ex disciplina probata in Ecclesia Orientali. Multo minus ex fontibus revelationis positivum quoddam ius divinum demonstrari potest, cui potius universa traditio ecclesiastica est omnino contraria, ut constat ex magna varietate disciplinae in Ecclesia Occidentali et Orientali in extensione legis caelibatus et irritationis ad diversos hierarchiae gradus. Denique lex divina aperte excluditur per dispensationes super caelibatu in ordine ad matrimonium legitime contrahendum a Rom. Pontificibus non tantum in casu quodam particulari, sed frequenter concessas [33].

Porro votum simplex et sollemne castitatis intrinseca ratione voti inter se non differunt; ergo ex *solo voto* inhabilitas ad nuptias valide celebrandas nequit induci, sed solummodo ex *sol-*

[29] Cfr. cap. 5, X, de convers. coniug. III, 3; *Sánchez*, l. VII, disp. 40, n. 2 s.; *Schmalzgr.*, h. t. 6, l. IV, n. 40 sq.; *Benedictus XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 12; *Rosset*, n. 1598 sq; *Feije*, n. 513.

[30] *Goffred. de Trano*, h. t. n. 1; *Innocentius IV*, Comment. in cap. 12, X, de convers. coniug. III, 22; *S. Thom.*, Summa theolog. IIª IIªᵉ q. 88. a. 11; *Sánchez*, lib. VII, disp. 27, n. 5, disp. 28, n. 1 sq., 8 sq.; *Suarez*, l. c. tract. VII, l. 9, cap. 13; *Rosset*, n. 1635 sq.; *Leitner*, 199 sq.; *Scherer*, 369; *Schnitzer*, 468 sq.

[31] *Suarez*, l. c. tract. VII, l. 2, cap. 8, 9, 10, n. 1 sq., 5 sq., l. 9, cap. 4.

[32] Cfr. c. 10 Conc. Ancyr. (a. 314); c. 40, C. XXVII, q. 1; Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. can. 9; *Innoc. IV, S. Thom., Sánchez*, l. c.; *Schmalzgr.*, IV, 6, n. 10 sq.; *Reiffenstuel*, IV, 6, n. 15 sq.; *Laurin*, l. c., 169 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c.; *Rosset*, l. c.

[33] *Suarez*, l. c. l. 9, cap. 13: n. 2, sq.; *Rosset*, n. 1638 sq.

lemnitate voti potest derivari [34]. Quae *sollemnitas* voti, sacris ordinibus adnexi, cum consistat in inhabilitate absoluta et perpetua personae ad matrimonium valide contrahendum, et *sola constitutione* Ecclesiae dicatur inventa [35], tandem aliquando suam *vim* inhabilitandi habet ex lege *ecclesiastica;* at praerogativa etiam solvendi matrimonium ratum ante ordinationem contractum ad instar professionis religiosae non gaudet [36]. Quare si quis dicat impedimentum dirimens ordinis sacri niti immediate *sollemnitate* voti, alter contendat *legem ecclesiasticam* esse ipsius fundamentum, uterque quoad *substantiam eandem* causam inhabilitatis assignat, eo tantum discrimine quod prior *implicite in sollemnitate* voti, alter *explicite legem ecclesiasticam* asserat esse veram causam impedimenti ordinis sacri [37]. Salvum quoque manet discrimen inter impedimentum professionis religiosae et ordinis sacri, non solum ratione *subiectorum* et *effectuum*, sed etiam ratione *necessitatis* voti. Nam si quis serio vult ordinari *et* per malitiam vel ignorantiam excludit votum, nihilominus post *validam* ordinationem ex *lege* ecclesiastica impedimento dirimenti manet obnoxius; at e contra, deficiente *voto* perfectae *castitatis* in sollemni professione religiosa, impedimentum *dirimens* omnino non oritur.

284. Scholion. Quae sententia de *inhabilitate* clericorum in sacris constitutorum ad *validam* matrimonii celebrationem ex *sola lege ecclesiastica* repetenda adeo est certa, ut etiam a viris doctis, qui summo cum rigore *obligationem* eorundem clericorum servandi *caelibatum* immediate derivant *ex voto*, apertis verbis fuerit propugnata.

Cuius rei testis classicus est imprimis *Suarez*, De virt. et de stat. relig. tract. VII, l. 9, cap. 17, n. 11, ubi haec leguntur: « *Et sane dubium non est quin* **proxime** *et, ut ita dicam* **formaliter,** *hoc impedimentum* (ordinis sacri) *provenit ex* **statuto ac volun-**

[34] *Suarez*, l. c. cap. 4, n. 1 sq., 4 sq.

[35] Gloss. v. Quod voventes ad C. XXVII, q. 1 pr.; cap. un. de vot. III, 15 in Sext.; Gregor. XIII Const. « *Ascendente* »; *Suarez*, l. c. l. 2, cap. 8.

[36] Cfr. c. 1119 iunct. cap. un. de vot. tit. 6 in Extravag. Ioann. XXII; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 12, n. 14; *Schmalzgr.*, h. t. n. 6 sq.; *Feije*, n. 504.

[37] *Nilles*, in Arch. f. k. K. XII, 735; *Laurin*, l. c., 83 sq., 172 sq.; *Freisen*, 730 sq., 738 sq. Quare si *Scherer*, I, § 70, not. 91 docet: « *Nequit in dubium vocari caelibatum clericalem fundari in lege ecclesiastica* (sola? *etiam* in voto?), altera quaestio utrum nullitas matrimonii immediate ex illa, an ex voto (sollemni vel sollemnitate voti?) *sit explicanda, aptius in disputatione de impedimento ordinis maioris* (§ 142) *tractatur* », ex doctrina in textu proposita facile colligi potest quid *veri vel falsi contineat*.

tate Ecclesiae, *quia nec solus ordo de se nec solum votum de se faceret personam inhabilem, ut ex dictis constat, et per se satis notum est. Quod ergo dubitari potest solum est an votum sit necessarium, ut Ecclesia ponat tale impedimentum, vel an de facto non imponat illud, nisi habenti votum. Et quidem quoad priorem partem dicendum est non esse necessarium votum, ut* **possit** *Ecclesia inhabilem reddere personam tali ordine consecratam!.. Quoad alteram vero partem, quae magis pertinet ad usum huius potestatis seu ad id, quod* **de facto** *circa hoc Ecclesia instituit, dicendum videtur intentionem quidem et voluntatem Ecclesiae esse, ut hoc impedimentum existat* **mediante voto castitatis** *per sacram ordinationem* **solemnizato,** *quod sufficienter probant iura adducta, praesertim c. unicum de voto, lib. 6. Et ratio etiam ex dictis sumitur, quia hoc impedimentum ordine naturae, ut sic dicam,* **supponit obligationem** *non ducendi uxorem; haec autem* **obligatio,** *quantum est ex intentione Ecclesiae, oriri debet ex voto, ut diximus. Quia vero Ecclesia non iudicat de occultis, et quia fraus et dolus nemini patrocinari debet, ideo ita positum est hoc impedimentum ab Ecclesia, ut* **essentialiter non pendeat a vero voto,** *sed sufficiat votum praesumptum ac* **debitum** *iuxta ordinationem ipsius Ecclesiae* ».

Quare *Suarez* ad difficultatem motam quod clericus in sacra ordinatione possit *sua intentione* excludere *votum* et consequenter etiam *sollemnitatem* voti, quae *supponat* votum, et nihilominus maneat ex communi sententia ligatus impedimento ordinis ex sola lege ecclesiastica, respondet: « *Negatur sequela, quia hic effectus* — i. e. inhabilitatis — *non est adaequatus voti sollemnis veri, sed in praesenti oriri potest etiam ex praesumpto*[38] *vel,* **quod perinde** *est,* **ex sola ordinatione in sacris** » (i. e. propter *statutum* Ecclesiae).

Nec minus manifestum est testimonium *Ballerini* (cfr. *Ballerini-Palmieri,* Op. theol. IV, n. 236 sq.) docentis: « *Et sane probabilitas eademque extrinseca non nisi per meram aequivocationem tributa fuit propositioni, castitatis obligationem quoad clericos ex mera lege ecclesiastica immediate repetenti. Dico*

---

[38] Quae *praesumptio voti* certe omni caret fundamento, ut recte notat *Rosset,* n. 1649, si quis serio vult recipere ordinem sacrum, sed expresse *votum,* immo forte ipsum *caelibatum* simpliciter excludit, ut v. g. fit in secta veterum catholicorum. Quo in casu fatente ipso *Suarez,* l. c. n. 7. 10 sq., *votum castitatis* non habetur, at manet impedimentum dirimens *ordinis sacri ex lege ecclesiastica;* qui idcirco etiam addidit «*debitum*» i. e. teneri ad votum emittendum seu implicite admittendum, v. gr. retractando illam pravam voluntatem.

per meram aequivocationem: si enim non alienis, sed tuis oculis diligenter de sententia inquiras illorum auctorum, quos tanquam illius opinionis patronos longo agmine recensitos habes apud Sánchez, De matrim. lib. VII, disp. 27, n. 9, *perperam plerosque eorum, utpote quaestionem prorsus diversam agitantes, reperies allegari. Et sane plures ipsorum nullatenus quaerunt, undenam sit perfectae castitatis* **obligatio** *quoad clericos,* **ex votone,** *an ex* **mero praecepto Ecclesiae,** *sed unde sit* **vis dirimendi** *seu irritum reddendi* **matrimonium,** *quod clericus post susceptum sacrum ordinem forte contrahat, nimirum num id ex natura sacri ordinis, num vi voti, an vero ex lege tantum ecclesiastica sit repetendum. Statuunt autem hoc non profluere ex natura sacri ordinis, tum quia contradicit mos in Ecclesia graeca toleratus, tum quia irritum habetur matrimonium etiam illius clerici, qui forte vovere saltem interna voluntate noluerit, tum quia ne sollemne quidem monachi votum per se, sed per Ecclesiae statutum hanc vim habet. Quocirca merito concludunt* **eiusmodi matrimonii invaliditatem a sola ecclesiastica lege deduci posse.** *Quae conclusio immerito confunditur cum opinione, quae omnimodae castitatis* **obligationem,** *quae inesse potest etiam citra vim dirimendi matrimonium, a sola Ecclesiae lege repetit* ».

Quare quae viri docti antiquo[39] et novo tempore disputarunt de vera origine *inhabilitatis* clericorum maiorum ordinum ex *sola lege* ecclesiastica aut ex *natura* sive *essentia voti* vel *ordinis sacri* repetenda, nostra aetate quoad substantiam controversiis antiquatis et iam pridem solutis sunt adnumeranda, ita ut solummodo diversitas quaedam habeatur de *modo loquendi,* non de re ipsa, si subtilius inquiratur, utrum inhabilitas

---

[39] *Freisen,* 667 sq., 765 sq., 767, ubi recenset sententias antiquorum Glossatorum, e quibus complures de voto eiusque vi irritandi vel *indispensabilitate* certe parum accurate disserunt. At alii de inhabilitate clericorum maiorum ordinum ex sola lege ecclesiastica ultimatim repetenda omnino recte philosophati sunt. Cfr. v. gr. Gloss. ad C. XXVII, q. 1, v. Quod voventes; *Innocent. IV,* ut doctor privatus in suo comment. ad cap. 12, X, de convers. coniug. III, 32 (a. 1245): « *Ex hoc apparet quod sola constitutio* (Ecclesiae) *impedit quod hic coniugatus non contrahat* » (matrimonium); *Ioan. Andreae* († 1348), Novell. comment. in cap. un. de vot. III, 15 in Sext.: « *Tamen dicendum est quod nec votum nec sollemnitas, sed Ecclesiae constitutio est quae dirimit... per quod concluditur, non per votum, sed per constitutionem Ecclesiae matrimonia dirimi, licet aliquibus videatur et his placuit, quod votum continentiae et ipsius voti substantia repugnant substantiae matrimonii* ». Cfr. quoque eundem auctorem, l. c. in cap. 3, 4, 6, X, qui clerici IV, 6. « *Sollemnitates igitur invenit et constituit Ecclesia, non ad voti augmentum, sed ad discernendum et faciendum, quando propter votum emissum matrimonium dirimatur* ».

inducatur *mediante* voto *sollemni*, an *immediate* per *legem* ecclesiasticam [40].

Longe aliter res se habet, si quaeratur de *principio*, unde *obligatio ad caelibatum* in maiorum ordinum clericis sit derivanda. Super hac quaestione etiam nunc fervet concertatio [41]. Sunt enim qui putant illam obligationem in Ecclesia latina — sicut in Ecclesia graeca — fundari *in sola* [42] *lege ecclesiastica* condicionate data, non in voto a clerico maiore emisso, alii *etiam* in *voto* perfectae castitatis exterioris et interioris servandae nuncupato *ex lege Ecclesiae condicionata* in sacra ordinatione subdiaconatus, cum onus caelibatus non consistat in *sola* obligatione abstinendi a matrimonio.

Ex patronis secundae sententiae quidam ita loquuntur quasi obligationem caelibatus *immediate* repetant ex *voto* quodam *intermedio* et non nisi *remote* ex *lege ecclesiastica*, quae votum illud sacrae ordinationi adnexuit [43]; alii vero eandem obligationem *immediate* repetunt *tum* a voto *tum* a lege, ut melius explicent obligationem subdiaconi abstinendi a nuptiis, si is sive ex *ignorantia* sive ex *malitia* votum castitatis perfectae non emisisset [44]. At iste modus loquendi magis denotat diversam terminologiam, non duplicem opinionem revera distinctam. Nam etiam viri docti *immediate* repetentes ex *voto* obligationem, ultro concedunt subdiaconum conscium oneris adnexi caelibatus, sed ex ignorantia vel malitia omittentem voti nuncupationem, nihilominus *ex lege ecclesiastica* lata ob *motivum religio-*

---

[40] *Rosset*, n. 1644 sq.; *Suarez*, l. c. cap. 17, n. 3, i. f.

[41] *Freisen*, 760.

[42] *Sporer* cum aliis antiquioribus auctoribus apud *Rosset*, n. 1644; *Leitner*, 200 sq.; *Laurin*, l. c., 172 sq. aliique, v. g. *Schulte*. Cfr. quoque *Scherer*, II, 367; *Schnitzer*, 468 sq.; *Scharnagl*, l. c., 203 sq. qua de sententia *Suarez*, l. c. tract. VI, l. 2, cap. 7, n. 12 docet: « *Videntur fundari in hoc quod obligatio ad castitatem in clericis sacris* non *est ex voto, sed ex* solo *praecepto Ecclesiae; quae sententia* falsa *est, ut infra suis locis dicemus* » (i. e. tract. VII, l. 9, cap. 17).

[43] Suarez, l. c. l. 9, cap. 13, n. 18; « *Ad secundum iam fere responsum est hanc obligationem non imponi per* **absolutum** *Ecclesiae praeceptum, immo ut infra dicemus, non proprie* (?) *oritur ex praecepto, sed ex voto et promissione clerici; neque etiam ipsa promissio praecipitur absolute, sed* **sub condicione**, *quae pendet a voluntate libera promitentis.. ut si ordinem suscipere velit, castitatem promittat* », cap. 17, n. 10. Similiter loquuntur alii doctores de obligatione caelibatus « *mediante voto* » susceptas; at evidenter *legem ecclesiasticam* non excludunt, quoniam votum *lege condicionata* Ecclesiae praeceptum esse statuunt.

[44] *Rosset*, n. 1648; *Ballerini-Palmieri*, l. c. IV, n. 237, ubi allegant *Conink*, *Castropalao* aliosque veteres scriptores.

nis teneri ad castitatem servandam, cuius violatio etiam in ipso constituat *sacrilegium*, nisi agatur de actibus mere internis, in quos potestas legifera Ecclesiae sese non extendit [45].

Quibus praemissis illa opinio videtur esse praeferenda qua *immediate* et *principaliter* ex lege ecclesiastica ita deducitur *obligatio* caelibatus, ut eadem lege simul praescribatur *forma sive modus* ex *voto* illam obligationem castitatis suscipiendi [46]. Quo in casu, si quis clericus in sacra ordinatione negligat formam sive modum *voti adnexi*, semper manet *lex* positiva [47], qua Ecclesia immediate et principaliter ligat clericum in sacris constitutum ad servandum caelibatum.

Certe ex antiqua traditione Ecclesiae Occidentalis inde a *Gregorio M.* non fuerunt admissi ad ordines maiores, nisi qui *praevie profiterentur* castitatem. Quae professio secundum sensum obvium continet verum votum perfectae castitatis [48].

At nullo solido argumento demonstrari potest illud factum iam ex se parum credibile, quod Ecclesia latina, *derelicta* antiqua et perfectiore sua praxi *etiam* ex *voto* perfectae castitatis exigendi caelibatum, adoptarit disciplinam *imperfectiorem* graecorum, qui *sola lege* ecclesiastica imponunt clerico caelibi ad ordines maiores accedenti obligationem castitatis. Neque adversarii probabili quadam ratione possunt assignare *tempus* quo tandem aliquando mirabilis illa mutatio disciplinae antiquae facta sit. Quare singularis praerogativa et dignitas cleri

---

[45] *Suarez*, l. c. cap. 17, n. 3. « *Alii vero communiter censent hanc obligationem esse ex vero ac proprio voto ... Atque haec posterior sententia in rigore verior est; prior etiam* **aliquid verum continet**; *quia tamen fortasse in re non dissentiunt vel modo tantum loquendi disputant, distincte et singillatim explicare oportet omnia* ». Et profecto, qui *affirmant* votum, non necessario *negant* legem et vicissim; at si qui *solam* legem ecclesiasticam admittunt ut causam obligationis caelibatus, ipsum vero votum expresse negant, non solum *verbis*, sed *re* a secunda sententia recedunt. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, IV, n. 240.

[46] *S. Bonaventura*, Comment. in IV, dist. 37, 1, a. 1: « *Ordo apud Latinos ex constitutione Ecclesiae habet inseparabiliter continentiam annexam... ita quod obligatio illa procedit* **ex statuto pariter et voto**, *et sic intelligitur* **quod** *impedit et* **qualiter** *impedit matrimonium* »; *S. Thom.*, Summa theod. IIª, IIªᵉ, q. 8, a. 7, 11, iunct. P. III, Supl. q. 53, art. 3 *Rosset*, n. 1648 sq., 1651.

[47] Cfr. c. 8, D. 27 (*Callixt. II*); c. 40, C. XXVII, q. 1 (*Innoc. II*); in formulis dispensationis ab oneribus subdiaconatus vel diaconatus Romae receptis dicitur: « *Super lege castitatis* » et « *contra legem et virtutem castitatis* »; *Rosset*, l. c. n. 1638; *Laurin*, l. c., 173, not. 2.

[48] Cfr. c. 1, D. 28 (*Gregor. M.*); *Laurin*, l. c., 83 sq., 173 sq.; *Freisen*, 750 sq.. *Schnitzer*, 460 sq., ubi scite maiorem perfectionem voti laudat.

saecularis Ecclesiae latinae, qua *consilium* evangelicum castitatis sequitur in *forma modoque perfectiore voti,* omni vi et constantia est retinenda.

Porro *Bonifacius VIII,* in cap. un. de vot. et vot. red. III, 15, in Sext., disertis verbis declarat: « *Illud solum votum debere dici sollemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod sollemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis* ». Quae verba occurrunt sub rubrica: « *De voto et voti redemptione* »; at vota sub ista rubrica in nigro comprehensa sunt vota sensu stricto, non lato; ergo etiam votum castitatis ex cit. cap. unic. ordini sacro adnexum est votum castitatis sensu stricto. Praeterea est interpretatio prorsus arbitraria, si in uno eodemque *contextu* alicuius *capitis* idem *vocabulum* diverso sensu accipiatur; at certe votum castitatis per professionem religiosam ex cit. cap. unic. sollemnizatum est verum votum perfectae castitatis; hinc in materia prorsus aequiparata sacrae ordinationis idem intelligitur verum votum castitatis. Deinde si in eodem capite commemorantur: « *Reliqua... vota,* (quae) *quandoque matrimonium impediant contrahendum* », nullus unquam commentator illa verba intellexit de *votis sensu lato* acceptis. Accedit auctoritas aliorum Rom. Pontificum in cap. un. tit. 6 de vot. in Extravag. Ioannis XXII (« *Votum sollemnizatum per sacri susceptionem ordinis* ») et in Constit. Benedict. XIV « *Inter praeteritos* », 3 dec. 1749, § 41; « *Quod idem est ac si dicatur ipsos* — i. e. Paenitentiarios minores — *potestatem dispensandi in votis sollemnibus castitatis, paupertatis et obedientiae in sollemni religiosa professione sive in* **ordinis sacri susceptione emissis** *minime habere* ». Quae verba in se et in contextu considerata solummodo de vero voto castitatis perfectae legitimum habent sensum et ad votum late sumptum detorqueri non possunt. Tandem ex communi doctrina theologorum clericus *latinus* in sacris ordinibus constitutus per *peccata mere interna,* contra castitatem commissa, reus fit etiam *sacrilegii.* Cuius sacrilegii ratio solida assignari non potest, nisi clericus maior dicatur ligatus *vero voto* castitatis. Nam mera lex ecclesiastica ex communi magisque fundata sententia ad actus mere internos sese extendere non potest. Quae adversarii doctrinae propugnatae opponunt [49] solida non sunt, ideoque *Ballerini* ipsorum opinionem recte negat esse probabilem.

[49] V. g. *Schulte, Reusch,* aliique ex can. 9 Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr., suam voluerunt probare theoriam, quasi verba « *non obstan-*

Porro contra *Chelodi,* n. 82, asserentem nullo vigente canone votum implicitum demonstrari posse, optimo iure arguit *Cappello,* I, n. 435, 5°, silente Codice de mutatione, ex praescripto

te lege ecclesiastica vel voto » quoad priorem partem referantur ad « *clericos in sacris ordinibus constitutos* », quoad alteram partem ad « *regulares* ». At huiusmodi argumentatio, ut nunc patet ex *Theiner,* Acta genuina C. Tr. II, 463 sq., 475, nititur *fictione historica.* Nam, fatentibus etiam *Laurin,* l. c., 174 sq., aliisque adversariis, Patres Tridentini *nequaquam* habuerunt *intentionem* decernendi: « *Legem caelibatus esse legem ecclesiasticam, cum nec proposita fuerit haec quaestio nec a* Patribus *disputata, sed tantum* **verba Lutheri** *posita fuerint, videlicet:* **Non obstante lege ecclesiastica vel voto,** *cuius error ipsius verbis positus iuste fuit a Patribus damnatus* ». Quibus verbis *Cardinalis Lotharingii* reliqui Patres Tridentini plenissimum dederunt assensum; v. g. *Marcus Antonius Bobba* dixit: « *In IX canone illa verba: Non obstante lege ecclesiastica, placent, si intelligantur tanquam verba haereticorum, quae damnantur, non autem quod aliquid definiat* ». Cfr. quoque *Rosset,* n. 1651, qui ad solvendam istam difficultatem non recurrit ad acta genuina Concilii Tridentini. Alii, v. g. *Leitner,* 200 sq., inde arguunt quod *nulla lex universalis* Ecclesiae clericis (latinis) in sacra ordinatione (condicionate) imponat nuncupationem voti; at id fundatum non est, ut patet ex cap. unic. de vot. in Sext. Cfr. quoque *Suarez,* l. c. tract. VII, l. 9, cap. 17, n. 4, 5. Efficax quoque non est eiusdem auctoris ratio, quod Ecclesia *sola lege* potuerit *eundem scopum* obtinere atque *voto* castitatis adnexo. Confundit enim vir doctus imprimis *possibilem* praxim cum disciplina *de facto* in Ecclesia latina vigente. Nemo enim in dubium vocat (cfr. *Suarez,* l. c. n. 5), quod Ecclesia *potuisset* etiam clericis latinis in sacris caelibatum *sola lege* praescribere, ut in Ecclesia graeca obligantur clerici caelibes ad maiores ordines accedentes; sed ex allegatis iuris textibus *de facto* Ecclesia Occidentalis istam praxim *non adoptavit.* Porro sustineri nequit Ecclesiam per *solam legem* idem *consequi.* Nam si *votum* addatur, *obligatio* caelibatus non est mera obligatio *abstinendi a nuptiis,* sed etiam ex *religione* servandae *perfectae* castitatis exterioris et *interioris.* Insuper clerus latinus ita redigitur ad *imperfectiorem* condicionem cleri graeci, in quo nobilior et perfectior observantia *consilii evangelici* castitatis, *voto* confirmati, non reperitur. Denique si lex ecclesiastica praecipit ut per *votum* obligatio castitatis suscipiatur, clericus *duplici* et *firmiore* et *sacratiore* vinculo in re adeo ardua convenientissime ligatur, quod multo *difficilius solvi* potest. Etenim mera lex ecclesiastica etiam *sine causa* per dispensationem saltem *valide* relaxari potest: at ubi intercedit votum dispensatio a R. Pontifice concessa esset nulla et irrita. Hinc insignis illa *difficultas* Sedis Apostolicae in remittenda *obligatione* caelibatus clericorum in sacris certe, admisso quoque voto, facilius explicatur. Cfr. *Suarez,* l. c. n. 5; *Rosset,* n. 1650.

Praeterea *Leitner,* 201, obligationem ex voto inde refutare studet quod Ecclesia omnino *non possit* tale votum (condicionate) praescribere, quippe quod essentialiter consistat in actu *interno* voluntatis; hinc infert, quod etiam *de facto* lex ecclesiastica de *voto* emittendo non fuerit lata. Qua in re certe mirum est quod *S. Thomas, Suarez,* l. c. n. 6, aliique gravissimi theologi et canonistae, qui ceteroquin strenue defendunt Ecclesiam *non*

can. 6, 4° « a veteri iure non esse recedendum », cum praesertim illud praecedens ius implicitam acceperit confirmationem in c. 132 § 1, ubi expresse mentio fit de reatu sacrilegii sine dis-

posse praescribere suis legibus actus *mere internos*, non intellexerint sese sibi *contradicere* atque propugnare doctrinam plane *impossibilem*. At citati auctoris assertio in facto et in iure non est solide fundata. Nequaquam enim Ecclesia condicionate et directe praescribit votum castitatis *mere internum*, sed *externe* atque *adeo publice* emittendum, quocum actus internus *necessario* est coniungendus. Nemo vero hucusque serio Ecclesiae negavit potestatem praescribendi *actus mixtos*. Quare quemadmodum in sententia S. Thom., Suar. aliorumque Ecclesia lege sua *mere disciplinari* nequit praescribere actum mere internum fidei, sed optimo iure praecipit non raro externam et publicam fidei professionem secundum symbolum determinatum, v. g. Tridentinum, cui necessario uniendus est actus internus, ita pariter non gaudet potestate *absolute* et *directe* praescribendi mere *internam* voti nuncupationem, quamvis non prohibeatur actum *mixtum voti externi et publici condicionate praecipere*. Inde etiam patet responsio ad difficultatem propositam a *De Smet*, n. 574.

Quibus animadversionibus iam in antecessum soluta est exceptio eiusdem *Leitner*, qua sese extricare tentat a vi argumenti allati *de sacrilegio* per actus *mere internos* commisso. Ipse enim imprimis huius difficultatis nullam affert solutionem, sed solummodo putat illam *etiam admisso voto* non solvi, eo quod accessorium — i. e. votum — sequatur principale — i. e. legem ecclesiasticam —, quae ad actus mere internos sese non extendit. At hic auctor duas res plane distinctas videtur confundere. Profecto Ecclesia non potest directe praecipere votum mere internum, sed indubitanter votum externum cum actu interno coniunctum. Quo voto emisso clericus in sacris *non lege ecclesiastica*, sed *ipsa lege divina*, qua vota Altissimo sunt reddenda, ex novo titulo religionis, ab obligatione *legis naturalis* distincto, tenetur vitare etiam peccata mere interna contra castitatem. *Pariter De Smet*, l. c., non potest explicare qua ratione Ecclesia per suam *deputationem* possit clericum ordinatum constituere personam *sacram* in ordine ad perfectam castitatem etiam actibus mere internis servandam.

Minus immorandum est in aliis difficultatibus a Leitner, Schnitzer et Laurin motis, quasi v. g. secus etiam admittendum esset *votum* recitandi Breviarium. Nullibi enim in iure reperitur « *votum Breviarii* » sacrae ordinationi *adnexum;* id vero fit expresse de *voto castitatis;* ergo illa extensio ad Breviarium, quae nulli viro docto in mentem venit, esset omnino arbitraria. Quodsi putant ex disciplina *vigente* non amplius fieri votum, confundunt ignorantiam iuris clari, quae forte in aliquo clerico vel dioecesi quadam per accidens potest habere locum, cum disciplina communiter recepta. Porro non satis distinguunt votum *formalibus verbis* emissum a voto concludentibus factis et signis manifestis aequivalenter sive tacite vel implicite nuncupato. Tandem perperam abrogationem tacitae professionis religiosae extendunt etiam ad ablationem *taciti voti* castitatis in sacra ordinatione. Nam licet abrogatio tacitae professionis sive sollemnis sive simplicis praesertim nunc post c. 572 § 1, 5° omnino sit admittenda, huiusmodi tamen extensiones, privata auctoritate factae, iuris constituti *de professione religiosa ad sacram ordinationem* sunt prorsus arbitrariae. Nimis enim clare illud votum in cit. cap. unic. de vot. in

tinctione inter actus externos et *internos*, qui reatus sacrilegii quoad actus internos sine voto explicari nequit.

285. Ut clericus in sacris constitutus hoc impedimento dirimente ligetur, triplex requiritur condicio sc.: 1) *valida ordinatio*, quae est fundamentum impedimenti: qui autem contendit suam ordinationem fuisse invalidam, debet id iuridice probare nec liberationem a vinculo impedimenti obtinet nisi habitis duabus sententiis conformibus (cc. 1993 sq.)[50];

2) sufficiens *cognitio* saltem de vitando a clericis maiorum ordinum matrimonio et de perfecta castitate servanda; agitur enim de gravissimo onere, quod non acceptanti ne quidem convenienter imponi *potest*[51];

Sext. est *expressum* et in ipsa sacra ordinatione onus caelibatus *ad tramites iuris* adeo sollemniter suscipitur, ut ista comparatio cum abrogata professione *tacita* omnino claudicet, licet in Pontificali Romano votum *expressis verbis* non statuatur, sed aliquo modo tantum insinuetur. Denique *lex* ipsa iam pridem lata *monet*. Cfr. *Rossel*, n. 1651; *Lehmkuhl*, Theol. moralis II, ed. 11, n. 782 not.

[50] Cfr. R. I. 42 in Sext.; decis. S. C. C. in ed. *Richt*. C. Tr. 201 sq. et in ASS. I, 330 sq., II, 443 sq.; Instr. S. C. C., a. 1838, in Decret. Clem. P. VIII, ed. *Sentis*, 41 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 26 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 10, 11, l. XII, cap. 4; *Laurin*, l. c. 159 sq.

[51] Quamvis in foro *externo* non possit admitti (cfr. *Laurin*, l. c., 165) in adulto viro christiano rite educato ignorantia obligationis clericorum in sacris servandi caelibatum, praesertim nunc cum educatio fieri debeat in Seminariis rite quoad studia ordinatis, tamen si de illa in casu singulari constaret, neque *obligatio* ad continentiam neque *inhabilitas* ad matrimonium valide celebrandum in clerico, cum tali ignorantia promoto, existeret. Nam Ecclesia neque potest neque vult clerico ultro non acceptanti tale onus continentiae imponere per legem *absolute* prohibentem et irritantem nuptias. Hodie vix fieri poterit ut quis promoveatur ad ordines sacros ignorans onera quae lex caelibatus importat, si observentur praescripta Instr. S. C. de d. Sacr. d. 27 dec. 1930; cfr. declarationem propria manu subscribendam a candidatis in singulis sacris Ordinibus suscipiendis, iuramento coram Ordinario praestito; AAS. XXIII, 127. Cfr. *Sánchez*, lib. VII, disp. 27, n. 11, 12; *Suarez*, l. c. cap. 13, n. 20 sq., cap. 17, n. 1 sq.; *Laurin*, l. c., 176 sq.; *Nilles*, Act. theol. Oen. XII, 735 sq. At qui omnino ignorat condicionatam obligationem caelibatus et legem voti, is certe illam obligationem voluntarie non acceptat multoque minus nuncupat votum, quod est essentialiter promissio voluntaria, propria non aliena voluntate facta. Id a fortiori valet, si in tali homine sit etiam explicita voluntas *contraria* continentiae, ut ex communiter contingentibus fiet. Nec obstat illa ratio quod ignorantia invincibilis non impediat effectum legis irritantis. Quae ratio sane procedit de impedimentis dirimentibus *absolute* statutis, v. g. consanguinitatis; at non valet de hoc impedimento, quod, ut recte notat *Suarez*, l. c. cap. 17, n. 11, ordine naturae *supponit obligationem non ducendi uxorem*. Quae cum non existat, nisi verificetur *condicio* voluntariae acceptationis, etiam impedimentum dirimens non ligat.

3) debita *libertas* in susceptione sacrorum ordinum, excluso metu gravi per vim iniustam incusso [52].

Ignorantia autem facile praesumitur in impubere: quare *infantes* et *impuberes*, qui *illicite* quidem sed *valide* ordinati sunt, *obligationi* caelibatus ex lege vel voto et *inhabilitati* ad matrimonium certissime non sunt subiecti, antequam ordinationem suam expresse vel tacite ratam habuerint. Quod *tempus* utile deliberandi de ratihabitione ex paritate cum professione religiosa et argumento petito ex Benedict. XIV Const. « *Eo quamvis* », 4 maii 1745 § 28, Const. « *Anno vertente* », 19 iun. 1750, §§ 7, 11, optimo iure extenditur usque ad annum aetatis *decimum sextum*, derelicta tanquam improbabili rigidiore *Schmalzgr.*, h. t. n. 18, aliorumque veterum canonistarum et theologorum sententia, v. g. *Suar.* l. c. c. 17, n. 17 sq., de *tempore* deliberandi et *obligatione impuberum post* usum rationis ordinatorum. Cfr. potius *Sánchez*, lib. VII, disp. 30, n. 8; *Rosset*, n. 1653 sq.; *Laurin*, l. c., 163 sq., qui propter paritatem a Benedicto XIV adoptatam cum professione *sollemni* et ob introductum a Pio IX *triennium* votorum simplicium tempus decidendi liberaliter differt usque ad annum *decimum nonum* completum; similiter *Cappello*, l. c. n. 438, illud tempus differt usque ad annum 21 ex analogia cc. 573 et 975: at quaenam erit condicio toto illo tempore eius qui per summum nefas iam esset factus presbyter?

[52] Ordinatio sacra, ad quam quis *vi absoluta* coactus fuit, ex ipso iure divino certe *invalida* est (cfr. cap. 3, § Item, X, de bapt. III, 42; Bened. XIV Const. « *Postremo* », 28 febr. 1747, §§ 48, 49; ASS. II, 450; *Schmalzgr.*, h. t. n. 20; *Laurin*, l. c., 161); at *vis condicionata* sive metus simpliciter gravis et iniuste incussus, licet *valorem* ordinationis sacrae non impediat tamen illud efficit ut promotus ad ordinem subdiaconatus neque *obligationi* ad continentiam ex lege vel voto neque *inhabilitati* ad matrimonium sit subiectus, nisi postea libere ratam habeat obligationem caelibatus ex statuto Ecclesiae ordinibus sacris adnexam, sive expresse sive tacite per facta concludentia, v. gr. per liberum exercitium ordinis sacri, modo actum ordinis ponat sciens et animadvertens per talem actum se illi obligationi subicere. Id, defectu expressae legis, iam antiqua iurisprudentia ex aequitate canonica statuerat (cfr. ASS. I, 328 sq., II, 443 sq.) atque recte propugnabat *Sánchez*, l. VII, disp. 29; *Suarez*, l. c. cap. 17, n. 23 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VII, cap. 4, n. 2; *Laurin*, l. c., 160 sq.; *Rosset*, n. 1659 sq. cum multis aliis contra *Schmalzgrueber*, h. t. n. 21 sq., cum compluribus antiquis scriptoribus, v. g. cum Hostiensi, Ioanne Andreae, Vasquez, Wiestner; nunc autem expresse enuntiatur in Codice (c. 132 et c. 214): ad quorum canonum tenorem, qui contendit se liberum propter *gravem metum* ab obligatione caelibatus et inhabilitate ad matrimonium debet concludenter et gravem metum sibi illatum et ratihabitionis defectum probare. Quodsi utroque illo extremo obiective existente, ante definitivam iudicis sententiam matrimonium contraheret, *illicite* at *valide* ageret, ut recte notat *Chelodi*, n. 83. Quodsi *Cappello*, l. c. n. 437, refellit *Wernz*, eo quod cum aliis doctoribus requirat metum *iniustum* ex illa ratione quod quilibet metus incussus *ut ordo recipiatur* sit iniustus aut quoad substantiam aut saltem *quoad modum*, talis impugnatio nititur aut manifesto errore aut aequivocatione, quae in hac re est periculosa. Nam propositio aliqua filio a patre *iustissime* facta potest in filio causare apprehensionem rei sibi valde molestae et valde gravis licet *iustissimae*,

286. In *Ecclesia Orientali* clerici secundum ritum suum in maioribus ordinibus rite constituti, exceptis Episcopis, matrimonio ante sacram ordinationem legitime inito generatim licite uti possunt [53]; at, mortua *prima* uxore, ad *secundas* nuptias *licite* et *valide* [54] celebrandas ex ordinatione *sacrorum canonum*, non ex *voto* quodam *sollemni* [55], sunt inhabiles. Quare omne

---

quam ut effugiat potest velle potius ordines recipere cum obligatione caelibatus conexos, quam illam rem sibi valde ingratam et molestam amplecti: puta si filiusfamilias parentis agricolae, sine ulla coactione, in Seminario educatus ad ordines, vult deserere statum clericalem et pater ipsi in memoriam revocat modestam et laboriosam condicionem familiae quam subire filio necesse erit, cum ipse careat mediis ut filio procuret studia ad capessendos civiles honores necessaria. Illa patris propositio iustissima ex omni parte est tum quoad substantiam tum quoad modum; atque in his casibus metus *etiam quoad modum* iusti, metum passus potius ipse sibi metum incutit occasione *iustae* propositionis ab alio factae, quam ab alio illatum patitur. Quae apprehensio gravis mali, si esset sufficiens ad contrahendum matrimonium saltem *valide*, ansa per se daretur innumeris hallucinationibus ex quibus facile transirent clerici ad sacrilegas nuptias. Ut autem apparet ex allegato exemplo, in casu metus *iusti* non *externe* quis *cogitur* ad ordinationem: quare licet in c. 214 non expresse ponatur metus *iniustus*, qui exprimitur in c. 1087 § 1, satis implicite exigitur eo ipso quod requiratur *externa* coactio, qua quis cogatur ad ordinem recipiendum.

[53] Cfr. c. 13 Conc. Trullan. (a. 692); cap. 6, X, de cleric. coniug. III, 3; cap. 7, X, de paenit. V, 38; Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* », 26 maii 1742, § 7, n. 26; Instr. S. C. de Prop. Fid. 24 mart. 1858; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 241; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), 140, 142.

[54] Cfr. c. 3, 6 Conc. Trull. (a. 692); S. C. Inq. 22 dec. 1875, in caus. sacerd. dioec. M. Warad.; *De Angelis*, h. t. n. 3, i. f.; *Rosset*, n. 1585 sq., ubi tamen, n. 1587, ex Conc. Trid. Sess. XXIV, doct. de sacr. matr. can. 9, nimis latam deducit conclusionem de *disciplina graecorum*, de qua Patres Tridentini ne cogitarunt quidem, atque, n. 1589, inter doctrinam canonicam *authentico iudicio Sedis Apostolicae* nondum *definitam* et sententiam *nunc* plane *indubitatam* et *certis* argumentis fundatam non satis distinguit.

[55] *S. Thom.*, Summa Theol. P. III, Suppl. q. 53, artic. 3 « *Ordo sacer.... quod impediat matrimonium, ex* **constitutione** *Ecclesiae habet: tamen* **aliter** *apud Latinos quam apud Graecos, quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi ordinis et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris adnexum* »; *Laurin*, l. c. 100, 140, 172; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 763 sq., ubi editor ex praxi *graecorum* deducit conclusiones *generales* non ab omnibus admissas (cfr. *Suarez*, l. c. cap. 17 n. 5; *Rosset*, n. 1650) atque etiam in explicandis delictis presbyterorum vel diaconorum Ecclesiae Orientalis contra castitatem commissis a *Ballerini* ob rationes minus persuasivas discedit.

matrimonium, *etiam* primum, *post* susceptionem ordinis maioris a clericis orientalibus attentatum omnino est invalidum [56].

286. Ordo sacer superveniens matrimonio. Cum coniugatus sit simpliciter impeditus ad ordines, ex sola apostolica dispensatione fieri potest quod matrimonio superveniat ordo sacer; quo in casu ex ordine in tali coniugato enascitur perfectae castitatis obligatio (c. 132 § 1), quae adeo urgetur ut filii postea ex uxore procreati *sacrilegi* sint et in foro canonico *illegitimi* habeantur (c. 1114).

Quodsi nunc detur coniugato dispensatio, profecto id locum

---

[56] Benedict. XIV Const. «*Eo quamvis*» 4 maii 1745, § 38, Const. «*Anno vertente*» 19 iun. 1750, §§ 12, 13, Const. «*Etsi pastoralis*» 26 maii 1742, § 7, n. 27, (pro italo-graecis); Synod. Ruthenor. (a. 1720), et Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 45, 270, 166; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 177; Synod. Alexandr. Coptor. (a. 1898) p. 148. *Papp-Szilagyi*, Enchiridion, 429; *Laurin*, l. c. 137 sq.; *Laemmer*, Arch. f. k. K. X, 242 sq.; *Card. Hergenroether*, ibid. VIII, 180 sq.; *Mansella*, 92 sq.; *Zhishman*, l. c., 473 sq.; Benedictus XIV, in Const. «*Anno vertente*» et «*Eo quamvis*», l. c., mentionem facit *controversiae* inter theologos agitatae de *validitate* matrimonii a clerico post receptum *maiorem* ordinem contracti eamque dicit in cit. Const. «*Anno vertente*» § 13, *nullo adhuc apostolico decreto exceptis italo-graecis esse definitam;* immo ibidem ei «*satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem condicio renovationis consensus non exprimatur*». Quae omissio illius condicionis certo non probat *validitatem* matrimonii iam contracti, cum non raro ad convalidandum matrimonium, indubitanter irritum, ista condicio sive clausula in dispensatione non apponatur. At ex Benedict. XIV Const. «*Etsi pastoralis*», l. c. pro *italo-graecis* authentice constat matrimonium post receptos ordines *subdiaconatus*, diaconatus, presbyteratus contractum «*nullum irritumque*» esse. Idem apud *ruthenos* in cit. Synod. ruth. clare et expresse statutum est saltem pro *presbyteris; maronitae* vero et *syri* cum *subdiaconatum* inter ordines maiores non recenseant, eandem legem in cit. Syn. *Mont. Lib.* et *Sciarf.* solummodo extendunt ad diaconos et presbyteros; *graeci* ex cit. c. 6 Conc. Trull. etiam *subdiaconos* eidem oneri subiciunt.

Quae doctrina de *nullitate* istorum matrimoniorum pro omnibus ritibus orientalibus et ordinibus maioribus — attenta tamen diversitate disciplinae quoad *subdiaconatum* — comprobatur ex stilo Curiae Romanae. Nam opinio, quae haec matrimonia post maiores ordines nulla esse existimat, fatente ipso Benedicto XIV «*Anno vertente*», § 13, iam suo tempore apud tribunalia almae Urbis fuit recepta et etiam nunc in iisdem tribunalibus viget. Qui stilus Curiae Romanae sane huic opinioni certitudinem conciliat. Cfr. Instr. cit. S. C. de Pr. F. 24 mart. 1858, ad Episc. prov. Alba-Jul., ubi huiusmodi matrimonium post subdiaconatum celebratum dicitur *attentari*, i. e. invalide contrahi; S. C. Inq. 22 dec. 1875. Accedit praeter auctoritatem *antiquorum* canonum, v. g. Conc. Trullani (a. 692), ipse consensus *schismaticorum* orientalium, qui communi suffragio *nullitatem* istorum matrimoniorum nunc quoque strenue sustinent. Cfr. Collect. Lac. II, col. 529, not. 1 (ubi tamen *subdiaconi* non commemorantur).

non habebit nisi consentiente uxore, quae pariter velit vovere castitatem, quae erant duae condiciones iure praecedente requisitae ut coniugatus *libere* posset ad ordines transire [57].

§ II. De dispensatione et cessatione impedimenti ordinis sacri

288. Romanus Pontifex *solus* ex potestate *ordinaria* ab impedimento ordinis sacri dispensare potest [58]: nulli quoque *Episcopo* vel missionario *generalem* facultatem dispensandi, etiam ex disciplina vigente, indiscriminatim *delegare* solet relate ad presbyteratum [59]; *de facto* quoque propria sua potestate dispensandi cum *Episcopis nunquam* utitur [60], cum *presbyteris* non

---

[57] Quaestio antea existens *de valore* secundi matrimonii ab uxore huiusmodi ordinati post mortem prioris mariti initi, nunc est prorsus antiquata, et huius matrimonii valori nihil iure Codicis obstat, nisi forte uxor sollemnem professionem in aliquo Ordine emiserit. Cfr. de illa controversia: *Wernz*, Ius Decretal, IV, 395, Gloss. in c. 11, D. 28; *Sánchez*, l. c. lib. VII, disp. 40, n. 2, 3; *Schmalzgr.* h. t. n. 40 sq.; *Palmieri*, l. c., 242 sq., 369; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. XIII, cap. 12, n. 16. Quaest. canonic. 391; *Giovine*, l. c. I, 248 sq.; *Rosset*, l. c. n. 1598 sq., cfr. n. 3952 sq.; *Feije*, l. c. n. 513; *Zhishman*, l. c., 433 sq.; *S. Alphons.* Theol. mor., l. VI, n. 812, qui praeeuntibus *Soto, Pontio* et *González* sententiam affirmantem *validitatem* talis matrimonii habuit *satis probabilem*, licet oppositam dicat *communiorem* et *valde probabilem.*

[58] Quae potestas R. Pontificis dispensandi nullam habet difficultatem in sententia illorum, qui *excluso voto* universam caelibatus disciplinam repetunt ex *sola constitutione Ecclesiae.* Nam R. Pontifex de iure divino ita est super ius mere ecclesiasticum constitutus, ut illud etiam sine causa *valide* relaxare possit. Quodsi *votum* quoque fuerit emissum, R. Pontifex dispensationem eo tantum discrimine pariter indulgere valet, quod sine iusta causa obligatio voti *valide* non sit remissa. Cfr. Matth. XVI, 18, 19; cap. 6; § 6, X, de M. et O. I, 33; *S. Thom.* l. c. IIª IIªᵉ, q. 88, a. 11; *Ioann. Andr.* l. c. in cap. 6, X, h. t. n. 3; *Suarez*, l. c. cap. 20; *Sánchez*, l. VIII, disp. 8; *Laurin*, l. c., 180 sq.

[59] Immo ante Codicem neque solebat indiscriminatim et *generaliter* delegare quoad *diaconatum* et *subdiaconatum*. At non deerant exempla *limitatae* cuiusdam facultatis dispensandi Episcopis delegatae. Cfr. v. g. *Benedict. XIV* cit. Const. «*Anno vertente*», § 51; indultum eiusdem R. Pont., 13 febr. 1758, Praefecto missionis Aegypti ad decennium concessum. Post Codicem illa *generalis* delegatio quoad *diaconatum* et *subdiaconatum* — excluso presbyteratu — etiam cum facultate *subdelegandi* continetur in Formulis Facultatum quae dantur a S. C. de P. F.; cfr. n. 22. Praeterea *subdiaconatus* et *diaconatus* non sunt exclusi ab amplissima facultate dispensandi quae Ordinariis locorum et aliis datur in cc. 1043-1045 pro casibus extraordinariis.

[60] *Pius VII* in Brevi «*Gravissimas*», 29 iun. 1802, principi Talleyrand, qui ante revolutionem gallicam fuerat Episcopus Augustodunensis, solummodo indulsit reductionem ad statum laicalem *sine* dispensatione

nisi rarissime et magna difficultate [61], cum *diaconis* et *subdiaconis*, etsi non facile et frequenter, tamen minore cum rigore quam in antiqua disciplina [62].

289. Quodsi a R. Pontifice dispensatio concedatur ab impedimento ordinis sacri, sive presbyteratus sive diaconatus sive subdiaconatus, in ordine ad matrimonium etiam denuo contrahendum, certe licita et valida est, si fiat ob causam quae directe in bonum publicum praesertim religionis catholicae redundat. At ex natura rei et disciplina vigente huiusmodi *causa publica non requiritur*, sed causae quoque privatae vereque graves et proportionatae tantae iuris relaxationi ut canonicae admittuntur, maxime si *subdiaconus* vel *diaconus* sit dispensandus [63].

---

ad *matrimonium* contrahendum. Cfr. *Rosset.* n. 1639; *Laurin*, l. c., 181 sq.; *Rinieri*, « La diplomazia pontific. nel sec. XIX », II, 70 sq.

[61] Quae dispensationes ipsis presbyteris fuerunt indultae ob *veram causam publicam*, v. g. a *Iulio III*, a. 1554, ut facilior esset reditus anglorum ad fidem catholicam, a *Pio VII*, a. 1801, ad pacificandam Galliae nationem. Similiter in regionibus quibusdam orientalibus, quo facilius *acatholicis pateat* via redeundi ad Ecclesiam catholicam, vel ipsi sacerdotes non prohibentur retinere uxores etiam secundarum nuptiarum, quae apud schismaticos quoque invalidae habentur. Cfr. etiam S. C. Inq., 22 dec. 1875, — de sacerdote rumeno, qui cum vidua alterius sacerdotis matrimonium attentaverat —; *Rosset*, l. c. Cfr. in AAS. VIII, 316, reductionem presbyteri ad statum laicalem, sed *firma lege castitatis* per Decr. S. Offic. 12 iul. 1916.

[62] *Nicolaus M.* declaravit dispensationem ad nuptias celebrandas concessam diacono omnino fuisse spuriam; at *Alexander III*, (cfr. supra h. cap. in not. histor.) in nonnullis casibus particularibus videtur *subdiaconorum* quorundam matrimonium per dispensationem vel saltem per dissimulationem tolerasse. Post Concilium Tridentinum sunt exempla dispensationum diaconorum et praesertim subdiaconorum, ut testantur *Navarrus* aliique viri in negotiis Curiae Romanae versatissimi. Cfr. *Benedict. XIV*, Quaest. can. 200. At quamvis *Navarrus* et *Cardinalis Albitius* in taxando numero dispensationum inter sese differant, tamen indubitanter antiquitus in dispensationibus concedendis fuit maior quaedam difficultas et numerus relative minor quam ex disciplina vigente, ut luculenter apparet ex facultatibus in nota 59 commemoratis. Cfr. S. C. C. in causis relatis a *Richt.*, l. c. 200 sq.; *Pii IX* dispens. pro nonnullis subdiaconis ritus graeci, 24 mart. 1858, apud *Rosset*, n. 1639. Immo ex *praxi* vigente, quando non affulget solida spes quod subdiaconus vel diaconus futurus sit bonus et dignus presbyter, satis facile malis, quae ex sacerdote indigno et scandaloso in Ecclesiam redundant, occurritur per dispensationem eisdem datam.

[63] *Sánchez*, l. VIII, disp. 8, n. 2; *Giovine*, I, 441 sq., aliique praesertim antiqui scriptores semper *requirunt* causam *publicam* ad dispensationem; quod omnino tenendum est si agitur de dispensatione *generali*, v. gr. illa quae data est a *Iulio III* vel a *Pio VII*; at *Rosset*, l. c. n. 1692, cum *Richardo*, *Caietano*, *Carrière*, *Schnitzer* aliisque causam quoque *privatam* sive bo-

Quibus in dispensationibus nostra aetate alio modo intercedit ratio *boni publici*, cum ita ab ordine *sacerdotali* et universo *statu clericali* facilius arceantur et removeantur viri indigni atque scandalosi.

Quae causa privata praesertim est practici momenti, si forte in sacra ordinatione intercessit *metus gravis* iniuste incussus, quo in casu *vera dispensatio* solummodo est necessaria, si clericus maior deficiat in plena certaque probatione metus incussi vel concludentibus argumentis nequeat elidere *exceptionem* de ratihabitione expressa vel tacita ordinationis suae [64]. Quae dispensatio saltem regulariter tantum conceditur in ordine ad matrimonium licite valideque contrahendum cum *praevia reductione ad statum laicalem* — quandoque etiam *per modum poenae* inflicta — et omni ordinum susceptorum exercitio penitus interdicto aliisque clausulis opportunis et salutaribus pro qualitate casus [65].

290. *Inhabilitas* ad matrimonium *valide* contrahendum in *clericis maiorum ordinum*, postquam legitime est constituta, *nullo modo cessat si propter delictum* ipsis inflicta fuit poena

---

num spirituale ipsius clerici sufficientem esse in casu *particulari* recte existimat. Quam sententiam *Caietani* iam *Suarez*, l. c. cap. 20, n. 12, ita approbat: « *Solum adverto cum Caietano ... non esse semper necessariam causam publicam boni communis, ut quidam voluerunt, sed sufficere privatam, dummodo gravis sit, et quae moraliter sufficiat ad compensandum bonum castitatis et aliquale incommodum, quod in ordinem sacrum inde videtur redundare, ratione cuius gravior sine dubio causa requiritur ad dispensandum in hoc voto, quam in simplici voto castitatis* ». Quae opinio theoretica nunc etiam confirmatur disciplina vigente; nam v. g. causa *publica* iam ex cit. decr. S. C. Inq., 20 febr. 1888, non debuit intervenire et in compluribus dispensationibus particularibus certissime non fuit requisita: nunc autem causa boni privati expresse commemoratur in facultate quae Episcopis et aliis fit in cc. 1043-1045 relate ad diaconatum et subdiaconatum.

Porro *Suar.*, l. c. n. 9 sq., et *Sánch.*, l. c. n. 3 omnino subscribendum est, si *Panormitanum multum excessisse* dicunt, qui ob rationes insufficientes non solum particulares dispensationes, sed potius *generalem relaxationem* impedimenti ordinis sacri et legis caelibatus proposuit. Nec minus laudabili studio *Leitner*, 209, not. 7, reiecit disciplinae ecclesiasticae innovationem a recentiore viro docto excogitatam et commendatam, qua clerici maiores valida possent celebrare matrimonia, dummodo transirent ad statum laicalem. Cuius innovationis fundamenta iam ante tria saecula subvertit *Suarez*, l. c. n. 9 sq., et cap. 13, n. 22 sq. iunct. *Rosset*, n. 1622 sq.

[64] Cfr. S. C. C. in caus. 16 dec. 1719 aliisque allegatis in ed. *Richt.*, Conc. Tr., 200 sq., et in ASS. I, 328 sq., II, 443 sq., VI, 85 sq.; *Laurin*, l. c., 160 sq.; *Feije*, l. c. n. 507; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 200.

[65] *Roskovany*, Caelibatus et Breviar. III, 179 sq.

perpetua depositionis aut degradationis vel reductionis ad statum laicalem [66].

Si per duas sententias conformes (c. 1998 § 1) in foro ecclesiastico legitime declaretur aut ipsas ordinationes sacras, v. g. subdiaconi et diaconi fuisse invalidas *aut* satis constare de gravi iniustoque *metu* in iisdem ordinationibus incusso nec postea purificato, vere *non cessat* impedimentum ordinis sacri, sed ex iudicio authentico *nunquam adfuisse* constat. Quare clericus in ordinibus maioribus constitutus, pendente causa aut post primam sententiam sibi favorabilem ad nuptias properans sane illicite contraheret matrimonium, at *valide*, si nullitas ordinationis *aut* metus gravis et iniustus *obiective* verificaretur. Inde patet practicum discrimen inter utramque sententiam de necessitate *verae dispensationis* pontificiae etiam in casu *certi* metus gravis et iniusti. Nam si quis propugnet absolutam necessitatem dispensationis apostolicae, matrimonium antea celebratum est *invalidum*, in sententia autem supra proposita tantum est *illicitum* non *invalidum* [67].

§ III. De poenis statutis contra violatores impedimenti

291. Contra clericos in *sacris* ordinibus constitutos, qui matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentant, sequentes poenae iure Codicis sunt constitutae:

1º) *Excommunicatio* latae sententiae in ipsum clericum et in personam cum qua attentat (c. 2388 § 1).

2º) *Amissio* ipso facto et sine ulla declaratione omnium officiorum (c. 188, 5º).

3º) *Irregularitas* ex delicto (c. 985, 3º), quae tamen stricte poena non est.

---

[66] *Ferraris,* l. c. v. degradatio n. 8, 9; *Kober,* D. Deposit. u. Degrad. d. K., 190, 284; *Laurin,* l. c. 166, 238 sq.; Conc. Trid. Sess. VII, de sacram. in gen. can. 9, de baptis. can. 7, 8; Benedict. XIV, Constit. « *Singulari nobis* », 9 febr. 1749, §§ 14, 15.

[67] Cfr. Instr. S. C. C. (a. 1838) de processu iudiciali super nullitate s. ord. subdiac. ex causa vis et metus apud *Sentis,* l. c., 41 sq., ubi legitur: « (Benedicti XIV Const. « *Si datam* », de processu nullitatis professionis) *ad affinem ... hanc querelam nullitatis s. ordinationis* ex S. Sedis praxi, *congrua tamen congruis referendo, extensa fuit* »; *Suarez,* l. c. cap. 17, n. 36, ubi iam pro suo tempore requirit praevium *iudicium ecclesiasticum,* in quo talis metus est probandus, antequam matrimonii celebratio sit *licita; Sánchez,* l. VII, disp. 29, n. 6, negat necessitatem *dispensationis, non processus canonici* in casu veri metus gravis et iniusti; aliter *Scherer,* l. c., 368, not. 22, interpretatur Sánchez; *Laurin,* l. c., 162.

4º) *Degradatio* ferendae sententiae, i. e. si moniti post praefinitum tempus non resipiscant (c. 2388 § 1).

292. Scholion. Si *notoria* sit licita validaque ordinatio clerici in sacris ordinibus constituti matrimonium attentantis, quaestio de valore istarum nuptiarum non est processu canonico solvenda, sed coniuges illi sacrilegi potius ex officio sunt ad separationem cogendi (c. 1990). Ardua vero est causa, in qua clericus ille impugnat ipsam *validitatem* suae ordinationis *aut* saltem ex capite gravis et iniusti metus in ordinatione incussi nec *postea purgati* se ab impedimento dirimente immunem esse sustinet, atque consequenter defendit valorem matrimonii *iam contracti* aut sibi vindicat ius *transeundi* ad licitas validasque nuptias. Qua ratione sit instituendus *processus iudicialis* de ordinatione *aut* de metu cavent cc. 1993-1998.

In casu illo rarissimo infantis vel impuberis promoti ad ordinem maiorem, hic ante annum decimum sextum completum suam ordinationem in ordine ad onus caelibatus nec expresse nec *tacite* cum effectu ratam habere *potest.* Quo anno completo ad tramites cit. Const. Benedicti XIV, « *Eo quamvis* », 4 maii 1745, §§ 27 sq., 40 sq. et Const. « *Anno vertente* » 19 iun. 1750, §§ 7, 11 ab Ordinario loci vel eius delegato interrogandi sunt num velint in suscepto officio ordinis sacri persistere. Cui interrogationi si negativum dederint responsum, non solum primum, sed eo legitime soluto etiam alterum matrimonium licite inire possunt; e contra si serio ac deliberate responderint velle se in recepto ordine perseverare, primae et secundae nuptiae illis aperte interdicuntur. Quae interrogatio et responsio manifeste non habet rationem veri cuiusdam *processus iudicialis* [68]; at si talis clericus maior diu iam elapso anno decimo sexto [69] praetendat se suam ordinationem neque expresse neque tacite ratam habuisse atque onus caelibatus detrectet, exceptio

---

[68] *Sánchez,* l. VII, disp. 30, n. 9, ubi verum processum iudicialem non commemorat, sed non excludit actum quendam externum, quo de caelibatus onere detrectato in foro externo constare possit; aliter *Scherer,* l. c., 368, not. 22, videtur exigere « *processum* » etiam in isto casu, qui ab altero casu vis et metus omnino differt; *Laurin,* l. c., 160 sq., 162 sq.; *Rosset,* n. 1653.

[69] Qua in re secundum analogiam cap. 8, X, de regular. III, 31 non raro requiritur, ut responsum *negativum* a clerico detur *intra triduum* post completum annum decimum sextum. Cfr. *Laurin,* l. c., 165. At *Sánchez,* l. c. n. 10, recte istud triduum solummodo admittit per modum *praesumptionis* in foro externo negatque paritatem inter sponsalia impuberum, *in se* iam *valida,* et vinculum caelibatus ante legitimam aetatem nondum *vere* contractum.

sane per veram indagationem iudicialem est examinanda et definienda.

293. Scholion. Moderni codices civiles, v. g. Galliae, Germaniae, Italiae et Helvetiae, ordinarie impedimentum dirimens ordinis sacri non admittunt atque idcirco clericos maiorum ordinum a nuptiis *civilibus* impune celebrandis non prohibent. Tribunalia civilia Galliae licet professionem sollemnem votorum a *novo* iure gallico non admissam in praxi iudiciaria pariter non recognoscerent tanquam impedimentum matrimonii civilis, tamen ultimo saeculo diu et regulariter non obstante silentio codicis Napoleonis I, matrimonia clericorum in ordinibus maioribus constitutorum etiam civiliter contracta declararunt nulla et irrita. Cfr. *Allègre,* l. c. I, 147; *Hirschel,* Arch. f. k. K. XLI, 371 sq. A qua iurisprudentia supremum tribunal cassationis 25 ian. 1888 sine solido fundamento recessit. Cfr. *Allègre,* l. c.; *Geiger,* Arch. f. k. K. LXIII, 289 sq.; *Rosset,* n. 2296 sq. At ex cod. civili Austr. § 63 et Hispan. art. 83 ordo sacer rite susceptus cum magno moerore virorum liberalium in ipso quoque foro civili constituit impedimentum dirimens cuiuscumque matrimonii, quod clericos huiusmodi, cives illorum regnorum, ita absolute et *personaliter* reddit inhabiles, ut etiam post apostasiam a fide catholica vel defectionem ab statu clericali et extra territorium suae nationis et cum quibuscumque personis validas nuptias celebrare non possint. Cfr. *Laurin,* l. c., 197 sq.; *Scherer,* l. c. § 122, not. 37 sq.; *Krasnopolki,* Arch. f. k. K. LXXIII, 456 sq., LXXIV, 297 sq.; *Pérez,* Inst. iur. publ. eccl. II, 272 sq.; *López,* « El derecho español » 75; *Ferreres,* « Derecho sacramental » n. 595, qui allegat sententiam supremi tribunalis civilis (10 iulii 1916), ubi nullitas illa sustinetur, tametsi matrimonium fuerit celebratum extra Hispaniam in loco ubi illud impedimentum non est admissum. E contra in Austria ultimo tempore a iurisprudentia et auctoritate administrativa vel data est dispensatio vel etiam matrimonium declaratum est validum. Cfr. Arch. f. k. K. LXXXIV, 392, XC, 164. — In Hungaria, in lege a. 1868, impedimentum fuit recognitum *quamdiu* clericus maneret *catholicus;* at in lege de matrimonio civili, a. 1894, non mansit nisi formalitas prohibitoria et inefficax.

CAPUT XI

De impedimento professionis religiosae

294. Fontes: Dist. 27, 28, 30; C. XVII, q. 1, 2; C. XXVII, q. 1. — Cpl. I, lib. IV, tit. 6, q. cl. vel. vov. mat. con. p.; cpl. II, lib. IV, tit. 4 eod. — Decretal. Greg. IX, lib. IV, tit. 6 eod. [1]. — Conc. Trid. Sess. XXIV, doct. de sacram. matr. can. 6, 9. — Bened. XIV Const. « *Si datam* », 4 mart. 1748. — Pii IX decreta varia de statu regular. praesertim Litteras encycl. S. C. sup. stat. reg. 19 mart. 1857 apud *Sentis,* Decretal Clem. P. VIII, 81 sq.; *Bizzarri,* Collectanea, 904 sq.; Arch. f. k. K. IX, 435 sq., XVI, 332 sq. — Causae decisae a S. C. C. referuntur in ed. *Richt.* C. Tr., 255 sq. et in ASS. I, 31 sq., 483, III, 125, VIII, 48 sq. — Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 162, 182; Synod. Sciarf. (a. 1888), 177 [2].

Scriptores: Commentator. iur. Decretal. in cit. tit. — *Devoti,* l. c. §§ 128, 129; *Aichner,* l. c. § 175; *Scherer,* l. c. § 122. — *Roland.* Summa, 115 sq.; *S. Raymund.,* Summa lib. IV, tit. 5 de impedim. vot.; *Bernard. Pap.,* Summa, 149 sq., 287 sq.; *Tancred.,* Summa de matrim. tit. 18 de voto et quod vot. separet matr., tit. 19 qua aetate possit sollemnizari vot., 20 sq.; *S. R. Bellarm.,* l. c. cap. 21; *Sánchez,* lib. VII, disp. 25 sq.; *Suarez,* De relig. tract. VI de voto, tract. VII de statu perf. et relig.; *Schulte,* §§ 29, 30; *Van de Burgt,* 120 sq.; *Feije,* n. 514 sq.; *Giovine,* I, 426 sq.; *Mansella,* 84 sq.; *Gasparri,* I, n. 624 sq.; *Rosset,* n. 1673 sq.; *Schnitzer,* 445 sq.; *Leitner,* 133 sq.; *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. VI, n. 620 sq.; *Laurin,* D. Caelibat. *Moy,* 61 sq., 167 sq., 331 sq.; *Freisen,* 676 sq.; *Thomassin.,* Vet. et nov. Eccl. discipl. P. I, lib. 3, cap. 42, 51 incl. — *Wilpert,* Act. theolog. Oenip. XIII, 362 sq.; *Esmein,* I, 305 sq., II, 384 sq. [3], *Weckesser,* Arch.

---

[1] Propter materiae conexionem praeterea consulantur necesse est in iure Decretal.: lib. III, tit. 32, X, de convers. coniugat., tit. 34, X, de vot., tit. 15 de vot. in Sext.; lib. IV, tit. 19, X, de divort., tit. unic. de consang. in Clem. *Rosset,* n. 3914 sq. de divortio propter statum perfectiorem.

[2] Novell. 5, cap. 8; 123, cap. 43; L. 5, C. de Episc. I, 3; c. 6, D. I de paenit.; c. 3, C. XXXVI, q. 2; *Zhishman,* 142 sq. Moderni codices civiles, v. g. Galliae, Germaniae, Italiae et Helvetiae aliique passim professionem religiosam inter impedimenta dirimentia vel prohibentia non admittunt; at cod. civ. Austr. § 63 et cod. civ. Hispaniae (a. 1889), art. 83 *sollemnem* professionem religiosam — in rigore iuris non simplicem professionem etiam in Societ. Iesu — omnino retinent ut *absoluta* impedimenta dirimentia matrimonii etiam *civilis* suorum subditorum cum quibuscumque personis, licet *extra* fines regni vel post defectionem a statu religioso vel fide catholica contracti. Quod impedimentum canonicum a lege Hungariae (a. 1868) solummodo fuit recognitum, *quamdiu* professi votorum sollemnium vel clerici in ordinibus sacris constituti *manserunt catholici;* multo magis autem antiqua disciplina est derelicta in nova lege de matrimonio civili (a. 1894), qua solummodo formalitas quaedam prohibitoria et inefficax retinetur. Cfr. *Rosset,* n. 2297, de *antiquo* et novo iure civili Galliae.

[3] De imped. ordinis et prof. rel., si consulatur *S. Thom.,* Comment.

f. k. K. LXXVI, 43 sq.; *Schiwietz*, Arch. f. k. K. LXXVIII, 3 sq., 14 sq.; *Duchesne*, « Origines du culte chrétien », 404 sq.; *A. Scharnagl*, Das feierliche Gelübde als Ehehindernis, Strassburger theol. Studien, IX, 1908. — *Chelodi*, n. 87 sq.; *Cappello*, I, n. 447 sq.; *De Smet*, n. 568 sq.; *Vlaming*, I, n. 303 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 596 sq.

Canon. 1073. *Invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi.*

Praenotiones

295. Inter impedimenta propter vinculum voluntaria quadam ratione susceptum principem locum occupat *votum continentiae*. Nemo enim ad votum illud emittendum cogitur neque ab ulla potestate humana cogi potest. At si votum castitatis libere fuit emissum, ex ipsa natura rei *iureque divino* celebratio matrimonii est *illicita*. Quae *illicita* matrimonii celebratio non obstante voto continentiae facta, ut eo *efficacius* ab Ecclesia *impediretur*, legi *divinae prohibenti addi* potuit *lex canonica irritans*. Id autem de facto ex iure constituto imprimis obtinet in voto castitatis emisso cum *sollemni* professione religiosa [4].

296. Definitio. Impedimentum professionis religiosae dicitur illa inhabilitas absoluta viri religiosi vel monialis ad contrahendum valide matrimonium *propter votum perfectae castitatis*, quod sollemnizatum est per sollemnem professionem rite factam in aliquo Ordine a Sede Apostolica approbato [5], aut propter ipsum votum simplex, cui eadem vis speciali praescripto Sedis Apost. est tributa.

297. Divisio. Professio *religiosa* ex disciplina nunc in Ecclesia vigente dividitur in professionem votorum *sollemnium* et in professionem votorum *simplicium* [6], quae divisio professionis est unica practica relate ad matrimonialia impedimenta.

---

in IV lib. sent. dist. 37, q. 1 et dist. 38 vel Summa theol. IIª, IIªᵉ, q. 88, a. 7, 11 et Suppl. q. 53 aliique scriptores medii aevi, sedulo attendenda est magna *varietas* in definienda *sollemnitate voti*, quemadmodum quatuor vel sex circumferebantur significationes *clandestinitatis* matrimonii (cfr. *Hostiens.*, Summa l. IV, t. 3 de cland. n. 1), quibus in Concil. Tridentino per cap. *Tametsi* septima accessit. Cfr. *Freisen*, 676 sq.

[4] *Sánchez*, l. VII, disp. 27, n. 9, 17, disp. 28, n. 8 sq.; *Nilles*, Act. theol. Oenip. X, 248 sq.

[5] Cfr. c. unic. de voto III, 15 in Sext.; *Suarez*, De relig. tract. VII, l. 3, cap. 6 sq.; *Feije*, n. 315; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 620.

[6] Cfr. Litt. encycl. S. C. super stat. reg. 19 mart. 1857; Pii IX Const. « *Ad universalis* », 7 febr. 1862 apud *Bizzarri*, l. c., 904 sq.; Decret. S. C. Ep. et Reg., 3 maii 1902 et 28 iul. 1902 in ASS. XXXV, 31 sq.

Discrimen *reale* inter professionem sollemnem et simplicem clare ponitur c. 579 in hoc, quod sollemnis reddit invalidos actus votis contrarios, si et quatenus sunt irritabiles, quae efficacia de iure communi non convenit professioni simplici. Qua de re uberiore disputatione actum est apud *Wernz*, Ius Decretal. III, tit. 23 et 24, ubi differentia specifica inter votum sollemne et simplex latius exponitur et propugnatur [7].

Quae *Pius IX* in allegatis Litt. encycl., 19 mart. 1857, et Const. « *Ad universalis* », 7 febr. 1862, *cum subsecutis declarationibus*, 12 iun. 1862, statuit pro religiosis familiis *virorum* de professione votorum *simplicium* post novitiatum facienda, quam non nisi elapso *triennio* professio *sollemnis* sequatur, *Leo XIII* per cit. decret. S. C. Ep. et Reg., 8 maii 1902, etiam ad monasteria *monialium*, in *quibus* sollemnia vota nuncupantur, congrua ratione *extendit*. Inde merito illatum fuit *tacitam* professionem sollemnem etiam pro *monialibus* fuisse abrogatam. Nunc autem certo modo quaelibet professio tacita per c. 572 § 1, 5° fuit abrogata.

[7] Cfr. *Wernz*, Ius Decret. III, n. 572, 641 iunct. n. 652, 653 et praesertim 654. Novae impugnationes doctrinae ibi propositae potius inserviunt ad eam illustrandam, si accurate notentur confusiones et res minus exacte propositae. Sane si hac in re solummodo *verbum* sollemnitatis attendatur, non paucae professiones religiosae possunt *dici* sollemnes, quae *revera* et *quoad substantiam* sollemnes *non* sunt. Nam cum sollemnia — sollus-totus et annus — dicantur sacra, quae statis *anni temporibus* celebrantur, etiam renovatio votorum simplicium bis in anno peracta potest appellari *professio sollemnis*. Cfr. *Georges*, Lexicon lat. v. Sollemnia. Porro sollemnitas etiam designat *festivitatem*: professio vero *simplex* non raro praesertim apud moniales fit inter Missarum sollemnia et magna cum festivitate, unde merito *sollemnis* vocatur. Cfr. *Weckesser*, l. c., 91, 191.

Deinde sollemnitas dicitur *forma substantialis*, v. g. capitis *Tametsi*, in matrimonio, quae in iure Romano vel legibus Ecclesiae necessario requiritur ad *valorem*, non ad meram *liceitatem* vel *probationem* actus *legitimi*. Cfr. *Arndts-Serafini*, l. c. § 64; *Suarez*, De leg. l. V. cap. 19, n. 4, cap. 20, n. 2. Quae *sollemnitas* optimo iure etiam ipsi professioni votorum *simplicium* vindicatur, nam in illa quoque *formalitates* quaedam ex iure canonico requiruntur ad *valorem* actus, (cfr. *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VII, l. 2, cap. 6, n. 13, 15), sicut in *testamentis* vel *contractibus « sollemnibus »* **forma legitima** est necessaria ad *valorem*. Quare evidenter in *hac sollemnitate* sive forma sollemnitatis nequit consistere differentia *realis* inter professionem *sollemnem* et *simplicem*; nam *utrique* professioni *eadem* forma sollemnitatis potest esse communis. Cfr. *Weckesser*, l. c., 86 sq.

Leitner, 186, not. 3, recte monet vota sollemnia non esse confundenda cum votis extrinseca sollemnitate sive festivitate emissis; at si addit vota sollemnia, quatenus opponuntur simplicibus, esse iuridica sive *legitima*, i. e. *ab Ecclesia in foro externo recognita et effectibus iuridicis donata*, *differentiam* utriusque professionis clare accurateque non definivit. Nam professio votorum simplicium etiam in quamplurimis Congregationibus recentioribus est *vere iuridica* sive legitima et ab Ecclesia in foro externo recognita, *nomine Ecclesiae acceptata* tanquam *publica*.

Ad declarandum impedimentum matrimoniale sufficit discrimen practicum, quod de voto in genere — i. e. etiam de voto non coniuncto cum professione religiosa — unice directe tradi-

---

non mere *privata* nuncupatio votorum religiosorum, *effectibus iuridicis donata.* Illis enim votis professionis simplicis, ut alios effectus canonicos omittam, aliquis vere constituitur in *statu religioso,* immo in Societate Iesu fit *vere regularis* atque incapax ad matrimonii celebrationem. Quibus non obstantibus huiusmodi professiones non sunt sollemnes. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Quamvis iusto* », 30 apr. 1749, § 18 (de virginibus anglicanis) et decret. S. C. Ep. et Reg. 11 iun. 1889 — de votis privatis et *publicis nomine Ecclesiae* acceptatis in recentioribus Congregationibus — a *Leone XIII* 14 aug. eiusd. a. approbatum in Arch. f. k. K. LXVI, 159 sq.

Nec *De Buck* in suo opere de sollemnitate votorum felicior fuisse videtur, si vehementer impugnat opinionem Suarez de sollemnitate voti castitatis atque existimat cum nonnullis antiquis doctoribus illam potius *consistere in interventu Ecclesiae eadem* (vota) *singulariter auctoritate sua confirmante.* Quae sententia ab auctore magna cum securitate et ad scopum quendam practicum — non ab omnibus approbatum — de sollemni voto *paupertatis* propugnata, etiam nonnullis recentioribus scriptoribus placuit, v. g. *Nilles,* Act theol. Oenip. X, 267 sq., XIII, 270 sq. *Ballerini-Palmieri,* Op. th. mor. II, n. 603 (editor.); *Vermeersch,* De relig. inst. I, n. 84, II, 11 sq.; at aliis merito displicuit, v. g. *Weckesser,* l. c., 86 sq.; *Scherer,* 805, 828 sq.; *Wernz,* l. c. aliisque, v. g. *Bucceroni,* licet, *historia* ab ipsis non fuerit neglecta. Quae praesertim *Vermeersch,* l. c., recentissime subtiliter et erudite disputat, non videntur theoriam *De Buck* efficaciter probare nec solide sententiam Suarez refutare.

Nam ut per transennam hoc loco pauca insinuem, haec theoria etiam sub alia forma propugnata laborat imprimis incommodo *novae illius terminologiae,* qua vota simplicia et sollemnia professorum religiosorum dicuntur aequivalere votis *semiplene* et *plene authenticis.* Quae terminologia in ipsis fontibus et usu communi loquendi doctorum non habet fundamentum et inducit periculum *singularis* notionis sollemnitatis votorum, ut iam *Suarez,* l. c. tract. VII, l. 2, cap. 6, n. 11, 17, notavit contra *Vasquez.*

Quodsi deinde doctrina illa positive commendatur ob suam *simplicitatem,* vehementer dubito num, collato obscuriore textu *Vermeersch,* l. c., 14, cum limpida expositione sollemnitatis votorum apud *Suarez,* v. g. l. c. l. 9, cap. 21, n. 1, doctor eximius, si controversia ex simplicitate esset solvenda, communi virorum doctorum suffragio victus succumbat.

Quae argumenta ilico subiunguntur ex significatione verbi sollemnitatis petita pro magna *varietate* sensus illius vocabuli antiquo et novo tempore recepta (cfr. *Scherer,* II, 365 sq.) exiguam habent vim probandi, atque generatim istae rationes philologicae in rebus canonicis parum iuvant, ut in hac controversia recte animadvertit *Suarez,* l. c. l. 2, cap. 6, n. 12, 13, 14.

Ex duabus aliis rationibus *prior* non satis distinguit *formam sollemnitatis* ad *valorem* actus necessariam, quae etiam reperitur in ipsa professione votorum *simplicium* (cfr. *Suarez,* l. c. n. 13, 15) a substantiali sollemnitate votorum. Quare haec ratio non est efficax. Altera vero, qua arguitur in favorem substantialis sollemnitatis ex *plena fide* vel *authentia,* universam quaestionem transfert in campum plane alienum. Nam etiamsi

tur in Codice, videlicet: Votum *sollemne* est quod *uti tale* agnoscitur ab Ecclesia; secus est *simplex* (c. 1308 § 2): quae agnitio quoad vota *religiosa* unice fit relate ad vota perpetua

---

novitii sua vota devotionis vel scholastici Societatis Iesu professionem votorum simplicium, v. g. Romae, emitterent coram duobus vel tribus Protonotariis Apostolicis, confecto etiam *authentico instrumento,* certe in ipso foro externo essent *plene authentica* atque *plenissimam* haberent *fidem;* at nihilominus illa manerent vota devotionis, et haec simplicia certe non fierent vere *sollemnia* eo sensu stricto, quo inter canonistas sollemnitas votorum solet intelligi.

Alia iam in praecedentibus sunt expedita. Quodsi tandem ad verba S. Paenitentiariae provocatur: *Votum sollemne illud esse quod ab Ecclesia ut tale acceptatur,* profecto hisce verbis sicut illis similibus a legislatore c. 1308 adhibitis continetur *practicum* quoddam *principium cognitionis,* ut scite observavit *Nilles,* Act. theol. Oenip. X, 260. At nisi quis velit incidere in meram tautologiam, ista formula *principia constitutiva* sollemnitatis voti non explicat nec explicare intendit.

Quae Verm. contra Suarez profert brevi indigent responsione, cum vix non omnia iam a Suarez sint praeoccupata et soluta, aut reducantur ad litem de verbis, v. g. si p. 17 obicitur falsa descriptio voti simplicis! At si, p. 16, Suarez inducitur tanquam assertor sententiae, quae *nullo positivo argumento fulciatur,* vix mihi persuadere possum haec verba multos credulos lectores esse inventura. Nam ipse Verm. mox fateri debet in sententia Suarez omnino declarari posse sollemnitatem voti paupertatis et castitatis. Et profecto nimis evidentia hac in re sunt argumenta *positiva.* Nec ullo solido argumento infringit explicationem Suarez de sollemnitate voti obedientiae, quam parum accurate dicit Suarez l. c. l. 2, cap. 13, n. 3, 4, ex propria confessione *primum excogitasse.* Nam eximius doctor, l. c. n. 4, solummodo concedit *modernos auctores* suo tempore difficultati n. 3 a se motae non respondere nec huic voto peculiarem effectum moralem tribuere. Quam responsionem Suarez deinde suppeditat atque in eius confirmationem allegat complures *antiquos* scriptores, v. g. *Innocentium IV* ipsosque iuris textus; longe igitur alienus fuit a nova inventione.

Vim quoque non habet quae Suarez opponuntur ex aliis votis « *sollemnibus* ». Nam scriptor non satis distinxit sollemnitatem quandam popularem vel latam a stricta sollemnitate; praeterea non sufficienter attendit *quarta* illa vota sollemnia in religionibus non niti *iure communi* et reduci ad *specialem* quandam materiam voti obedientiae. Inde quoque colligitur quod ex iure communi illorum explicatio non sit petenda, et cur nunc Sedes Apostolica multiplicandis istis votis, in voto obedientiae aliquo modo iam contentis, sit contraria.

Tandem si scriptor, l. c., 18, concedit « *simplicia vota religiosorum* » non posse amandari ad *privata,* hanc concessionem laetus accepto, sed non videtur sufficienter considerasse revera esse auctores, qui vota simplicis professionis in privata amandant. Cfr. v. g. Arch. f. k. K. XVII, 25 sq.; *Biederlack,* De iure regularium, 67. Immo antesignanus novus in hac theoria, *P. V. de Buck,* l. c. 68 sq., eo procedit ut vel ipsa vota coadiutorum formatorum in Societate Iesu neget *Ecclesiae auctoritate confirmari,* et mox denuo provocat ad aequiparatam differentiam in *testamenta* « *simplicia aut privata* et *sollemnia* ». Quare argumentum allatum (Ius Decret.,

quae emittuntur in *Ordinibus* religiosis sive virorum sive mulierum; dum vota quae emittuntur in *Congregationibus* sive temporanea sive perpetua semper sunt simplicia (c. 488, 2°).

Sed praeterea memoratum discrimen *quoad effectum* iuridicum ab omnibus est admittendum, sc. quod *simplex* professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit *illicitos* sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem *sollemnis*, si sint irritabiles, etiam *invalidos* (c. 579). Matrimonium autem est actus natura sua per legitimam auctoritatem irritabilis: inde discrimen inter impedimentum *impediens* — votum *simplex* — et impedimentum *dirimens* — votum *sollemne* —.

Hodie autem iam extra controversiam est *sollemnitatem* voti *ex sola constitutione Ecclesiae* derivari et consequenter vim inhabilitandi propriam voti sollemnis non ex intrinseca vi ipsius voti, sed ex positivo iure Ecclesiae sicut ipsa sollemnitas ortum ducere.

Unica exceptio relate ad vota *simplicia* facta est in votis simplicibus in Societate Iesu emissis ab scholaribus approbatis et coadiutoribus temporalibus, quibus ex speciali privilegio tributa est vis dirimendi matrimonium subsequens [8], donec in Societate manent, non autem dissolvendi matrimonium ratum praecedens.

298. Notae historicae. Christus Dominus sollemnibus verbis ad sectanda tria consilia evangelica et imprimis ad observandam virginitatem suos discipulos exhortatus est [9]. Neque minore vi S. Paulus, fidelis praeco doctrinae revelatae in Novo Testamento, divinum consilium de virginitate colenda primis christianis promulgavit [10]. Mox in Ecclesia et divinus Magister et Apostolus Paulus dociles nacti sunt discipulos, multique christiani utriusque sexus non solum *privatim*, sed etiam *publice* in facie Ecclesiae voto castitatis sese Deo consecrarunt [11]. Immo saeculo III iam duplex reperitur *ordo virginum* et *ascetarum* sive *confessorum* a laicis et clericis distinctus. Porro inter virgines, quae publice in facie Ecclesiae castitatem professae sunt, saltem saeculo IV duo exstiterunt gradus; distinguebantur enim virgines *velatae* sive *consecratae*, quae *publico testimonio professae a sacerdote prece fusa velamen benedictionis* acceperunt, et virgines sacrae *non velatae* sive *canonicae* et sine sollemni consecratione soli canoni ecclesiastico inscriptae. Denique fuerunt virgines voto *privato* vel *occulto* ligatae, quae sibi *soli et Deo* erant *notae* [12].

Si qui fideles publico voto castitatis obstricti nuptias celebrarunt, profecto ipsorum matrimonia habita sunt graviter *illicita* [13], condignis *poenis* castiganda [14] atque adeo *separanda* [15].

III, 721) contra istos adversarios in suo pleno robore manet; contra alios procedit ratio, l. c., 720, insinuata. Illa enim *acceptatio* et *tutela* Ecclesiae, quae in votis simplicis et sollemnis professionis habetur, quoad *specificam differentiam re*, non *verbis*, in concreto est explicanda. Id autem optime fit a Suarez, non ab adversariis. Quare theoria *De Buck*, quae « *praecipue* » sollemni voto paupertatis applicata indubitanter fuit erronea, etiam generaliter et sub nova forma proposita non videtur subministrare probatam explicationem sollemnitatis votorum religiosorum atque speciatim sollemnis voti religiosi castitatis, de quo hoc titulo agitur. Cfr. quoque *Suarez*, l. c. 1, 2, cap. 8, n. 8; *Freisen*, l. c., 695, 627 sq.

[8] Gregorii XIII Const. « *Ascendente Domino* », 25 maii 1584.

[9] Matth. XVI, 24, XIX, 11, 12, 21; *Suarez*, De relig. tract. VII, lib. 3, cap. 1, 2, 3.

[10] Cor. VII, 7, 8, 25 sq.

[11] I Timoth, V, 2, 11, 16; *S. Clem.* I in epist. ad Corinth. cap. 38; *S. Ignat.* in epist. ad Polycarp. cap. 5; *Athenagor.*, Legatio pro christian. cap. 33; *Iustin.*, Apol. I pro christ. cap. 15; *S. Cypr.*, in ep. scr. a. 249 = c. 4 C. XXVII, q. 1; c. 13 Conc. Illiberit. (a. 300-306) et c. 19 Concil. Ancyr. (a. 314) = c. 27 et 24, C. XXVII, q. 1; *S. Basil.*, in epist. canonic. I ad Amphiloch. (circ. a. 375) c. 6; *Thomassin.* l. c.; *Wilpert.* l. c.; *Weckesser*, l. c. *Schiwietz*, l. c.; *Duchesne*, l. c. in fontibus; *Vermeersch*, De religiosis instit. II, 3 sq.

[12] *Tertullian.*, De veland. virginib. cap. 14, 15; *Siricii* epist. 10 (?); *Innoc.* I epist. ad Victr. cap. 13, 14, (a. 404; c. 1, 2, Synod. rom. (a. 402?) iunct. *Hefele*, II, 87; *Freisen*, 679; *Devoti*, Inst. can. l. c. § 129, not. 1; *Wilpert*, l. c., 316 sq.; *Zhishman*, 482 sq., 502 sq.; *Ballay*, Arch. f. k. K. XVII, 3 sq. Quae distinctio virginum *velatarum* et *canonicarum* quamvis illis antiquis temporibus sit *indubitata*, tamen nequaquam quoad *rem* est confundenda cum distinctione *nunc* recepta inter religiosas ligatas voto *sollemni* vel *simplici* castitatis, ut patebit ex sequentibus. Cfr. quoque *Suarez*, l. c. tract. VII, l. 2, cap. 6, n. 12, ubi recte monet hac in re ex ancipite usu *verborum* non posse colligi argumenta canonica: *Schnitzer*. 446, not. 2; paulo aliter *Ballay*, l. c., 3 sq. et, ut videtur, etiam *Vermeersch*, De religios. inst. II, 11 sq.

[13] I Timoth. V, 11, 12; *S. Cypr.*, in cit. c. 4, C. XXVII, q. 1; *S. August.*, in c. unic. C. XXXII, q. 8; *Gelasius*, (a. 944) in c. 42, C. XXVII, q. 1.

[14] Quae castigationes fuerunt *paenitentiae publicae* atque in casu *contumaciae* etiam perpetua *excommunicatio*. Cfr. *S. Cypr.*, c. 4, 5, C. XXVII, q. 1; c. 13 Conc. Illiber. (a. 300-306) = c. 25 ead. C.; c. 19 Conc. Ancyr. (a. 314) = c. 24, ead. C. iunct. *Hefele*, I, 161, 339; *Innocent. I*, in cit. ep. ad Victric. (a. 404) in c. 9, 10, ead. C.; c. 16 Conc. Tolet. (a. 400) = c. 27, ead. C.; 27, 28. Conc. Arausic. (a. 441) = c. 35, ead. C.; *S. Leo*, in epist. ad Rustic. Narbon. (a. 458-459) = c. 8, C. XX, q. 1, et c. 1, C. XX, q. 3; *Gelasius*, in ep. ad Ep. Luc. (a. 494) c. 20, 21 = c. 14, 42 ead. C.; c. 16. Conc. Chalced. (a. 451 = c. 12 — ubi falso tribuitur Conc. Tribur. — 22 ead. C. iunct. *Hefele, II*, 520; c. 19. Conc. Aurel. V (a. 549); c. 3. Synod. Rom. (a. 721).

[15] Cfr. c. 15 Conc. Turon. (a. 567), ubi monachus, qui uxorem duxe-

Etenim fidem Deo in facie Ecclesiae datam cum scandalo populi christiani fregerunt et connubio *spirituali* cum Christo

---

rat, non solum dicitur *excommunicandus*, sed etiam *separandus* ab uxore, adhibito auxilio brachii saecularis, si opus fuerit. Quae *separatio* tempore S. Gregorii M. iterum iterumque severissimis verbis fuit inculcata, atque monachi vel moniales virginesque Deo sacratae a sacrilegis nuptiis in monasteria fuerunt revocandi et ibidem recludendi. Cfr. c. 15, 28, 29, 39, (S. Greg. M.) 17 (c. 23 Conc. Tribur. a. 895); C. XXVII, q. 1; c. 11 Conc. Foriiul. (a. 796); Capit. iudicior, cap. XI, n. 1 apud *Schmitz*, l. c. 662. Concedendum est illam separationem omnino probare *rigorem* disciplinae summopere esse auctum, ut etiam fatetur *Esmein*, I, 304 sq.; nihilominus ea *ex se sola* nondum *certo* demonstrat *nullitatem* matrimonii contracti. Nam non obstante valore matrimonii, per se separatio coniugum statui potuit, quia nuptiae cum impedimento saltem *impediente* sacrilege fuerunt celebratae et voto non sublato in usu erant prohibitae. Praeterea in *poenam criminis* etiam parti voto *non ligatae*, v. g. viro qui duxerat monialem, cum qualicumque persona matrimonium simpliciter et in perpetuum potuit prohiberi. Cfr. c. 13, C. XXXII, q. 1; cap. 2, X, de paenit. V, 38; *Gasparri*, I, 624; *Suarez*, De relig. tract. VII, l. 9, cap. 21, n. 11.

Quae praxis *separandi* coniuges sine dubio esset efficacissimum argumentum *nullitatis* matrimonii, si saltem parti voto non ligatae, immo forte bona fide ignoranti condicionem alterius, *novae* nuptiae cum *tertia* persona fuissent permissae. Id enim fieri non potuisset, nisi prius matrimonium consummatum *certo* fuisset *invalidum*. At de tali concessione secundarum nuptiarum ex claris exemplis vel canonibus antiquorum temporum *certo* non constat. Sane *Suarez*, l. c. n. 12, docet: « *Augustinus lib. de bono coniugali cap.* 10, *agens de simili separatione dicit illam separationem ita fuisse solitam fieri, ut is qui votum continentiae non habebat liber maneret ad contrahendum cum alia; et quamvis ipse hoc non probet in particulari casu, in quo ibi loquitur, nihilominus satis significat separationem in hac materia intelligi quoad vinculum; non quia vinculum, quod antea erat validum dissolvatur, sed quia nullum fuisse supponitur* ». At S. August. loco citato a *Suarez*, et a *Weckesser*, l. c., 199, nihil hac de re habet, *nec* lib. de bono viduit. cap. 10 docet a viris *licite* et *valide* novas nuptias post separationem fuisse celebratas, sed tantum *de facto*. Facile vero illud admitti potest, quod rigor in separandis huiusmodi coniugibus ipsam irritationem matrimonii efficaciter saltem *praepararit*. Immo separatio ista quatenus absolute et in *perpetuum*, non tantum *ad tempus* pro paenitentia agenda fuit imposita, secundum sensum obvium magisque naturalem potius insinuat et supponit *nullitatem* matrimonii contracti *praesertim monachorum* et *monialium sensu stricto*, i. e. in vero statu religioso cum tribus votis substantialibus constitutorum, qui probe distinguendi sunt — quod passim non sufficienter fit a *Weckesser*, l. c., in sua dissert. — ab adolescentibus et virginibus *saecularibus* (cfr. c. 19 Conc. Ancyr. a 814 iunct. *Hefele* l. c., 338 sq.; *Zhishman*, 484 sq.). Quae conclusio ex separatione gravibus, etsi non omnino certis, argumentis deducitur a *Suarez*, l. c. n. 11, 12; *Weckesser*, l. c., 193, 199 sq.; *De Buck*, De sollemnit. vot., 125 sq.; *Zhishman*, 503 sq. Qui auctores optimo iure insistunt *paritati* cum *reliquis* impedimentis in quibus *separatio* perpetua significat vim *irritandi* matrimonium contractum. Insuper impedimentum professionis

inito ad *instar* bigamorum substituerunt *adulterinam* quandam coniunctionem.

Quodsi virgines saltem *non velatae* celebrarunt matrimonia, non solum *mitioribus poenis* [16] fuerunt subiectae quam virgines consecratae, sed etiam *valor* nuptiarum non est in dubium vocatus, immo quandoque *expresse* [17] admissus.

---

religiosae in *catalogis* simpliciter aliis impedimentis vere *dirimentibus* *aequiparatur* et *pari* ratione separatio pro *omnibus* statuitur; ergo vis irritandi non est neganda soli professioni religiosae.

Deinde teste *S. Augustino* (cfr. c. 41, C. XXVII, et c. 2, C. XVII, 2) talis separatio coniugum est disciplina severa et periculosa, et potissimum a duritia quadam excusari non posset, ut recte urget *Suarez*, l. c., si *stante vinculo* pars noxia votoque ligata in monasterio *recludatur*, altera pars forte a voto immunis et propter ignorantiam de condicione sui coniugis in bona fide constituta ad *perpetuum* cogeretur caelibatum.

[16] *Innocentii I* cit. epist. ad Victric. (a. 404, in c. 9, 10, C. XXVII, q. 1; c. 1, 2, cit. Synod. Rom (a. 402); *S. Leo*, in ep. cit. ad Rust. Narbon. in not. 14, h. c.; *Gelasii* cit. epist. ad Ep. Lucan. (a. 494) in c. 14, 42, ead. C. Cfr. *Suarez*, l. c. l. 9, cap. 4, n. 4 sq.

[17] In paenitentiali Valicell. I apud *Schmitz*, l. c., 328, iunct. 662, legitur: *Si quis vel si quae virginitatem promittit, postea adiungitur uxori, non dimittat eam, sed frangenda sunt vota stulta* — i. e. incaute a coniugibus post contractum matrimonium emissa, ut recte exponit *Freisen*, 690; aliter *Schmitz*, l. c. — *et tres annos in pane et aqua paeniteat*. Cfr. c. 3, D. 27, ex paenitentiali Theodori depromptum.

At *S. August.* (cfr. c. 2, D. 27, et c. 41, C. XXVII, q. 2) aperte docet in operibus certo genuinis matrimonia a sacris virginibus contracta esse illicita sed valida, et impugnat sententiam illorum, qui tales nuptias *invalidas* et separandas esse dixerunt; sed S. Doctor expresse non *distinguit* inter virgines *consecratas* et *non velatas*. Cfr. *Suarez*, l. c. n. 4; *De Buck*, l. c., 119 sq.; *Weckesser*, l. c., 195 sq., qui restringit doctrinam S. Augustini ad solas virgines *non velatas*. Minus ad rem sunt quae S. Augustinus tradit c. 2, C. XVII, q. 2, ubi profecto matrimonii *valorem* in epistola ad Bonifacium sustinet; sed agitur de marito, qui tantum sibi *proposuerat* transire ad vitam monasticam, actu vero nondum fuit monachus nec *votum* emiserat amplectendi statum religiosum. Ipse quoque *S. Cyprianus*, (cfr. c. 4, 5, C. XXVII, q. 1) quamvis videatur stare pro valore nuptiarum a virginibus *sacris* celebratarum, tamen potius videtur dare consilium illud nubendi virginibus *nondum consecratis*; nam consecratas virgines *absolute* iubet *separare* a maritis et in casu contumaciae *excommunicare*. Cfr. *Suarez*, l. c. l. 9, cap. 2, n. 10, cap. 4, n. 15; *Weckesser*, l. c., 191 sq. Quodsi *Schnitzer*, 446, not. 2, iunct. 455, not. 8, cum *Zhishman* ad probandam *validitatem* matrimonii etiam a monacho celebrati remittit ad S. Athanasium et S. Epiphanium, prius testimonium iam pridem a *S. R. Bellarm.*, De monachis, cap. 84, refutatum est. *S. Athanasius* in epistola ad Dracontium ait: « Sunt quoque ex episcopis multi qui nunquam nupserint, monachi autem reperiuntur qui filios suscepere, quemadmodum vicissim episcopos filiorum parentes, monachos vere nullam posteritatem habuisse cernimus ». *Migne*, PG. XXV, 434. Nihil mirum est quod noverit Episcopos et monachos, qui filios

Quin immo, de nullitate matrimoniorum, quae ab ipsis virginibus *consecratis* attentata fuerunt, cum plena certitudine *universim* non constat. Nam accurata terminologia illo tempore deest, et verba allegata per se etiam minus rigidam significationem habere possunt [18]. Profecto *Freisen*, 680 sq., magna cum vi defendit valorem matrimoniorum; at logica consequentia ipsi ad summum hanc permittit conclusionem quod *certo* de nullitate non constet; verba enim, quibus iam *S. Basilius* [19] et *Innocentius I* matrimonia [20] attentata a virginibus consecratis notant, potius nullitatem quam valorem saltem probabiliter suadere videntur.

Inde ex saeculo V incertitudo de *nullitate* matrimoniorum monachorum et virginum consecratarum atque sanctimonialium nondum est penitus sublata. Nam canones licet semper graviores statuant *poenas*, tamen sub *propriis terminis* huiusmodi matrimonia non irritant [21]. Nihilominus in dubium vocari vix

---

genuerint, utique non necessario ex matrimonio *post* monachatum vel episcopatum susceptum. *S. Epiphanius* vero, in haeresi 61, exponit quomodo nuptiae virginum sacrarum sint *illicitae;* cfr. *Migne*, PG. XLI, 1050.

[18] Cfr. c. 19 Conc. Ancyr. (a. 314) iunct. *Hefele*, I, 239 et *Weckesser*, l. c., 334 sq., qui illum canonem recte exponunt de *validitate* matrimonii contracti a virginibus vel adolescentibus publice castitatem profitentibus; *Suarez*, l. c. cap. 21, n. 25, 26 sq.; « *In genere fateor mihi non satis constare quid in hoc servatum fuerit in universa Ecclesia ante tempora Basilii et Chysostomi, Innocentii et Ambrosii ... Quare etiam verisimile est fuisse in hoc* varias consuetudines in Ecclesia, *donec Ecclesia romana generalem de hoc legem dedit* »; *De Buck*, l. c., 118 sq.; *Wilpert*, l. c., 316.

[19] *S. Basil.*, in epist. ad Amphiloch. c. 6: « *Canonicarum fornicatio matrimonium non reputetur, sed earum coniunctio* omnino divellatur »; c. 18, 19, iunct. c. 24, 60, et solummodo c. 20, virgines, quae *inter haereticos* professae sunt virginitatem, non damnat, si postea matrimonium contrahere volunt. Cfr. *Laurin*, D. Caelib., 137; *Weckesser*, l. c., 339 sq.; *Zhishman*, 487 sq., 503 sq.; *Suarez*, l. c. n. 14 sq.

[20] Si *Freisen*, l. c. v. g., 684 sq., complures textus allegatos ita esset interpretatus quod in ipsi *nullitas* matrimonii aut nullo modo aut saltem non clare contineretur, ei omnino adstipulandum esset; at si ulterius procedit atque, v. g. in ipso textu Innocentii I, *validitatem* matrimonii etiam virginis consecratae *clare enuntiari* putat, limites merarum assertionum atque debilium argumentorum non egreditur. Nam Innocentius huiusmodi nuptias vocat *incestas*, porro dicit viro isti *adultero* nomen *mariti imponi* atque sponsam Christi dici *coniugem hominis*. Quae, nisi quis ludere velit verbis, non *clare* insinuant *validitatem*, sed potius, etsi non certo, *nullitatem* actus. Cfr. *Weckesser*, l. c. 92 sq., 97 sq., 187 sq.

[21] Cfr. c. 16 Chalced. (a. 451), qui impedimentum *dirimens* professionis religiosae sane claris expressisque verbis non statuit; nec *Weckesser*, l. c., 347 sq. id certis argumentis probat. At ex altera parte si *Hefele*, II.

potest quin iam *ante* Concilium Lateranense I (a. 1123) matrimonia sive a monachis sive a monialibus sacrilege celebrata tum in Ecclesia Occidentali tum in Ecclesia Orientali fuerint *illicita et invalida* [22]. Tandem potius *declaratione* quam *novo* iuris statuto Concilium Lateranense I (a. 1123) c. 21 = c. 8, D. 27, satis aperte pronuntiavit matrimonia monachorum esse nulla et irrita. Id autem a Concilio Lateranensi II (a. 1139) c. 7, 8 = c. 40, C. XXVII, q. 1, etiam cum expressa mentione monialium et tanta perspicuitate factum est, ut omne dubium rationabile sit plane exclusum [23]. Quae disciplina sapienter statuta est.

Nam ita *voto* castitatis, quo religiosus se publice obstrinxerat, maior *firmitas* et *stabilitas* accessit, atque efficax inventum fuit subsidium ne religiosi pro suo lubitu ex statu religioso discederent et violata fide Deo et hominibus data cum gravissimo populi scandalo, *saltem valide*, ad statum imperfectiorem matrimonii convolarent. Cfr. *Schmalzgr.*, IV, 6, n. 48 sq.

Postquam distinctio inter votum *simplex* atque votum *sollemne* per *Gratianum* iam praeformata in scholis fuit invecta et propagata diversisque modis a scriptoribus explicata, magis magisque recepta est illa sententia, quae votum sollemne saltem *professioni religiosae* adnexum irritare matrimonium contrahendum docuit [24]. Qua de re omne dubium sublatum est, cum distinc-

---

250, cum *Van Espen* docet in cit. canone *supponi validitatem* matrimonii virginis sacrae vel monachi, non utitur demonstratione concludente. Illa enim *benignitas* Episcopo loci permissa nequaquam necessario intelligenda est de admisso *valore matrimonii*, sed accipi potest de moderatione *poenae statutae*, ut vel ipsi canonistae schismatici (cfr. *Zhishman*, 502) istum canonem interpretantur. Cf. quoque c. 44 Conc. Trull. (a. 692) iunct. *Zhishman*, 500 sq.; c. 27 Conc. Arausic., I, (a. 441); c. 6 Conc. Turon. (a. 461); *Weckesser*, l. c., 321 sq., qui tamen nimis facile ex quibusdam decretis videtur deducere probationem nullitatis.

[22] Cfr. c. 14 Conc. Paris. (a. 615); c. 2, 3 Conc. Rom. (a. 721); c. 5 Conc. Rom. (a. 743); c. 8 Conc. Trosl. (a. 909); *De Buck*, l. c., 125 sq.; *Weckesser*, l. c., 200 sq.; *Zhishman*, 503 sq. Quae *nullitas* eo facilius paulatim potuit apertius declarari, quod saeculares virgines canonicae vel consecratae aut ascetae a veris monialibus vel monachis distincti semper rarius occurrerent. Cfr. *S. Basil.* in epist. ad Amphiloch. can. 19; c. 28 Conc. Agath. (a. 506); c. 20 Conc. Turon. (a. 567); *Freisen*, 687 sq.; *Zhishman*, 485 sq. Quare principalis difficultas exstitit de monachis et virginibus verum *statum religiosum* profitentibus.

Ipsae quoque leges civiles magis magisque iis utuntur verbis, quae potius nullitatem quam validitatem matrimonii significant. Cfr. *Esmein*, l. c., I, 302 sq.; *Zhishman*, 504 sq.

[23] *Suarez*, l. c. n. 8, 9 sq.; aliter *Freisen*, 639 sq., innixus argumentis inefficacibus, ut videtur fateri etiam *Scherer*, l. c., 366, not. 15.

[24] *Gratian.* ad c. 8, D. 27 et c. 43, C. XXVII, q. 1; *Petr. Lombard.* l. IV

tiones illae votorum ab ipsis RR. Pontificibus quoad diversam efficaciam irritandi matrimonia approbarentur. Cfr. cap. 3, 4, 5 (Alex. III, a. 1159 - 1181), cap. 6 (Coelest. III, a. 1191-1198), cap. 7 (Innoc. III, a. 1199), X, h. t. *Hugutius* (a. 1210) illam distinctionem a RR. Pontificibus approbatam audacter quidem negavit, sed in excogitandis novis distinctionibus voti castitatis secundum analogiam sponsalium de praesenti et futuro parum consuluit scientiae canonicae et praxi. Cfr. *Freisen*, 709 sq.; *Scherer*, 365. At non obstante declaratione Concilii Lateranensis II, dubium mansit de vi irritandi aliorum votorum castitatis *extra* Ordines religiosos emissorum, et in casibus particularibus non levis quoque exstitit difficultas num vera validaque professio religiosa facta esset. Cfr. cap. 4, 7, X, h. t.; cap. 9, X, de convers. coniug. III, 32. Quibus incommodis remedium allatum est partim cap. 13 Conc. Later. IV, (a. 1215) = cap. 9, X, de relig. domib. III, 36, et cap. 23 Conc. Lugdun. II. (a. 1274) = cap. unic. de religios. dom. III, 17 in Sext., partim per Bonifacium VIII. Is enim cap. unic. de vot. III, 15, in Sext. vim *sollemnizandi* votum castitatis « *quantum ad post contractum matrimonium dirimendum* » restrinxit ad solam susceptionem ordinis sacri et ad « *professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis* » [25].

Quae disciplina in Clementinis [26] confirmata et ab ipso Concilio Tridentino Sess. XXIV, doct. d. sacr. matr. cap. 9, generatim retenta non levem immutationem passa est, postquam S. Ignatius in Societate Iesu a se fundata, approbantibus Rom. Pontificibus *Paulo III* [27] et *Iulio III* [28], ipsoque Concilio Tridentino [29], praeter *religiosam* professionem votorum sollemnium hucusque *unice* receptam introduxit etiam professionem votorum *simplicium*. Quae professio votorum simplicium cum saeculo decimo sexto a theologis quibusdam, antiquae disciplinae tenacius et subtilius inhaerentibus, acriter esset impugnata, ab aliis viris doctis egregie fuit vindicata et demum a Gregorio XIII iterum iterumque confirmata [30]. Nova illa disciplina nunc eo maiorem habet practicam utilitatem, quod Sedes Apostolica iam pridem

---

sent. dist. 38; *Roland*. l. c., 116 sq., 124; *Bernard. Pap*. l. c., 113 sq.; *Tancred*., l. c., 20 sq.; *Freisen*, 694 sq.; *Esmein*, I, 305 sq.; *Scherer*, 365 sq.

[25] *Suarez*, l. c. cap. 21, n. 6 sq.

[26] Cap. unic. de consang. IV, unic. in Clem.

[27] Const. « *Regimini militantis* », 27 sept. 1540.

[28] Const. « *Exposcit* », 21 iul. 1550.

[29] Sess. XXV, cap. 16, de regular.

[30] Cfr. infra h. cap. not. 40.

a severa sanctione iuris antiqui de Congregationibus religiosis recesserit [31]. Porro in omnibus aliis religiosis Ordinibus virorum per Pium IX, anno 1857 et 1862, introducta est praxis immediate post novitiatum faciendi professionem votorum simplicium in eaque perseverandi saltem per triennium, antequam professio *sollemnis valide* emittatur. Quae praxis a Leone XIII, a. 1902, etiam ad moniales votorum sollemnium fuit extensa [32]. Tandem per Codicem (c. 574) votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus iussum fuit praemitti vota *simplicia* temporanea in quolibet Ordine vel Congregatione.

§ I. De origine et ambitu impedimenti professionis religiosae

299. Ex praemissis notionibus iam facile patet ambitus et origo impedimenti. *Regulares*, viri et mulieres, qui in vero Ordine religioso — religione formali — per Sedem Apostolicam approbato *sollemnem* professionem trium votorum substantialium [33] status religiosi *valide* [34] emiserunt, in Ecclesia Occidentali et Orientali [35] ad matrimonium *valide* contrahendum, non *vi voti castitatis* aut *traditionis* in professione factae iure divino sive naturali sive positivo, sed ex *constitutione Ecclesiae* sive propter *sollemnitatem* solo iure ecclesiastico constitutam *inhabiles sunt* [36]. Etenim nullus homo *privata* sua vo-

---

[31] *Suarez*, De relig. tract. VII, lib. 2, cap. 15, 16, 17; *Bouix*, De iure regul. I, 186 sq.; *Nilles*, Act. theolog. Oenip. X, 245 sq.; *Schels*, D. neuern religioesen Frauengenossensch. (a. 1857) multa utilia affert, quae spectant ad historiam iuris recentior. Congreg. relig.

[32] Decr. S. C. Ep. et Reg. 3 maii et 28 iul. 1902.

[33] *Sánchez*, l. c., l. VII, disp. 25, n. 21, 22, 23; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. VI, cap. 3, n. 3, lib. XIII, cap. 12, n. 9; Const. « *Biennium* », 13 oct. 1745, § 6; S. C. C. in caus. Canar. 26 mart. et 19 apr. 1718; *Nilles*, l. c., 248; *Feije*, l. c. n. 515; *Giovine*, l. c. I, 427 sq.

[34] Ad iudicandum de *valore* professionis, praeter causas generales quae actus iuridicos irritos reddunt, attendendae diligenter sunt praescriptiones cc. 542 et 572. Quodsi professio ex qualibet causa invalida sit et essentialis defectus non fuerit sanatus (cfr. c. 586), deficiente eius fundamento, neque impedimentum dirimens existit.

[35] Cfr. c. 44 Conc. Trullan. (a. 692); Synod. Montis Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 162; Conc. prov. Alba-Iuliens. (a. 1872), 96; Synod. Sciarf. (a. 1888), 177; *Papp-Szilagyi*, Enchiridion, 435; *Mansella*, 96 sq.; *Laurin*, l. c., 137 sq.; *Zhishman*, 493; *Milas*, D. Kirchenr. d. morg. K., 518.

[36] *Suarez*, l. c. tract. VII, l. 2, cap. 7 sq., 10 sq.; *Schmalzgr*., h. t. n. 47 sq.; *Pirhing*, h. t. n. 15; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 622, aliique dissentientes de quibusdam assertionibus *S. Alphonsi* et *S. Thomae* (cfr. *Rossel*, n. 1693), quae videntur esse in se difficiles nec commode cum aliis opi-

luntate *sese inhabilem* ad matrimonium reddere potest, sed *publica* auctoritas intercedat necesse est. Quodsi quis votum castitatis emittat, promissio illa Deo facta sane impedit *licitam* matrimonii celebrationem, sed *validam* traditionem iuris in corpus per contractum matrimonialem factam ex natura sua impedire nequit. At votum simplex et sollemne *intrinseca* ratione voti non differunt; ergo votum simplex eandem haberet vim irritandi matrimonium. Id autem manifeste est falsum et a nemine admittitur [37].

Traditio quoque absoluta et perfecte bilateralis, quae in sollemni professione religiosa fit inter Ordinem religiosum et professum certe natura sua inhabilitatem ad matrimonium valide ineundum in regularibus efficere non potest. Nam contractus ille bilateralis sine interventione auctoritatis *publicae* ad hunc effectum producendum prorsus impar est [38]; quatenus vero eadem traditio dicatur ita facta ut ipse *Deus* acquirat *dominium* quoddam particulare in corpus professi, quod ex natura sua valide alteri homini tradi non possit, fictio quaedam vel divinatio statuitur, omni fundamento dogmatico et canonico destituta [39] atque declarationibus *Bonifacii VIII* et *Gregorii XIII* manifeste

---

nionibus eorundem doctorum conciliandae; *Leitner*, 186 sq.; *Schnitzer*, 452; *Scherer*, 369, cum aliis multis antiquioribus et recentioribus scriptoribus, v. g. Scoto, Hostiensi, Panormitano, Suarez, Sánchez, De Angelis, Lehmkuhl et Mansella. Longe aliter *Rosset*, n. 1676, ubi praesertim veteres quosdam doctores secutus hanc statuit propositionem: « *Votum sollemne professionis religiosae tum vi sua seu iure naturali* tum *iure divino habet vim dirimendi matrimonium contrahendum* **secluso quocumque iure ecclesiastico** ». Quam sententiam defendit ut probabiliorem atque in eius favorem praeter S. Thomam, S. Bonaventuram, Capreolum, Molinam, Barbosam, Billuart etc. etiam allegat *Sánchez*, cuius textum adulteratum esse putat. Qua in re *Rosset* evidenter errat; nam *Sánchez* aperte stat pro sententia, quae ex solo iure ecclesiastico repetit vim dirimendi matrimonium contrahendum, sollemni professioni religiosae propriam, ut patebit cuicumque legenti *Sánchez* l. VII, disp. 26, n. 2, 4, i. f., l. VIII, cap. 8, n. 4, 6 sq. At propositio a *Rosset* propugnata sane nostra aetate iamdiu opinionibus improbabilibus et obsoletis est adnumeranda. Cfr. *Suarez*, l. c. Insuper *Rosset*, si l. c. n. 1685 sq., recte defendit ut certam sententiam, quae Romano Pontifici tribuit ius *dispensandi* super *sollemni voto castitatis in professione* religiosa emisso, sibi contradicit asseritque res non conexas. Nam certe R. Pontifex in *divinis* legibus irritantibus nequit dispensare. Cfr. *Suarez*, l. c. l. 9, cap. 26, n. 1 sq.

[37] Cfr. cap. 6, h. t. Decret. *Suarez*, l. c. tract. VII, lib. 2, cap. 9, 6, 7, 8; *Sánchez*, lib. VII, disp. 25, 26.

[38] *Suarez*, l. c. cap. 7, 8, 9, n. 10; *Sánchez*, disp. 25, n. 7, i. f. 24, disp. 26, n. 4 i. f.

[39] *Suarez*, l. c. cap. 7, n. 4, 11, 12; *Sánchez*, disp. 25, 13, 17.

contraria. Illi enim Rom. Pontifices *sollemnitatem* propriam et essentialem voti castitatis in sollemni professione religiosa emissi, cui vis inhabilitandi matrimonium coniuncta est, ex *sola constitutione Ecclesiae*, non ex *iure* quodam *divino* derivant [40].

Tandem contraria sententia de origine divina huius impedimenti cum antiquissima praxi Ecclesiae de *valore* illorum matrimoniorum et iteratis *dispensationibus* super hoc impedimento concessis omnino conciliari non potest, atque exinde peremptorie refutatur.

300. *Professio* trium *votorum simplicium* status religiosi sive a viris sive a mulieribus in religione formali vel in Congregatione religiosa facta ex natura rei iureque divino *licitam* matrimonii celebrationem impedit, sed ex *iure communi non dirimit* matrimonium contrahendum. Quare si in Societate Iesu vel ipsa professio votorum simplicium, quam biennio novitiatus elapso faciunt scholares approbati et coadiutores temporales nondum formati, constituit impedimentum *dirimens* matrimonii contrahendi, id ex speciali privilegio Sedis Apostolicae etiam nunc vigente [41] est repetendum. Quae praerogativa per *communicationem* privilegiorum cum aliis religionibus virorum, etiam post introductum triennium votorum simplicium, *ob clausulam* [42] prohibentem *non potest* communicari, neque hucusque speciali quodam indulto R. Pontificis illis *directe* fuit concessum [43].

301. *Votum castitatis perpetuum* [44], quod emittitur a coniuge sene et non suspecto in saeculo [45], dum alter coniux cum prioris consensu *et habita dispensatione pontificia* post consummationem matrimonii [46] migrat ad religionem, neque ex actionum

---

[40] Cap. unic. de vot. III, 15, in Sext.; Gregor. XIII, Constit. « *Quanto fructuosius* », 1 febr. 1583, Const. « *Ascendente Domino* », 25 maii 1584; *Suarez*, l. c. cap. 8; *Sánchez*, disp. 25, n. 2 sq., disp. 26, n. 2.

[41] Gregor. XIII Const « *Ascendente Dom.* », 25 maii 1584, i. f. § 22; Synod. Sciarf. (a. 1888), 177; *Suarez*, De relig. tract. X, I, 3, cap. 5; *Feije*, n. 515.

[42] Cit. Const. « *Ascendente Domino* », i. f.

[43] *Feije*, l. c.; Instr. Archiep. Pragens. 15 nov. 1876, approb. a. S. C. Ep. et Reg. in Arch. f. k. K. XXXIX, 366 sq.; *Ballay*, Arch. f. k. K. XVII, 29; *Gasparri*, I, n. 633; *Leitner*, 187.

[44] Cfr. cap. 13, 18, X, de convers. coniugat. III, 32; *Sánchez*, l. VII, disp. 32, n. 5; *Schmalzgr.*, l. III, t. 32, n. 19 sq.; *Feije*, n. 521 sq.

[45] Cfr. cap. 4, 18, X, de conv. coniug. III, 32; *Sánchez*, l. c. n. 2, 4, 9.

[46] Cfr. cap. 7, X, de conv. coniug.; *Schmalzgr.* h. t. n. 46, 52 sq., 61 sq., 65. Ante consummationem matrimonii iure praecedente coniugatus libere, etiam altera parte non consentiente, poterat religionem ingredi et in ea profiteri atque ad hoc dabatur ipsi bimestre ad deliberandum de

inter coniuges communicatione [47] neque statuto ecclesiastico ullo unquam tempore sollemnizatur. Hinc si *post mortem* coniugis qui religionem professus fuerat, alter coniux in saeculo superstes ad secundum matrimonium transit, *illicite* quidem propter *votum perpetuum castitatis* sed *valide nuptias* celebrat [48].

§ II. De dispensatione et cessatione impedimenti professionis religiosae

302. Solus Romanus Pontifex ab impedimento sollemnis professionis religiosae dispensare potest, ut dici solet, *in sensu diviso* [49], i. e. efficere valet ut religiosus *desinat* esse religiosus

religione. Quae nunc abrogata manent, cum status coniugalis sit impedimentum ingressus in religionem (c. 542), tametsi matrimonium adhuc sit ratum et uxor consentiat. At sublato per dispensationem impedimento et secuta unius partis professione, matrimonium *ratum* solvitur et coniux relictus libere ad alias nuptias transire potest (cc. 1111, 1119).

[47] *Goffredo de Trano*, Summ. cit. tit. de conv. coniug. n. 2, 9; *Hostiens.*, Summa eod. tit. n. 3, aliique ex iusta *actionum* i. e. votorum (!) *communicatione* atque ex *analogia* cum vidua clerici, in sacris ordinibus constituti, falso inhabilitatem contrahendi matrimonium etiam post mortem coniugis *professi* repetunt. Quos auctores recte refutant *Sánchez*, l. c. n. 6, 7, 8; *Schmalzgr.*, h. t. n. 66, 67, 68, aliique, v. g. *Scherer*, l. c., 368 sq.; *Rosset*, n. 3952, 3958 sq.

[48] Cfr. *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 12, n. 16, ubi rem dubitanter proponit, reticita pro more suo propria sententia.

[49] *In sensu composito* R. Pontifex non potest dispensare a sollemni voto religioso castitatis; nequit enim efficere ut quis *maneat* in statu religioso et *simul* valide et *licite* celebret nuptias. Nam licet *sollemnitas* votorum non requiratur ad essentiam status religiosi, tamen tria vota substantialia, inter quae recensendum est votum castitatis perfectae, non mere coniugalis, statui religioso sunt adeo essentialia et intrinseca, ut is sine illis votis consistere non possit. Cfr. cap. 6, i. f. X, de stat. monach. III, 35; *Rosset*, n. 1685. Quodsi *Suarez*, l. c. l. 9, cap. 25, n. 7 sq., cum *Navarro* ulterius progrediatur atque existimet ex *dispensatione* R. Pontificis castitatem coniugalem esse compatibilem cum statu religioso, utitur argumentis parum persuasivis. Nam castitas, quae v. g. cit. cap. 6, X, de stat. monach., *simpliciter* requiritur ad statum religiosum, secundum sensum obvium et communiter receptum intelligitur *castitas perfecta*, non coniugalis. Praeterea si ordinibus quibusdam militaribus in Hispania antiquitus concessa fuit commutatio castitatis perfectae in castitatem coniugalem, inde non sequitur quod iidem ordines militares etiam quoad *rem* et *substantiam manserint veri* ordines religiosi, sed *partem* prioris perfectionis retinentes suis *privilegiis* non fuerunt spoliati; verumtamen *post* obtentam istam disciplinae relaxationem per *privilegium* et extrinsecam *denominationem*, non per intrinseca et *completa* status religiosi *constitutiva*, ordinibus religiosis potuerunt adnumerari. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 45, 57, iunct. c. 487.

et deinde, sublato statu religioso, licite valideque contrahat matrimonium [50].

Quae potestas dispensandi R. Pontificis diversa ratione exerceri potest et debet quoad *ipsum votum* perpetuum castitatis in professione sollemni emissum, et iure divino saltem licitae matrimonii celebrationi omnino contrarium, et quoad *sollemnitatem* religiosi voti castitatis sive inhabilitatem ad contrahendum matrimonium *sola* constitutione Ecclesiae inventam. Nam *obligatio* in Deum ex *voto* orta nititur *divino* iure naturali, ideoque sine legitima *causa* a R. Pontifice nec licite nec valide auferri potest; at dispensatio sollemnitatis, cum versetur circa ius mere ecclesiasticum, quamvis absque legitima causa data certe sit *illicita*, tamen valida existit. Quo in casu nihil obstaret *valori* matrimonii contrahendi, licet reliquae obligationes ex *votis* ortae per invalidam dispensationem non essent sublatae [51]. R. Ponti-

[50] *Sánchez*, l. VIII, disp. 8, n. 6 sq.; *Suarez*, l. c. tract. VI, l. 6, cap. 9, 10, tract. VII, l. 6, cap. 15, 16, 17, 18, l. 9, cap. 11, 26, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 13, 49; *Giovine*, I, 426 sq.; *Rosset*, n. 1685 sq.; *Leitner*, 188; *Scherer*, 369, 462 sq.; *Schnitzer*, 452; *Piatus Mont.*, Praelect. iur. regular. I, 172 sq.; *Gasparri*, I, n. 629.

Quibusnam in casibus RR. Pontifices *saeculis elapsis* revera usi sint sua potestate dispensandi, non est eruendum ex catalogis dispensationum a compluribus scriptoribus parum accurate compositis (cfr. *Ferraris*, l. c. v. Matrim. art. 7, n. 4, v. Votum art. 3, n. 68; *Bouix*, De iure reg. II, 454), sed iuxta novam recensionem criticam a *Nilles* in Arch. f. k. K. LXI, 331 sq. sollerter factam, est diudicandum.

[51] *Suarez*, l. c. tract. VII, l. 9, cap. 26, n. 6. Quo in loco, n. 3 sq., *Suarez*, etiam docet *moraliter loquendo* non posse saltem *licite* in *sollemnitate* huius voti castitatis dispensari, quin in *voto ipso* dispensetur. Nam ut opinatur, ex parte *potestatis* pontificiae et *obiecti* nihil obstat quominus sollemnis professio religiosa ita relaxetur, ut sublatis duobus *aliis votis* in persona dispensata, solummodo maneat sollemne votum castitatis cum inhabilitate ad contrahendum matrimonium, aut sola obligatio voti simplicis castitatis sine ulla inhabilitate celebrandi validas nuptias. Nihilominus practice et moraliter loquendo putat talem dispensationem et commutationem *ex defectu causae legitimae* vix posse habere locum. Cuius assertionis eam affert rationem, quod votum sine legitima causa dispensari non possit; at unicam causam legitimam ad dispensationem super professione religiosa, qua religiosus desinat esse religiosus, existimat esse illam ut talis persona, v. g. propter bonum publicum, **contrahat matrimonium**, cum in omnibus aliis casibus, qui excogitari possint, *absque mutatione status religiosi* per *alias* dispensationes (cfr. S. C. Ep. et Reg. 1 iul. 1898; *Suarez*, l. c. n. 5), sufficiens remedium possit afferri. Hinc tandem aliquando concludit: « *Ergo repugnantia est dicere intervenire causam sufficientem ad dispensandum cum religioso, ut religiosus non sit cum obligatione perpetuo servandi continentiam; nam haec obligatio vel destruit legitimam causam vel impedit remedium eius* ».

Qua in disquisitione profecto ei concedendum est Sedem Aposto-

fex sua potestate dispensandi tum in viris regularibus tum in monialibus sollemniter professis ad matrimonium valide contrahendum sane licite et valide uti *potest* ob *urgentissimam* causam, quae *immediate* bonum *publicum* [52] concernat, at nequaquam ad talem causam *restringitur*, sed etiam propter gravissimas causas, bonum *privatum* oratorum respicientes, eandem dispensationem concedere valet et ex disciplina vigente etiam de facto indulget. Id quidem evidenter patet ex dispensationibus a S. C. Inq. nunc non adeo raro concessis [53] atque ex indulto Sedis Apostolicae (S. C. Inq. 20 febr. 1888) Episcopis dato quoad concubinarios moribundos, in quo vel ipsa potestas dispensandi Ordinariorum non limitatur ad causam urgentissimam boni publici, atque in facultate quae datur per cc. 1043-1045 pariter causa boni privati admittitur ut sufficiens. Multo autem facilius obtinetur dispensatio, si magis conceditur *ad cautelam*, cum professio sollemnis, v. g. ex capite metus, ob gravissimas rationes forte non *plena certitudine* probatas videatur esse *invalida* [54].

Denique etiamsi a R. Pontifice solvatur vinculum, quo quis Ordini suo religioso fuit alligatus, atque adeo vota *paupertatis* et *obedientiae* penitus relaxentur vel saltem commutentur [55], tamen sollemne votum *castitatis* tantummodo ita *commutari* solet, ut religiosus dispensatus a voto castitatis non totaliter liberetur, sed etiam contra votum castitatis peccet, si extra licitum matrimonii usum delinquat. Praeterea in rescriptis dispensationis facultas celebrandi legitimas nuptias plerumque restringitur ad *unum* matrimonium contrahendum. Quare coniux dispensatus,

---

licam saltem ordinarie non dispensare a sollemni voto castitatis in professione religiosa emisso, nisi ex legitimis causis in ordine *ad matrimonium contrahendum* ideoque dispensando etiam in voto. Cfr. infra h. cap. not. 55. Quodsi Suarez praeterea teneat non posse excogitari *alias causas, ob quas cum religioso dispensetur in reliquis, sed salvo caelibatu*, ipse, l. c. n. 5, tales videtur afferre causas, quibus non obstante impugnatione tandem in fine *absolute* vim non videtur negare. Porro Congregationibus religiosis virorum et mulierum a Sede Apostolica approbatis, in quibus tria vota substantialia, publica, perpetua, sed simplicia emittuntur, certe essentia status religiosi propria est. Quibus non obstantibus, si quis ex tali Congregatione legitime dimittatur, non in actu dimissionis ipso facto vota solvuntur, sed ad Sedem Apostolicam pro dispensatione a votis perpetuis est recurrendum (c. 669 § 1). Cfr. S. C. Ep. et Reg. 10 ian. 1896; Leon. XIII Const « *Conditae* », 8 dec. 1900, P. II, n. 1, 2, iunct. P. I. n. 8, (de institutis dioecesanis); Normae S. C. Ep. et Reg. 28 iun. 1901, n. 192, 193, 194 sq. 201. Quae dispensatio a votis religiosis ita concedi multo tempore solita est, ut saltem post primam supplicationem in rescripto gratiae, relaxatis votis paupertatis et obedientiae *firmum* retineretur votum perpetuum castitatis. Cfr. S. C. Ep. et Reg. 4 iul. 1898. Quae dispensatio attenta doctrina per *Suarez*, l. c. n. 2, propugnata non raro potius haberet vim *authenticae declarationis* quam strictae *dispensationis*. Nam *Suarez*, l. c., ita arguit: « *Votum illud non fuit emissum nisi ut adnexum tali professioni et statui; ergo ablato statu et professionis vinculo consequenter aufertur votum* »; at in fine suae assertioni vel de ipsa professione invalida hanc addit limitationem: « *Nisi vel aliud constet de intentione voventis in iure, vel aliud sit in aliquo speciali casu expressum* ». Cfr. cit. decret. S. C. Ep. et Reg.; *Piatus Mont.*, Prael. iur. reg. I, 150 sq.

[52] *Sánchez*, l. c. n. 8; *Giovine*, l. c., 430 sq. aliique scriptores antiqui et recentiores satis communiter tenuerunt ad talem dispensationem omnino *requiri* causam *urgentissimam* boni *publici* nec sufficere causam boni *privati*, saltem ut gratia dispensationis *licite* concedatur. Cui opinioni ex antiquis scriptoribus non faverunt *Richardus* et *Caietanus* et recte ex recentioribus doctoribus cum *Carrière* contradixerunt: *Rosset*, n. 1692, aliique, v. g. *Scherer*, 462, not. 38; *Schnitzer*, 452, not. 4; *Leitner*, 188; *Gasparri*, I, n. 630. Nam potestas R. Pontificis neque ex *natura rei*, sive *votum* castitatis sive *sollemnitas* voti attendatur, neque *positiva Christi voluntate* ad solas causas boni *publici* est restricta. Quare praxis quaedam Ecclesiae *de facto* antiquitus servata confundenda non est cum disciplina *unice possibili*. Neque efficax est argumentum depromptum ex detrimento ordinum religiosorum; nam ista ratio per experientiam non comprobatur et solummodo procedit contra dispensationes nimis *faciles* et ob *leves* causas datas, non contra praxim nunc aliquantulum mitiorem, quae alia via denuo redundat in bonum *publicum*. Etenim per liberationem faciliorem a membris putridis vel discolis, reformationi, puritati, bonae famae Ordinum religiosorum nostra aetate melius consulitur.

[53] Cfr. v. g. dispensationes a *Pio VI* et *Pio VII* in Gallia concessas; S. C. Inq. 15 ian. 1888, in Arch. f. k. K. LXIX, 135, et in aliis casibus recentioribus. Quibus in rescriptis dispensationum non solum graves imponuntur paenitentiae statim peragendae, sed etiam gravia alia onera in perpetuum portanda, v. g. recitatio rosarii, frequens susceptio sacramentorum, ieiunia.

[54] S. C. Inq. 25 sept. 1865, apud *Giovine*, l. c. II, 160 sq.

[55] Sedes Apostolica procul dubio etiam a duobus illis votis plene dispensare *potest*; at utrum *de facto* totaliter dispensarit, an solummodo salvis votis concesserit aliquas *facultates* (cfr. *Suarez*, l. c. n. 4, 5), ex tenore rescriptorum est eruendum. Cfr. *Rosset*, l. c. n. 1692. Nam in formulis receptis dispensatio hisce verbis quandoque enunciatur. « *SSmus D. N. ... benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii NN.*, qui ... dispensare valeat oratorem NN. *super votis sollemnibus ab eo emissis in Ordine, de quo in precibus*, **eum in finem, ut matrimonium valide licite ac legitime contrahere possit** *cum muliere catholica* ». At in aliis formulis haec specialis reperitur clausula dispensationi vel potius commutationi sollemnis voti religiosi castitatis adiuncta: « *Viro religioso iniungatur obligatio* **reliqua sollemnia vota** *in regulari professione emissa servandi, quantum prudenti iudicio Ordinarii in eo statu commode fieri possit, ac aliquod pium opus in professa religione fieri solitum ab eodem praescribendum quotidie peragendi* ».

si alteri parti supervivat, ad alias nuptias licite valideque celebrandas transire nequit, nisi novum consequatur indultum apostolicum [56].

303. *Cessatio* impedimenti vera et propria habetur si religiosus sollemniter professus ex licentia S. Sedis transeat ad Congregationem religiosam atque in ea vota simplicia nuncupet; cessat autem quia sollemnitas votorum ex dispositione iuris ipso facto extinguitur (c. 636). Semper autem excipiendus est casus religiosi transeuntis qui in ordine sacro sit constitutus, in quo impedimentum manet *ratione ordinis*.

Pariter per indultum saecularizationis legitime ad normam c. 638 obtentum ex ipsa iuris dispositione cessant vota religiosa et consequenter impedimentum dirimens professionis religiosae (c. 640), salvo semper impedimento ordinis sacri, si forte existat.

Similem effectum habet *legitima* dimissio professi votorum simplicium in Societate Iesu, qui cum legitima dimissione solvatur a votis, nihil amplius obstat quominus et *valide* et *licite* nuptias inire queat [57]. Quem effectum non inducit *invalida* dimissio et multo minus apostasia.

304. Quodsi professio votorum sollemnium per duas sententias conformes in foro ecclesiastico declaratur nulla et irrita, proprie non *cessat* impedimentum professionis religiosae sed potius *authentice constat* personam regularem illo impedimento *nunquam* fuisse ligatam. « *Liberum* (vero) *professo non* (est), ut statuit Benedictus XIV, Const. « *Si datam* », 4 mart. 1748, *a religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit sententias conformes, quibus ab eo emissa professio nulla et irrita declarata fuerit* » [58].

At si persona religiosa forte *pendente causa* aut post *primam* sententiam de nullitate suae professionis sollemnis convolet ad nuptias, certe *illicite* ageret; nihilominus *valor* matrimonii non esset in dubium vocandus si professio sollemnis *revera* fuisset invalida et postea legitime ut talis declarata; nam illa prohibitio non transeundi ad nuptias lite pendente non habet adiunctam

---

[56] Cfr. tenorem rescriptorum in dispensationibus concessis, v. g. a Pio VII, 22 ian. 1802, comiti de Mervelt, equiti professo ordinis teutonici, et a *Pio IX*, 16 mart. 1866, per S. C. Ep. et Reg. equiti professo ordinis Melitensis apud *Nilles*, l. c. in Arch. f. k. K., 329 sq.; *Rosset*, l. c.

[57] Gregorius XIII, Const. « *Ascendente Domino* »; *Suarez*, l. c. tract. X, l. 3, cap. 9.

[58] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 19 de regular. et declar. S. C. C. in ed. *Richt*. C. Tr. 423 sq.; ASS. VIII, 39 sq.; *Piatus Mont*., l. c. I, 154 sq.

clausulam irritantem. Querela vero *nullitatis* professionis sollemnis reiecta, certe standum esset pro nullitate *matrimonii* antea contracti [59].

§ III. Poenae statutae contra violatores impedimenti

305. Iure Codicis hae poenae sunt constitutae:

1°) Contra regulares et moniales post votum sollemne castitatis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes in c. 2388 § 1 statuitur *excommunicatio* latae sententiae simpliciter Sedi Apostolicae reservata, quae pariter incurritur a persona quae cum ipsis matrimonium attentet.

2°) Irregularitas ex delicto statuitur in c. 985, 3°.

3°) Dimissio ab Ordine cum omnibus iuridicis sequelis ex ipsa dispositione iuris. Can. 646 § 1, 3°.

4°) Quodsi illa violatio sit permanens et religiosus ita fiat concubinarius, puniendus erit ad normam c. 2357 § 2 et 2359 § 1.

Denique in hac re attendendum est ius peculiare cuiusque Ordinis religiosi.

CAPUT XII

De impedimento raptus

306. **Fontes:** C. XXVII, q. 2; C. XXXVI, 1, 2 [1] — Cpl. I; L. V, t. 14; de raptoribus; cpl. III, l. V, t. 9, de raptorib. — Decretal. Gregor. IX, lib. V, t. 17, de rapt. — Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 6, de ref. matr. — Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, 170. — Instr. S. C. de Prop. Fid. 17 apr. 1784, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1418; Instr. S. C. Inq. 15 febr. 1901, ad Episc. Alban. in *Anal. eccl*., IX, 98 sq.; S. C. C. in ASS. I, 15 sq.; 54 sq., et in ed. *Richt*. C. Tr., 252 sq. — Instr. *Card. Rauscher*, §§ 19, 173.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in lib. IV, tit. 1, de sponsal. et in libr. V, t. 17, de raptorib. — *S. Raym*., Summa libr. II, t. 5, de raptorib. — *Aichner*, l. c. § 176; *Devoti*, l. c. § 124; *Scherer*, l. c. § 124. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 12, 13, 14; *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. I, sect. 840; *Van de*

---

[59] S. C. C. in c. Rom. 19 ian. 1805, in ed. *Richt*. C. Tr., 256, n. 94, ubi indemnitati mulieris deceptae per adhibitos falsos testes de statu libero sponsi consultum est per concessionem iuris consequendi alimenta ex pensione reservata viro illi regulari attentanti matrimonium, pendente causa, et postea in querela nullitatis professionis reiecto.

[1] Cod. Theod. IX, 24, de rapt. virg. vel vid., 25, de raptu vel matrim. sanctimon.; Cod. IX, 13, de raptu virginum seu viduarum necnon sanctimonialium; Novell. 143, 150; cod. civ. Austr. § 56, Hispan. art. 101; *Zhishman* ,561 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 143, *Schulte*, Eher., 550 sq.

Burgt, 114 sq.; *Feije*, n. 145 sq.; *Mansella*, 16 sq.; *Gasparri*, I, n. 634 sq.; *Rosset*, n. 1344 sq.; *Schnitzer*, 338 sq.; *Leitner*, 146 sq.; Arch. f. k. K. III, 170 sq., VII, 109 sq., LXVI, 108 sq. — *Moy*, 57 sq., 324 sq.; *Freisen*, 587 sq.; *Schmitz*, l. c., 44, 270 aliisque in loc.; *Esmein*, I, 434 sq., II, 279, 449 sq. — *Chelodi*, n. 89 sq.; *Vlaming*, I, n. 308 sq.; *De Smet*, n. 646 sq.; *Cappello*, I, n. 458 sq.

Canon 1074. *Inter virum raptorem et mulierem intuitu matrimonii raptam, quamdiu in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium.*

Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.

Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quam libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet.

Praenotiones

307. Impedimentum dirimens raptus iure Decretalium [2] ab impedimento vis et metus *non* fuit distinctum; at a Concilio Tridentino « *tum ex praesumptione non consensus cum in odium tanti facinoris* » [3], ad tuendam *libertatem* matrimonii tanquam

[2] Cfr. cap. 7, X, (*Innoc. III*, a. 1200), de raptor. V, 17.

[3] Quae verba de motivo legis Tridentinae desumpta sunt ex cit. Instr. S. C. Inq. 15 febr. 1901 ad Episcopos Albaniae. Cfr. *Suarez*, De leg. l. V, cap. 19, n. 4. Inde iam patet modum loquendi recentiorum quorundam canonistarum, v. g. *Santi, De Angelis, Sebastianelli* aliorumque de praesumptione vis et metus in impedimento raptus non posse reprehendi, nisi controversia reducatur aut ad litem *de voce* (cfr. *Suarez*, De leg. l. V, cap. 24, n. 8), aut iisdem canonistis tribuatur sententia, quam minime tenent. Etenim nemo serio defendit impedimentum raptus niti *praesumptione facti particularis* vis et metus, qua sublata cesset impedimentum raptus. Id en˙m esset manifeste falsum. Nam etiamsi in *casu particulari* mulier rapta, sub potestate raptoris adhuc constituta nec loco tuto et libero reddita, vere libereque consentiret in matrimonium cum raptore, nihilominus contractus matrimonialis esset invalidus, quia deest condicio a legislatore absolute essent'aliter requisita. At longe alio modo res sese habet, si quis dicat legem Tridentinam de raptus impedimento niti saltem principaliter *certa scientia communis periculi vis et metus*: qui modus loquendi procul dubio est praeferendus. Quod *commune* periculum in raptu plane *certum* nemo profecto negabit; at aeque indubitatum est efficaciam legis in *generali* certaque ratione vitandi *communis periculi fundatam* non cessare, si forte per accidens in casu *particulari* illud periculum non verificetur. Cfr. *De Angelis*, I, IV, t. 1, n. 20; *Suarez*, De leg. l. V, cap. 24, n. 4 sq. Quare sententia citata recentiorum canonistarum solummodo impugnari potuit, si *lex* cum *motivo* principali legis confun-

proprium distinctumque impedimentum est institutum. Qui antiquus *nexus* utriusque impedimenti atque *ratio*, qua novum impedimentum raptus nititur effecit, ut non iam in iure *criminali* de impedimento raptus ageretur, velut fecerunt antiqui commentatores sub rubrica de raptoribus l. V, t. 17, sed in materia de impedimentis matrimonii et quidem inter impedimenta ex defectu consensus plane liberi saltem a multis proponeretur.

308. Notio. *Raptus* considerari potest tum ut *crimen* tum ut *impedimentum* matrimonii.

Crimen raptus est violenta abductio mulieris de loco tuto ad locum non tutum intuitu matrimonii *aut* explendae libidinis causa.

deretur, atque praesumptio *facti particularis* non satis distingueretur a praesumptione generali vel potius a certa scientia *communis periculi* (praesumptione sensu latiore). Cfr. *Nasoni*, Comp. iur. can. P. II, 99, not. 5; *Gasparri*, l. c. n. 660, ubi pariter praesumptionem quandam admisit hisce verbis: « *Hoc impedimentum* (raptus), *posito vero mulieris consensu contra iuris praesumptionem, est iuris ecclesiastici tantum* »; *Suarez*, l. c. cap. 24, n. 8.

Porro si Patres Tridentini dicuntur impedimento raptus reddidisse *personam* mulieris raptae *inhabilem* « *ad sic contrahendum* » i. e. in loco non tuto (cfr. *Rosset*, n. 1344, iunct. *Suarez*, l. c. cap. 19, n. 4, cap. 24, n. 4, 7), huiusmodi sententia denuo potius reducitur ad modum loquendi. Nam ut scite observat *Suarez*, l. c., persona tandem aliquando solummodo fit *inhabilis*, quatenus ipsius voluntas redditur incapax ad ponendum *actum iuridice efficacem*, et vicissim *actus* vel *voluntas* non potest reddi inefficax, n'si eo ipso *persona* reddatur *inhabilis*. Quare etiam dici potest, Concilium Tridentinum in *actu* sive in *voluntate* mulieris raptae ad *valorem* contractus matrimonialis requisivisse talem *gradum libertatis*, qui ex natura rei et antiquo iure Decretalium non fuit necessarius. Hinc *perfectae libertatis* tutela fuit scopus principalis huius novi impedimenti.

Quod in cit. Instr. S. C. Inq., 15 febr. 1901, etiam « *odium tanti facinoris* » allegatur tanquam *ratio* legis, id sane verissimum est; at non eo rigore haec verba sunt intelligenda, quasi impedimentum raptus ad instar impedimenti criminis habeat sensu stricto rationem *perpetuae poenae vindicativae*. Id enim admitt' nequit. Nam quamprimum mulier rapta in loco tuto et libero est constituta, impedimentum per se cessat. Hinc Tridentina lex solummodo *sensu latiore* habebat vim *irritantis* legis in *poenam* delicti, licet aliae poenae raptori fuerint additae, ex hoc quod raptores novo impedimento inducto efficacius a raptu retrahi debebant; quae ratio evidenter non erat sufficiens, ut raptus inter impedimenta dirimentia *poenalia* ob *delictum* recenseretur.

Qua explicatione praemissa, satis apparet cur Codex retinuerit raptum ut impedimentum canonicum, tametsi e numero imnedimentorum expunxerit ea quae vitiant consensum: quo modo agendi profecto Codex clarius impedivit ne impedimentum raptus posset ulla ratione confundi cum impedimento vis et metus, quod de multorum sententia est iuris naturalis. Cfr. *Vlaming*, I, n. 309.

Distinguitur raptus *violentiae* et raptus *seductionis*. Primus consistit in abductione mulieris violenta, i. e. *vi* vel *dolo* facta contra ipsius puellae raptae voluntatem; et hic est raptus in sensu magis proprio et stricto acceptus. Raptus vero *seductionis* consistit in abductione mulieris minoris aetatis consentientis quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus. Uterque in ratione delicti et quoad poenas aequiparatur in c. 2353.

Raptus impedimentum iure Codicis est *violenta mulieris abductio vel detentio, matrimonii cum ea ineundi causa, peracta.*

Ex qua notione iam clarissime apparet impedimentum raptus non coincidere cum crimine raptus: nam v. gr. raptus seductionis habetur ut crimen raptus, sed non est impedimentum; e contra vera et propria *sequestratio* mulieris, si fiat intuitu matrimonii sub impedimento raptus comprehenditur, non sub crimine raptus.

309. Notae historicae. *Raptus* mulierum etiam penes populos antiquos nequaquam constituit *formam primitivam* unionis matrimonialis inter virum et uxorem, in cuius locum deinde ex opinione quorundam virorum doctorum *emptio* uxorum fuisset substituta secundum mores usque ad nostram aetatem inter gentes barbaras receptos[4]. Multo minus iure hebraeorum fuit permissum, quod vir per raptum sibi copularet uxorem. Quodsi contra violentos *stupratores* virginum desponsatarum gravissimae statutae fuerant poenae, id a fortiori obtinuit in *raptoribus*. Nec certe immunes abierunt *raptores* virginum *non* desponsatarum, si attendantur poenae stupratorum earundem virginum[5].

Cum religio christiana divulgaretur, et primis tribus saeculis haec libertatis matrimonii violatio inter christianos sine dubio rarius occurreret, teste ipso S. Basilio[6] *canones* antiqui *de raptu* non inveniuntur. Qui canones etiam ob illam rationem non fuerunt adeo necessarii, quod vel ipsi imperatores romani saec. II et III statuissent poenam capitalem in raptores[7]. At crescente hominum audacia ex saeculo IV crimen raptus saepius est perpetratum. Quare et canonibus Ecclesiae[8] et legibus im-

[4] Cfr. contra huiusmodi somnia historica: *Scherer*, l. c. § 113, not. 1, § 124; *De Smet*, n. 81; *Westermark*, « Origine du mariage », 369! *Cathrein*, Moralphil. II, 281 sq. iunct. S. C. Inq. 8 apr. 1889, in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1301; de mulieribus *mere* emptis.

[5] Deuter. XXII, 22, sq.; c. 8, 9, C. XXXVI q. 2; *Schegg.*, Bibl. Archaeol., 643 sq.

[6] Cfr. epistol. canon. secund. ad Amphiloch. c. 22, 30.

[7] L. 5, § 2, D. XLVIII, 6; *Zhishman*, 563.

[8] Conc. Ancyr. (a. 314), c. 11; Conc. Chalced. (a. 451), c. 27; c. 2, (Gelas. a. 496), C. XXXVI, q. 1. Cfr. de can. 67 Apost.: *Zhishman*, 562,

peratorum romanorum severae statutae sunt *poenae* in raptores mulierum; immo leges romanae matrimonium inter raptorem et raptam *absolute* declararunt *invalidum*[9].

Ex iure saeculari populorum *germanicorum* medii aevi delictum raptus mulieris non desponsatae vel sponsae regulariter mulctis sive *compositionibus pecuniariis* puniebatur, atque rarius, v. g. apud visigothos, occurrunt graviores sanctiones iuris Romani; compositione vero peracta cum parentibus vel tutoribus vel sponsis, nihil obstabat matrimonio raptoris cum rapta libere contrahendo[10]. Quare mirum non est quod, attenta illa iuris benignitate etiam in hisce regionibus et praesertim in regno francorum, paulatim tum ab Ecclesia tum a regibus severae fuerint conditae leges contra raptores mulierum[11]. Denique in Ecclesia Occidentali saltem ex saeculo IX matrimonium *raptoris* cum *rapta* atque adeo cum qualicumque muliere in perpetuum fuit interdictum[12], quamvis *valor* matrimonii, non obstante prohibi-

qui illum cum commentatoribus graecis melius intelligit de *stupratoribus violentis*, non de raptoribus; aliter *Freisen*, 595.

[9] L. 1. Cod. Theod. de raptu virg. IX, 24, (Constantin. a. 320): « *Si quis nihil cum parentibus puellae ante depactus, invitam eam rapuerit vel volentem abduxerit, patrocinium ex eius responsione sperans quam propter vitium levitatis et sexus mobilitatem atque consilii a postulationibus et testimoniis omnibusque rebus iudiciariis antiqui penitus arcuerunt, nihil ei secundum ius vetus prosit puellae responsio, sed ipsa puella potius societate criminis obligetur* ». L. 54, Cod. de Episcopis I, 3; L. un. Cod. de rapt. virg. IX, 13; *Novell.* 143, 150; *Zhishman*, 574 sq.; *Scherer*, 377; *Freisen*, 587 sq.

Qua in re certe « *vetus ius* » romanorum, quod Constantinus M. cit. Lib. 1, Cod. Theod. IX, 24, abrogavit, fuit minus rigidum; nam si rapta mulier consensit, raptor illam retinere potuit uxorem. Cfr. *Schmalzgr.*, V, 17, n. 14 sq.; *Zhishman*, 574 sq.

[10] Cfr. v. g. leges Alamann., Baiuvar., Saxon., Salic. et Ripuar. (Franc.), Burgund., Rotharis (Longob.), Visigoth.; *Walter*, D. Rechtsg. n. 479, 471; *Scherer*, 377, not. 4 sq., 384 sq.

[11] Cfr. c. 2 Conc. Aurel. I, (a. 511), et Symmach. ad Caesar, cap. 4, (a. 513), et c. 6 Conc. Paris. III, (a. 557); c. 3, 2, 6; C. XXXVI, q. 2; c. 20 Conc. Turon. II, (a. 567); decret. *Childeberti II* (a. 596), c. 4; c. 10, 11, Synod. Roman. (a. 721); *Freisen*, 592 sq.

[12] Cfr. cap. 23 Synod. Aquisgran. (a. 817) = c. 4, C. XXXVI, q. 2, ubi *Gratianus* falso canonem illum adscribit Concil. Cabilon.; cap. 6, Synod. in palat. Verno (a. 844); c. 64 sq. Conc. Meldens. (a. 845) = c. 17, C. I, q. 7, et c. 10, 11, C. XXXVI, q. 2, cum dictis Gratiani; cap. 24 Synod. Aquisgr. (a. 867) = c. 33, 34, C. XXVII, q. 2; c. 10 Conc. Ticin. (a. 850); c. 8 Conc. Trosleian. (a. 909); *Freisen*, 596 sq., ubi conexionem impedimenti raptus cum *paenitentia* publica fusius exponit atque, p. 599 sq., recte cum antiquis Glossatoribus non admittit explicationem c. 65 Conc. Meldens. (a. 845) a Gratiano in dicto post c. 10, C. XXXVI, q. 2, datam,

tione, forte celebrati, saltem *ab Ecclesia* nequaquam ubique in dubium vocaretur [13]. Mitiorem disciplinam in praxi et apud *Gratianum* iam praeformatam [14] *Innocentius III* approbavit matrimoniumque inter raptorem raptamque etiam ut *licitum* permisit, « *si prior dissensio transisset in consensum* », i. e. si *libere* consentiat illa quoque pars, cui per raptum metus fuerat incussus. Cfr. cap. 7, X, de raptoribus V, 17. Quare raptus fuit reductus ad terminos impedimenti *vis* et *metus* et usque ad Concilium Tridentinum eatenus constituit impedimentum *dirimens*, quatenus fuit *unus ex multis modis* per vim gravem et iniustam extorquendi matrimonialem consensum. Ob gravissimos abusus postulata est ab Episcopis et legatis regiis Galliae in Concilio Tridentino legum ecclesiasticarum de raptu reformatio. Cui postulato [15] satisfactum est cap. 6, Sess. XXIV, de reform. matr. Ete-

---

quod raptor post paenitentiam tantum cum tertia persona, non cum rapta, potuerit inire matrimonium; nam rapta nequaquam in *omnibus* casibus fuit *culpabilis* et consequenter nec paenitentiae subiecta nec a matrimonio cum qualicumque viro exclusa.

[13] Cfr. c. 92 Conc. Trullan. (a. 692); c. 10, 11 Synod. Roman. (a. 721) = c. 5, C. XXXVI, q. 2; c. 64 sq. Concil. Meld. (a. 845); *Ioann. VIII* in epist. ad Rostann., Episc. Arel. scr. (a. 873-882) = c. 47, C. XXVII, q. 2. Antiquiores scriptores satis communiter ex c. 4, 10, 11, C. XXXVI, q. 2, deduxerunt matrimonium inter raptorem et raptam in perpetuum non solum declaratum fuisse *illicitum*, sed etiam *invalidum*, etiamsi mulier in loco tuto dedisset liberum consensum. At iam *Sánchez*, l. VII, disp. 12, n. 41, cui consensit v. g. *Schmalźgr.*, n. 16, recte est contrarius, quod illis canonibus « *tale matrimonium denotetur fuisse* irritum »; nam verba canonum sane *prohibitionem*, at nullo modo *irritationem* insinuant. *Freisen*, 596 sq., licet candide fateatur in compluribus canonibus, v. g. c. 11 Synod. Roman. (a. 721) = c. 5, C. XXXVI, q. 2, contineri *poenam, non irritationem* huiusmodi matrimonii, tamen cit. cap. 23 Synod. Aquisgran. (a. 817) = c. 4, C. XXXVI, q. 2, nullitatem putat esse statutam. Verumtamen nullitas ista in cit. c. 4 *clare* nulla ratione indicatur, et verba quoque cap. 24 cit. Synod. Aquisgr. = c. 33, 54, C. XXVII, q. 2: « *Sine spe coniugii maneat* » profecto denotant prohibitionem, non irritationem. Cfr. clausulam in dispensationibus apponi solitam; *Gasparri*, I, n. 662. Tandem etiamsi quis ex illis canonibus invaliditatem colligere vellet, solummodo demonstrasset ius quoddam *particulare* Ecclesiae *gallicanae*, a qua Ecclesia romana certe fuit aliena. Cfr. *Leitner*, 196.

In Ecclesia quoque Orientali, ut patet ex alleg. c. 92 Conc. Trull., sane ex antiquo iure *canonico* nulla irritatio fuit statuta. Id concedit etiam *Zhishman*, 576 sq., qui non nisi ex saeculo X repetit immutationem disciplinae.

[14] Cfr. c. 68, 69 Conc. Melden. (a. 845); c. 7, 8, 9, C. XXXVI, q. 2: Paenitent. Arundel. c. 65 (*Schmitz*, l. c., 455); *Bernard. Papiens.*, 135 300, 301 sq.; *Tancred.*, 42; *Freisen*, 607 sq.; *Scherer*, 378.

[15] *Theiner*, Act. Conc. Trid. II, 337 sq.; *Pallavicino*, Hist. Conc. Trid.

nim antiqua illa lex prohibens matrimonium inter raptorem et raptam ea ratione sapienter transmutata est in legem irritantem, ut raptus, abrogata concessione *Innocentii III*, tamdiu impediret valorem illius matrimonii, quamdiu rapta non esset separata a raptore atque in loco tuto et libero constituta. Cui decreto de novo matrimonii impedimento novae quoque et severae additae sunt *poenae* contra raptores. Quae disciplina cit. cap. 6 Concilii Tridentini de impedimento raptus statuta usque ad novum Codicem immutata permansit.

§ I. De origine et ambitu impedimenti raptus

310. Raptus, ut impedimentum quoddam dirimens, ab impedimento vis et metus distinctum, tum ad libertatem et dignitatem sacramenti matrimonii magis defendendam tum in odium ipsius criminis, ne raptores spe consensus ad tantum scelus contra publicam securitatem et morum honestatem facilius excitarentur, immediate a Concilio Tridentino l. c. institutum fuerat absque necessitate promulgationis in singulis paroeciis peragendae [16].

Quae rationes seu motiva legis non effecerunt ut impedimentum esset stricte poenale, cum restituta muliere suae plenae libertati statim cessaret impedimentum, etsi delictum raptus iam esset plene consummatum. Ob similes rationes retentum fuit in Codice.

Quare hoc impedimentum, cum nitatur *iure mere ecclesiastico*, *infideles* inter se non ligat, nisi principes *civiles* pro hominibus non baptizatis eandem condiderint legem irritantem. Quodsi raptor sit infidelis atque rapta mulier fidelis aut viceversa, in utroque casu etiam seposito impedimento disparitatis cultus matrimonium est invalidum, nisi condicio *legis* de constitutione mulieris in loco tuto et libero impleatur. Nam si *raptor* sit *fidelis*, certe propter odium in tantum facinus ab Ecclesia « *ad sic con-*

---

l. 22, c. 1 sq.; *Esmein*, II, 279; *Riganti*, Comment. in Reg. Canc. Apost. 49, n. 52. Cfr. quoque *Berner*, Lehrb. d. d. Strafr. 518 sq.

[16] Ita recte *Scherer*, l. c., 380, not. 15, contra *Bangen*, qui ius *speciale* capitis *Tametsi* de forma Tridentina falso applicat capiti 6 de impedimento raptus.

In Ecclesia Orientali raptus inter impedimenta dirimentia matrimonii Ecclesiae Orientalis recensetur in Synod. Mont. Liban. a. 1736, (Collect. Lac., II, col. 167 sq.) et in Synod. Sciarfensi Syror. (a. 1888) 181 sq.: quae disciplina orientalis nunc videtur esse interpretanda ad normam novi Codicis, cum inducta fuerit per acceptationem iuris Ecclesiae latinae.

trahendum» *factus est inhabilis;* hinc cum in impedimento raptus non vigeat *communicatio immunitatis,* propter inhabilitatem vel *unius* partis contractus matrimonialis est irritus. Si accidat ut raptor sit infidelis, sane in *favorem libertatis* rapta mulier *fidelis* a iure est *inhabilis* ad contrahendum validum matrimonium, antequam in loco tuto sit constituta; unde denuo consequitur nuptias *aliter* celebratas esse irritas, quippe quae requirunt habilitatem *utriusque* partis contrahentis. Hinc liquet in utroque casu partem fidelem *directe* ligari lege irritante Ecclesiae, partem vero infidelem *indirecte* [17].

311. Ut raptus inducat impedimentum dirimens matrimonii, hae requiruntur condiciones:

I. *Abductio repugnantis* mulieris de loco tuto in alium locum non tutum et moraliter diversum. Atque haec est prima figura impedimenti raptus stricte dicti: pro qua iure Codicis non multum refert quaestio de distantia inter locum et locum, modo habeatur violenta abductio a *loco* seu *statu* tuto in quo non erat sub potestate raptoris in *locum* seu *statum* non tutum in quo sub raptoris potestate sit constituta; ubi enim in proprio sensu non verificetur *abductio,* saltem verificabitur *sequestratio* seu *retentio* quae ex novo iure etiam est impedimentum raptui aequivalens [18].

---

[17] *Gasparri,* I, n. 663; *De Smet,* n. 652; *Cappello,* I, n. 472; *Van de Burgt,* l. c., 55: «*Quodsi infidelis a fideli raptus fuerit ... non videtur iure ecclesiastico matrimonium viribus destitui; infidelis enim inhabilis est quominus directe fruatur bonis seu privilegiis Ecclesiae, insuper impedimentum directe afficeret non baptizatum, cuius pariter incapax est. De clandestinitate opinor, non dirimere eam nuptias inter fidelem et infidelem, quemadmodum suo loco observabimus*». Quae argumentatio non est efficax. Nam hic auctor, quae de *sola forma Tridentina* ex iure speciali statuta erant, ut pars immunis communicet suam immunitatem cum altera parte per se ligata, perperam *extendit* ad alia impedimenta, v. g. raptus. Porro Ecclesia in casu minime infidelibus directe concedit privilegia, sed potius *suis facinorosis* subditis fidelibus directe *negat* favorem vel privilegium, i. e. *habilitatem* in praemium nequitiae cum infideli parte innocente celebrandi validas nuptias. Deinde licet Ecclesia *directe* infideles suis impedimentis dirimentibus ligare non possit, id *indirecte* omnino valet, ut patet ex impedimento disparitatis cultus. Etenim praecise ob *individuitatem* contractus matrimonialis ad *valorem* actus requiritur habilitas *utriusque* partis contrahentis. Cfr. quoque *Boeckenhoff,* De individuitate matrim. 5 sq., 9 sq., 33 sq.

[18] Cfr. ex una parte *Schmalzgr.,* V, 17, n. 4; *Van de Burgt,* l. c., 116; *Gasparri,* l. c. n. 645; *Rosset,* n. 1340; *Schnitzer,* 342, not. 1; *Scherer,* 381; ex alia parte *Clericatus, Bangen* aliosque. *Sequestratio a vero raptu* distincta verius non erat comprehensa in iure Concilii Tridentini. At salva vera *diversitate* loci minus urgenda erat *distantia* utriusque loci;

Ergo altera figura impedimenti est illa ipsa *sequestratio* seu *detentio* mulieris, sive in loco ubi ipsa commoratur sive in loco ad quem libere accessit, si per violentiam impeditur ne possit inde discedere et in alium locum tutum se conferre, ubi sub potestate sequestratoris seu detentoris non sit constituta. In finem impedimenti idem est invitam *trahi* in aliquem *locum* ibique detineri aut invitam *detineri in loco,* ad quem violenter non fuerit abducta [19].

Tam *abductio* quam *detentio* est impedimentum sive fiat a raptore per se sive per alium aliquem: in quo altero casu solus *raptor* vel *detentor mandans, pro quo* rapitur aut detinetur, incurrit impedimentum dirimens ad ducendam raptam, non *alii,* qui forte raptori praestiterunt auxilium vel favorem aut integri facti descripti *executores* pro alio fuerunt [20].

Abductio vel detentio debet esse *violenta,* quae violentia non solum exercetur per vim physicam, sed etiam per *vim moralem,* sc. per minas seu metum gravem aut per *dolum* quo puella fraudulenter circumvenitur *invita,* cum videlicet *inscia* quo res tendant fraudibus dolose ipsam circumvenientibus non consentit [21].

---

nam etiam, v. g. in *diversa* contignatione eiusdem domus, iam sufficiens poterat haberi *distantia,* ut raptus esset abductio in locum *vere diversum* nec tutum: a fortiori iure Codicis.

Quae prae oculis habenda sunt, quia prima haec figura impedimenti iisdem fere verbis exprimitur, quibus Tridentinum novum impedimentum raptus induxit; ita enim efferebatur: «Decernit s. Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, *nullum* posse consistere *matrimonium.* Quodsi rapta a raptore separata et *in loco tuto et libero* constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat».

[19] Per dispositionem contentam in § 3 c. 1074, evidenter ampliata est disciplina Tridentina eam extendendo ad casum in quo ratio legis plene verificatur: qua ampliatione conceptus impedimenti clarior redditus est eiusque existentia facilioris probationis, cum in apparente fuga mulieris non tam attendenda sint causa, motivum et forma ipsius, sed potius causa, motivum et forma detentionis. *Cappello,* l. c. n. 459.

[20] Cfr. R. I. 72, in Sext.; *Schmalzgr.,* h. t. n. 20; *Rossel,* n. 1347; *Cappello,* I, n. 467; *Chelodi,* n. 90. Quare qui rapit pro alio cum rapta impedimentum non contrahit, si mulier cum eo contra iuris praesumptionem revera in matrimonium consentiat; *Gasparri,* I, n. 642; *Rosset,* n. 1347, nisi verificetur alter casus *violentae detentionis,* quod facile eveniet.

[21] Cfr. S. C. C. in caus. Paris. 27 aug. 1864; Instruct. *Card. Rauscher.* § 19; *Riganti,* Comment. in Reg. C. Ap. 49, n. 85; *Giovine,* II, 54; *Feije,* n. 159; ASS. I, 15 sq., 54 sq.; *Rossel,* n. 1348; *Gasparri,* I, n. 646; paulo aliter *D'Annibale,* P. III, n. 446, not. 29, ubi cum *Sánchez,* l. VII, disp. 13,

Quare ex capite violentae abductionis vel detentionis impedimentum habetur:

a) Quoties mulier est *invita* sive quoad ipsam abductionem vel detentionem, sive etiam solum *quoad matrimonium*, cum videlicet blanditiis aut precibus seducta et inde in abductionem vel detentionem consentiens nesciat et nolit se matrimonii ineundi causa abduci aut detineri; a fortiori adest impedimentum, si est invita quoad utrumque, quoad abductionem et quoad matrimonium.

b) Habetur impedimentum, si mulier *ab initio libere* abducta deinceps dissentit in abductionem matrimonii causa factam: nam a momento dissensus in abductionem saltem habetur violenta detentio matrimonii causa.

c) Propter eandem rationem impedimentum adest, si ab initio *ob libidinem* rapta, deinde matrimonii causa detinetur: *ab initio* habetur crimen raptus, a momento quo constituitur sub alterius violenta detentione matrimonii causa exurgit impedimentum.

E contra ratione violentae abductionis vel detentionis non habetur impedimentum:

a) Si mulier *tum* in fugam *tum* in matrimonium consentiat, sive omnino sponte sive blanditiis et precibus, nulla vero vi seducta — raptus *seductionis* —.

b) Idem raptus seductionis ne tunc quidem constituit impedimentum, cum muliere in raptum et in matrimonium consentiente, vis aut metus adhibitus fuerit in parentes aut tutores invitos aut inscios, sive agatur de muliere sui iuris sive de minori sub potestate parentum aut tutorum constituta [22].

---

n. 12; *Schmalzgr.*, l. c. n. 28 sq. aliisque putat raptum non verificari, si mulier « *dolo* aut *blanditiis fuerit abducta* ». Quae sententia, ut recte notant *Rosset* et *Gasparri*, l. c., post resp. S. C. C. in cit. c. Paris. a. 1864, quoad *dolosam* abductionem *non* amplius sustineri potest; nam iste *dolus* aequiparatur *violentiae*, si puella *inscia* fuit quo res tenderent, nec fraudibus illis consensit et a fraudibus sese extricare non potuit. *Cappello*, I, n. 462.

[22] Fuerunt scriptores qui visi sunt impedimentum raptus repetere ex solo raptu quodam *in parentes vel tutores* puellae minoris commisso, multasque decisiones Rotae Rom. et S. C. C., ut suam probarent sententiam afferebant (*Fessler*, in Arch. f. k. K. VII, 109; Instr. *Card. Rauscher*, § 19, cum litteris eiusdem Card. 21 dec. 1856; *Feije*, n. 162, not. 2; *Scherer*, 382, not. 27 sq., 31). At frustra in congerendis illis textibus laborarunt. Nam facile ostendi potest sententiam eorum non posse assignari ut *rationem* decisionis datae. Omnis difficultas tandem aliquando reducitur ad duas declarationes S. C. C., sc. 24 maii 1681 et praesertim 24 ian. 1608, in quibus decernitur existere impedimentum raptus *etiam in*

II. *Intuitu matrimonii ineundi* debuit fieri raptus — respective detentio — non ob alium finem, v. gr. vindictae, libidinis explendae, furti committendi, pecuniae extorquendae [23]; nisi postea mutato fine vi retineatur, quo in casu tum primum a momento violentae retentionis ob finem matrimonii exurgit impedimentum.

---

muliere volente, dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis, porro iuxta terminos iuris civilis (Romani) raptus committitur, etiamsi puella consentiens, sed *invitis parentibus* rapitur. Cfr. L. un., § 2, Cod. de raptu virg. IX, 13 iunct. c. 6 Synod. Ravennat. (a. 877) et dict. Grat. ad c. 2, 3, C. XXXVI, q. 1 (de iure populor. german.). At duabus illis decisionibus S. C. C. ante duo vel tria fere saecula datis iam ex sese nimia vis tribuitur; nam S. C. C. interdum iam *recessit* a suis antiquis declarationibus (cfr. *Rosset*, n. 1362). Porro subsumptio facta evidenter *nimium* probat; secus iis quoque in casibus impedimentum canonicum raptus esset admittendum quos ipsi adversarii recte reiciunt, v. g. si raptus puellae fieret *libidinis* causa. Verbis S. C. C. in laudata decisione abunde satisfit, si dicatur etiam in foro canonico contra raptorem stare aliquam praesumptionem ad tramites iuris Rom., cfr. L. un., §§ 2, 8, Cod. de raptor. IX, 13, i. e. mulierem sive sui iuris sive sub potestate parentum constitutam libere *saltem in matrimonium* non consensisse, si sponsalia vel tractatus de matrimonio non praecesserunt, salva tamen probatione qua aliis argumentis ista praesumptio elidatur.

Et licet vix negari possit verba limitantia S. C. C. in cit. c. a. 1608: *Dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis* i. e. Romani esse vere difficilia et obscura, si *in se* considerantur, tamen obviam et facilem accipiunt interpretationem ex *voto coniuncto*. Nam ibidem stabilitur distinctio inter consensum *etiam* in matrimonium, atque tantum eo in casu admittitur impedimentum raptus, si puella minor abducta consenserit in *solum raptum*, non in matrimonium. Qua stante explicatione liquet assertum impedimentum raptus *in parentes* ex cit. decis. S. C. C. non posse probari.

[23] Hoc manifeste exigit clausula in §§ 1 et 3 c. 1074 adhibita et iam in lege Tridentina contenta. Cfr. S. C. C., 23 ian. 1586 et in caus. Brugnaten. 14 nov. 1648. Qui sensus legis plane *certus* et recte deducitur ex *scopo* tuendi *libertatem matrimonii* atque ex *ratione legis*, sc. ex communi periculo vis et metus; praeterea comprobatur constanti praxi Sedis Apostolicae adiungendi dispensationibus super aliis impedimentis clausulam: « *Dummodo mulier propter hoc* — i. e. matrimonium — *rapta non fuerit* » neque ullius momenti sunt rationes in contrarium allatae. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 13, n. 4 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 41 sq.; *Feije*, n. 148 sq.; *Gasparri*, I, n. 622; *Rosset*, n. 1353; ASS. XXVII, 457 sq., 460 sq. Quod si *dubium* sit quanam ex causa raptus sit patratus, ad *circumstantias* facinoris et ad *praesumptiones* est recurrendum. Cfr. Instruct. *Card. Rauscher*, § 173; *Feije*, n. 151; *Scherer*, 380 sq. Quare *Azor*, *Bonacina*, *Carrière* aliique pauci scriptores existimantes *decreto Tridentino* induci *impedimentum*, etiamsi raptus mulieris ob *alias* rationes factus esset, tenuerunt doctrinam omni probabilitate destitutam. Si *Rosset*, n. 1354, cum *Krimer* aliisque putavit raptorem ligari impedimento raptus, postquam mulierem *ab initio libidinis causa* raptam deinceps *intuitu matri-*

III. *Raptor* vel *detentor* debuit esse *vir, rapta* vero vel *detenta* matrimonii causa *mulier*[24], quod manifeste deducitur ex terminis a legislatore adhibitis in c. 1074 §§ 1 et 3; « inter virum raptorem et mulierem raptam ».

312. Impedimentum autem existit quaecumque sit mulier, virgo aut corrupta, honesta vel inhonesta[25], nec excluditur casus in quo *sponsus* propriam *sponsam* rapiat iam ad matrimonium obligatam vi praecedentis contractus sponsalitii, cuius libertas in ordine ad matrimonium iure merito a lege, quae distinctionem non facit, protegitur contra *privatam* vim, qua ad servandam fidem sponsalitiam adigatur[26].

---

monii vi retineat, tenuit sententiam, cui *nunc* est omnino subscribendum, ut apparet ex doctr na in textu proposita, cum, si non habetur *crimen* raptus, saltem verificetur *detentio* aequivalens. Cfr. de iure praeced. *Schmalzgr.*, l. c. n. 44 et *Schnitzer*, l. c., 341 aliosque.

[24] Non defuerunt viri docti, v. g. *De Iustis* et antiquiores quidam scriptores, qui putarent legem Tr dentinam etiam extendi ad *mulieres*, quae pro se raperent viros. At melius *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 12, n. 24, 25, disp. 13, n. 16; *Schmalzgr.*, l. c. n. 23 sq.; *Feije*, l. c. n. 156; *Schulte*, l. c. § 34; *Gasparri*, l. c. n. 621 *Rosset*, l. c. n. 1363 sq.; *Scherer*, l. c., 380; *Schnitzer*, l. c., 341; *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 446, aliique communiter hanc doctrinam negabant. Nam in iure antiquo solus vir comprehenditur nomine raptoris, nec Concilium Tridentinum extensivam huius nominis interpretationem adoptavit; etenim non utitur generalibus verbis, sed constanter agit de solo raptore.

[25] Lex ecclesiastica, quae unice in *impedimento* matrimonii christiani attendi debet, non lex *romana*, est generalis nec distinguit, eiusque *ratio* de tutela *libertatis* etiam valet de mulieribus *inhonestis*. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 48 sq. *Gasparri*, I, n. 643.

Quin immo, *criminis* raptus poenae c. 2353 statutae etiam ob raptum *libidinis causa* patratum incurruntur, si raptatur meretrix vel mulier inhonestae vitae nec emendata vel coniugata et a proprio marito prostituta. Aliter iure praecedente, cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 12, n. 22 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 5, 50.

[26] Lex etiam in hac parte non distingu t. Supponitur autem quod sponsa propria sit *repugnans raptui* vereque *invita*, non si *libere* in raptum intuitu matrimonii consentiat. Contrariam opinionem iam tenuerunt: *Lessius*, De iust. et iure lib. IV, cap. 3, n. 70; *Barbosa*, Collectanea doctor. in cit. cap. 6 Conc. Trid., n. 6 aliique. Sunt quoque recentiores scriptores, qui eidem opinioni adhaeserunt, v. g. edit. ASS., I, 64; *Scherer*, 381 sq., not. 23, 24; *Freisen*, 612, not. 59; *Lehmkuhl*, Casus conscient. II, n. 783 sq. At melius et communius ut vera defenditur sententia, quae iuxta explicationem datam *affirmat* in casu impedimentum raptus. Ita recte: *Schmalzgr.*, l. c. n. 37; *Sánchez*, l. VII, disp. 13, n. 13, 15; *Pirhing*, l. V, tit. 17 de raptorib. n. 7, 28; *Feije*, n. 185; *Schulte*, l. c. § 34; *Gasparri*, l. c. n. 644; *Rosset*, n. 1349 sq.; *Schnitzer*, 343, not. 3; *Thesaurus*, l. c. v. Raptus mul.

Quae sententia serio in dubium vocari non potest, si sponsa iam ante raptum habuerit *iustam* causam *resiliendi* a sponsalibus vel illorum

313. Tandiu *durat* impedimentum raptus, quamdiu mulier rapta in potestate raptoris manet: ipsa a raptore separata et in loco tuto et libero constituta, quamvis *poenae* raptus maneant, tamen *ipso facto* et *sine ulla* dispensatione impedimentum raptus[27] cessat. Quare raptus in foro ecclesiastico non est impedimentum absolutum et perpetuum.

Ut hypothesis cessationis verificetur, seu, ut aiunt, raptus *purgetur*, opus est ut mulier immunis prorsus fiat a quocumque viri influxu, per se vel per alios exercito; id non accideret, si maneret in domo in quam abducta fuit vel in alia domo eiusdem viri vel eius amici, licet prorsus libera relinqueretur et

---

executionem *differendi*. Nam eo in casu sponsus *caret iure* ad nuptias saltem tempore abductionis ideoque sponsae infert *vim iniustam*. Quodsi sponsalia in suo valore permaneant, et sponsa ad eadem prompte servanda teneatur, nihilominus raptus saltem quoad modum agendi manet violentia iniusta. Nam nulla sponsa obligatur, ut per vim *privatam* et *violentam abductionem*, v. g. e domo paterná, *cogatur ad nuptias*; immo huiusmodi violentia pro sponsa est *iusta causa recedendi* a sponsalibus. Cfr. *Zhishman*, 571. Et revera sponsus in casu solummodo habebat ius *recurrendi ad tribunal ecclesiasticum*, quod sua auctoritate *publica* sane sponsam *iuste compellere poterat* ut staret promissis. Quae auctoritas publica penes sponsum non est neque vi privata suppleri potest. Cfr. S. C. C., 18 iun. 1859 in ASS. I, 611; S. C. de P. F., 17 april. 1784, in Collect. eiusdem S. C., n. 1418, quae saltem a poena excommunicationis videbatur eximere rapientes *suas sponsas* nolentes et invitas. Quae multo magis valent iure Codicis, quo ne actio quidem datur ad constringendam sponsam ad matrimonium promissum. Praeterea ipso iure Romano (cfr. L. un. C. de raptu virg. IX, 13 iunct. *Salman.*, in Arch. f. k. K. LXVI, 118 not. 1; ed. recent. corp. iur. civ. in not. ad cit. L. un. Cod.; *Zhishman*, 571) insigni rigore etiam raptus sponsae fuit punitus. Quem rigorem Ecclesia saltem ad casum *libere consentientis sponsae* non extendit, ut patet ex c. 2, C. XXXVI, q. 1 et c. 11 Synod. Rom. (a. 721) et insinuatur cit. cap. 6, X, de rapt. V, 17. Quo in capite cum Rom. Pontifex *unice* a raptu excipiat mulierem *libere consentientem*, sane indirecte, etsi non expresse, raptum sponsae *invitae* in foro ecclesiastico crimini raptus adnumeravit. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 39. Denique si quis perpendat *scopum* principalem legis de impedimento raptus esse tutelam *libertatis* mulierum, facile admittet in *generali* locutione *inter raptorem et raptam*, etiam sponsam propriam, sed *invitam*, comprehendi.

[27] Non obstante *cessatione* impedimenti, Episcopus *iure particulari* sibi *reservare* potest *authenticum iudicium* (licentiam), num satisfactum sit condicionibus a lege requisitis, antequam ad *licitam* matrimonii celebrationem procedatur. Quae reservatio ipso iure *communi* non est statuta; at neque iuri contraria esset dicenda, sed potius apte cohaerere cum praescripto cc. 1034 et 1039. — Qua animadversione sententiae diversae videntur posse conciliari. Cfr. *Feije*, n. 186; *Giovine*, 140; *Schulte*, § 34 i. f.; *Laemmer*, Institution. d. k. K. § 52; *Scherer*, 380, not. 16; *Cappello*, I, n. 474; *De Smet*, n. 650, not. 3.

posset aufugere, nisi facultate fugiendi utens de facto inde aufugeret et in loco a raptoris influxu libero sisteret, v. gr. in propria domo aut in domo consanguinei aut amici ipsius mulieris, qui raptori in matrimonii negotio non faveat [28]. Nisi accidat plena mulieris dimissio seu liberatio impedimentum manet etiam *contra voluntatem* ipsius mulieris: unde nec copula libere admissa nec diuturna cohabitatio nec quaecumque consensus expressio valet illud auferre. Quare matrimonium durante condicione raptus etiam in forma legitima celebratum non convalidatur nisi *et mulier* in tuto loco collocetur *et* consensus coram Ecclesia in forma legitima renovetur.

314. *In dubio* puella praesumitur rapta vel detenta *intuitu matrimonii,* non solum ubi praecesserunt sponsalia vel tractatus de nuptiis ineundis, quo in casu illa praesumptio est fortior, sed etiam ubi illi tractatus non praecesserunt. At facile accidere potest ut circumstantiae casus elidant illam praesumptionem, quae quoad *raptum* — non ita facile quoad *detentionem* — eruitur ex communiter contingentibus. Maior autem est praesumptio, si constet virum et mulierem voluisse illud matrimonium, cui parentes aliive oppositionem faciebant, tametsi formalia sponsalia non fuissent inita.

In dubio de *violentia* vel *de consensu* in abductionem, qua potius *fuga* quam *raptus* habeatur, praeterquam ex circumstantiis casus etiam ex praesumptionibus existentia impedimenti deduci potest. Generatim ubi non praecesserunt sponsalia et nequidem tractatus nuptiales, aliqua praesumptio stat contra raptorem, quod videlicet mulierem in alium locum abducendo violentiam adhibuerit in ipsam invitam, aut quoad abductionem aut saltem quoad matrimonium, sufficientem ad constituendum raptum et inducentem impedimentum. Quae praesumptio est multo maior, si agitur de puella *in minore aetate* sub potestate parentum aut tutorum constituta cum viro aufugiente, insciis vel invitis parentibus. At ubi tractatus nuptiales praecesserunt, illa praesumptio est minor praesertim in muliere *sui iuris.*

Nunquam tamen illae praesumptiones, magis in praxi et doctrina quam in iuris decreto fundatae, ita exaggerandae sunt ut transformentur in praesumptiones iuris et de iure, sed *obiectivae* et certae *veritati* liberi consensus vel dissensus puellae abductae vel detentae cedere debent [29].

---

[28] *Chelodi,* n. 91; *Cappello,* I, n. 469. Atque huc spectat decisio S. C. C. in causa *Parisien.,* 27 aug. 1864, et praesertim in causa *Herbipolen.* 24 april. 1857.

[29] Cfr. iteratas decisiones S. C. C. in c. Mediolan. 20 aug. 1661; in c. Ol-

§ II. De dispensatione impedimenti raptus

315. Cum impedimentum raptus sit iuris ecclesiastici, potest super eo ab Ecclesia *dispensari,* saltem seposito impedimento vis et metus quod facile cum illo coniungi potest, adeo ut possit permitti ut valide et licite matrimonium ineatur a raptore cum rapta, libere quidem consentiente sed nondum in locum tutum extra potestatem raptoris constituta. Raro autem huiusmodi dispensatio conceditur, rarius facultas indulgetur super illo impedimento dispensandi; nec infitiari potest quod rarius occurrere possunt iustae causae dispensandi, cum impedimentum non *absolute* obstet matrimonio, sed ut cesset sufficiat mulierem constituere in loco tuto et libero; praesto existente aptiore illo medio auferendi impedimentum, solum gravissimae causae alicuius casus extraordinarii, in quo ob peculiaria adiuncta partes separari nequeant et matrimonii celebratio urgeat, legitimum motivum dispensationis constituere possunt.

Quam autem exosum S. Sedi sit crimen raptus contra plenam libertatem matrimonii etiam inde patet, quod usque ad reformatam Curiam cuique rescripto Datariae apponebatur clausula « *dummodo mulier propter hoc rapta non sit* » ut proinde circumstantia raptus, etiam purgati, in petitione ad valorem esset exprimenda [30]. Etiam in generalibus et amplissimis facultatibus dispensandi super aliis impedimentis apponebatur eadem clausula, vel in pleniore forma, haec alia « *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat* » [31].

At non desunt exempla, in quibus Sedes Apostolica dedit

---

mucensi, 14 mart. 1772, ASS. I, 56 sq., iunct. aliis decisionibus in eisdem Act. IX, 519, XXI, 593, XXIII, 451, XXVII, 457 sq., 469 sq.; S. R. Rota in c. *Mandchuriae* 6 iun. 1917, ASS. X, 207 sq.; *Sánchez,* l. VII, disp. 12, n. 6, 11, 13, 36; disp. 13, n. 13; *Schmalzgr.,* n. 28 sq., 46.; *Feije,* n. 166, 171, 185.

[30] Si revera raptus locum habuisset, rescripto addebatur clausula prohibens: « Quodsi dictus vir praefatae mulieri supervixerit, absque spe coniugii permaneat ». Quae prohibitio, ex antiquo impedimento impediente derivata, magis ad instar minarum opponebatur et facile dispensatione auferebatur. Cfr. *Leitner,* 151.

[31] S. C. C. 1 dec. 1583 et 6 apr. 1606 iunct. *Riganti,* l. c. n. 46, 96; S. C. de Prop. F. 11 febr. 1804, 26 ian. 1877 in Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1484, 1494; *Giovine,* l. c., II, 54.; 139 sq.; *Gasparri,* l. c. n. 662 sq.; *Scherer,* 485. Illa clausula in formula facultatum S C. de d. Sacr. et in novis Formulis S. C. de P. F. non amplius existit.

facultatem dispensandi ab impedimento raptus, quamvis mulier rapta *loco tuto nondum* esset *reddita*, dummodo *libere* in matrimonium consentiret [32]. Porro inter facultates extraordinarias Episcopis, 20 febr. 1888, concessas dispensandi urgente mortis periculo cum concubinariis super non paucis publicis impedimentis dirimentibus matrimonii, si ad Sedem Apostolicam recurri non possit, impedimentum raptus non reperiebatur exceptum.

Etiam nunc facultas dispensandi super raptu non excipitur in amplissimis facultatibus quae conceduntur per canones 1043-1045; nec illa exceptio invenitur in Formulis Facultatum quae dantur per S. C. de P. F.

§ III. De iure accusandi matrimonium propter impedimentum raptus

316. Propter impedimentum raptus *raptor* adversus matrimonium per se reclamare nequit. Rapta, quae raptui consensit, suo iure matrimonium accusandi *in exordio* libertatis plenae recuperatae uti debet; alias non amplius auditur. Quodsi mulier rapta etiam per *longius* tempus ex rationabili causa taceret vel sine causa rationabili non *ilico* matrimonii sui valorem impugnaret, sine dubio in foro externo esset admittenda ad matrimonii accusationem. Etenim in iure *certum* determinatumque *tempus* mulieri raptae non est statutum, quo elapso ab accusatione repellatur, sed declaratio nullitatis unice pendet a solutione quaestionis praeiudicialis, num mulier rapta *post* verificatam condicionem de loco tuto in *forma legitima denuo* in matrimonium libere consenserit. Quare mulier vere rapta, si post recuperatam in loco tuto libertatem iterum matrimonium legitime libereque contraxit cum raptore atque deinde cum illo diu cohabitavit,

[32] S. C. de P. F. 31 ian. 1796, in Collect. n. 1268. Cfr. quoque *Kutschcker*, Eher. V, 227; *Scherer*, 487, not. 61. Etiam in recentiore Instr. S. C. Inq., 26 febr. 1901, ad Episcopos Albaniae generalis derogatio decreti Tridentini negatur, etiamsi mulier rapta, nec loco tuto reddita, *iuramento* affirmet se libere in matrimonium cum raptore consentire; sed mox additur: « *Haec tamen omnia de normali atque, ut ita dicam, theoretica legi Tridentinae derogatione intelligantur; quod enim ad casus practicos attinet, nihil prohibet quominus, si et de raptae vere libero consensu quomodocumque certo constet, et sufficientia ad dispensandum motiva praesto sint, eidem per dispensationem succurratur. At in re tanti momenti, praesertim ne ex nimia huiusmodi dispensationis facultate sanctissima lex Tridentina vilescat, iudicium S. Sedi omnino reservari convenit, ad quam proinde toties quoties, cum omnibus casus adiunctis, Amplitudines Vestrae recursum habere non dedignabuntur* ».

certe pro suo iure matrimonium contractum non amplius accusare potest. Paritas quaedam impedimenti raptus cum vi et metu, si in praecedentibus fuit aliqua ratione admissa, non adeo est extendenda, ut propter raptum accusatio matrimonii publica sive *ex officio* excludatur; nam quandiu rapta manet sub potestate raptoris, raptus adnumeratur impedimentis *iuris publici* [33].

§ IV. De poenis raptus mulieris matrimonii ineundi causa commissi

317. Canone 2353 indiscriminatim punitur raptus violentiae et raptus seductionis, sive intuitu matrimonii sive explendae libidinis causa: « *Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis, et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur* ». Cfr. quoque c. 2354. Illae poenae, ex interpretatione in poenalibus adhibenda, non debent extendi ad *violentam detentionem* [34].

318. Scholion. Recentiores codices civiles non solent commemorare impedimentum raptus, quod obstet matrimonio *civili*. Quare in hisce codicibus raptus ut *species* subsumitur sub *genere vis et metus*, neque ad tramites iuris canonici proprium distinctumque constituit impedimentum dirimens matrimonii, nisi excipias codices civiles Austriae et Hispaniae. Immo cum in foro ecclesiastico raptus recuperata libertate per se desinat esse impedimentum, in *Austria* saltem penes iuristas viget studium trans-

[33] Instr. Card. Rauscher §§ 120, 122, 173; *Périés*, 81 sq.; *Schnitzer*, 344; *Scherer*, 383 sq., 529. Cfr. de iure accusandi in foro civili propter delictum raptus, v. g. cod. crim. Ital. art. 522, German. §§ 236 sq.

[34] A Conc. Tridentino raptui quod vere esset impedimentum — non raptui seductionis aut libidinis causa patrato — haec fuerat constituta poena: « raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati ac perpetuo infames omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant ». Insuper raptori haec imponebatur obligatio: « Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare ». Tridentina illa excommunicatio per Const. Pii IX « *Apost. Sedis* », non fuerat sublata et erat nemini reservata.

De aliis poenis, pro diversa criminis raptus figura, iure praecedente constitutis, cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 12, n. 1 sq., disp. 13, n. 3 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 1 sq., *Thesaurus*, De poenis, P. I., cap. 28, 33, P. II, v. Raptus mulieris; *Muenchen*, D. can. Gerichtsverf. II, 451 sq.; *Hollweck*, D. K. Strafg. § 169.

formandi raptum ultra terminos iure canonico statutos in impedimentum quoddam *absolutum* et *perpetuum*, ita ut persona rapta et libertati nondum restituta ne cum *tertia* quidem persona validum matrimonium inire possit [35].

Delictum raptus mulierum in foro civili nunc secundum codices criminales singularum civitatum punitur [36]: damnatio autem in foro laicali etiam producit effectus in foro canonico; cfr. c. 2354.

CAPUT XIII

De impedimento criminis

319. **Fontes:** C. XXXI, q. 1; C. XXXII, q. 4, 7 [1]; Cpl. I, lib. IV, tit. 7, de eo qui dux.; cpl. II, lib. IV, tit. 5, de eo qui dux.; cpl. III, lib. IV, tit. 6, ead. rub. — Decretal. Greg. IX, l. IV, tit. 7, ead. rubr.; de conv. infid. III, 33, et lib. V, tit. 16, de adulteriis. — Bened. XIV Const. « *Redditae nobis* », 5 dec. 1744. Quae epistola R. P. est omnino consulenda ut praeclarum exemplum interpretationis capitis iuris Decretalium. — Responsa et decret. S. C. de Prop. F. de imped. crim. referuntur in Collect. (Paris.). Const. S. Sed., n. 877 sq., et in Collect. S. C. de Prop. n. 1256, et decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Tr., 268. — Instr. Card. Rauscher §§ 36, 37. — Synod. Mont. Libani (a 1736) et Synod. prov. Ruthenor. (a. 1720) in Collect. Lac. II, col. 43, 164, 165; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 96; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 182.

Scriptores: Comment. iur. Decretal, in cit. tit. — *Devoti*, l. c. § 140; *Scherer*, § 125; *Aichner*, § 175. — *S. Raymund*, libr. IV, tit. 9, de impedimento criminis; *Roland.*, 154 sq.; *Bernard. Pap.*, 251 sq.; *Tancred.*, tit. 23, quae crimina impediant matrimonium [2]; *Sánchez*, lib. VII, disp. 78, 79; *Giovine*, I, 405 sq.; *Feije*, n. 448 sq.; *Van de Burgt*, 131 sq.; *Mansella*, 155 sq.; *Gasparri*, I, n. 665 sq.; *Schulte*, § 35; *Rosset*, n. 2017 sq.; *Leitner*, 267 sq.; *Schnitzer*, 486, sq.; *Moy*, 74 sq., 213 sq., 370 sq.; *Freisen*, 615 sq., 561 sq.; *Esmein*, I. 426 sq., II, 72 sq.; *Zhishman*, 578 sq. — *Chelodi*, n. 92 sq.; *Cappello*, I, n. 478 sq.; *De Smet*, n. 657 sq.; *Vlaming*, I, n. 312 sq.

---

[35] Cod. civ. Austr. §§ 56, 94 iunct. Arch. f. k. K. LXIX, 98 sq., ubi refertur sententia iudicialis primae instantiae, 20 nov. 1891, qua raptus seductionis reicitur. Cfr. *Schnitzer*, 345; *Scherer*, § 124, not. 33, 41; *Aichner*, § 176, not. 6. Cod. civ. Hisp. art. 101, 102, ubi actio ad impugnandum solum tribuitur raptae.

[36] L. un. C. de raptu virg. IX, 13; Novell. 143, 150, 123, cap. 43; cod. crimin. Ital. art. 522 sq., Galliae art. 534 sq., Austriae §§ 96 sq., German. §§ 236 sq., *Berner*, Lehrb. d. d. Strafg. 518 sq.; *Scherer* § 124, not. 39, ubi minus accurate *Sánchez*, disp. 12, n. 27 sq. dicitur iuri Romano in hac re tribuere vim iuris canonici.

[1] L. 13, § 11, L. 40, D. ad leg. Iul. XLVIII, 5; Novella 134, cap. 12; cod. civ. Gall. art. 298, 295, Austr. §§ 67, 68, Ital. art. 88, Hisp. art. 84; *Schulte*, 550 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 149.

[2] Cfr. ex theologis: *S. Thom.*, lib. IV, sent. dist. 35, dist. 37, q. 2, art. 2; *S. Alphons.*, Theol. moral. lib. IV, n. 1031 sq.; *S. R. Bellarm.*, l. c. cap. 22; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 666 sq.

Canon 1075. *Valide contrahere nequeunt matrimonium:*

1° *Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;*

2° *Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit;*

3° *Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.*

Praenotiones

320. Personae, quae non nisi nefando crimine sibi viam parant ad nuptias contrahendas, singulari seiunguntur disproportione. Quare cum nemo ex suo delicto debeat commodum reportare, optimo iure ad matrimonium contrahendum cum complice criminis constituuntur inhabiles in iustam poenam delicti [3].

Definitio. Impedimentum *criminis* est impedimentum dirimens *non propter qualecumque delictum*, sed propter specificum

---

[3] Quamvis praecedens impedimentum necessario *supponit* aliquod *crimen* raptus, solum impedimentum quod dicitur *crimen formaliter* et expresse *etiam* per modum poenae vindicativae constitutum est, atque illud nomen datur qualificato *crimini* adulterii et coniugicidii, quod *specifico* quodam modo ita appellatur, quoniam *specialiter* sanctitati matrimonii est oppositum. Vocabulum tamen *criminis*, minus determinato modo designat hoc impedimentum, nisi sumatur sensu quodam specifico et *praegnante*. Quare mirum non est quod a Bernard. Pap., Rolando aliisque impedimentum diceretur « enormitas delicti », a S. Thoma impedimentum « *uxoricidii* »; at iam S. Raymundus et Albertus M. utuntur terminologia nunc communiter recepta de impedimento *criminis*. — Finis ille poenalis, ex ipsa evolutione historica impedimenti manifestus, etiam iure Codicis, non est negandus, licet denominatio « impedimentum criminis » non occurrat; cfr. c. 6, n. 2°. At finis poenalis legis non est confundendus cum *stricta poena*, quae ratio strictae poenae huic impedimento non competit, nam inter poenas vindicativas, c. 2291 taxative enumeratas, non recensetur; poena autem medicinalis profecto non est. Cfr. *Suarez*, De legib. libr. 5, cap. 19, n. 6, 10, 16; *Schmalzgr.*, h. t. n. 61, iunct. *Ballerini-Palmieri*, n. 688, not. (a). Ceterum iam iure praecedente plerique doctores docebant hoc impedimentum *principalius* esse inhabilitatem quam poenam.

crimen *adulterii* vel *coniugicidii*, suis qualitatibus et condicionibus vestitum, inter virum et mulierem, criminis complices, ab Ecclesia constitutum.

321. Divisio. Ex data notione quatuor dantur diversi reatus qualificati, unde resultant quatuor species impedimenti, quod provenire potest:

I. Ex *adulterio* et *promissione*[4] *futurarum* nuptiarum inter adulteros.

II. Ex *adulterio* et *attentatione matrimonii* inter adulteros[5].

III. Ex *solo coniugicidio mutua* complicum machinatione patrato[6].

IV. Ex *adulterio* et *coniugicidio* ab *uno* tantum ex adulteris patrato[7]. Hinc idem impedimentum potest esse *simplex*, quatenus ex causis, uni tantum speciei propriis, oritur, aut *multiplex*, quatenus v. g. *causae* diversarum specierum verificantur circa *idem* matrimonium, vel *unius* speciei causae verificantur circa *diversa* matrimonia[8].

322. Notae historicae. Adulterium[9] quamvis primis saeculis toto suo ambito ex iure divino et canonico definito severissimis *paenitentiis* publicis subiceretur[10], tamen impedimentum *dirimens* matrimonii etiam cum complice post mortem coniugis innocentis celebrandi non constituit. Id deducitur iam ex c. 9 Conc. Illiberit. (a. 300-306) = c. 8, C. XXXII, q. 7, atque ex S. Augustino, De nupt. et concup. l. I, c. 10 = c. 2, C. XXXI, q. 1. Nuptiae cum mulieribus adulteris ex iure Romano sane fuerunt *prohibitae*, non irritae[11]. Neque ulla existit lex certa in antiquo iure Romano contra valorem matrimonii duorum complicum in adulterio. Tale matrimonium non valere primus disertis verbis iussit imperator Iustinianus, a. 556, in Novella 134, cap. 12. Quae Novella in Oriente etiam ab Ecclesia videtur fuisse canonizata; at in Ecclesia Occidentali reperiuntur quidem canones[12] qui adulteris *omne* matrimonium in *perpetuum* cum *qualibet* persona *prohibent*[13], sed leges[14] *irritantes* matrimonium inter complices adulterii hoc tempore nondum occurrunt. Prima vice deinde specialis quidam canon de matrimonio inter complices adulterii post mortem coniugis innocentis reperitur conditus in Concilio Meldensi a. 845. Etenim c. 69, = c. 5, C. XXXI, q. 1, statuitur: « *Si quis vivente marito coniugem illius adulterasse accusatur, et eo in proximo defuncto eandem sumpsisse dignoscitur, omnibus modis paenitentiae publicae subiciatur. De quo etiam post paenitentiam praefata, si expedierit, servabitur regula* (i. e. = c. 68 eiusd. Conc. Meldens., sc. Episcopus *post* paenit. potest concedere matrim.), *nisi forte idem aut mulier, qui mortuus fuerat, occidisse notentur, aut propinquitas vel alia quaelibet actio criminalis impediat. Quod si probatum fuerit, sine ulla spe coniugii cum paenitentia perpetuo maneant* »[15].

At ex his aliisque canonibus nondum erui potest adulterium, etiam qualificatum, fuisse impedimentum quoddam matrimonii a *paenitentiae* impedimento distinctum vereque *dirimens*[16].

In Concilio demum Triburiensi (a. 895) c. 40 = c. 4, C. XXXI.

---

[4] De hac specie agitur in cap. 6, X, h. t.

[5] Cfr. cap. 2, 4, 5, 8, X, h. t.

[6] Cfr. cap. 1, X, de convers. infid. III, 33.

[7] Cfr. cap. 3, 6, X, h. t.; Synod. Mont. Libani (a. 1736) l. c.

[8] *Feije*, n. 455; *Leitner*, 282 sq.

[9] Adulterium ipso lumine rationis adeo clare cognoscitur grave delictum contra legem naturalem commissum, ut penes omnes populos etiam maxime barbaros gravibus castigetur poenis. Cfr. Instr. S. C. Inq., 18 decemb. 1872, in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1300; *Schnitzer*, 486. At etiamsi ex lege naturae *par* sit delictum adulterii in marito et uxore, tamen adulterium *uxoris* saepissime gravioribus *poenis* fuit obnoxium. Qui singularis rigor, si in *lege mosaica* statutus fuerat contra *adulteram uxorem* eiusque complicem (cfr. Levit. XX, 10; Deuter. XXII, 22; *Schegg*, Bibl. Archaeol., 643 sq.), inde nequaquam sequitur apud hebraeos exstitisse obligationem fidei coniugalis tantum *pro uxore*, non pro marito. Nam in decalogo a Moyse publicato evidenter etiam *maritis* fides coniugalis est praescripta et adulterium interdictum (cfr. Exod. XX, 14, 17; Deuter. V, 18, 21, XXII, 28; *Schegg*, l. c.) sed propter permissam *viris polygamiam* non fuit in Vetere Testamento eadem condicio mariti et uxoris. Multo laxiores erant leges *romanorum* et *germanorum*, quibus *uxor* adulterans cum alio viro, *non* maritus, qui cum soluta muliere moechatus fuerat, poenis adulterii fuit subiecta. Cfr. L. 6, 34, D. ad leg. Iul. XLVIII, 5; L. 101, D. de V. S. L. 16; L. 1, C. ad leg. Iul. IX, 9, *Walter*, Gesch. d. roem. R. n. 811, Deutsche Rechtsg. n. 732; *Berner*, Lehrb. d. d. Strafr., 412 sq. Quem laxismum iuris Romani Ecclesia constanter reprobavit. Cfr. I Cor. VII, 4; c. 4 (S. Ambr.) C. XXXII, q. 4; c. 23 (*Innoc. I*) C. XXXII, q. 5.

[10] *Freisen*, 615 sq., 561 sq., 620 sq.; *Schmitz*, D. Bussbuecher. 43. 360.

[11] L. 11, § 13, D. ad leg. Iul.: *Freisen*, 627; *Zhishman*, 585 sq.

[12] Concil. Forumiulens. (a. 796) c. 10; c. 22 (Pseudo-Gregor.) C. XXXII, q. 7.

[13] Quae prohibitio etiam matrimonium cum adultero complice exclusit et in disciplina Ecclesiae romanae de paenitentia publica suum habuit fundamentum. Cfr. *Freisen*, 563, 625.

[14] Cfr. c. 1, C. XXXI, q. 1, quo generatim prohibetur ne quis *ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio*, a *Gratiano* et *Caelestino III*, cap. 5, X, h. t., adscribitur *Leoni* Papae, sed est c. 51 Conc. Tribur. (a. 895).

[15] Ex *silentio* Capitularis Caroli Calvi in villa Sparnaco (a. 486, Epernay), *Freisen*, 626, efficaciter non videtur probare disciplinam mitiorem in Concilio Meldensi (a. 845) et Parisiensi (a. 846) stabilitam postea iterum fuisse *abrogatam*. Cfr. *Hefele*, IV, 120.

[16] *Esmein*, I, 428 sq.; *Freisen*, 626 sq.; *Scherer*, 386 sq.

q. 1, primum commemoratur verum et perpetuum impedimentum ortum ex crimine adulterii et promissione matrimonii post mortem legitimi coniugis. Qui canon translatus est etiam in collectiones Reginonis, Burchardi, Ivonis et tandem in Decretum Gratiani. Magister *Gratianus* sane simplex adulterium dicit non nisi *ante peractam paenitentiam* impedire matrimonium, sed absolutum et perpetuum impedimentum criminis adulterii ad *duos* casus restringit, sc. si accessit machinatio mortis contra virum, vel vivente viro fides adulterae data sit de futuro matrimonio post mortem innocentis coniugis celebrando[17]. Duae istae species impedimenti criminis etiam a *Petro Lombardo,* l. IV sent., dist. 35, et *Rolando,* 154 sq., unice recensentur. Immo *Bernardus Papiensis,* l. c., 309, tertiam speciem huius impedimenti ex adulterio et attentatione matrimonii tanquam impedimentum dirimens nondum admisit. Postquam vero Clemens III (a. 1187-1191), cap. 4, X, h. t., et Caelestin. III (a. 1191-1198), cap. 5, X, h. t., evidenter ratum habuerunt principium: *Plus est ducere quam fidem dare,* atque adulterium cum attentatione matrimonii pariter contractum matrimonialem cum complice irritare authentice declararunt, tres species impedimenti criminis a *Tancredo,* 42 sq., referuntur et accurate et succincte explicantur. Deinde a Caelestino III (a. 1191-1198), cap. 1, X, de convers. infid. III, 33, quarta species huius impedimenti ex sola machinatione complicum sine adulterio prima vice disertis verbis reperitur insinuata[18]. Denique ad omne dubium excludendum Gregorius IX (a. 1227-1234), cap. 8, X, h. t., *solam* promissionem vel attentationem matrimonii vivente coniuge factam, etsi graviter peccaminosam et paenitentia luendam, tamen impedimentum dirimens inter complices esse negavit, nisi *prius vel postea* vivente coniuge adulterium intercessisset. Inde a tempore Gregorii IX[19], novae leges ecclesiasticae de impedimento

[17] Dict. Grat. post c. 3, C. XXXI, q. 1.

[18] *Gonzáles Téllez,* in cap. 8, h. t. n. 4.

[19] De doctrina post compilationem *Gregorii IX* a canonistis hac in re propugnata praesertim consulendi sunt: *Innocentius IV*, h. t.; *Goffredus de Trano*, Summa, h. t.; *Hostiensis*, Summa, h. t.; *Ioann. Andreae*, Novell. comment. h. t.; *Panormitan*... Comment. h. t.; *Esmein*, l. c.; *Freisen*, 629 sq. Cfr., quoque Gregorii XI Const. « *Salvator* » 8 apr. 1374, § 6, ubi inter articulos: « *Speculi Saxonum* » damnatos recensentur: « *Decimus, quicumque cognoverit violenter aliquam mulierem, si postea ducat eam in matrimonium, numquam ex ea poterit prolem legitimam generare. Undecimus, quicumque cognovit publice uxorem alicuius vivente marito, si post mortem mariti talis eam ducat in uxorem nunquam ex ea prolem legitimam generabit. Iste enim articulus indistincte et in omni casu*

criminis vel in ipso Concilio Tridentino non sunt latae, sed disciplina vigens cuius immutatio a Patribus Tridentinis nullo postulato fuit expetita, ex iure Decretalium erat repetenda. In Concilio *Vaticano* complures Episcopi postularunt, ut impedimentum criminis *ex solo adulterio absque coniugicidio vel ipsius machinatione proveniens* abrogaretur, dum alii Episcopi in suis postulatis de imminuendo numero impedimentorum non recenserent criminis impedimentum[20].

§ I. De origine, convenientia, ambitu et vi impedimenti criminis

323. Universum impedimentum criminis *solo iure ecclesiastico* est constitutum. Nam quamvis *ratio legis* canonicae facile ex natura rei deduci possit, ut demonstretur Ecclesiam sapienter legem illam irritantem matrimonii condidisse, tamen haec ex sese sufficiens non est ad introducendum *ipso iure naturali* impedimentum impediens vel dirimens matrimonii propter specifica delicta recensita. Multo minus hoc impedimentum in fontibus *iuris divini positivi* habet ullum fundamentum. Quare infideles *inter se* ab hoc impedimento immunes sunt, nisi illud speciali ipsorum lege civili statuum sit[21].

324. Ecclesia catholica reiectis frivolis exceptionibus, quas Lutherus[22] contra impedimentum criminis proponere non erubuit, legem irritantem iam tempore Concilii Tridentini a compluribus saeculis conditam praxique universali receptam etiam post aetatem pseudo-reformatorum sapienter retinuit. Nam in matrimoniis contrahendis maxime respicitur quid decens honestumque sit, ut patet ex impedimentis consanguinitatis et affinitatis. Iam vero publice inhonestum et a morali sensu abhorrens censetur matrimonium ab huiusmodi complicibus celebratum; ergo optimo iure Ecclesia complices illos effecit inhabiles ad contrahendum matrimonium indecentia et turpitudine merito notatum[23]. Porro lex illa ab Ecclesia lata consulit efficacius *fidei coniugali* atque coniugum incolumitati simulque iustissi-

intellectus, non distinguendo, prout canonice distinguunt Saxones erroneus est ».

[20] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vat., 162, 176, 183, 190.

[21] *Sánchez*, disp. 78, n. 22, disp. 79, n. 42; *Schmalzgr.*, h. t. n. 44; *Gasparri*, I, n. 668.

[22] *Friedberg-Ruffini*, l. c. Ipsi quoque Lutheri asseclae, saltem ex saeculo XVII, theoretice et practice sanctiones iuris canonici de impedimento criminis denuo adoptarunt, quarum rigorem calvinistae saec. XVI auxerant.

[23] *Schmalzgr.*, h. t. n. 61; *Feije*, n. 456.

ma *poena* nullitatis plectit secundum illud matrimonium, quod, posthabita fide coniugali in tori violatione, non nisi turpis et irritae promissionis est effectus, aut spretis perpetuae amicitiae vinculis priore matrimonio contractis forte etiam nefando coniugicidio est praeparatum [24]. Cfr. cap. 8, X, h. t.

325. Cum impedimentum criminis iure tantum ecclesiastico sit constitutum, *proxime* et *directe* ligat *solos homines baptizatos* sive catholicos sive acatholicos [25]. Hinc complices *non* baptizati, si *ante* susceptionem baptismi crimina adulterii vel coniugicidii secundum unam ex quatuor speciebus supra enumeratis committant, *post* susceptum baptismum ex vi prioris illius criminis impedimento dirimente non ligantur. Immo in illis speciebus huius criminis, quae *duplicem* actum requirunt, ad *immunitatem* ab impedimento sufficit, si *unus* ex istis actibus, v. g. adulterium, iam *ante* baptismum positus est [26]. Si vero *unus* ex complicibus fuerit iam *baptizatus*, *indirecte* pars quoque *non baptizata* ad matrimonium cum complice inhabilis efficitur [27]; at cum in casu adulterii et coniugicidii ab una sola parte patrati impedimentum criminis *directe* afficiat partem adulteram *et coniugicidam*, et *indirecte* tantum partem *mere* adulteram, si pars *fidelis* fuerit simul adultera et coniugicida, *infidelis* vero tantum adultera, impedimentum criminis existit, sed *non* habetur, si inter fidelem et infidelem inversus obtineat ordo [28].

326. Controversia iure praecedente existens inter doctores, utrum *ignorantia* iuris huius impedimenti, etiam in utraque parte, efficeret ut complices ab illo immunes essent necne, iure Codicis est prorsus antiquata; nam stantibus cc. 16 et 2229 § 3. 1°, illa immunitas non amplius defendi potest (*Chelodi*, n. 92; *Vlaming*, I, n. 312). Vel ipso iure praecedente in foro *externo* Ecclesiae tanquam causa eximens a lege hac irritante non poterat efficaciter allegari [29]. Nam leges ecclesiasticae, quibus impedimen-

---

[24] *S. R. Bellarmin.*, l. c.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 40, 41.

[25] *Van de Burgt*, 53; *Gasparri*, I, n. 681.

[26] S. C. de Prop. F. 23 aug. 1852, in Collect. S. C. de Pr. F., n. 1256, *Schmalzgr.*, h. t. n. 2, 3, 46 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. disp. 78, n. 3 sq.. disp. 79, n. 43; *Rosset*, n. 2050 sq.; 2053 sq.

[27] Cap. 1, X, de convers. infid. III, 33; S. C. de Pr. F., 23 aug. 1852; *Sánchez*, l. c.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 46 sq.

[28] *Sánchez*, l. c.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 47, 48; *Leitner*, 283; *Gasparri*, l. c.; *Rosset*, n. 2052; *Chelodi*, n. 92; *De Smet*, n. 669; *Cappello*, I, n. 501; *Vlaming*, I, n. 327.

[29] Sententiae *neganti* impedimentum in casu ignorantiae utriusque partis adhaerebant: *Krimer*, l. IV, t. 7, n. 1011 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 685 sq.; sententiae *affirmanti* calculum adiecerunt: *Reiffenstuel*, h. t.

tum criminis constitutum erat (cfr. R. I. 13, in Sext.) nunquam talem causam excusantem commemorabant. Praeterea Dataria et Paenitentiaria et Curiae episcopales constanter neque ad scientiam neque ad ignorantiam huius impedimenti attendebant, sed *absolute*, non tantum *ad cautelam*, in casibus particularibus suas concedebant dispensationes super impedimento criminis. Cuius praxis potissima ratio erat, impedimentum criminis *secundario* tantum rationem habere *poenae vindicativae* extraordinariae; *principaliter* vero institutum est ut condicio quaedam sive inhabilitas *propter indecentiam* tali matrimonio propriam; sed ignorantia non excusat a legibus, quibus inhabilitas quaedam ob indecentiam publicam constituitur, etiamsi excusare possit a poena *medicinali* et a poena vindicativa *extraordinaria* unice alicui crimini adnexa [30].

§ II. De impedimento criminis orto ex adulterio et promissione vel attentatione matrimonii

327. Impedimentum criminis ut ex adulterio oriatur, adulterium debet esse:

I. *Verum*, non *tantum existimatum*, i. e. tempore peccati commissi saltem unus ex complicibus *vero* vinculo matrimonii *obiective validi*, etsi mere rati aut per divortium tantum quoad torum et cohabitationem separati, ligatus sit oportet [31].

II. *Consummatum*, i. e. intercedat necesse est inter adulteros copula perfecta secundum notionem datam in capite de impotentia: quodsi copula habita fuit, in utroque foro praesumitur perfecta [32].

---

n. 26 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 58 sq.; *Zallinger*, h. t. § 113, ubi contrariae sententiae veram probabilitatem negavit; *De Angelis*, h. t. n. 5; *Rossel*, n. 2055 sq.; *Leitner*, 281 sq.; *Scherer*, 395 sq.; *Périès*, 221, aliique antiquiores et recentiores scriptores communius, v. g. Suarez, Giovine, Santi, Marc. Pruner, Feije.

Quodsi *una* tantum pars ignoret impedimentum criminis, patroni sententiae negantis illud admittere debuerunt, cum pars noscens directe ligetur atque ita indirecte afficiat partem ignorantem; at excipiebant illum casum, in quo pars *ignorans* est adultera *et* coniugicida, et ipsa *directe* non ligetur, atque consequenter etiam altera pars *indirecte* sit immunis.

[30] Cfr. praecedentem not. 3.

[31] Cfr. cap. 2, 4, 6 X, h. t.; *Sánchez*, l. VII, disp. 78, n. 20, disp. 79, n. 30; *Schmalzgr.*, h. t. n. 35. 36; *Freisen*, 616 sq.; *Rossel*, n. 2018; *Gasparri*, I, n. 671. Si adulterium est mere existimatum, sane ob conscientiam erroneam aderit *reatus* adulterii, quo tamen reapse nulli matrimonio iniuria irrogatur.

[32] Cap. 8, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 14, 50, *Rossel*, n. 2021 sq.; aliter

III. *Formale* ex utraque parte, i. e. *utraque* pars *scire* debet ea scientia, quae ignorantiam affectatam cum dolo, non vero aliter culpabilem excludat, saltem *unam* partem esse coniugatam [33]; secus non infertur ab *utraque* parte iniuria *eidem* matrimonio. Quare haec condicio non plene verificatur, si *uterque* complex est conscius proprii matrimonii, sed neuter scit alteram partem esse coniugatam: nam in hoc casu una pars per suum adulterium iniuriam infert uni matrimonio, altera pars iniuriose adulterat contra aliud suum matrimonium.

328. Adulterio ad inducendum impedimentum criminis necessario accedere debet *promissio* [34].

I. *Vera* et a mero desiderio vel proposito celebrandi nuptias diversa, extrinsecus *manifestata, absoluta* sive ex sese sive propter condicionem iam purificatam saltem *ante* mortem coniugis [35] vel solutionem matrimonii.

II. *Seria,* non ficta vel falsa [36], *libera* a metu gravi et errore substantiali.

Reiffenstuel, h. t. n. 12, qui falso putavit copulam *perfectam* non requiri, sed sufficere incompletam. Nam in causis criminalibus *attentatio* delicti ad poenam incurrendam non sufficit, sed delictum *perfectum* est necessarium, nisi expresse in iure iam soli crimini attentato poena sit statuta.

[33] Cap. 1, 7, X, h. t.; *Sánchez,* disp. 73, n. 12, disp. 79, n. 31 sq., 38; *Rosset,* n. 2019 sq. Nam a poenis excusat quaelibet ignorantia facti, nisi sit affectata; illa enim includit *dolum,* qui in adulterio *formali* requiritur; aliter *Schmalzgr.,* h. t. n. 11, cum aliis putat ad excludendum impedimentum criminis requiri ignorantiam *probabilem,* qua quis *rationabiliter* credit alterum non esse coniugatum: qua controversia extante impedimentum habendum erit saltem dubium dubio iuris, ideoque practice nullum. Cfr. *Cappello,* I, n. 481; *Gasparri,* I. 673.

[34] Cap. 1, 6, 8, X, h. t.; Benedict. XIV Const. *Redditae,* 5 dec. 1744, §§ 32 sq., ubi tamen, § 33, nequaquam acceptat interpretationem *« maxime » = « solum »,* sed potius expresse fatetur se in explicanda Decretali *Alexandri III huiusmodi nugis* (Panormitani) non inniti; aliter *Scherer,* l. c., 393, not. 83, intelligit verba Benedicti XIV, iunct. Act. theol. Oenip. XXVI, 132, not. 1. Cfr. quoque *Schmalzgr.,* h. t. n. 4 sq.; *Rosset,* n. 2023 sq.

[35] *Schmalzgr.,* h. t. n. 25; *Feije,* n. 451; *Gasparri,* l. c. n. 674; *Rosset,* n. 2031 sq., ubi recte opinionem Sánchez de vi condicionatae promissionis reiciunt. Nam promissio ista licet ad inducendum hoc impedimentum *valida* esse non debeat nec esse possit, tamen *simpliciter* et *sensu stricto* in re odiosa non habetur, si pendet a *condicione nondum purificata.* Paulo aliter *Scherer,* l. c not. 35, cui tamen concedendum est in commodum istius nequissimae promissionis nequaquam fingendum esse iuris favorem, dummodo promissio *serio,* non *iocose* vel *ficte* facta sit. Cfr. quoque *Sánchez,* disp. 79, n. 12 sq.

[36] *Schmalzgr.,* h. t., n. 22 sq.; *Rosset,* n. 2029 sq.; *Gasparri,* l. c. n. 674, cum plerisque; contra, *Sánchez,* l. c. n. 10, paucique alii sine solido

III. Non solum *acceptata* ab altera parte signo quodam externo sive verbis sive factis, quae ex natura rei sive moribus hominum indicant *positivam* acceptationem [37], sed etiam iure Codicis *mutua* seu cum repromissione: *« fidem sibi mutuo dederunt ».*

IV. *Matrimonialis,* i. e. pro obiecto habeat necesse est matrimonium ineundum cum complice *post mortem coniugis* [38]. Parum vero interest utrum promissio sit antecedens, an comitans

---

fundamento. Nam iura exigunt simpliciter promissionem, sed praesertim in poenalibus promissio intelligenda est vera et seria, non ficta et falsa.

[37] De necessitate acceptationis nequidem iure praecedente poterat esse dubium. Nam iura (cfr. v. g. cap. 8, X, h. t.) loquebantur *de fide data,* quae sine acceptatione intelligi nequit; deest enim unio voluntatum et periculum machinationis. Cfr. *Sánchez,* disp. 79, n. 22; *Schmalzgr.,* h. t. n. 20, 29 sq.; *Rosset,* n. 2024 sq. Cuius acceptationis certum signum non est *mera taciturnitas,* cui forte consensus internus est coniunctus. Nam R. I. 43, in Sext.: *Qui tacet, consentire videtur,* in re adeo odiosa et poenali nequit applicari; nam acceptatio est ipsi acceptanti nociva, per quam incurritur impedimentum, delictum, poena. Praeterea acceptatio debet esse extrinsecus *manifestata,* sed mera taciturnitas, i. e. aliis circumstantiis non vestita, potest etiam significare prudentem *dissensum;* ergo perperam *praesumitur* delictum consensus. Quare haec sententia a *Schmalzgr., Rosset* aliisque de taciturnitate propugnata contrariae est omnino praeferenda. At gravior erat controversia, utrum promissio *tantum acceptata* an *etiam mutua* sive *reciproca* esse deberet. Multo communius *negabatur* requiri *repromissionem,* v. g. a *Sánchez,* l. c. n. 19 sq.; *Rosset,* n. 2027 sq.; *Leitner,* 278, aliisque; at *affirmabatur* a *Lehmkuhl,* II, 769; *Scherer,* 392 sq.; praesertim a *Pejska* in Actis theol. Oenip. XXVI, 131 sq. cum aliis multis antiquis et recentioribus scriptoribus. At pro benigniore sententia affirmante evidenter iam militabat textus originalis cap. 8, X, h. t.: *Sibi fidem dederint,* neque ulla solida profertur ratio quod Gregorius IX per sphalma grammaticale correxerit verba Innocentii III in maiorem rigorem. Cfr. quoque Instr. C. Rauscher: *Fidem sibi dederint;* Praxis Ap. Dat., n. 151: *Data sibi invicem fide. Requiritur ut promissio reciproca sit.* Praeterea rationes intrinsecae ex paritate cum sponsalibus et matrimonio in re poenali omnino favebant sententiae affirmanti, quae propterea a *Schmalzgr., Gasparri* aliisque vere probabilis dicebatur.

[38] *Sánchez,* l. c. n. 2; *Schmalzgr.,* h. t. n. 8, 9; *Feije,* n. 649; *Gasparri,* I, 672. Quare hoc impedimentum adulteri non incurrunt, si sibi *fidem* darent de contrahendo matrimonio *ante obitum* alterius, coniugis, v. g. post obtentum divortium civile. Aliter *Scherer,* 393, not. 33, ubi singularem tenet sententiam ad impedimentum criminis sufficere etiam promissionem contrahendi matrimonium *ante* mortem coniugis. Cfr. Acta theol. Oenip. l. c., 141. At manifesta est utriusque promissionis differentia; illa enim fit pro tempore *de se* habili, nisi *lex Ecclesiae* obstaret; altera impingit in ius *divinum* de impedimento ligaminis. Cfr. cap. X, h. t. (*quod in hoc graviter deliquerint*); *Ballerini-Palmieri,* n. 678; *Cappello,* I, n. 484; *De Smet,* n. 659. Aliter *Chelodi,* n. 93.

vel subsequens adulterium commissum. At impedimentum criminis non oritur, si promissio vel acceptatio facta, antequam adulterium habeat locum, fuerit *revocata neque reiterata* commisso adulterii crimine [39].

329. Promissioni nuptiarum aequiparanda est *vera attentatio matrimonii* [40]. Quae attentatio est contractus quem quis *vivente* legitimo coniuge *nec dissoluto* matrimonii vinculo cum alia persona perficit utique *invalide*, per verba de praesenti vel per aliud signum, quo consensum matrimonialem de praesenti exprimat [41]. Porro ut matrimonium sit attentatum in ordine ad contrahendum hoc impedimentum, omnino requiritur *scientia* utriusque partis de ligamine saltem unius complicis, sicuti supra de promissione fuit expositum, sed sufficit, si pars hucusque ignara detecto errore in vita coniugali perseveret nec consensum retractet et formale committat adulterium [42]. Quae attentatio matrimonii habetur *sive* coram *parocho* et testibus, *sive* clandestine serioque coram solo magistratu *civili* vel coram *ministello acatholico* vel actu plane privato, immo forte obstante *alio* quoque impedimento matrimonium per consensum de praesenti verbis vel factis expressum celebretur [43].

330. Denique ex adulterio impedimentum dirimens criminis non provenit, nisi *inter adulterium et promissionem vel attentationem* matrimonii *ea sit coniunctio*, ut adulterium et promissio vel attentatio matrimonii locum habuerint *simul eodem vivente* coniuge sive, ut dicitur, *stante eodem coniugio* [44]. Nihil

---

[39] *Sánchez*, l. c. n. 7, 34; *Schmalzgr.*, h. t. n. 12, 13; *Van de Burgt*, 136; *Hinschius*, V, 813 sq.; *De Smet*, n. 659; *Cappello*, I, n. 485.

[40] Cfr cap. 2, 4, 5, 8, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 4 sq.; *Van de Burgt*, 137; *Scherer*, 393, not. 37, ubi tamen de cap. 2, 3, X, h. t. movebat difficultates non fundatas.

[41] S. C. de Prop. F., 14 ian. 1844, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed., n. 879; *Van de Burgt*, 138.

[42] Cfr. cap. 1, 7, X, h. t.; *Sánchez*, l. c. n. 32; *Schmalzgr.*, h. t. n. 12, 13; *Feije*, n. 452, *Cappello*, I, n. 486; *De Smet*, n. 660. Quare matrimonium *putativum*, sive cum bona fide saltem unius partis contractum (cfr. cit. cap. 1, 7, X, h. t.) impedimentum criminis non inducit. Quae *bona fides* in foro externo est probanda et praesertim sedulo examinanda, si acatholicus coniux redeat ad Ecclesiam catholicam, qui forte post obtentam in foro civili divortii sententiam, v. g. ob adulterium uxoris, bona fide duxit secundam uxorem. *Chelodi*, n. 93, 2.

[43] *Sánchez*, l. c. n. 8; *Schmalzgr.*, h. t. n. 15; *Giovine*, I, 409; *Feije*, n. 451; *Leitner*, 279; *Gasparri*, I, n. 675; *De Angelis*, h. t. n. 11, qui in favorem doctrinae de matrimonio *civili* — nostra aetate post divortium civile non raro attentato — iam allegabat praxim S. Paenitentiariae.

[44] Cfr. cap. 8, X, h. t.; Bened. XIV cit. Const. *Redditae*, §§ 26 sq.;

vero refert utrum prior fuerit promissio vel attentatio matrimonii, an adulterii patratio, dummodo uterque actus extiterit simul vivente eodem coniuge [45]. Quae autem supra de *revocatione* vel *reiteratione* promissionis dicta sunt, etiam *attentationi* matrimonii debent applicari [46].

§ III. De impedimento criminis orto ex solo coniugicidio mutua complicum machinatione patrato

331. Ex solo coniugicidio ut impedimentum criminis oriatur, omnino requiritur:

I. *Vera utriusque complicis machinatio* in mortem innocentis coniugis, sive per *physicam* cooperationem in occisionem sive per *moralem* influxum, velut vi mandati, consilii vel precum, qua unusquisque complex vere reus principalis vel correus existimari debet. Quae cooperatio non habetur, si *una* pars caedem ab altera patratam *approbat ratamque* habet [47].

II. *Mutua* viri et mulieris *machinatio* in caedem coniugis; quare si *solus vir* aut *sola mulier* sine mutuo consilio coniugem interficeret, ex *solo* isto coniugicidio impedimentum criminis non oriretur [48].

III. *Veri coniugis occisio;* hinc ad incurrendum impedimentum criminis, matrimonium coniugis occisi *validum* sit oportet atque saltem *ratum*, neque matrimonium *putativum* sufficit. Etenim verum coniugicidium patrari tantum potest in vero coniuge, et iniuria vera matrimonio non existenti inferri nequit [49]. At cum lege divina et canonica quoad iura matrimonialia in hac re sit perfecta *paritas* inter maritum et uxorem, impedimentum istud incurritur, sive *uxor* cum complice interficiat maritum, sive *maritus* cum pellice [50] occidat uxorem.

Sánchez, l. c. n. 5 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 16 sq.; *Feije*, n. 440; *Rosset*, n. 2033.

[45] *Sánchez*, l. c. n. 3; *Schmalzgr.*, h. t. n. 8; *Rosset*, n. 2034 sq.; *Bened. XIV*, Quaest. can. 452; *De Smet*, n. 661.

[46] *Sánchez*, l. c. n. 7, 34.

[47] Cfr. cap. 1, X, de convers. infid. III, 33, ubi falso provocatur ad can. Conc. Tribur. (a. 895). = c. 5, C. XXXI, q. 1, in quo (c. 69 Conc. Melden., a. 845), agitur de coniugicidio cum adulterio; *Panormitanus*, in cap. 1, X, h. t. n. 3, ubi cum Ioanne Andreae tenet utroque machinante *non* requiri etiam adulterium; *Scherer*, 394 sq.; *Sánchez*, disp. 78, n. 5, 6, 9; *Schmalzgr.*, h. t. n. 53 sq.; *Gasparri*, I, n. 678 sq.; *Rosset*, n. 2038 sq., 2041.

[48] Cfr. cap. 1, X, III, 33; *Sánchez*, l. c., *Rosset*, l. c.

[49] *Sánchez*, l. c. n. 20; *Gasparri*, I, n. 678.

[50] Cap. 8, X, de divort. IV, 19; cap. 6, X, h. t.; cit. cap. 1, X, III, 33, *Sánchez*, l. c. 8, ubi contrariam sententiam paucorum doctorum, qui hoc

332. Praeterea, ut ex solo coniugicidio proveniat impedimentum criminis, coniugicidium fiat necesse est ex *intentione celebrandi nuptias* cum *complice* vel uno ex compluribus complicibus machinationis. Quae condicio de necessitate illius intentionis, licet in iure praecedente disertis verbis non reperiretur expressa, tamen communi consensu a doctoribus recte deducebatur ex *fine* huius legis irritantis, quae eam ob causam ab Ecclesia catholica lata est, ne coniux occideret coniugem ut cum alio matrimonium inire posset [51]: inde autem deducitur idem tenendum esse iure Codicis, licet in eius textu illa condicio non sit expressa. Quare impedimentum criminis solummodo incurritur:

I. Si coniugicidium committitur ex *vera intentione contrahendi matrimonium* cum complice, non ex *ira,* vindicta vel alio pravo motivo [52].

II. Si intentio celebrandi novas nuptias habetur *cum persona simul machinante* in caedem coniugis innocentis, non cum persona quadam plane indeterminata aut cum persona quidem determinata, quae tamen in machinando coniugicidio *matrimonii causa* non fuit *complex* [53].

III. Si intentio illa saltem in *uno* ex complicibus coniugi-

---

impedimentum restringebant ad *uxoricidium,* tanquam sententiam prorsus improbabilem merito reiecit. Qui scriptores ad impedimentum *dirimens* coniugicidii eam doctrinam extenderunt, quae a compluribus doctoribus, v. g. a *Sánchez,* aliis tamen haud sine fundamento, v. g. ob cap. 1, X, de divort. IV, 19, contradicentibus, tenebatur de impedimento nunc antiquato *uxoricidii,* quo solus maritus propriam *uxorem* ex ira, v. g. in adulterio deprehensam occidens, *in perpetuum* cum *quacumque* persona dicebatur prohiberi a matrimonio. Cfr. *Sánchez,* l. VII, disp. 16, n. 1 sq., 5 sq.; *Rosset,* n. 2033; *Scherer,* § 125, not. 26, 44. Cuius impedimenti prohibentis vel ipsum ultimum vestigium fuit sublatum, cum in rescriptis dispensationum non amplius apponatur *decretum,* « *quod oratorum alter alteri supervivens perpetuo absque spe coniugii remaneat* ». Cfr. Prax. apost. disp. Datar. n. 157; *Leitner,* 281.

[51] Cfr. cap. 1, X, III, 33, iunct. *Sánchez,* l. VII, disp. 78, n. 13; *Rosset,* n. 2043. Quae intentio in foro externo attentis omnibus circumstantiis, v. g. si mox post coniugicidium celebrentur nuptiae cum complice in machinatione, recte praesumitur, nisi magnis coniecturis sive solidis probationibus illa praesumptio excludatur; nam contra illam praesumptionem in foro externo admittitur probatio. Cfr. S. C. C. in c. Ulyssip. 28 sept. 1726 in ed. *Richt.* Conc. Trid., 268, n. 108; *Sánchez,* l. c. n. 19; *Benedict. XIV,* Quaest. can. 526.

[52] S. C. C. in cit. c. Ulyssip.

[53] *Sánchez,* l. c. n. 18; *Gasparri,* I, n. 679.

cidii existit, nec requiritur ut sit in *utraque* parte machinante vel etiam extrinsecus *alteri* complici *manifestetur* [54].

Controversiae theoreticae hac de re existentes in foro externo, immo etiam interno Ecclesiae exigui sunt momenti practici, « *in foro enim externo semper praesumitur machinatio in mortem alterius facta esse animo ineundi cum alia matrimonium, si mulier et vir alienus communi opera concurrunt ad mortem coniugis innocentis, vel quando praecessit adulterium* ». Deinde vix unquam in praxi deesse potest illa intentionis alteri facta manifestatio, quam S. Alphonsus sufficientem esse dicit.

333. Tertia denique condicio ad constituendam hanc speciem impedimenti criminis in hoc consistit, ut *mors* coniugis innocentis ex ipsa mutua complicum machinatione physica vel morali *reapse sequatur;* nec sufficit mera delicti *attentatio* qua non verificaretur condicio posita de morte *illata* [55]. Immunes igitur sunt complices ab hac specie impedimenti criminis, si mutua machinatio *effectu caret,* aut si coniux innocens de facto quidem moritur, at non *vi ipsius lethalis machinationis* complicum, sed ex imperitia medicorum vel propria negligentia, v. g. si vulnus leve inflictum non satis curavit.

---

[54] *Sánchez,* l. c. n. 14, 18; *Schmalzgr.,* h. t. n. 55; *Rosset,* n. 2044, aliique communiter, v. g. *D'Annibale, Scherer.* Non desunt quidem auctores, v. g. *Kugler,* qui putant istam intentionem requiri in *utraque* parte machinante aut saltem *alteri complici* esse extrinsecus *manifestandam.* At *finis* legis in hoc consistit ut tollatur occasio machinandi contra vitam coniugis legitimi. Quae occasio sufficienter sumitur, si vel *unus* ex machinantibus habuerit in illo crimine intentionem ducendi complicem. In altera vero quaestione videtur distinguenda intentio illa *externata* a *manifestatione* intentionis *alteri* parti facta.

Quae *manifestatio* propter easdem rationes non videtur facienda alteri, propter quas plane sufficiens probata est intentio in *uno* complice; at aliqua *externatio* illius intentionis videtur esse necessaria, immo de facto et per se semper habebitur; secus non intelligitur quo iure Ecclesia sua *lege poenali* suoque *iudicio* attingere possit intentionem *mere internam.* Cfr. de hac controversia: *Ballerini-Palmieri,* n. 669; *Rosset,* n. 2045, sq. 2048 sq.

[55] Cfr. quoque cap. 1, X, de convers. infid. III, 33: « *Interrogasti de saracenis, qui, dum in captivitate essent, quarundam christianarum viros earum insidiis et machinationibus* occiderunt »; *Sánchez,* disp. 78, n. 7, 8; *Schmalzgr.,* h. t. n. 54; *Rosset,* n. 2042; *Hollweck,* D. k. Strafg., 247 sq.; *Hinschius,* V, 793 sq.

§ IV. De impedimento criminis orto ex adulterio et coniugicidio ab uno ex adulteris patrato

334. Ut ex adulterio et coniugicidio coniunctim oriatur impedimentum criminis, debet primum praecedere adulterium *verum, consummatum* sive perfectum, *formale* ex utraque parte, prout expositum est supra § 2 de prima specie huius impedimenti [56].

335. Ex parte vero *coniugicidii* requiritur:

I. *Machinatio mortis* facta per *unum* ex adulteris; hinc *mutua* adulterorum machinatio omnino *non* est necessaria [57].

II. *Intentio matrimonium contrahendi* cum complice adulterii, non aliud motivum, v. g. vindicta [58]: *sufficit* autem haec intentio in *illo* complice qui coniugicidium *patrat* [59], neque necessario *alteri* complici est *manifestanda* [60].

III. *Mors* coniugis innocentis *realiter secuta* ex machinatione physica vel morali unius ex adulteris secundum explicationem datam supra § 3; quod nunc clare exigitur ex verbis « *coniugicidium patravit* » [61].

336. *Nexus,* qui in hac specie impedimenti criminis inter-

[56] Cfr. *Sánchez,* l. c. n. 9, 10; *Schmalzgr.,* h. t. n. 49, 50; *Rosset,* n. 2047.

[57] S. C. C. in c. Ulyssip. 28 sept. 1726, et in c. Neapol. 26 mart. 1746, in ed. *Richt.* C. Tr., 268, n. 108, 109; Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. l. c.; *Sánchez,* l. c. n. 2.

[58] Quae intentio partis superstitis ad nuptias cum parte adultera properantis in foro externo et interno legitime praesumitur, nisi ex probationibus in contrarium elidatur, ut accidit in allegato resp. S. C. C. in c. Ulyssip., 28 sept. 1726, iunct. *Riganti* in R. 49 Canc. Ap. n. 56, qui testatur sensum S. C. C. fuisse impedimentum criminis in casu non obstitisse matrimonio, cum uxoricidium videtur processisse ex sola causa *vindicandi* adulterium ab uxore commissum. Nam etiamsi lex ecclesiastica *expressis verbis* illam intentionem non exigat, tamen sufficienter deducitur ex *fine* legis impediendi facilem occisionem legitimi coniugis ob spem matrimonii cum parte adultera. Quo fine deficiente, si ad *alium scopum* fiat coniugicidium, etiam impedimentum criminis non oritur.

[59] Intentio utriusque partis non requiritur, cum in ipsa mutua machinatione *sufficiat* in *uno* complice.

[60] Quoad manifestationem *externam* illius *intentionis* eadem distinctio videtur adhibenda, quae supra de mutua machinatione fuit proposita. Profecto *alteri parti* non est manifestanda, ut recte tenent: *Rosset,* n. 2048 sq.; *Leitner,* 280 aliique.

[61] Quamvis passim in fontibus adhiberetur vocabulum *machinandi,* tamen sola *attentatio* coniugicidii non censebatur sufficere, quia crimen perfectum sive homicidium cum effectu dicebatur requiri. Cfr. *Sánchez,* disp. 78, n. 7; *Schmalzgr.,* h. t. n. 50; *Scherer,* 394, not. 44; *Hollweck,* l. c.; *Hinschius,* l. c.

cedat necesse est inter adulterium et coniugicidium, requirit:

I. Ut *adulterium praecedat mortem* coniugis ex coniugicidio actu secutam [62]; nam coniugicidium, ut patet ex n. praeced., fieri debet ex *intentione* contrahendi matrimonium cum complice *adulterii;* at morte secuta unius coniugis adulterium nequit committi contra illius matrimonium; *machinatio* [63] vero mortis non debet necessario *praecedere* adulterium.

II. Ut *occidatur* coniux, qui *vivebat* tempore adulterii; nam leges ecclesiasticae de ista hypothesi loquuntur; ergo ad alios casus non sunt extendendae [64].

337. Impedimentum multiplex. Ex natura rei concurrentibus pluribus titulis impedimentum multiplicatur, idque tum ratione *delicti* tum ratione *matrimonii* cui iniuria irrogatur. *Triplex autem* successive *iniuria* inferri potest eidem matrimonio: adulterium cum promissione, cum attentatione, coniugicidium sive uno sive utroque machinante. Pariter *pluries* utraque pars potuit esse coniugata et unumquodque coniugium successive tribus modis dictis polluere. At vero ex multiplicatis adulteriis aut promissionibus stante eodem coniugio impedimentum non fit multiplex. Cfr. *Cappello,* I, n. 500; *Chelodi,* n. 93; *De Smet,* n. 666.

Scholion. Ecclesia Orientalis catholica quoad impedimentum dirimens criminis eodem iure utitur atque Ecclesia latina, ut patet ex Synod. Mont. Liban., Ruthen., Sciarf., Alba-Iul, in fontibus allegatis. Cfr. quoque *Papp-Szilagyi,* l. c. P. II, § 117.

§ V. De cessatione et dispensatione impedimenti criminis

338. Impedimentum criminis semel contractum est *perpetuum.* Quare ex sese *non cessat,* si quis post promissionem datam et acceptam ab adulterino commercio continuando cesset vel ab adulterino matrimonio contracto et consummato discedat, vel complices per *longissimum tempus* in matrimonio suo invalido perseverent [65].

339. Omnes tres vel quatuor species impedimenti criminis, quoniam *solo iure ecclesiastico* sunt constitutae, per dispensationem Romani Pontificis tolli possunt.

[62] *Schmalzgr.,* h. t. n. 51; *Feije,* n. 454.

[63] Si *Van de Burgt,* l. c., 142, id tantum concessit de machinatione *morali,* negavit vero de machinatione physica, huiusmodi distinctionis applicatio in casu non videtur esse ad rem; cfr. *Schmalzgr.* et *Feije* l. c.

[64] S. C. C. in caus. Neapolit. 26 mart. 1746, in ed. *Richt.,* C. Tr. l. c.; *Feije,* l. c.

[65] *Schmalzgr.,* h. t. n. 62 sq.

Quoad usum vero huius facultatis, imprimis animadvertendum est primam et secundam speciem, sc. adulterium cum promissione et adulterium cum attentatione recenseri c. 1042 § 2, 5° inter impedimenta *gradus minoris*, unde nihil mirum quod *nunc* in illa duplici specie, — si occultum est impedimentum et praesertim matrimonio iam contracto — facile dispensatio concedatur, nec denegatur si graves adsint causae, tametsi sit publicum; quin ex dispositione c. 1053, illa dispensatio *implicite* datur cum per Sedem Apostolicam conceditur dispensatio super rato aut datur declaratio mortis prioris coniugis cum permissione ad novas nuptias transeundi.

In *occulto* coniugicidio etiam datur dispensatio intercedente gravissima causa [66]. At in coniugicidio *publico* communiter dicitur dispensationem non dari, atque de suo tempore dixit Benedictus XIV Const. « *Aestas anni* »: « Neque tamen exemplo ullo constat Pontificem dispensasse in impedimento huiusmodi publico » [67].

At quemadmodum in facultatibus per S. Offic. 20 febr. 1888 datis Ordinariis quoad concubinarios in mortis periculo constitutos nulla species impedimenti criminis etiam *publici* excipiebatur, ita etiam nunc facultas data per canones 1043-1045 comprehendit omnes species impedimenti, publico non excepto [68].

§ VI. De poenis statutis in reos impedimenti criminis

340. Poenae *speciales* propter attentationem matrimonii, cui obstat impedimentum criminis, *iure Codicis* non sunt constitutae. Per se autem patet quod delinquentes incurrant, prout res ferat, poenas constitutas in homicidas, bigamos et adulteros.

Iure *antiquo*, si in impedimento criminis coniugicidium intercessit, *interfectores* proprii coniugis vi impedimenti *impedientis* in poenam tanti delicti a matrimonio cum quavis persona ineundo fuerunt prohibiti. Quae sanctio poenalis contraria consuetudine iamdiu erat sublata [70].

---

[66] Benedict. XIV Const. « *Pastor bonus* », 13 apr. 1744, § 44, cit. Const. « *Aestas* », n. 15, Inst. eccl. 87, n. 15; *Giovine*, II, 415 sq. Cfr. quoque *Gregor. XVI*, Vicario Ap. Tunkini occid. 26 iul. 1841, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed., n. 878, de *facultate* dispensandi concessa.

[67] Cfr. etiam Inst. eccl. 87, n. 21; *Rosset*, n. 2065 sq.; *Leitner*, 283 sq.; Praxis dispensat. apost. Datar. Apost. n. 69 sq.

[68] Facile inde apparet quantum in hac parte antiquus rigor fuerit relaxatus.

[69] Cfr. cc. 2354, 2356, 2357 § 2.

[70] Cfr. c. 5, 8, C. XXXIII, q. 2; c. 6, C. XXXI, q. 1; cap. 1, X. IV, 19;

341. Scholion I. Impedimentum criminis est iuris publici, non privati: idcirco *ius accusandi* vel saltem *denuntiandi* valorem alicuius matrimonii propter impedimentum criminis ad certas personas non est restrictum, sed *universaliter* concessum [71]. Iudex quoque ecclesiasticus vel promotor iustitiae etiam *ex officio* contra matrimonium complicum procedere possunt et debent [72]. Quodsi quis vivente coniuge matrimonium contrahat cum secunda persona hoc ignorante, primo coniuge mortuo, nisi secunda illa persona divortium petat, ad petitionem suam a secunda ista persona ex iure Decretalium non erat separandus [73]. Cfr. quoque *Durantis*, l. c. h. t. n. 1, 2, 3. Quo processu instituto singula elementa huius impedimenti sunt solide probanda; secus matrimonium contrahendum non potest temere impediri [74], et multo minus matrimonium iam contractum sine certa probatione potest declarari invalidum [75].

342. Scholion II. In *Helvetia* ex lege civili inde ab a. 1876, item in Anglia et America septentrionali impedimentum criminis matrimonio civili non amplius obstat [76], sed codex civilis *Hispaniae*, art. 84, statuit illos esse inhabiles ad matrimonium civile contrahendum, qui per *sententiam legitimam* declarati fuerunt *adulteri* aut *rei vel complices homicidii* coniugis unius partis [77]. In *codice* civili *Italiae*, art. 86, *unice* haec species impedimenti criminis recensetur: « *Non possono contrarre matrimonio tra loro le persone delle quali l'una è stata condannata per omicidio consumato o tentato sul coniuge dell'altra. Se ebbe*

Benedict. XIV, De Synod. dioec. l. IX, cap. 12, n. 7; *Giovine*, l. c., 415; *Freisen*, 615; *Scherer*, 391, 394; *Santi*, l. IV, t. 16, n. 7 sq.

[71] S. C. C. in cit. c. Neapol. 26 mart. 1846; Instr. *Card. Rauscher*, § 115; cap. 5, 6, X, qui matrim. IV, 18; *Feije*, n. 85, 584 sq.

[72] Instr. *Card. Rauscher*, § 122; cap. 3, X, de divort. IV, 19.

[73] Cap. 1, X, h. t.; *Sánchez*, lib. VII, disp. 79, n. 39; lib. IV, disp. 15; *Schmalzgr.*, h. t. n. 37, 38, 39. Si *Freisen*, 370, decisionem Alexandri III, cap. 1, X, h. t. datam vocat « *valde miram* », huiusmodi iudicium caret solido fundamento. Cfr. *Sánchez* et *Schmalzgr.*, l. c.; S. C. C. in causa Smyrnen, 6 sept. 1756, ed. *Richt.* C. Tr., 254 sq.

[74] S. C. C. cit. c. Neap. 28 mart. 1746, in qua consanguinei studuerunt impedire nuptias propter allegatam, sed non probatam, machinationem sponsae adulterae in priorem maritum defunctum; S. C. C. in c. Mediol. 13 iul. 1722, in cit. ed. *Richt.* C. Tr., 275, n. 133.

[75] S. C. C. in caus. Bitunt. 15 ian. et 2 iul. 1718.

[76] *Koenig*, in Arch. f. k. K. LX, 383 sq. (contra istam legem); *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 149, III.

[77] Quod impedimentum, a quo ex codice civili non admittitur dispensatio per gubernium concedenda, cum impedimento *canonico* secundum sensum obvium quoad *ambitum* non omnino concordat.

luogo soltanto rinvio a giudizio ovvero fu ordinata la cattura, si sospende la celebrazione del matrimonio fino a quando non è pronunziata sentenza di proscioglimento» [78]. Codex civilis Galliae, art. 298, nunc continet hanc dispositionem: «*Dans le cas de divorce admis en justice pour cause adultére, l'époux coupable ne pourra jamais se marier avec son complice* [79]. Quod impedimentum evidenter differt ab impedimento canonico; nam ad adulterium *non* debet accedere *promissio* matrimonii; at de adulterio *sententia* iudicialis lata sit oportet, quae in foro ecclesiastico ad impedimentum criminis incurrendum non requiritur. Tandem cum facto coniugicidio non sit locus divortio, impedimentum ex adulterio et coniugicidio simul oriri nequit. *Austria* quoque in suo codice civili, §§ 67, 68, utramque speciem impedimenti criminis ex *adulterio* et *coniugicidio* ut *impedimentum* dirimens retinuit, quod multiplici ratione ab impedimento canonico differt. Nam v. g. simplex adulterium — *sine promissione* — *sufficit*: at ex altera parte omnino *requiritur*, ut illud adulterium ante novas nuptias iam de facto fuerit *iudicialiter probatum*. Vicissim ex *coniugicidio* vel ab *una* parte *patrato* vel *attentato* hoc impedimentum derivatur, si stante priore matrimonio — etiam absque adulterio — sibi matrimonium promiserunt [80].

In novo codice civili Germaniae, §§ 1312, 1322, 1328, impedimentum quoddam *dirimens* et *dispensabile ex simplici adulterio* [81] ortum retinetur, quod impedit matrimonium cum complice, si in *sententia divortii* adulterium cum tali persona commissum ut *causa* divortii est stabilita; unde obvia est discrepantia ab impedimento canonico [82].

---

[78] Quae lex civilis Italiae iungenda est alteri, qua divortium quoad vinculum hucusque excluditur. Cfr. *Friedberg-Ruffini*, l. c.

[79] Quoad impedimentum ex iure gallico est mere *impediens*, sed *indispensabile*; at propter novam legem divortii, 27 iul. 1884, multi veri adulteri non amplius hoc articulo codicis civilis comprehenduntur. Cfr. *Allègre*, ad cit. art. 292; *Rosset*, n. 2306.

[80] Cfr. *Scherer*, 397; ubi ius civile Austriae et etiam Hungariae — pariter a iure canonico diversum — accuratius exponitur.

[81] Legislatores in Germania existimarunt contra *attentatum* matrimonium vivente altero coniuge et *coniugicidium* sufficere leges *codicis criminalis*.

[82] *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. ad cit. § 1312; *Hollweck*, D. Civileher. 132 sq.; *Leitner*, 284 sq.

CAPUT XIV

De impedimento consanguinitatis

343. **Fontes** [1]: C. XXXV; c. 19 sq.; C. XXXII, q. 7. — Cpl. I, lib. IV, tit. 13 de eo, qui cognovit cons. s. ux. vel sponsam sui cons., tit. 14 de cons. et aff., tit. 15 de sobole suscepta ex sec. nupt.; cpl. II, l. IV, tit. 7 de eo, q. c. cons. s. ux., tit. 8 de cons. aff.; cpl. III, l. IV, tit. 9 de eo, qui cog. cons. ux. s. vel. sp., tit. 10 de cons. et aff. et publ. honestatis iustitiae; cpl. IV, l. IV, tit. 3 d. c. et a. et sobole suscepta ex secund. matr. — Decret. Greg. IX, l. IV, tit. 14 de cons. et aff.; Const. Clem. V, l. IV, tit. un. d. c. et aff. — Concil. Trid. Sess. XXIV de ref. mat., cap. 4, 5, — S. Pii V Const. «*Sanctissimus*» 20 aug. 1566, Const. «*Ad Rom. Pontificem*» 28 nov. 1566. — Decretal. Clem. P. VIII, l. IV, tit. 4 de eo, q. c. c. u. c. vel. sp., tit. 5, d. c. et a. ed. *Sentis*, 154 sq. — Bened. XIV Const. «*Etsi matrimonialis*» 27 sept. 1755. — Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1833, n. 29, 30 et Instr. S. C. de Prop. F. a. 1833; decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Tr., 261 sq. et in ASS., v. g. VI, 107, VIII, 642 sq.; Collect. S. C. de Prop. F., n. 1227 sq.; Instr. Card. Rauscher § 26; Collect. Lac. II v. Matrim. n. 29 et Conc. prov. Alb-Iul. (a. 1872), 96 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888), 178 sq. (de ritib. orient.).

Scriptores: Commentat. iur. Decretal. in t. 14, l. IV. — *Aichner*, § 177; *Devoti*, §§ 131 sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 238: *Scherer*, § 116. — *S. Raymund.*, l. IV, tit. 6 de cognatione carnali; *Roland*, 189 sq., 200 sq.; *Tancred.* tit. 20 de consanguinit., qualiter sit comp., ed. cit., 25 sq.; *Bernard. Pap.*, 163 sq.; 295 sq.; *Durantis*, Specul. lib. IV, part c. 4, h. t. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 51 sq. [2]; *Feije*, n. 347 sq.; *Van de Burgt*, 143 sq.; *Giovine*, I, 347 sq.; *Gasparri*, I, n. 688 sq.; *Schulte*, Eher. § 23; *Mansella*, 32 sq.; *Rosset*, n. 177 sq.; *Schnitzer*, 374 sq.; *Leitner*, 211 sq. — *Moy*, 80 sq., 205 sq., 348 sq.; *Freisen*, 371 sq.; *Esmein*, I, 370 sq.; *Zhishman*, 215 sq.; *Fr. Gillmann*, Das ehemals zwischen der soboles ex secundis nuptiis und den Blutsverwandten des verstorbenen Eheteiles bestehende Ehehindernis, Mainz, 1909. — *Eschbach*, Disput. physiol.-theol. 99 sq. — *Chelodi*, n. 95 sq.; *Cappello*, I, n. 508 sq.: *Vlaming*, I, n. 330 sq.; *De Smet*, n. 594 sq.

Canon 1076 §§ 1, 2. «*In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales. In linea collaterali irritum est usque ad*

---

[1] Inst. I, 10 de nupt.; Dig. XXXIII, 2 de ritu nupt. et sq. tit.: Cod. V, 5, de incest. nupt.; Dig. XXXVIII, 10 de grad.; cod. civ. Ital. art. 72 sq., 85 sq., Gall. art. 161 sq., Germ. § 1310, 1589, Austr. §§ 65 sq., 40 sq., Hispan. art. 84.

Cfr. *Schulte* Eher. 522 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 186; *Hollweck*, D. Civileher. 135 sq.; *Allègre*, I, 88 sq.; *Lehmkuhl*, D. buerg. Gesetzb. d. d. R. ad §§ 1310, 1589.

[2] Cfr. quoque ex theologis: *S. Thom.*, Comment. lib. IX, sent. dist. 40; *S. R. Bellarmin.*, cap. 25; *Perrone*, I, 132.

tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur ».

Praenotiones

Ex consanguinitate oritur impedimentum *relativum* ad contrahendum matrimonium cum determinatis personis cum quibus nimia quaedam coniunctio habetur ob communionem sanguinis.

344. Definitio. *Consanguinitas* [3] sive parentela vel *cognatio carnalis* est vinculum personarum ab eodem stipite propinquo descendentium *carnali propagatione* contractum [4]. Quod vinculum maioris amicitiae, affectus, necessitudinis inter consanguineos distinguitur ab aliis vinculis amicitiae, eo quod *fundamentum* habeat in unitate et *communione sanguinis*, non in alia quadam communicatione bonorum, atque est *ratio* legis irritantis sive *impedimenti dirimentis*, ob quod matrimonia inter *certas* personas illo vinculo inter se ligatas valide iniri nequeunt.

345. Divisiones. I. *Consanguinitas* dividitur: 1. In *legitimam*, quae iustis nuptiis inducitur, et *illegitimam*, quae oritur ex fornicaria coniunctione; at cum in utroque casu fiat *naturalis* communio sanguinis, haec divisio in contrahendis matrimoniis non est multum attendenda [5].

2. In *plenam*, quae complectitur omnes filios ex *iisdem* parentibus genitos, et qui ab his descendunt, et in *minus plenam*, quae comprehendit omnes, qui sanguinis *sive* paterni *sive* materni communionem habent. Hinc fratres *consanguinei*, qui communem *tantum patrem* habent, distinguuntur a fratribus *uterinis*, ex eadem solummodo matre natis, et a *germanis*, qui *et* patrem *et* matrem habent communem.

3. In *cognationem* et *agnationem*. Illa est vinculum inter personas per lineam *femineam* sibi coniunctas, quae *cognati* dicuntur, haec vero est coniunctio personarum per lineam masculinam, quae *agnati* appellantur [6].

---

[3] Cfr. de terminologia varia iuris Romani et canonici in denotanda consanguinitate: *Arndts-Serafini*, Pandette § 38; *Freisen*, 371; Digest. XXXVIII, 10 de gradib.; rubric. h. t. 14; Instr. cit. S. C. Inq. 20 iun. 1883; *Zhishman*, 215 sq.

[4] *S. Thom.*, l. c. art. 1; *Sánchez*, *l. VII*, disp. 50, n. 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 1 sq.; *Rosset*, n. 1770; *D'Annibale*, Summula theol. mor. P. I, n. 60 sq.; *Gasparri*, I, 689; *Scherer*, 300; *Leitner*, 211 sq.

[5] L. 14, § 2; L. 54, D. de ritu nupt. XXIII, 2; L. 9, D. de grad. XXXVIII, 10; cap. 10 de prob. II, 19; *Schmalzgr.*, h. t. n. 8 sq.; *Rosset*, n. 1771.

[6] L. 10, §§ 1, 2, 4, D. de grad.; *Laurin*, in Arch. f. k. K. XIX, 193 sq.

4. In consanguinitatem *simplicem* vel *multiplicem* inter duas personas. Illa habetur, quatenus duae personae ad *unum* stipitem *communem* per viam *simplicem* ascendunt. Altera ex eo oritur, quod alterutra vel utraque persona *duplici* vel *multiplici* via ascendat ad *unum* vel *duplicem* stipitem. *Multiplex* iure praecedente habebatur tum ex pluralitate stipitum, tum ex pluralitate viarum, per quas ad unum eumdemque stipitem ascendi poterat [7]. Iure Codicis solum multiplicatur impedimentum, si personae de quibus agitur plures habent stipites communes (c. 1076, § 2). Hoc autem accidit triplici ex causa: 1°) si quis prolem habuit ex persona sibi consanguinea; 2°) si quis filios generavit cum pluribus personis inter se consanguineis; 3°) si plures personae consanguineae filios procrearunt ex personis consanguineis.

Duae autem causae possunt concurrere in uno coniugio [8].

II. *Stipes* est persona illa sive mas sive femina, a qua tanquam a radice vel trunco *communi reliquae* personae, de *quarum* consanguinitate agitur, per carnalem propagationem sive immediatam sive mediatam, legitimam vel illegitimam descendunt [9]. Qui stipes *solet* constare *duabus personis* (parentibus); at quandoque *una sola* persona, si illa sive mas sive femina non cum una, sed cum *compluribus* prolem genuit.

III. *Linea* consanguinitatis dicitur ordinata series personarum consanguinitate coniunctarum ab uno stipite descendentium, quae *gradus* continet et *cognationes* distinguit. *Dividitur* in lineam *rectam* et in lineam transversam vel *collateralem*. Illa continet eas personas, e quibus una ab altera originem duxit, et quamvis unica sit, tamen si computatio incohetur a genitoribus et progrediatur ad genitos, dicitur *descendentalis* sive descendentium, si a genitis ad genitores numeratio fiat, *ascendentalis* sive ascendentium audit. Collateralis vero linea est series illarum personarum, e quibus una ab altera non descendit, sed omnes originem ducunt ab uno communi stipite. Quodsi personae in linea transversa pari gradu distant a stipite, linea collateralis

---

Apud antiquos populos *germanicos* aliis nominibus insigniti fuerunt *agnati* (Schwertmagen) et *cognati* (Spillmagen). Cfr. *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 577.

[7] Cfr. S. C. Inq., 11 mart. 1896, 22 febr. 1899 ad 1 in *Anal. eccl.*, VII, 143 sq.; *Feije*, n. 356 sq.; *Giovine*, I, 352 sq.; *Gasparri*, I, n. 693.

[8] Cfr. *Chelodi*, n. 95; *Cappello*, I, n. 515; *De Smet*, n. 598 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 1033; *Vlaming*, I, n. 335.

[9] *Sánchez*, l. c. n. 2 sq.; *Feije*, n. 349.

dicitur *aequalis*, si dispari gradu distant, *inaequalis* appellatur [10].

IV. *Gradus* [11] est mensura *distantiae* unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis. Duplex potissimum existit modus computandi gradus; unus est modus *civilis* iuris Romani etiam nunc regulariter in foro saeculari retentus [12], alter *canonicus*. Uterque modus in numerandis gradibus lineae *rectae* eandem regulam sequitur, sc.: *Tot sunt gradus, quot sunt generationes*, sive tot sunt gradus, quot sunt personae stipite dempto. At ius civile et canonicum differunt in computandis gradibus lineae *collateralis*. Etenim leges romanae, quam regulam in linea recta secutae sunt, eandem in linea collaterali applicant: *Tot sunt gradus, quot sunt generationes*, i. e. *particulares actus generationum*. Secundum sacros canones [13] valet regula: *Quot generationes — species generationum — in uno latere tantum, tot sunt gradus*. Quodsi personae consistant in linea *inaequali*, ex iure canonico computatio fit secundum gradum *remotiorem* sive, ut dicitur, distant v. g. gradu secundo tangente primum [14]. Cfr. can. 96 iunct. cap. 9, X, h. t.

---

[10] *Gasparri*, I, n. 690; *Leitner*, 217 sq.; *Rosset*, n. 1772 sq.

[11] Ut ordinata illa series personarum consanguinitate coniunctarum exhibeatur, iura variis figuris usa sunt. Qua in re ius Romanum utitur figura *scalae*, in qua per *gradus* ascenditur vel descenditur. Ordinatas series consanguineorum, quas pro more nostro appellamus arbores consanguinitatis, Romani dicebant στέμματα sive cingula cognationum. Cfr. L. 1, 9, D. de grad. Apud populos germanicos, velut penes francos, saxones, longobardos, *figura corporis humani* inserviebat ad designandam graduum distantiam inter consanguineos. Etenim cum *caput* et collum repraesentent stipitem sive genitorem communem eiusque filios, singula *genua* sive *genicula*, inde a scapulis usque ad extremitatem digitorum, relationem reliquorum consanguineorum cum stipite communi denotant. Hebraei distantiam consanguineorum per numerum *generationum* exprimere solebant. In foro ecclesiastico inde a tempore S. Isidori cognationum gradus etiam sub imagine *arboris* exhibentur, e cuius trunco procedunt *ramusculi*. Cfr. c. 1, 2, 3, 4, C. XXXV, q. 5; *Rosset*, n. 1774 sq.; *Scherer*, 296 sq., 310 sq; *Freisen*, 406 sq.; *Walter*, l. c. n. 577, 467 sq.

[12] Dig. l. XXXVIII, t. 10 de grad. Ecclesia Orientalis, etiam unita cum Sede Apostolica, saltem in pluribus ritibus retinet ex disciplina nunc quoque vigente modum computandi gradus consanguinitatis Romani iuris civilis, non solum in successionibus hereditariis, sed etiam in matrimoniis celebrandis. Cfr. Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 maii 1742, § 8, n. 5; *Papp-Szilagyi*, Enchiridion P. II, § 106; *Zhishman*, 220 sq.

[13] De historicis vicissitudinibus in computatione canonica graduum utiliter consuli possunt: *Freisen*, 423 sq.; *Esmein*, I, 375 sq.; *Scherer*, 292 sq.

[14] In dispensationibus petendis gradus *propinquior*, si *primus* sit, semper ad *valorem* dispensationis est exprimendus. Cfr. S. C. C. 19 sept.

346. Notae historicae [15]. Quod ipse Deus naturae hominis indidit, ut saltem primo gradu lineae rectae et transversae matrimonia inter consanguineos essent interdicta, id moribus [16] quoque et legibus omnium fere populorum fuit probatum. Inter antiquos populos soli assyrii atque persae commemorantur, qui a matrimoniis *filii* cum propria *matre* non abhorrerent, cum aegyptii saltem inter fratrem et sororem permitterent incestas nuptias [17]. Ab istis nefariis matrimoniis permittendis longe aliena fuit *lex mosaica*, in qua confirmatis gradibus *iure naturae* prohibitis, *positiva* Dei sanctione nova quoque, sed ob duritiam populi et ad promovendam pacem et unitatem intra ipsos hebraeos separandos a gentilibus, pauca impedimenta matrimonii inter consanguineos singillatim enucleatos sapienter instituta sunt [18].

1682 in ed. *Richt*. C. Tr., 272, n. 129; *Feije*, l. c. n. 703. Si gradus propinquior esset ultra primum et in supplicatione non exprimeretur dispensatio saltem a *Dataria* concessa *valebat*, sed ut matrimonium esset *licitum*, litterae declaratoriae erant petendae. Cfr. S. Pii V Const. *Attendens*, 20 aug. 1566; S. C. C. 1 maii 1607 et 28 mart. 1722 apud *Richt*. l. c. n. 130, 131; Bened. XIV Const. « *Etsi* », 27 sept. 1755. Etiam S. Paenitentiaria videbatur exigere ad *valorem* dispensationis, ut pro sua singulari praxi etiam gradus propinquior ultra primum exprimeretur, ideoque in supplicationibus tutior sententia erat adoptanda, ne *valor* matrimonii periculo exponeretur. Nunc autem de valore dispensationis standum est c. 1052; cfr. n. 374, not. 76* de imp. in sec. gr. cons. tangente primum.

[15] In conciliando cap. 9, X, h. t. cum cap. 3, X, eod. t. non parum laborarunt multi scriptores neque semper satis genuina interpretationis principia secuti sunt. Ea tamen conciliatio illorum capitum videtur esse praeferenda, quae cap. 9, X, h. t. (regulam) sive ius commune, cap. 3 (exceptionem) sive ius singulare *de consuetudine terrae*, constitutum esse defendit. Cfr. *Freisen*, 433 sq.

De variis *nominibus propriis* ascendentium et descendentium pro diversitate linguarum atque de *methodo* componendi schema sive arborem consanguinitatis consulendi sunt scriptores practici et commentatores iuris particularis. Cfr. Dig. XXXVIII, 10 de gradibus; *Zhishman*, 216 sq.; *Giovine*, I, 351 sq.; 403 sq.; *Allègre*, Impediment. matr. synopsis: *Ioder*, Formulaire matrimonial; *Leitner*, 217 sq.

[16] L. 39, § 1 D. de ritu nuptiar. XXIII, 2.

[17] *Schnitzer*, 374 sq.; *Perrone*, II, 138; *Zhishman*, 224 sq. At *graeci* quoque licet respuerent matrimonia in linea recta, tamen inter fratrem et sororem ex diversa matre non eodem rigore nuptias reprobarunt, atque facile patet, cur admirati sint maiorem severitatem romanorum vel in ipsa linea collaterali. Cfr. *Plutarch.*, Quaest. Rom. c. 6; *Zhishman*, 225.

[18] Levit. XVIII, 6 sq., XX sq.; Deuter. XXVII, 20. Hebraeis ob consanguinitatem vetita fuerunt matrimonia ex divino iure naturali et positivo filii cum matre vel filiae cum patre, fratris cum sorore sive ex utroque parente sive ex altero tantum progenita, avi cum nepte sive ex filia sive ex filio procreata, aviae cum nepote simili; ex solo divino iure positivo nepotis ex fratre cum amita; nepotis ex sorore cum matertera. Non de-

Romani suis legibus sanxerunt nuptias contrahi non posse non solum inter ascendentes et descendentes in linea *recta* vel illegitima usque ad infinitum, sed etiam in linea collaterali cum illis personis, quae parentum *loco habentur*, sive inter quas intercedit « *respectus parentelae* », v. g. cum patruo vel avunculo, cum amita vel matertera, cum magna amita vel matertera, cum nepte fratris vel sororis [19]. Praeterea in transversa linea cognationis nuptiae inter fratrem et sororem *semper* fuerunt prohibitae; at utrum *antiquo* iure Romano prohibitiones nuptiarum in linea collaterali fuerint *restrictae* ad illum primum gradum, an *extensae* usque ad *sextum* gradum, i. e. ad sobrinos *universamque parentelam*, in qua intercessit ius osculi, inter auctores [20] non omnino convenit. Certe novo iure romanorum liberi duorum fratrum vel sororum vel fratris et sororis, i. e. consobrini, iungi

---

fuerunt viri docti qui putarunt etiam matrimonium neptis cum patruo vel avunculo fuisse prohibitum. Quod impedimentum, cum in Levit. XVIII, 14, ne quoad patruum quidem ex legitima interpretatione habeat sufficiens fundamentum nec in praxi fuerit receptum, non videtur esse asserendum. Cfr. *Tirin.*, Comment. in Levit. cap. 18, n. 6 sq.; *Hummelauer*, Comment. in Exod. et Levit. 479 sq., 482; *Sánchez*, l. VII, disp. 52, n. 1 sq., 6 sq., 9 sq.; *Schegg*, Bibl. Archael. 538 sq.; *Scherer*, 292.

[19] L. 53, 54, 39, 17, § 2 D. de ritu nupt. XXIII, 2; L. 17 C. de nupt. V. 4; §§ 1, 2, 3, 5, Inst. de nupt. Cum per SC. — in favorem imperatoris Claudii — concessum esset, ut saltem *patruus* posset ducere nepotem, ista relaxatio iuris antiqui, praeeunte Nerva, deinceps a Diocletiano et Constantino et Constante iterum sublata est. Cfr. *Tacit.* Annales l. XII, cap. 5 sq.; *Sueton.* Claudius cap. 26; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 221; *Zhishman*, 231 sq., 234 sq.; L. 17 C. de nupt. V. 4 (a. 295); L. 1 Cod. Theod. de incest. nupt. III, 12 (a. 339).

[20] *Vering*, l. c., unice allegans *Tacitum*, Annales l. XII, cap. 6 — at ibidem sobrinae potius videntur esse consobrinae — illam extensionem *affirmat*, cui consentit Schulin, Gesch. d. roem R. 176. nec dissentire videtur *Esmein*, I, 372. Is enim provocat ad Plutarchum, l. c., qui tradit antiquitus apud romanos matrimonium inter *cognatos absolute* fuisse prohibitum — at parentela penes romanos sese extendit ad *sextum gradum* —. Praeterea ex fragmento Livii haec affert verba: « *P. Celius, patricius, primus adversus veterem* **morem** *intra septimum cognationis gradum uxorem duxit* ». Cui sententiae contradicunt: *Rossbach*, D. roem. Ehe, 420 sq.; *Scherer*, 292, not. 4, qui prohibitionem etiam antiquo tempore limitant ad primum gradum. Quibus concedendum videtur quod antiquum illud ius ex claris legibus usque ad sextum gradum non possit demonstrari. Nihil autem videtur obstare, quominus a *veteribus moribus* romanorum nuptiae etiam ultra primum gradum collateralem, saltem inter consobrinos, fuerint alienae. Id enim testatur Ulpianus, qui « *olim* » prohibitiones in linea transversali usque ad quartum gradum viguisse docet. Deinde Plutarchus refert quomodo usus matrimoniorum inter consobrinos fuerit *introductus*. Cfr. praesertim *Zhishman*, 225 sq., 235 sq., qui ius antiquum limitat ad consobrinos; *Freisen*, 375; *Walter*, Gesch. d. roem, R. n. 521.

matrimonio potuerunt [21]. Lex *Theodosii*, qua c. a. 384 etiam nuptiae inter consobrinos severe fuerunt prohibitae [22], edicto Arcadii (a. 400) pro imperio *orientali* est sublata [23]. Quae lex Arcadii cum in imperio *occidentali* non fuisset promulgata, vim non obtinuit [24]; at Iustinianus in suis collectionibus authenticis *generaliter* approbavit legem Arcadii pro Oriente latam [25].

Omnis autem cognatio naturalis saltem quoad successiones *hereditarias* ex iure Romano secundum computationem civilem ad sextum gradum et in septimo gradu ad duas personas sobrino et sobrina natum et natam fuit extensa, sed non *absolute restricta* [26].

Populi germanici quoad *successionem hereditariam* consanguinitatem sive cognationem naturalem pro diversitate tribuum modo usque ad quintum [27], modo ad sextum atque adeo septimum

---

[21] Cfr. § 4 Inst. de nupt. I, 19; L. 19; C. de nupt. V. 4; *Zhishman*, 231 sq.

[22] Cuius legis tenor non est conservatus, at sufficienter colligitur ex *S. Ambrosii* epist. 60 ad Patern. aliisque testibus et ex L. 3 Cod. Theodos. de incest. nupt. III, 12; *Esmein*, I, 372 sq., *Vering*, l. c.; *Zhishman*, 230 sq.

[23] L. 19 C. de nupt. V. 4; *Palmieri*, De matr. 354 sq.; *Vering* et *Freisen*, l. c.

[24] Honorius a. 409, L. 1 Cod. Theod. III, 80, matrimonium inter consobrinos denuo prohibuit, sed mitioribus adiectis poenis et cum spe dispensationis imperialis in casibus particularibus; hinc evidenter lex Arcadii (a. 400) in imperio occidentali non potuit habere plenum vigorem. Cfr. *S. August.*, De civit. Dei l. XV, cap. 16; *Freisen*, 375 sq., ubi verba S. Augustini « *per leges* », « *lex humana* », minus feliciter interpretatur de legibus *ecclesiasticis* non de legibus *romanis*.

[25] Cfr. § 4 Inst. de nupt. I, 19, L. 19 C. de nupt. V, 4; *Vering*, l. c.

[26] L. 4, pr. 10 D. de grad. XXXVIII, 10; L. 1, § 3 D. unde cognati XXXVIII, 8; *Moy*, 84 sq.; *Freisen*, 325 sq.; *Zhishman*, 225 sq., iunct. Novell. 118, cap. 3 et c. 2, §§ 2, 3, 4, C. XXXV, q. 5 et *Esmein*, l. c., 374 sq.

[27] *Prosapia* (Sippe) sive *omnis parentela* vel cognatio una cum *iure hereditandi* extendebatur apud anglos et verinos et francos rip. usque ad *quintum* geniculum incl., apud *francos* sal. usque ad sext., apud *longobard.*, *bavar.* aliosque popul. germ. usque ad septimum. Cfr. *Moy*, 353; *Freisen*, 401 sq.; *Walter*, Deutsch Rechtsg. n. 575 sq.; *Esmein*, I, 378 sq.; *Scherer*, 293 sq. 296 sq. not. 22 sq.; *Heuster*, Inst. d. d. Privatr. II, 586 sq. Quae diversa iura saltem *ex parte* ad veram concordiam reduci possunt, si attendatur *differentia* in admittendo *termino a quo* computatio pro diversis iuribus et regionibus incohata est. Nam sane in quibusdam regionibus populorum germanicorum — non *ubique* ut vult *Freisen*, 411 sq. — ille modus computandi gradus fuit receptus, ut parentes *cum filiis* (caput et collum) essent extra *primum gradum*. Quare etiam in linea collaterali non a fratribus, sed a filiis eorum sive a patruelibus vel consobrinis (ab humeris) tanquam a *primo* gradu genealogiae computatio facta est. Cfr. c. 11 Synod. Seligenst. (a. 1022); c. 2, §§ 9, 10, C. XXXV, q. 5 (*Alex II*,

gradum computationis *germanicae* [28] extenderunt; at istos gradus nequaquam habuerunt ut totidem *impedimenta* in *matrimoniis* celebrandis [29]. Nam si in antiquis germanorum legibus personae consanguineae, inter quas matrimonia impediuntur, *speciatim* referuntur, nuspiam illa prohibitio extenditur ad personas quinto vel septimo gradu computationis germanicae sibi coniunctas [30]. Praeterea idem efficitur ex magna illa difficultate,

---

a. 1061-1073); *Roland.*, Summa l. c., 202 sq.; *Scherer*, 298 sq.; *Freisen*, 401, 406 sq. At praeter istam differentem computandi rationem *verum* atque proprium *discrimen* apud populos germanicos remanet quoad *extensionem* graduum; nam ex diversa *forma* computandi facile septimus et sextus gradus, sed minime septimus cum quinto, conciliatur. Nequaquam enim cum *Gratiano* ad c. 11, C. XXXV, q. 2, 3 fingenda est computatio qua pater sit in *primo* gradu; unde tandem perveniretur ad *octavum* gradum, si idem ius esset retinendum. Cfr. *Freisen*, 394 sq. Neque *Freisen*, l. c., 414 sq., communi interpretationi *inclusivae* verborum « *Usque ad septimum gradum* », (cfr. *Roland.* l. c.; *Scherer*, 229, not. 32) ad solvendas difficultates feliciter substituit interpretationem *exclusivam* eiusdem formulae. Cfr. quoque *Esmein*, I, 380 sq.

[28] Quibus verbis intelligitur computatio graduum ex *duplici* geniculo, quae ex *communi* quidem sententia apud populos germanicos applicabatur *etiam* successionibus hereditariis. Recentiore vero tempore illa computatio ex *duplici geniculo*, licet quoad *matrimonia* apud eosdem populos non vocaretur in dubium, tamen impugnata est in successione *hereditaria*, in qua dicitur viguisse computatio ex *unico* geniculo, quemadmodum penes *romanos* fuerat recepta.

Duplex *species* computationis pro diversitate *materiae* profecto est possibilis et de facto postea ita est frequenter adhibita, ut in *hereditatibus* capiendis fieret computatio secundum leges romanorum, in causis matrimonialibus computatio canonica sive germanica retineretur. At duplicem illam computationem iam *antiquitus* inter populos germanicos communiter fuisse receptam nondum videtur esse extra controversiam.

[29] *Freisen*, 378 sq., 382 sq., 408; *Moy*, 349 sq.

[30] V. g. Lex salica XIII, add. 2; Lex alam. 39, 1. Adest quoque Lex visigoth. III, 5, 1; ubi statuitur: « *Ita ut ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinose foedare vel in coniugio appetere* ». Quod ius visigothorum intelligendum est secundum computationem romanam et suis sanctionibus certe non extendit impedimenta matrimonii ultra gradus in foro ecclesiastico receptos; at *S. Isidorus* († a. 636) c. un., C. XXXV, q. 4 docet (cfr. Ethymolog. 1. IX, cap. 6) solummodo « *usque ad sextum generis gradum* » consanguinitatem esse constitutam. Denique eadem Lex visigoth. l. XII, t. 3, c. 8 decernit: « *Nulli* iudaeorum *in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris suae atque etiam virorum* **iuxta legem, quae in christianis est lata, usque ad sextum generis gradum connubia ducere vel incesti maculam operare** ». Inde denuo efficitur iam saeculo VII in Hispania potestatem *civilem* sibi vindicasse ius statuendi impedimenta pro matrimoniis *infidelium*. Quae legislatio eo maiorem habet auctoritatem, quod in antiquo regno visigothorum *intima* esset *relatio inter Ecclesiam et Statum*: merito igitur concluditur Praelatos quoque ecclesiasticos illam legem ratam habuisse vel saltem non

quam Ecclesia etiam post conversionem apud anglos, saxones, francos aliosque populos nacta est, ut saltem in gradibus primo gradui vicinioribus matrimonii impedimenta in praxim deduceret [31]. Nihilominus etiam isti populi iam ante conversionem videntur reprobasse matrimonia inter ascendentes et descendentes in linea recta et inter fratrem et sororem [32].

Ecclesia catholica cum in imperio romano propagaretur, sine dubio ius mosaicum et ius romanum, iuri naturali quoad prohibenda matrimonia consanguineorum multum conformia, non respuit, at quantum ex documentis historicis constat sua perfecta independentique potestate extendendi numerum impedimentorum ex consanguinitate ultra sanctiones iuris mosaici et romani non est usa [33]. Saeculo IV et ineunte saeculo V iam prima occurrunt vestigia, quod Ecclesia in matrimonio christiano ordinando minime serviliter tantum imitata sit leges romanas [34]. Quod iuxta S. Augustinum [35] *raro per mores fiebat*, ut inter *consobrinos* connubium celebraretur, id c. 30 Conc. Epaon. (a. 517) c. 8, C. XXXV, q. 2, 3, expresse vetatur vetitumque hoc ad ipsas nuptias etiam cum sobrinis disertis verbis extenditur [36]. Similia statuta reperiuntur in aliis *Galliae* Conciliis saeculi VI et VII [37].

Concilium Toletanum II (a. 527 vel 531) c. 5 prima vice in Hispania stabilivit principium postea frequenter repetitum, quo *generatim* videtur prohiberi, *ne quis propinquam sanguinis sui* — ducat uxorem — *usquequo affinitatis* — i. e. cognationis — *lineamenta generis successione cognoscit*. Quod iuxta contextum

---

reprobasse. Cfr. *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 36 sq.; *Esmein*, I, 378 sq.; *Hefele*, III, 98 sq. (de Conc. Tolet. VIII, a. 653).

[31] Cfr. c. 20, C. XXXV, q. 2; c. 2, § 5, C. XXXV, q. 5; *Palmieri*, l. c., 384 sq.; *Freisen*, l. c., 379 sq., 423 sq.

[32] *Moy*, 348 sq.; *Freisen*, 383.

[33] *S. Basilii* can. 75, 87 *Schulte*, § 23, p. 159; *Scherer*, 292 sq.; *Zhishman*, 228 sq.

[34] Cfr. c. 61 Concil. Illiber. (a. 300-306); c. 19 Apostol. iunct. *Hefele*, I, 806; *S. Ambros.*, († a. 397) in cit epist. ad Paternum cap. 3 (*Migne*, PL.) XVI, 1183 sq.); *S. Patricius* († a. 465) c. 2, 9 in Synod. Hiberniae. Cfr. *Hefele*, II, 585, 587; *Innoc. I*, in Synod. Rom. (a. 402) c. 11.

[35] De civitate Dei, l. XV, cap. 16.

[36] Qui canon falso ut c. 61 adscriptus est Concilio Agathensi (a. 506). Cfr. *Hefele*, II, 560, 659, 685; *Esmein*, l. c., 375 sq.; minus accurate *Rosset*, n. 1826; at *Schulte*, 160 sq. et *Freisen*, 377 sq., 383 recte impugnant *Moy*, l. c., 350 sq., qui ex lectione textus non sufficienter probata — *certi gradus consobrinam* — insuper deduxit nimis *generalem* prohibitionem matrimonii cum *omnibus* consanguineis.

[37] Cfr. c. 11 Conc. Arvern. (a. 535); c. 10 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 21 Conc. Turon. (a. 567); c. 14 Conc. Paris. (a. 614); *Palmieri*, De matr., 353 sq.; *Scherer*, 293.

de *relativa* prohibitione in sacro textu accuratius definita accipiendum est; hinc etiam suo decreto *non absolute* interdicit matrimonia cum *omnibus* consanguineis, sed intra *consuetam* parentelam, quae moribus legibusque romanorum et visigothorum sese tantum extendit usque ad *sextum* vel septimum gradum computationis *civilis* [38].

Ecclesia quoque *Orientalis*, cum videretur c. 54 Conc. Trullani (a. 692) similiter approbare generale principium, sc. cum *consanguineis* non esse celebrandas nuptias, tamen eodem canone contra antiquas leges civiles solummodo *apertius exposuit* et *decrevit* ut deinceps matrimonium cum *consobrina* esset interdictum, gravibus paenitentiis castigandum atque ut *nefarium* conubium *separandum*. Porro *Balsamon* quidem opinatur iam in cit. c. 54 Conc. Trull. *implicite* contineri prohibitionem matrimoniorum usque ad *sextum* gradum computationis civilis — cum sobrinis —; attamen certo illa extensio impedimentorum, forte praeeunte praxi et consuetudine, tandem facta est per legem ab imperatore Leone Isaurico a. 740 latam et in Ecclesia Orientali receptam. Cui extensioni postea accessit *septimus* gradus, ultra quem antiqua Ecclesia graeca nunquam processit; itaque in computandis gradibus consanguinitatis quoad matrimonii celebrationem sese tandem perfecte conformavit computationi graduum iuris Romani quoad hereditariam successionem [39].

In Ecclesia romana [40] saltem *Gregorius II*, postquam c. 8 in

---

[38] Cfr. quoque c. un., C. XXXV, q. 4 (S. Isidor. a. 636); *Freisen*, 382, 408; supra h. tit. not. 30.

[39] *Zhishman*, 236 sq. iunct. *Freisen*, 409 sq. et *Scherer*, 297, not. 26; *Rosset*, n. 1821.

[40] *S. Ambrosius* in cit. epist. ad Paternum disserit de matrimoniis inter patruum et neptem atque inter duos patrueles (consobrinos) illasque relationes explicat per *tertium* et *quartum* gradum; evidenter igitur Mediolani utitur ipse computatione legum romanarum. Cfr. *Freisen*, 376, 407 sq.

Multo difficilior est quaestio quonam *computandi genere antiqua Ecclesia romana* usa sit, et quousque *extenderit* impedimenta consanguinitatis. Haec quaestio non habet promptam solutionem, si solummodo *certae personae* recensentur, inter quas matrimonium nequeat consistere. Immo nec *clausula generalis* de matrimoniis inter consanguineos interdictis suppeditat clavem solvendi difficultatem. Nam clausula generalis in linea collaterali certe nequit intelligi de gradibus *in infinitum* vel de omnibus, qui *absolute* adhuc cognosci possunt. Quamprimum vero restringitur *clausula generalis* ad limitatum quendam numerum graduum, ad quos parentela *legibus*, v. g. pro hereditaria successione, est restricta, ilico oritur dubium, *quamnam* normam legitimam Ecclesia romana secuta sit, sc. romanorum vel germanorum.

Qua in re sane Ecclesia pro sua natura perfectae societatis *non debuit recipere* leges romanorum vel germanorum, neque anxie inquirendum est pro more certorum virorum doctorum, quidnam Ecclesia in hisce gradibus per *imitationem* quandam aliorum iurium in suo foro adoptarit. Nam ut in aliis partibus disciplinae Praelati ecclesiastici absque imitatione servili legum civilium sapientes condiderunt leges, ita etiam in ordinandis impedimentis consanguinitatis lumine rationis ducti divinaque favente assistentia rectam semitam per se potuerunt invenire. Cfr. *Freisen*, 437. Aeque autem certum est Ecclesiam illa, quae naturaliter fuerunt bona, frequenter adoptasse, at non serviliter, sed pro sua prudentia plenaque libertate alia recepit, alia respuit, alia immutavit. Nihil igitur mirum esset quod Ecclesia in ipsa consanguinitate computanda, cum moribus et consuetudinibus populorum multiplici modo conexa, v. g. in matrimoniis et hereditatibus, eandem viam esset secuta.

Quae quamvis in theoria sint satis liquida, tamen difficultate non carent, si disputatio reducatur ad examinanda *facta historica*. Profecto controversia moveri non amplius potest, inde saltem ex saeculo XI *Ecclesiam romanam* quoad *substantiam* computasse gradus consanguinitatis eodem modo atque *generatim* faciebant populi germanici, et insuper usque ad *septimum* gradum incl. *eiusdem* computationis sustinuisse impedimenta matrimonii. Cfr. c. 2, cap. XXXV, q. 5 (Alexander II, a. 1061-1073); *Freisen*, 393 sq.

Quodsi autem quaeratur num iam *Gregorius M.* in sua responsione anglis data (c. a. 601?) vel saltem *Gregorius II* (a. 721-726) et *Gregorius III* (a. 732) sint usi computatione germanica sive potius canonica nunc vigente, doctores inter se non conveniunt. Gregorius M., l. c., ad interrogationem Augustini: « *Usque* ad *quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi coniugio copulari*? » inter alia respondit: « *Unde necesse est, ut iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat; nam secunda, quam diximus* (i. e. consobrini), *a se omni modo debeat abstinere* ». Quae verba videntur non paucis scriptoribus probare S. Gregorium M. usum esse computatione canonica. Cfr. *Schnitzer*, 382; *Freisen*, 423 sq.; *Rosset*, 1775. Qui ulterius progrediuntur atque *etiam receptionem iuris germanici* per Ecclesiam romanam asserunt, facilem putant invenisse explicationem, si recurrant ad immigrationes populorum germanicorum praesertim longobardorum (a. 568) et visigothorum, herulorum, ostrogothorum iam ante Gregorium I inde ex saeculo V in Italia factas.

Quas probationes profecto illi viri docti funditus destruunt, qui cum *Scherer*, 295, not. 16, aliisque responsionem Gregorii I anglis datam dicunt *apocrypham* vel saltem *critice dubiam*. Cui explicationi non nimium videtur esse insistendum. Cfr. *Freisen*, 379 sq., 423 sq. Nam *Beda*, Histor. eccl. l. I, cap. 27, cit. responsa non solum suae *historiae indere commodum* duxit, sed expressis verbis testatur illa data fuisse duobus oratoribus, sc. Laurentio presbytero et Petro monacho ab Augustino Romam missis. Quod duplex factum in re propriae gentis nec adeo remotum non tam facile potest vocari apocryphum. Praeterea S. Bonifacius quoque huius epistolae notitiam habuit et a Nothelmo, Archiepiscopo Cantuariensi, exemplar quoddam petit, « *quia in scrinio Romanae Ecclesiae*,

Conc. Romano (a. 721) complura enumeravit impedimenta, tandem c. 9 hanc statuit legem generalem: « *Si quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit, duxerit in uxorem, anathe-*

ma sit ». Quae verba vix ultra sextum vel septimum gradum computationis legum romanarum extendi possunt.

Etenim praecedente c. 8 disertis verbis matrimonium tan-

---

ut (affirmant) *scriniarii cum ceteris exemplaribus supra dicti Pontificis quaesita non inveniebantur* ». Quae verba etsi dubium quoddam *S. Bonifacii* videantur insinuare, tamen responsum scriniariorum constituit argumentum mere negativum. Praeterea *Beda,* l. c., non refert *formalem epistolam* Gregorii I, sed potius responsa a R. Pontifice — eo tempore graviter aegrotante — cum ipsis oratoribus communicata. Talia responsa forte etiam viva voce data facilius scrinio Ecclesiae romanae non fuerunt inserta. Cfr. *Grisar,* Act. theol. Oenip. XII, 510 i. f. not., iunct. c. 15 Conc. Roman. (a. 743), ubi Papa Zacharias dicit se epistolam Gregorii II (certo authenticam) in archivo non invenisse. At sine ambagibus est concedendum epistolam Gregorii I ad Felicem, Episcopum Messan. in Sicilia, aliaque nonnulla rescripta eiusdem R. Pontificis, documentis spuriis esse adnumeranda. Cfr. c. 20, C. XXXV, q. 2, 8; c. 2, § 6, C. XXXV, q. 5; c. 2, C. XXXV, q. 8; *Freisen,* 380 sq.; at *Rosset,* n. 1825, illam epistolam perperam allegat ut genuinam.

Ex altera parte etiamsi quis responsa Gregorii I ad consulta Augustini quoad substantiam admittat ut genuina, conclusio de adoptata iam illo tempore computatione germanica non videtur esse satis fundata. Etenim imprimis *accuratum textum* (cfr. *Freisen,* 423) verborum ipsius S. Gregorii non habemus, sed tantum relationem oratorum. *Post* enumeratas personas particulares, inter quas matrimonium non possit consistere, modus loquendi adeo naturalis de secunda, tertia, quarta generatione in uno documento repertus videtur esse nimis debile fundamentum, ut super illo integra quaedam theoria de ordine computationis in Ecclesia romana construatur. Deinde vix credi potest Ecclesiam romanam adoptasse computationem graduum consanguinitatis ab allegatis populis germanicis, qui omnes, cum in Italiam migrarent, *haeresi Ariana* erant infecti, et non nisi ex tempore S. Gregorii longobardi *paulatim* ad fidem catholicam conversi sunt. Porro receptio computationis germanicae *illo tempore Romae* et *in Italia* factae nullo documento historico probatur et hucusque gratis asseritur. Cfr. *Freisen,* 436 sq. Denique cum populi germanici romanis et praesertim clero relinquerent usum iuris Romani, immo ipsi potius sese in non paucis iuri Romano accommodarent, ut patet exemplo visigothorum in Hispania supra iam allato et ostrogothorum et longobardorum in Italia (cfr. *Walter,* D. Rechtsg. n. 37, 38, 41, 43), difficulter quis sibi persuadebit *S. Gregorium* a barbaris nationibus — non raro nondum iure quodam scripto praeditis — *mutuasse* computationem graduum consanguinitatis.

Si tandem res ipsa spectetur, responsio S. Gregorii pro anglis nihil continet, quod intrinsecam habeat difficultatem. Etenim anglis *contra ius civile* romanorum, immo contra ipsam praxim Ecclesiae *Orientalis* demum a. 692 in Concilio Trullano mutatam, expresse prohibet matrimonia in *secundo* gradu — i. e. inter consobrinos sive in quarto gradu iuris Romani —. Inde quoque patet concessionem de permissis nuptiis in tertia vel quarta generatione non esse extraordinarium favorem. Nam positivo argumento vere authentico demonstrari nequit tempore S. Gregorii iam viguisse in Ecclesia romana impedimentum consanguinitatis

tum prohibetur cum *consobrina.* Quodsi c. 9 prohibitio extenderetur ad gradum septimum computationis *canonicae,* revera fieret saltus plane incredibilis; eo enim tempore in Ecclesia graeca a paucis annis (a. 692) nuptiae cum *consobrinis* et non nisi ab a. 740 etiam inter sobrinos, sive in tertio gradu, fuerunt prohibitae. Porro si Gregorius II, a. 726, in epistola ad S. Bonifacium genti barbarae germanorum permittit, ut *post quartam generationem* matrimonio iungantur [41], potius computationem iuris Romani videtur applicasse. Nam vocabulum *generationis* non obstat quominus intelligatur de *gradu;* at si quis attendat praxim eodem tempore apud graecos vigentem, certe barbaris non adnumerandos, item apud visigothos in Hispania iamdiu ad religionem catholicam conversos, qui ultra *tertium* gradum nondum processe-

---

in *quarto* gradu *canonico;* etenim epist. S. Gregorii ad Felicem (cfr. c. 20, C. XXXV, q. 2 et c. 2, § 6, C. XXXV, q. 5), in qua S. Gregorius non solum in quarto gradu, sed usque ad *septimum* matrimonia consanguineorum docet esse interdicta, prorsus est spuria. Item neque in Hispania neque in Gallia ex saeculo VI ullum habetur documentum de *quarto* gradu computationis *canonicae* prohibito. Quare S. Gregorius ad summum aliquid indulsisset quoad *tertium gradum sua aetate* in Gallia et, ut videtur, in Hispania receptum, item forte etiam in Italia, licet *directae* probationes desint. Hinc quoque mirum non est quod permissio nuptiarum in tertia et quarta generatione in cit. responsione Gregorii I pro anglis nequaquam proponatur expressis verbis tanquam singulare privilegium, ut fit in spuria epistola ad Felicem. Nam revera tempore S.ti Gregorii *tertius* gradus *canonicus* consanguinitatis nondum *ubique* in Ecclesia *iamdiu* et *firmiter* tanquam impedimentum dirimens fuit receptus. Cfr. *Freisen,* 424 sq.; *Rosset,* n. 1821, 1825; paulo aliter *Gasparri,* I, n. 691, ubi tenet Ecclesiam *a germanis relicta romana* (methodo computandi) recepisse *germanicam* « *usque ab antiquissimis temporibus* » i. e. Gregorii M., cuius epistolam ad anglos videtur habere documentum indubitanter authenticum, atque innixus responso Alexandri II in c. 2, C. XXXV, q. 2 docet *Van Espen* errare, si affirmet hanc ecclesiasticam regulam saeculo undecimo *nondum ubique* (?) *receptam* nec extra controversiam fuisse (?); at indubitanter falso putat *De Angelis,* h. t. n. 4, Alexandrum II occasione controversiae S. Petri Dam. cum iuris-consultis ravennatensibus illam *demum adoptasse.*

[41] *Gratianus,* c. 16, C. XXV, q. 2 et 3 et c. 1, C. XXXV, q. 8 falso tribuit eam Gregorio I. Cfr. *Friedberg* in ed. corp. iur. can. ad cit. can. Qui c. 16 potius desumptus est ex genuinis epistolis Gregorii III, a. 732, et Gregorii II, a. 726, ad S. Bonifacium scriptis. Qua de re *Rosset,* n. 1822, sine fundamento etiam nunc controversiam existere opinatur. Postea Zacharias c. 15 Conc. Roman., a. 743, concessionem a Gregorio II germanis factam esse non negat, sed aliis verbis refert, sc. ipsis datam fuisse licentiam « **in quarta** (non **post** quartam) *se copulare generatione* ». Cfr. *Freisen,* 381 sq., 384, 425; *Hefele,* III, 517, qui non suspicatur c. 15 cit. C. Rom. esse spurium, ut fit a *Scherer* in Hist. Jahrb. V, 250 sq.

rant, mirus sane fuisset favor *barbaris* concessus contrahendi matrimonia tandem a *quinto* gradu *canonico*.

Consequenter *Gregorius III*, a. 732, cum a germanis quoque consanguinitatem usque ad *septimam* generationem in celebratione nuptiarum observandam esse decrevisset, de computatione canonica non videtur esse intelligendus; secus populo illi recenter converso imposuisset onus plane inauditum abstinendi a nuptiis usque ad gradum *decimum quartum* computationis civilis [42]. *Zacharias*, a. 743, in Conc. romano c. 6, post enumeratas in specie complures personas consanguineas — i. e. consobrinam, neptem, quas nemo in uxorem ducere possit —, denuo subiungit clausulam generalem: « *Vel etiam de propria cognatione nullus praesumat in coniugio copulare* ». Quod principium generale mox etiam adoptatur in aliis documentis [43], atque saeculo sequenti a Nicolao I (a. 866) in responsis ad consult. bulgar. n. 39 allegantur: *Praecipue Zachariae Summi Praesulis decreta*.

Inde a saeculo octavo usque ad saeculum undecimum ex *complexu quodam causarum factum* est, ut impedimentum consanguinitatis, per praxim et consuetudinem *vulgarem* ab Ecclesia approbatam, *paulatim* usque ad septimum gradum computationis *canonicae* praesertim Romae et in Italia extenderetur [44].

---

[42] *Leitner*, 223 sq.; *Scherer*, Handb. d. K. II 297 sq. ubi computationem *germanicam* usque ad Alexandrum II, a. 1061-1073, putat in nulla authentica epistola RR. Pontificum posse reperiri; aliter *Schnitzer*, 382; *Freisen*, 425, qui iuxta sententiam l. c. a se propugnatam debet admittere *inde a Gregorio M.* usque ad *Gregorium III*, i. e. circiter intra 130 annos, impedimentum consanguinitatis a *secundo* gradu canonicae computationis usque *ad septimum* fuisse extensum; at talis *rapida* et *excessiva* impedimenti consanguinitatis extensio per *quinque* ulteriores gradus firmioribus argumentis est demonstranda; secus assertioni fides haberi vix potest. Cfr. quoque *Rosset*, n. 1821.

[43] Non pauca alia responsa falso *Zachariae* tribuuntur, v. g. c. 4, C. XXXV, q. 5. Cfr. *Freisen*, 384 sq., 4, 5; *Scherer*, l. c. in not. 44 h. t. Cfr. c. 9 Synod. Suesson. (a. 744): « *Ut nullus laicus homo... ad mulierem habeat...* **suam parentem** » i. e. ex suis proximis consanguineis, ut recte explicat *Hefele*, III, 520, not. 1; *Zacharias*, in epist. ad Pippinum (a. 747) n. 22.

[44] Omnes fere scriptores in eo recte consentiunt, quod *receptio* et *extensio* illius disciplinae *per consuetudinem* facta sit. Cfr. *Scherer*, l. c., 294. Nam ut patet ex citata decisione Alexandri II, computatio *canonica supponitur* ut *usualis* et *vulgaris*, non denuo introducitur. Quodsi quaeratur de *causis* illius consuetudinis, non iam existit inter doctores eadem concordia; alii enim aliis causis magis, vel forte etiam nimium, insistunt, v. g. falsificationibus vel factionibus. Profecto receptio computationis canonicae imprimis multum videtur fuisse promota ipsa sua naturali congruentia et simplicitate in celebratione nuptiarum. Porro

Quae praxis computationis canonicae, ut in *universa* Ecclesia Occidentali introduceretur usque ad septimum gradum, multis superatis difficultatibus et controversiis [45] per iteratas declarationes Conciliorum [46] non nisi *aegre* effectum est. Cum in Concilio Lateranensi I (a. 1123), c. 5, et in C. Later. II, (a. 1139), c. 17, simpliciter prohibeantur coniunctiones consanguineorum sine ulla speciali determinatione et computatione, generatio septima videtur tacite supponi tanquam terminus universaliter notus et receptus. Quod legibus ecclesiasticis ineunte saeculo XII stabiliter constitutum fuerat, id toto illo saeculo a scriptoribus de iure matrimoniali [47] et ab ipsis RR. Pontificibus tanquam res indubitata docetur atque traditur. Negari vero non potest non *eadem certitudine* constare ex istis septem gradibus in rigore iuris constitutis etiam quintum, sextum et septimum ut impedimenta *dirimentia* fuisse *universaliter* introducta [48]. Etenim non pauca suadere

---

eadem computatio quoad substantiam apud populos germanicos iam diu conversos et per totam Europam sparsos usu fuerat recepta et praesertim in materia conexa de *hereditaria successione* applicata. Cfr. c. 2, C. XXXV, q. 2, 3, (Psd.-Callixt.). Denique postquam toties inculcatum fuit *generale* principium *inter consanguineos simpliciter* nuptias non esse celebrandas, satis obvia fuit conclusio, quod saltem inter illas personas non possint contrahi matrimonia, quae iuxta consuetudines legesque patrias in *hereditatibus* consequendis intra *numerum consanguineorum* comprehenderentur. At quamvis admissio **formae** computationis *canonicae* loco methodi iuris Romani minorem habuerit difficultatem, eo tardius processit **extensio** circa numerum *graduum*, quae v. g. saecul. VIII et IX *quartum* gradum canonicum vix superavit, ut patet ex textibus infra, not. 48, citatis. Cfr. *Freisen*, 885 sq.

[45] Quibus in controversiis maxime eminet illa saeculo XI in Italia agitata inter S. Petrum Dam. (cfr. ipsius opusc. De parentelae gradibus, *Migne*, P. L. XLV, c. 191 sq.) et doctores iuris civilis ravennatenses, quae per *Alexandrum II*, (a. 1061-1073), duabus Decretalibus in favorem S. Petri D. contra legistas est derempta, sc. computationem iuris civilis non esse substituendam computationi *canonicae*, i. e. *usuali* vel *vulgari*. Cfr. c. 2, C. XXXV, q. 5; *Freisen*, 426 sq., 381 sq; *Palmieri*, l. c., 408, 365 sq.; *Esmein*, I, 390 sq. At in *alia* controversia de computando gradu *remotiore* tandem contra S. Petrum Dam. decisum est. Cfr. cap. 3 et 9, X, h. t.; *Freisen*, 433 sq.

[46] Cfr. c. 8 Conc. Aenhamens. (a. 1009); c. 17 Conc. Bituric. (a. 1031); c. 11 Conc. Remens. (a. 1049); c. 11 Synod. Later. (a. 1059) = c. 17, C. XXXV, q. 2, 3; c. 9 Conc. Roman. (a. 1063); c. 14 Conc. Rothomag. (a. 1072); cap. 6 Concil. Londin. (a. 1075); *Palmieri*, l. c. 406 sq. 407, not. ad Conc. Rom. et 408 sq. 411, 413, 415, 419; *Freisen*, 393 sq.; *Scherer*, 294, not. 13.

[47] Gratian. c. 19, C. XXXV, q. 2, in dict.: *Petr. Lombard.*, lib. IV, sent. dist. 40; *Roland*. l. c., 200 sq.; *Bernard. Pap.*, l. c., 164 sq.; *Tancredus*, l. c. 25 sq. Cfr. quoque *Freisen*, 394 sq.

[48] Cfr. c. 1 Conc. Vermer. (a. 753-756); c. 1 sq. Conc. Compend.

videntur quintum et potissimum sextum et septimum gradum interdum potius habita fuisse impedimenta *impedientia* quam *dirimentia*. Quare huiusmodi matrimonia, quae cum *ignorantia* quinti, sexti vel septimi gradus bona fide fuerunt celebrata, haud facile post multos annos separabantur, sed per *dispensationes* vel *dissimulationes* remedium allatum est. Cfr. c. 1, C. XXXV, q. 8; cpl. I, cap. 1, IV, 14 (Luc. III, a. 1181-1185); cpl. III, cap. 2, IV, 13, (*Innoc. III*, a. 1202); Exceptiones Petri, I, 28; *Petr. Lombard.*, l. IV, sent. D. 41, § C; *Tancred.* l. c., 31 sq.; *Freisen*, 402 sq. Quae prohibitio matrimoniorum inter consanguineos usque ad *septimam* generationem ab Innocentio III (a. 1215), sacro approbante Concilio Lateranensi IV, cap. 50 = cap. 8, X, h. t., sapienter sublatis aliis remediis vitandi incommoda ad quartum gradum consanguinitatis restricta est, « *quoniam in ulterioribus gradibus iam non* (potuit) *absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari* »[49]. Haec disciplina usque ad Codicem *generatim* viguit[50]; nam postulata de abrogando tertio vel saltem

(a. 757); ubi matrimonia in *tertia* generatione iuxta computationem *germanicam* contracta, — commemoratur enim computatio in gradibus *inaequalibus*, quae in sola computatione germanica fieri potuit — separantur, in *quarta* generatione sunt *prohibita*, sed contracta *non* separantur; c. 54 Conc. Mogunt. (a. 813), etiam *post* quartam generationem matrimonia inita non separantur. Cfr. quoque c. 30 Concil. Mogunt. (a. 847), et *Raban. Maur.*, († a. 856), in epist. ad Humbert. et Reginald. iunct. *Freisen*, 390 sq.; c. 1 Synod. Confluent. (a. 922); cap. 3, X, h. t. de matrimonio in sexto gradu pro Norvegia permisso; cap. 8, X, de divort. IV, 19, in parte decis. livorniensibus *Innoc. III*, (a. 1201), concedit matrimonii celebrationem *in quarta et ulterius generatione; Schnitzer*, 385 sq.

[49] Quare ratio mutandi ius antiquum fuit solidissima, licet altera ex *quatuor humoribus* petita pro condicione scientiae physiologicae Galeni (cfr. *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 146), sit nullius momenti. Cfr. *Scherer*, 294 sq. not. 14 sq.; *Freisen*, 438 sq.; *Esmein*, l. c., 392 sq.; *Hefele*, V, 530 sq.

[50] Quamvis in compluribus ritibus *Ecclesiae Orientalis* etiam *nunc* pro antiqua traditione impedimentum consanguinitatis tantum extendatur usque ad *septimum* gradum computationis *civilis* (cfr. v. g. Conc. prov. Alba-Iul. celebr. a. 1872, et a. 1881 Romae approbatum, p. 96; Collect. Lac. II, col. 162.; *Papp-Szilagyi*, Enchiridion §§ 107, 109; *Mansella*, 38 sq.), tamen in aliis ritibus viget ius Ecclesiae romanae, v. g. apud italograecos, maronitas, syros. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 maii 1742 § 8, n. 5; Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. l. c. col. 163 sq. 172, 330, 414; Synod. Sciarf. syror. (a. 1888), p. 178. In Ecclesia quoque Occidentali ad tramites antiquae concessionis Gregorii M. anglis factae similia indulta indi et nigritae in America latina et in insulis Philippinis inde a tempore *Pauli III obtinuerunt*; qui impedimento consanguinitatis solummodo ligantur usque ad secundum gradum incl. Cfr. Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), II, 613 = *Leon. XIII*

quarto gradu consanguinitatis a Concilio Tridentino fuerunt reicta[51]. Similia postulata in Concilio Vaticano fuerunt proposita vel a viris doctis Praelatis Concilii insinuata de reducendo impedimento[52], quibus partialiter satisfactum est in Codice reducto impedimento consanguinitatis ad *tertium* gradum.

§ 1. De origine et ambitu impedimenti consanguinitatis

347. Consanguinitas in primo gradu lineae rectae, i. e. inter patrem et filiam vel matrem et filium, ex *iure naturae* matrimonium non solum reddit graviter illicitum[53], sed etiam nullum atque irritum[54]. Etenim ille contractus iure naturae est illicitus et irritus, qui continet *turpitudinem perpetuam* tum in actu transeunte tum in continuo usu; iam vero id omnino est affirmandum de matrimonio in primo gradu lineae rectae, propter reverentiam parentibus debitam et finem primarium matrimonii: ergo ipso *iure naturali* nullus et irritus est talis contractus matrimonialis[55]. Quae ratio ex natura rei petita confirmatur consensu omnium populorum et testimoniis SS. Patrum[56].

Consanguinitatem ultra primum gradum lineae rectae tantum usque ad certos gradus iure naturae irritare matrimonium arbitrarie asseritur[57], sed verius tenendum est in infinitum in-

Litt. Apost. « *Trans oceanum* » 18 apr. 1897, n. 10; *Ferreres*, Derecho sacram. n. 605, not. 1.

[51] *Martin*, Collect. doc. Conc. Vat., 162 sq.; *Esmein*, II, 290 sq.; *Theiner*, in cit. Act. C. Tr. II, 36 sq.

[52] *Martin*, l. c., 162 sq., 183, 188, 190; Arch. f. k. K. XXIII, 169 sq. 317 sq.; Katholik (a. 1872), II, 50 sq., 207 sq., 667 sq.

[53] *Schmalzgr.*, h. t. 14, n. 20; *Perrone*, II, 137; *Zhishman*, 224, ubi agit de nefandis nuptiis assyriorum, persarum et aegyptiorum contra naturam et mores omnium populorum celebratis.

[54] *S. Thomas*, Comm. l. IV, sent. dist. 40, unic. art. 3; *Sánchez*, l. VII, disp. 51, n. 7. sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 21 sq.; *Rosset*, n. 1779 sq.; *Leitner*, 214 sq.

[55] *Suarez*, De legib. l. II, cap. 12, n. 3, 5; *Schmalzgr.*, Dissert. prooem. n. 71, 72; *Rosset*, n. 1964.

[56] *Tertullian.* Apologet. cap. 9; *S. Ambros.*, in cit. epist. 66, ad Patern.; *Rosset*, n. 1781 sq.

[57] Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 30, ubi varios gradus sive terminos a variis scriptoribus propugnatos affert. Quae *varietas* ipsa optime probat arbitrario fundamento niti istas sententias. Quare ii solummodo scriptores sibi constare videntur, qui irritationem iuris naturalis in linea recta aut restringunt ad gradum *primum*, ut tenet *Schmalzgr.*, h. t. n. 31, 28, cum aliis, v. g. *Sánchez*, l. VII. disp. 51, n. 19, aut extendunt *in infinitum*, v. g. *Pirhing*, h. t. n. 9; *Reiffenstuel*, h. t. n. 27; *Zallinger*, Inst. iur. natur. l. II, § 179; *Rosset*, 1793 sq.; *Leitner*, l. c.

ter ascendentes et descendentes matrimonia valide contrahi non posse ex sanctionibus iuris naturalis.

348. In linea *collaterali* consanguinitas ultra primum gra-

Quodsi matrimonia ista dicantur prohibita et irrita *in infinitum*, id ipsa natura duce et magistra intelligendum est de gradibus *possibilibus*; nam omissa extrema et decrepita senectute, certe *mors* matrimonia in ulterioribus gradibus physica necessitate excludit, in quibus *propinquitas sanguinis* sive consanguinitas *proxima* non amplius urgeri potest, sed solummodo maior quaedam reverentia et diversitas aetatis. Neque nunc quaerenda est uxor pro Mathusalem in ultima sua senectute vel *pro Adamo redivivo* (!), de cuius uxore inter filias Evae invenienda Glossatores quidam medii aevi fuerunt solliciti. At pro *fidelibus* practice omnis difficultas est sublata, cum impedimentum consanguinitatis in linea recta saltem ex *iure canonico* nunc in quolibet gradu matrimonium excludat. Insuper doctores, v. g. *Sánchez*, l. VII, disp. 51, n. 12 sq., 19 sq., *Pontius, Gonzales, Fagnanus*, qui opinati sunt ex iure canonico allegatum impedimentum restringi ad *quartum* gradum, non ultra, sententiam *improbabilem* tenuerunt etiam attento iure praecedente. Etenim illa opinio evidenter contraria est responso *Nicolai* I, ad consult. bulgar. (a. 866), n. 39, ubi leges romanae (cfr. §§ 1, 2, Inst. de nupt. I, 10, iunct. L. 14, § 2, D. de ritu nuptiar. XXIII, 2) canonizantur. Praeterea frustra iidem auctores provocarunt ad cap. 8, X, h. t. et cap. 8, X, de divort. IV, 19, quae de linea *collaterali*, non *recta*, sine ullo dubio erant intelligenda. Cfr. *Gasparri*, I, n. 701; *Rosset*, n. 1793, 1795, 1801. Hinc sententia, quae restringit impedimentum lineae rectae ex iure naturae ad primum gradum, unice esset practici momenti pro *infidelibus, civili* quoque lege *irritante* ab istis matrimoniis ultra *primum* gradum lineae rectae non impeditis. Quae suppositio de lege *civili* non irritante huiusmodi matrimonia in omnibus fere nationibus videtur esse fictitia. Cfr. *Leitner*, 222 sq.

Solide quoque fundata non est altera *Sánchez* assertio: « *Infideles matrimonio coniunctos cum quocumque ascendente demptis patre et matre, dummodo contra leges suas aut consuetudines matrimonium irritantes illud non inierint, non esse conversos ad fidem separandos* ». Nam limitatio addita (*dummodo* etc.) facile verificatur. Cfr. *Schnitzer*, 376 sq., 388 sq. Porro praxis ecclesiastica nullo unquam tempore ut *possibilem* admisit *dispensationem* super impedimento consanguinitatis in quocumque gradu lineae rectae, et in amplissimis facultatibus a S. C. Inq. 20 feb. 1888, concessis illi gradus consanguinitatis inter impedimenta *iure ecclesiastico* constituta evidenter non comprehenduntur; ergo iure divino nituntur. Quod ius divinum mere *positivum* esse nullo argumento demonstrari potest: ergo naturale sit necesse est. Hoc argumentum etiam valet iure Codicis, in quo pariter in amplissima facultate dispensandi ab impedimentis *iuris ecclesiastici*, dum alia impedimenta excipiuntur, *nullus* gradus consanguinitatis *lineae rectae* excipitur, quos tamen certo constat Ecclesiam nolle dispensare; quin c. 1076, § 3, iniungitur *nunquam* esse permittendum matrimonium, si quod subsit dubium, num partes sint consanguineae *in aliquo gradu lineae rectae*. Cfr. quoque *Cappello*, I, n. 518; *De Smet*, n. 607, cum not. 3. Si infideles conversi huiusmodi matrimonio reperiantur uniti, et v. g. avus duxisset neptem, certe *privata* auctoritate missionarii in suo connubio *relinqui* non possunt, ut recte monet *Feije*,

dum matrimonia inter coniunctos certe ex iure divino sive positivo sive naturali [58] non dirimit [59], sed intra primum gradum *ius naturae* licitae et validae matrimonii celebrationi obstat, seclusa absoluta necessitate propagationis generis humani per filios et filias Adami [60]. Nam illa matrimonia obstant *mutuae reveren-*

---

n. 366 sq., contra *Verricellum* aliosque, sed saltem propter *theoreticas* opiniones doctorum Sedes Apostolica esset consulenda.

At relictis viris doctis theoreticis disquisitionibus, iam pridem severior disciplina *separationis* in praxi fuit applicata. Nam Concilium provinciale Limense (a. 1583), confirmavit decreta Concilii a. 1567, in eadem civitate celebrati, eorumque compendium edi iussit, postquam Sedes Apostolica (?) fuit consulta. Quo in compendio ad usum parochorum decernitur: « *Ut qui in infidelitate contraxerat matrimonium cum sua noverca* (?) (cfr. Bened. XIV, in epist. *Aestas* 11 oct. § 14), *vel cum sorore vel* **cum aliqua in linea recta sibi coniuncta,** *ante baptismum separetur, cum* **naturali lege** *eiusmodi coniugia reprobentur; si vero matrimonium contraxerat in gradibus lege solum Ecclesiae prohibitis, suscepto postea baptismo ratificentur eiusmodi matrimonia* ». Cfr. *Lugo*, Respons. moral. l. 1, dub. 40, n. 10 sq.; *Rosset*, n. 1806, iunct n. 1960 sq., ubi fatetur de consultatione Sedis Apostolicae, i. e. *Pauli IV*, non penitus certo constare (sane Paulus IV, (a. 1555-1559, fuit R. P.!); *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 13.

[58] Cpl. II, cap. 1 (*Clem. III*, 1187-1191), de conv. infid. III, 20; cap. 8, X, de divort. IV, 19; Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr.; *Sánchez*, l. VII, disp. 52, n. 6; *Schmalzgr.*, h. t. n. 44; *Rosset*, n. 1802. Multo minus dici potest omnia et singula impedimenta consanguinitatis in Levitic. XVIII pro populo israelitico statuta niti legibus irritantibus iuris naturae. Cfr. Concil. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. can. 3; *Sánchez*, l. c. n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 38 sq.; *Rosset*, n. 1816; *Leitner*, 215.

[59] Quamvis matrimonia in illis gradibus primo gradui quam maxime *vicinis* ex solo iure naturae *irrita* non sint, tamen continent aliquam indecentiam atque pro arbitrio et sine causis proportionatis etiam ab infidelibus celebranda non sunt. Cfr. *Sánchez*, l. c. n. 6; *Schmalzgr.*, h. t. n. 41. Quare privilegium a *Paulo III* missionariis quondam concessum *dispensandi* cum infidelibus, ut manere possint in matrimoniis prius contractis in gradibus illicitis, tamen lege divina non prohibitis, intelligendum est de aliqua concessione ad maiorem abundantiam, ut omne dubium omnisque indecentia removeatur, non ad convalidanda matrimonia antea *invalide* contracta. Cfr. Conc. prov. Limense (a. 1583), cit. in not. 57, i. f. h. cap.; *Sánchez*, l. VIII, disp. 6, n. 29; *Giovine*, I, 630; *Feije*, 317, i. f.; *Perrone*, II, 330, 331, ubi de *dissolutione* vel *confirmatione* matrimoniorum in infidelitate contractorum proponit difficiles assertiones, quae vix conciliari et sustineri possunt.

[60] Benedictus XIV, in epist. « *Aestas anni* » 11 octobr. 1757, § 13, docet: « *Non convenit inter theologos an matrimonium inter fratrem et sororem iure naturali, divino vel humano prohibeatur; certe S. Thomas* (?), *Gonzales, Pontius, Parisius* et *Aversa solam iuris positivi prohibitionem agnoscunt* ».

At *Sánchez*, l. VII, disp. 52, n. 11; *S. R. Bellarminus*, l. c. cap. 28; *Suarez*, De leg. l. II, cap. 14, n. 23, cap. 15, n. 25; *Pirhing*, h. t. n. 10;

tiae, quam frater et soror sibi debent; praesertim vero impediunt finem *primarium* coniunctionis maritalis, cum ex talibus matrimoniis proles quaedam depravata *soleat* nasci; nec attingunt finem *secundarium*, quo legitimae nuptiae in remedium concupiscentiae datae sunt ad promovendam morum honestatem. At data libertate matrimonii ineundi inter fratres et sorores corrumpi-

---

Reiffenstuel. h. t. n. 28; *Rosset*, n. 1082; *Leitner*, 215 sq., cum *Vasquez, Laymann, Zallinger*, aliisque multis sententiam in textu propositam tenent, quam *Lugo*, De paenit. disp. 16, n. 143, simpliciter defendit ut communem.

Concedendum vero est praeter auctores a Benedicto XIV l. c. allegatos, non paucos alios antiquos et recentiores scriptores *negare* iure *naturali* matrimonium inter fratrem et sororem esse *irritum*. Cfr. v. g. *Schmalzgr.*, h. t. n. 45 sq., cum *Cajetano, Wiestner, Schmier*, aliisque antiquioribus doctoribus; *Perrone*, II, 188 sq.; *Gasparri*, I, n. 769; *D'Annibale*, P. III, n. 433, n. 16.

At auctores, qui in *neganda* lege naturali *irritante* conveniunt, discrepare videntur in positiva affirmatione. Nam alii videntur putare huiusmodi matrimonium, etsi iure naturali *validum*, tamen *non levem indecentiam redolere* (cfr. *Gasparri*, l. c.); alii expressis verbis defendunt istas nuptias ipso iure naturali saltem *graviter* esse *illicitas*. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. Qua in re manifesta est differentia; non pauca enim ex natura rei sunt *non leviter indecentia*, inde autem non sequitur quod lege *naturali* sint *graviter*, i. e. sub poena aeternae damnationis, *illicita*. Cfr. de matrimonio cum privigna vel noverca: *Benedict. XIV*, in cit. epist. « *Aestas* », 11 octobr. 1757, § 14. Praeterea scriptores, qui gravem *illiceitatem* ex iure naturali repetunt, parum sibi constare videntur, si negant eandem naturalem legem prohibentem simul esse irritantem. Nam illa gravis illiceitas certe oritur ex turpitudine *perpetua*, quae istius matrimonii celebrationi propria est; at ut recte tenet *Suarez*, ipso *Schmalzgrueber* consentiente, (cfr. supra h. tit. not. 57), actus, cui turpitudo perpetua obstat, ex iure naturali non solum est illicitus, sed etiam invalidus.

Alii doctores reicientes in casu *naturalem* legem *irritantem*, ut vitent corollarium mere *humanae* legis irritantis sive ecclesiasticae pro fidelibus sive civilis pro infidelibus, nullitatem matrimonii inter fratrem et sororem deducere student ex *divino* iure mere *positivo*. Cfr. *Feije*, n. 366; *Santi*, h. t. n. 13; *De Angelis*, h. t. 2. Quae sententia solido fundamento omnino caret. Nam in fontibus revelationis Novi Testamenti illius legis divinae *mere positivae* nullum reperitur vestigium. Quare hoc impedimentum deducendum esset ex legibus divinis *Veteris Testamenti*, ut revera fit a *De Angelis* et *Santi*, l. c., qui provocant ad legem latam in Levitico XVIII, 9, 11. At leges iudiciales et caeremoniales a Deo in Vetere Testamento latae pro Novo Testamento abrogatae sunt, immo vel ipsae leges morales non amplius obligant in vim promulgationis sinaiticae, sed quatenus sunt leges *naturales* et ab ipso Christo Domino denuo *confirmatae*. Hinc *Santi* et *De Angelis*, si nolint admittere in subiecta materia *naturalem* legem divinam vereque irritantem, fateantur necesse est in Novo Testamento ius quoddam *divinum* de hac re simpliciter non existere, sed unice recurrendum esse ad ius *humanum* sive Ecclesiae sive Status. Cfr. *Rosset*, n. 1808, 1818; *Gasparri*, I, n. 769; *Schnitzer*, 395.

tur vita domestica familiae, et si amor coniugalis accedat ad amorem naturalem fratris et sororis, coniuges cum gravi damno salutis corporalis et honestatis morum facile nimis proclives fierent ad excessus in vita maritali [61].

Quae sententia confirmatur auctoritate *S. Augustini*, De civitate Dei, l. XV, cap. 16, et Conc. prov. Limen. (a. 1583) allegata supra, not. 57, atque Conc. prov. Mexic. (a. 1585), ubi haec statuuntur: « *Nefanda inter fratres et sorores primo gradu coniuncta matrimonia* **omni iure** *prohibentur. Quare praecipitur, ut infideles huius provinciae, qui tempore suae infidelitatis in hoc gradu coniuncti erant matrimonio, cum primum baptismum susceperint, separentur, matrimoniumque huiusmodi irritum et nullum decernatur* » [62]. Cfr. quoque cap. 8, X, de divort. IV, 19; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr.; decr. S. C. Inq. 20 febr. 1888. Praeterea hic quoque recurrit argumentum deductum ex silentio de hoc impedimento in cc. 1043-1045. Atque hoc silentium etiam servatur in Formulis Facultatum, quae nunc dantur a S. C. de P. F.: cuius silentii explicatio congrua dari non potest nisi *persuasio Ecclesiae* de naturali iure excludente hoc matrimonium. Quae persuasio etiam videtur exprimi in praescripto c. 1076 § 3. Tandem quae adversarii in favorem suae sententiae adducunt [63]

---

[61] *Rosset*, n. 810 sq.; *Cathrein*, Moralphilosophie II, 409. Cfr. quoque *Schiffini*, Disput. philos. mor. n. 383 sq., et *Ballerini-Palmieri*, Op. theol. mor. VI, 653, ubi recte exponunt, quantopere haec controversia praeiudicium inferat illi sententiae, quae principibus civilibus negat potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonii pro hominibus non baptizatis. Quibus viris doctis ob rationes parum efficaces contradicit *Feije*, n. 368, not. 1.

[62] Praxis illa Ecclesiae solummodo accipit rationabilem explicationem, si recurratur ad ius naturale; nam ubi ista matrimonia impune permittuntur, sane nullitas legibus civilibus non est statuta. Nec cum *Lehmkuhl*, II, n. 756, supponenda est aliqua lex generalis Ecclesiae, qua ipso momento conversionis per supremam potestatem R. Pontificis talia matrimonia in infidelitate contracta *solvuntur*, ut recte docet *Rosset*, n. 1809. Etenim, ut patet ex allegato Concilio Mexicano (a. 1585), ista matrimonia iam ante baptismum habentur *irrita*, non valida sed momento conversionis rescindibilia. Porro *Innocentius III*, cap. 8, X, de divort. IV, 19, docet baptismo remitti delicta, non solvi coniugia. Denique extraordinaria illa planeque singularis lex generalis Ecclesiae hucusque nemini nota saltem aliquo argumento positivo ex fontibus iuris ecclesiastici esset probanda, id quod nondum est factum.

[63] V. g. *Schmalzgr.*, h. t. n. 47, arguit: 1) In sententia quae impedimentum matrimonii inter fratrem et sororem derivat ex iure naturali, Deus statim ab initio mundi debuisset pro filiis et filiabus Adami dare *dispensationem* plane incredibilem. Quae obiectio nititur *falso supposito*, sc. illum casum fuisse in lege naturali comprehensum; ergo iste casus *per*

sunt argumenta adeo debilia, ut probabilitas vix eis possit concedi.

349. Consanguinitas etiam vi iuris canonici matrimonia baptizatorum in linea recta dirimit in infinitum (c. 1076 § 1), inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales,

---

dispensationem non fuit subducendus, ut recte tenent *S. R. Bellarminus,* l. c.; *Rossel,* n. 1815; *Leitner,* 215; immo tandem ipse *Schmalzgr.,* si constare velit iis, quae scripserat in dissert. prooemiali n. 80. Nam cum Deus vellet ut ex protoparentibus (Genes. I, 28), universum genus humanum propagaretur, nec singulis filiis et filiabus Adami *crearet* uxores et maritos, manifeste iste casus in lege non fuit comprehensus. Qua in re nulla est difficultas; nam lex illa naturalis non spectat ad eas leges, quae *intrinsecam* quandam malitiam prohibent; ergo quemadmodum in casu *absolutae necessitatis* ablatio rei *alienae* non comprehenditur in lege *furtum* vetante, ita idem obtinet in casu allegato. 2) Provocat ad exemplum Abrahae, virum sanctum, qui Saram, i. e. propriam sororem, duxerit in uxorem. At si Genes. XX, 12 comparetur cum Genes. XI, 29, et ratio habeatur modi loquendi *hebraeorum,* quo *filia patris* etiam dicebatur illa, quae *ex eodem avo* erat progenita, tota argumentatio adversarii corruit, utpote fundata in falsa interpretatione sacrae Scripturae. Cfr. *Tirin.,* Comment. in Genes. XX, 12 et in Levit. XVIII, 13; *Hummelauer,* Comment. in Genes. XI, 29; *Freisen,* 374; *Rosset,* n. 1810. 3). Allegat verba Thamaris (Reg. II, 13): « *Loquere ad regem, et non negabit me tibi* », i. e. fratri suo Amnoni. At quae puella hebraeorum in extremis angustiis iuxta interpretationem obviam dixit ad eludendos impuros conatus fratris, ipsi legi mosaicae fuerunt evidenter contraria et nequaquam a Spiritu Sancto ad instar principii cuiusdam iuris naturalis approbata. Quodsi quis cum aliis commentatoribus admittant Thamarem, utpote matre gentili natam, fuisse *ignaram* legis mosaicae, testimonium puellae ignorantis inepte invocatur ad solvendam quaestionem iuris naturalis. Quare summopere desiderandum est, ut huiusmodi praeposterae argumentationes exegeticae ex libris theologorum et canonistarum catholicorum exulent, ne videantur subsidium ferre rationalistis, deducentibus ex verbis Thamaris nugatoriam conclusionem sc.: prohibitiones legis mosaicae aevo Davidico fuisse ignotas. Cfr. *Tirin.,* Comment. in cit. text.; *Hummelauer,* Comment. in libr. Samuel, 868 sq. 4) Insistit tolerantiae istorum matrimoniorum apud nonnullos populos, v. g. aegyptios. At spurcitiae paucarum gentium corruptarum nihil probant contra communem consensum aliarum, quae vel modice humanitati sunt deditae. Cfr. *Schnitzer,* 376, not. 4; *Leitner,* 37. 5). Urget c. 8, C. XXXV, q. 2, 3, sive c. 61 Conc. Agath. (a. 506), ubi matrimonia inter fratrem et germanam sororem antea contracta putat non fuisse soluta sed rata habita; quod stante irritatione iuris naturalis fuisset impossibile. Verumtamen Schmalzgrueber imprimis canonem allegatum *falso* tribuit Concilio Agathensi (a. 506), qui potius est c. 30 Concilii Epaonensis (a. 517). Praeterea tota ipsius argumentatio innititur textu *corrupto* Gratiani. Nequaquam enim *fratri* permissum est ut *suam sororem* germanam retineret uxorem, sed cit. c. 30 incestae nuptiae dicuntur, si frater germanam *uxoris suae* matrimonio sibi coniunxerat. Cfr. *Hefele,* II. 657 sq., 685. Quare non est confugiendum ad interpretationem cit. can. 61, quam suppeditant *Lugo,* Resp. mor. dub. 40, n. 17 sq.; *Rosset,* n. 1806. Cfr. quoque

quod de iure praecedente etiam constabat ex Nicol. M. resp. ad consult. bulgar. (a. 866) n. 39, et ex cap. 8, X, h. t. 14.

Praeterea in linea *collaterali* pariter sine distinctione inter consanguinitatem legitimam et naturalem irritatur matrimonium usque ad *tertium* gradum incl., si vel *unus* ex contrahentibus sit *baptizatus* [64]. Desinit autem impedimentum statim ac ab una parte tertius gradus excedatur, et gradus *remotior* trahit ad se *proximiorem.* Quare si unus ex sponsis quarto gradu a communi stipite distet, alter vero tantum primo vel secundo vel tertio, impedimentum non obstat [65].

---

c. 11 Conc. Arvern. (a. 535); c. 10 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 27 Concil. Aurel. IV (a. 541), — de non solvendis incestis quibusdam matrimoniis a neophytis *post baptismum ex ignorantia* celebratis — 6) In medium adducit iurisconsultum Romanum, qui L. 35, D. de V. O. videatur asserere matrimonium inter fratrem et sororem, non per *naturam,* sed per *leges* tantum esse impossibile. Sed non est recurrendum ad legem quandam romanam in aliena sede materiae, postquam L. 14, § 2, D. de rit. nupt. XXIII, 2, istae coniunctiones inter ipsos servos iis adnumerantur, quae sint contra ius naturale et pudorem. Praeterea cit. L. 35, D. de V. O. non est ad rem. Nam ibidem est oppositio inter ea, quae *physice* vel *moraliter* sive *iuridice* sunt impossibilia. At *dare* quod quis *non habet,* est *per naturam* impossibile, propriam autem sororem quis *physice, non per mores* et *leges* iuridice uxorem ducere potest. 7) Arguit ex minore turpitudine huius matrimonii, si comparetur cum *maiore* irreverentia, quae habet locum in matrimonio patris cum filia. Quae *minor* turpitudo *relativa* non probat, quod *in se* non sit gravissima, sicut in iure delicta quaedam dicuntur *minora,* si comparentur cum *maioribus,* sed per se sunt manentque facinora turpissima. 8) Ultimo loco videtur reservasse firmissimum argumentum, quod *Martinus V dispensationem* concesserit ad matrimonium fratris et sororis. Quae dispensatio dari non potuisset, si obstitisset lex naturalis. Qua in re *Schmalzgrueber* nimiam auctoritatem tribuit *Caietano,* qui in rebus historicis non est fidus Achates. Nam RR. Pontifices constanter, v. g. Henrico VIII pro coniungendo filio suo naturali cum Maria, legitima sua filia, tales dispensationes negarunt, atque fabulis et imposturis, non factis historicis est adnumerandum, si *Martinus V* et *Callixtus III* dicuntur super tali impedimento dispensasse, ut testatur *Benedict. XIV,* in epist. *Aestas,* 28 oct. 1757, § 13, et latius cum Alexandro Natali probat *Riganti,* Comment. in R. 49 Canc. Apost. n. 15, 16, 17. Cfr. quoque S. C. C. in c. Leod. 14 dec. 1793 et in c. Aesina 23 nov. 1805, in ed. *Richt.* C. Tr., 361, n. 98 sq.; *Scherer,* II, 462, not. 33.

[64] Atque haec, praeter moderationem introductam pro determinanda impedimenti multiplicitate, est unica immutatio per Codicem facta, dum antea impedimentum extendebatur ad quartum gradum lineae collateralis. Cfr. supra not. 50 de praxi Ecclesiae Orientalis in *nonnullis* ritibus hoc impedimentum dirimens solummodo extendendi usque ad *septimum* gradum computationis civilis Immo sunt orientales, qui septimum gradum *asserunt* apud ipsos esse tantum (?) impedimentum impediens. Cfr. *Gasparri,* I, n. 707.

[65] Cfr. regulam traditam a *Gregorio IX,* cap. 9, X, h. t.; *Bernard. Pap.,*

§ II. De convenientia impedimenti consanguinitatis

350. *Consanguinei* sibi debent mutuam quandam *reverentiam et verecundiam* ab ipsa natura hominibus inditam. Cui verecundiae et reverentiae maxime opponitur commercium maritale. Quae ratio quamvis consentientibus omnibus fere populis de primo gradu lineae rectae et collateralis summa vi valeat, tamen ad alios quoque gradus, saltem viciniores *proximo* stipiti communi, servata proportione merito extenditur. Etenim cognatio naturalis non tam facile oblivioni datur, sed in morali hominum aestimatione diu perseverat. Id quidem nostra quoque aetate ordinarie fit saltem usque ad secundum vel tertium gradum incl. Quare Ecclesia haud sine solido fundamento etiam nostra aetate nimiam illam restrictionem impedimentorum consanguinitatis per modernos codices iuris civilis factam non est imitata [66].

351. Teste S. Augustino [67] universum genus humanum ex voluntate Dei vinculis *caritatis* magis magisque dilatatis in unam concrescat necesse est societatem et Dei civitatem. Cuius unionis efficiendae matrimonium, quo homines colligantur vinculo quodam necessitudinis, medium est maxime idoneum. Quodsi matrimonia inter solos consanguineos contrahantur, perit ille fructus

l. c., 167 sq.; *Tancred.*, l. c., 30; *Sánchez*, l. c. disp. 53, n. 4 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 59 sq.; *Scherer*, l. c. not. 44; *Schnitzer*, 387. Quae regula generalis ab Hostiensi aliisque paucis scriptoribus antiquis sine sufficienti ratione ita limitata fuit, ut non comprehendat casum — utique parum practicum — quo unus ex contrahentibus *primo* gradu distet a stipite. Nam *Gregorius IX*, in cit. cap. 9, X, h. t., utique decidit causam particularem, et simul in *ratione* decisionis tradit *normam generalem*, quae *taxative* non est intelligenda de *solo exemplo* allegato quarti et quinti gradus. Accedit quod ita citatum cap. 9, X, h. t., constanter et communiter a canonistis fuerit explicatum inde a tempore *Ioannis Andreae*, Novell. commentar. in cap. 9, X, h. t. Tandem quod ita *S. Pius V specialiter* statuerat de *dispensatione* super gradu *quarto* attingente *primum*, i. e. in lege comprehenso, arbitrarie transfertur ad casum omnino diversum atque in lege *non* contentum. Cfr. de conciliatione cap. 9 cum cap. 3, X, h. t. supra not. 15. Concedendum vero est regulam cap. 9, X, h. t. de gradu *remotiore* attendendo in antiquo iure nondum admitti (cfr c. 3, 4, Conc. Compend. [a. 757]; *Freisen*, 433) sed paulatim in theoria doctorum et praxi fuisse approbatam. Cfr. cap. 3, X, h. t. *Caelestin. III*, (a. 1191-1198); *Tancred.*, l. c.; *Freisen*, l. c.

[66] Levitic., XX, 17 sq.; L. 14, § 2. D. de rit. nupt. XXIII, 2; *S. Ambros.*, ad Patern. cap. 3; *Sánchez*, l. c. n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 52 seq.; *Moy*, 84 sq.; *Rosset*, n. 1821 sq.; *Schnitzer*, 374 sq.

[67] *S. Augustin.*, in c. unic. C. XXXV, q. 1 = De civit. Dei l. XV, cap. 16; *Freisen*, 372 sq.

propagandae necessitudinis, et ad paucas personas vel familias complura illa vincula amoris restringuntur.

352. Hisce rationibus ex ordine *naturali* et *sociali* petitis accedit tertia ex ordine *morali*. Summopere enim est desiderandum, ut familiaris illa consuetudo, quae inter consanguineos viget, sancta et innoxia existat [68]. Qui scopus optima ratione attingitur, si vel ipsa spes et cogitatio futuri matrimonii inter personas consanguineas arcetur. At perfractis illis repagulis pudoris, quibus vita domestica circumdatur, nimis facile nimisque cito inter membra eiusdem familiae conciliantur nuptiae; spe futuri matrimonii affulgente, teste experientia prava cupido excitatur et facilius peccata committuntur inter tales personas. Denique hoc modo licitae amicitiae signa homines in pravam partem frequenter interpretantur; inde fit ut in familiis oriantur mutuae suspiciones. Quantopere pravi isti effectus honestati, paci veraeque concordiae familiarum detrahant manifestum est. Cfr. Instr. *Card. Rauscher*, § 81; *S. R. Bellarmin.*, l. c. cap. 29 [69].

Denique si vel ipsum bonum *physicum* prolis attendatur, a matrimoniis istis inter consanguineos cavendum est. Nam aut proles huiusmodi matrimoniis omnino negatur, aut si quae habetur, saepe animo et corpore est debilis atque deformis [70]. Quae ratio, certis factis experientiae comprobata, maxime militat contra matrimonia in secundo gradu attingente primum et adversus nuptias consobrinorum.

[68] *Gregor. XVI*, Epist. d. 22 nov. 1836 ad *Card. Pacca*. Cfr. *Giovine*, I, 364.

[69] Cum nostra aetate unio familiarum in multis casibus non amplius sit adeo arcta, facile intelligitur quare a non paucis Episcopis postulata fuerit abrogatio gradus *quarti* consanguinitatis tanquam impedimenti dirimentis matrimonii et cur Codex illis postulatis obsecundarit. Cfr. *Martin*, Collect. doc. C. Vatic., 162 sq.

[70] Qui tristes effectus iam veteribus scriptoribus erant noti et a recentioribus quoque admittuntur. Cfr. c. 20, C. XXXV, q. 2; *Freisen*, 373; *Scherer*, 301, not. 49; *Eschbach*, Disput. cit., 99 sq.; *De Smet*, n. 606, not. 4; *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 1032, not. 1. Quodsi *Innoc. III*, c. 8, X, h. t. 14, in Conc. Later. IV, (a. 1215) restrictionis impedimentorum consanguinitatis ad quatuor gradus secundum theorias eo tempore inter medicos receptas (cfr. *Santi*, h. t. n. 10) hanc quoque affert rationem: « *Quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis* », eandemque rationem etiam proponit *S. Thomas*, Comm. in IV l. sent., dist. 40, q. 1, art. 4, in corp., haec allegatio sine dubio vi probandi efficaci est destituta. Cfr. *Schulte*, l. c. § 23, not. 55. At manifesta est falsitas vel potius calumnia *unicam* illam rationem legislationi canonicae subesse vel tantam extensionem impedimentorum factam esse, ut opportunitas haberetur concedendi « *lucrativas dispensationes* ». Id autem *Berner*, Lehrb. d. d. Strafr., 418 sq. aliique sine probationibus asserere non erubescunt.

§ III. De dispensatione in impedimento consanguinitatis

353. Impedimenta consanguinitatis, quae iure naturae nituntur, omnes homines et baptizatos et non baptizatos ligant, neque ab ulla potestate humana, ne per dispensationem quidem in casu particulari, tolli possunt. Hinc dispensatio super illis ab ipso R. Pontifice fidelibus nec conceditur nec concedi potest, atque matrimonia conversorum ad fidem catholicam, si in infidelitate his gradibus nuptias celebrarunt, post baptismum omnino separanda sunt [71]. Quae separatio matrimonii etiam inter fratrem et sororem contracti non ex lege quadam R. Pontificis dissolutionem decernente vel ex favore fidei est repetenda, sed potius ex nullitate iure naturae statuta facilem magisque obviam accipit explicationem [72].

354. Reliqua impedimenta consanguinitatis, quae *solos* homines *baptizatos* etiam *haereticos* et schismaticos ligant, a R. Pontifice concessione quoque *generali* sive expressa sive tacita ad pauciores gradus in aliqua regione reduci possunt [73]. A fortiori R. Pontifici inest potestas propria et ordinaria super omnibus

---

[71] Multoque minus missionarii dispensare possunt cum *infideli converso* super primo gradu consanguinitatis lineae collateralis ut ducat sororem, quacum in infidelitate sponsalia contraxerat. Nam merus delegatus nequit habere auctoritatem qua ipse Rom. Pontifex non utitur neque unquam usus est (cfr. Benedict. XIV, in epistola *Aestas* 11 oct. 1757, n. 13 sq.; *Riganti*, l. c. in Reg. Canc. Ap. 49, n. 13-17; S. C. C. in caus. Leod. 14 dec. 1793, et in caus. Aesin. 23 nov. 1805) neque uti potest, quamque constanter in amplissimis quoque facultatibus expresse exclusit. Cfr. Collect. (Paris.) Constit S. Sed., 371 sq.; *De Smet*, n. 608, ubi obligationem separationis repetit ex hoc quod in connubio relinqui non possint sine gravi scandalo. Cfr. quoque *Analect. Eccl.* XI, 188 sq.; *N. R. Theol.* XIV, 513; XXXV, 523.

[72] *Rossel*, n. 1802 sq., 1806 sq. iunct. *Scherer*, 301, not. 47; *Leitner*, 297; *Wernz*, supra h. cap. n. 344, cum allegatis textibus ex Conc. Limensi (a. 1583) et Mexic. (a. 1585); paulo aliter rem explicant: *Santi*, h. t. n. 12, et *Lehmkuhl*, II, n. 756, iunct. n. 764; immo *Gasparri*, I, n. 711; *Giovine*, I, 361 sq. aliique putant tales coniuges in aliquo gradu lineae *rectae post primum* vel in *primo* gradu lineae transversalis sibi cognatos *post conversionem* ob dubium iuris nec posse nec debere separari, nisi forte favor fidei aliud exposcat, vel lege quoque civili hoc impedimentum pro infidelibus fuerit statutum.

[73] Cfr. c. 20, C. XXXV, q. 2 = epist. Greg. M. ad Augustin. Ep. anglorum, de cuius authentia scriptores non omnino conveniunt. Cfr. *Freisen*, 379, 423 sq. Simile privilegium, quod *Gregorius M.* anglis dicitur concessisse, germani sibi a *Gregorio II* datum fuisse contendebant. Cfr. Synod. Roman. (a. 743), c. 15, sub Zacharia Papa; *Freisen*, 384; Concil. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 96; *Zhishman*, 250 sq.; Vicarii Ap. Mayssur. postulatum abrogandi impedimentum consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti

istis impedimentis *dispensandi* in casibus particularibus, quae ab antiquis quibusdam scriptoribus et pseudo-reformatoribus ob rationes insufficientes fuit negata aut saltem nimis limitata [74]. At Sedes Apostolica vi facultatum, v. g. quinquennalium, multis Episcopis concedere solet potestatem dispensandi in tertio gradu et praesertim pro matrimoniis *contractis haereticorum conversorum* etiam in secundo gradu simplici. Missionariis et Vicariis Apostolicis in terris infidelium etiam ampliores a Sede Apostolica delegantur facultates dispensandi. Si canonicae causae existant, facilius dispensatio concedi solet in tertio gradu consanguinitatis: iuxta Concilium Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de reform. matr. « *in secundo gradu* — ideoque multo magis in secundo gradu attingente primum — *nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam* ». Quibus verbis ius R. Pontificis dispensandi etiam cum personis *privatis* ex causis privatis, sed iustis, non fuit limitatum et de facto R. Pontifex sua potestate dispensandi nunc utitur ultra limites a Concilio Tridentino statutos [75] atque in dies ob tristem temporum necessitatem mitius proceditur in dandis dispensationibus [76*].

---

gradus pro indigenis S. C. Inq., 14 dec. 1865, reiecit; cfr. supra, h. tit. not. 50, de indultis in insulis Philippinis et Americ. lat. indis et nigritis concessis; *Martin*, Collect. docum. Concil. Vatic., 162, 163 de postulatis in Conc. Trid. et Vatic. propositis ad imminuenda impedimenta consanguinitatis.

[74] Conc. Trid. Sess. XXIV, de matr. can. 3, cap. 5; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 2; *Freisen*, 897; *Schnitzer*, 395 sq.

[75] *Gregor. XVI*, Epistola ad *Cardin. Pacca*, Prodatarium, 22 nov. 1836; Instr. *C. Rauscher*, § 81; *Card. Bianchi* Prodatarii epist. ad omnes Ordin. 19 iun. 1895; *Giovine*, I, 363 sq.; *Gasparri*, I, n. 712, iunct. *Schmalzgr.*, h. t. n. 102, de causis suo tempore admissis.

[76*] Vult tamen S. C. de d. Sacr. ut parochi in erudiendis fidelibus de impedimentis matrimonialibus sive impedientibus sive praesertim dirimentibus, per instructionem catecheticam populo tradendam aptis temporibus, eos avertere conentur a matrimoniis quibus impedimenta, praesertim artiora, consanguinitatis vel affinitatis obstent. Haec enim impedimenta statuta sunt ab Ecclesia ut familiarum rectae constitutioni et ordinationi sobolisque procreationi et institutioni aptius foret consultum. Id potissimum obtinet in impedimento consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis *tangente primum*, v. gr. si agitur de avunculo et nepte vel de nepote et amita. Nam in his casibus, in quibus saepe nupturientes notabili inter se aetate sunt dissimiles, non modo serio periclitatur stabilitas pacificae conversationis coniugalis, sed etiam gravia damna tum moralia tum physica, ut tradunt physiologicae artis periti, filiis ac nepotibus obvenire possunt.

Praeterea nimia indulgentia in huiusmodi dispensationibus concedendis occasionem praeberet vel foveret, qua debita minuatur observantia et morum castimonia quae exsistant oportet inter personas tam

§ IV. De poenis statutis contra consanguineos attentantes matrimonia

355. Consanguinei in gradu prohibito sine dispensatione nuptias *celebrantes* committunt delictum incestus [76 (bis)].

Ex c. 2357 § 1 laici legitime *ob incestum* damnati ipso facto sunt infames, praeter alias poenas, quas Ordinarius infligendas iudicaverit; insuper excludendi sunt ab actibus legitimis ecclesiasticis donec verae resipiscentiae signa dederint. Atque hae sunt unicae poenae quae post Codicem remanent, abrogatis poenis antiqui iuris [77].

Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matrim. statuerat: « *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur et spe dispensationis consequendae careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit* ». Quae spes dispensationis ex praxi vigente non erat absolute adempta, sed difficilius tantum et cum severioribus clausulis in casu indulgebatur relaxatio impedimenti.

In iure vero antiquiore qui *scienter* incestuosas celebrarunt

---

arto sanguinis vinculo adstrictas in familiari conversatione vitaeque intima consuetudine. Sat frequentes fuisse recentioribus temporibus petitiones dispensationis circa impedimentum consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis *tangente primum* fatetur ipsa S. Congregatio. Hac de re vult monitos Ex.mos Praesules ne faciles se praebeant in excipiendis et commendandis precibus circa dispensationes in gradu tam arto consanguinitatis. Ad hoc autem meminisse iuvabit suetas quae pro ceteris impedimentis etiam maioris gradus adducuntur, causas minime sufficere quoad hoc impedimentum, sed eas solummodo iustas et congruenter graves haberi causas, quae vel ob canonicas praescriptiones vel ob diuturnum usum iugiter a S. Sede servatum uti legitimae existimantur, sicut sunt v. gr. remotio notabilis scandali, compositio gravium quaestionum in successione bonorum aut resolutio implexarum vel valde miserarum condicionum familiarium. Hae causae aliaeque id genus si exsistant, curabunt Rev.mi Ordinarii locorum supplices libellos pro memorato impedimento dispensando *litteris ad rem suis manibus confectis commendare*, quoties id sine gravi incommodo fieri contingat, quibus pro suis quisque subditis referre debet, una cum ipsorum aetate, canonicas causas in unoquoque casu concurrentes ceteraque adiuncta queis spectatis gratiam dispensationis opportunam in casu fore censeat.

Quodsi id fieri non possit, huiusmodi preces saltem *propria manu subscribere et speciali modo commendare debebunt*. Cfr. Instr. S. C. de d. Sacr. d. 1 augusti 1931; AAS. XXIII, 413; Periodica, XXI, 30.

[76 (bis)] Cfr. c. 5 Conc. Later I (a. 1123); c. 17 Conc. Later. II (a. 1139); c. 2, XXXV, q. 3, (Pseudo-Isidor.); c. 4, C. XXXV, q. 6 = c. 1 Conc. Trosleian. (a. 1091); S. C. Inq. 25 iunii 1885; *Thesaurus*, De poenis eccl. v. Incestus poenae, v. Matrimonium cap. 5; *Hollweck*, D. k. Strafg., 267.

[77] De antiquis poenis cfr. praesertim *Hollweck*, l. c.

nuptias cum *propriis* consanguineis, non solum a spe matrimonii inter se legitime celebrandi erant exclusi, sed etiam in poenam delicti a matrimonio cum *qualibet alia persona* contrahendo in perpetuum prohibebantur [78]. Illius prohibitionis, quae iuxta multos scriptores constituit impedimentum *impediens* incestus [79] iamdiu sublatum, vestigium quoddam reperiebatur in praxi Sedis Apostolicae apponendi dispensationibus clausulam [80], quod qui *scienter matrimonium* cum parte consanguinea *attentasset*, etiam post mortem coniugis cum *qualibet* alia persona sine permissione a Sede Apostolica obtenta licite nuptias celebrare non posset.

---

[78] Quae prohibitio in antiquioribus Conciliis nondum reperitur, sed facta separatione inter consanguineos illegitime coniunctos eisdem novae nuptiae cum *aliis* personis expresse fuerunt permissae. Cfr. v. g. c. 30 Conc. Epaon. (a. 517); c. 27 Conc. Aurel. IV, (a. 541); c. 21 Conc. Turon. (a. 567). At saltem ex saeculo VIII rigidior illa praxis fuit introducta, ut saltem propter incestum qualificatum cum proximis consanguineis (vel affinibus) utrique parti culpabili omnis matrimonii celebratio in poenam delicti commissi interdiceretur, salva maiore quadam clementia in adolescentes et periculo incontinentiae obnoxios. Cfr. c. 10, 11, Conc. Vermer. (a. 735); c. 11, 13, 17 Conc. Compend. (a. 757); c. 53 Conc. Mogunt. (a. 813); Cap. Attonis Basil. c. 21, (a. 823); c. 29 Synod. Mogunt. (a. 847) = c. 20, C. XXXII, q. 7; c. 33 Synod. Wormat. (a. 868) = c. 16, C. XXXIII, q. 2; c. 1 Conc. Troslei. (a. 1091) = c. 4, C. XXXV, q. 6; cap. 12, X, de praes. II, 23; cap. 12, X, de despons. imp. IV, 2; *Freisen*, 875 sq.; *Scherer*, 303, 331 sq., 388 sq.; *Esmein*, I, 375 sq.; *Giraldi*, P. I, sect. 269.

[79] *Sánchez*, l. VII, disp. 15, n. 15 sq., ubi sententiam doctorum *affirmantium* illud impedimentum valde quidem probabilem esse concedit, sed *negantem* tanquam probabiliorem optimo iure iam suo tempore praefert, eique recte consentiunt: *Pirhing*, l. IV, t. 13, n. 7, t. 16, n. 11: aliique, v. g. *Scherer*, l. c., 289 sq., not. 21 sq., 27.

[80] Quam prohibitionis clausulam *ipso iure* statutam fuisse sane efficaci modo ex c. 4, C. XXXV, q. 2, 3, accurate citato erui nequit. Argumenta petita ex stilo Datariae et decisionibus praxique S. C. C. firmiora sunt, sed iam suo tempore ab exceptionibus non fuerunt immunia, cum *ipso iure* hanc prohibitionem existere clare aperteque exinde non probaretur. Denique nostra aetate ne appositio quidem illius clausulae erat usitata. Cfr. *Zitelli*, De dispens. matr. 81 sq.; *Santi*, l. IV, t. 13, n. 8. Postquam vero necessitas indicandi incestum patratum in dispensationibus petendis iuxta decretum S. C. Inq., 25 iun. 1885, fuit sublata, rigidior sententia *Benedict. XIV*, Quaest. can. 183 et *Giovine*, I, 356 sq., 332 sq., aliorumque, pro qua inde ab anno 1708, 1710, 1720, 1722, exempla ex praxi S. C. C. non iam afferri poterant, solidum fundamentum atque practicam utilitatem amplius non habebat. Cfr. quoque *Feije*, n. 369, et praesertim notas apud *Gury-Ballerini*, l. c. II, n. 776 867; *Santi*, lib. IV, t. 13, n. 9; *Scherer*, 339, not. 55; 471 iunct. *Leitner*, 460, 462, 439 sq., ubi aliquas minus accuratas assertiones a Scherer factas recte correxit.

§ V. De accusatione et probatione consanguinitatis

356. Cum consanguinitas in gradibus prohibitis sit impedimentum iuris publici, ad accusandum matrimonium *iam contractum* non solum coniuges admittebantur, sed etiam alii fideles, qui non essent suspecti quod sua ea in re commoda quaererent, et suo tempore absque legitima excusationis causa impedimentum non reticuissent[81]. Quare *praesertim* parentes, consanguinei, affines et vicini, qui censentur habere meliorem consanguinitatis cognitionem, ab accusando matrimonio ex capite impedimenti consanguinitatis non erant prohibiti[82]; et alii quoque accusatores absolute et arbitrarie in his causis consanguinitatis repelli non poterant[83]. Cui rei Codex, reservato iure accusandi coniugibus, pro aliis substituit ius denuntiandi Ordinario vel promotori iustitiae (c. 1971).

Ex *officio* quoque a *iudice*, promovente *promotore* iustitiae, contra incestas nuptias potest et debet[84] procedi, « *quamprimum aut notorietate facti aut denuntiationibus*[85] *aliove modo sufficiens suppetat causa* ».

---

[81] Cfr. cap. 1, 5, 6, X, qui matrim. IV, 18; S. C. C. in c. ianuensi 17 sept. 1842, in ed. *Richt.* C. Trid., 277, n. 134; S. C. C. in c. 22 iun. 1844, apud *Lingen et Reuss*, Causae selectae S. C. C., 884.; Instr. *C. Rauscher*, § 115; *Gasparri*, I, n. 713; *Scherer*, 301, 527 sq.

[82] Cfr. c. 1 sq., C. XXXV, q. 6; cap. 3, X, qui matrim. IV, 18; S. C. C. in c. Civit. Castell. 18 iul. 1778; S. C. C. 16 dec. 1893, in ASS. XXVI, 407 sq.; *Gasparri*, l. c.; *Scherer*, l. c.

[83] Cfr. de rigorosa limitatione iuris accusandi matrimonium propter consanguinitatem: Conc. Londin. (a. 1125), c. 17, quae a Conc. Remens. (a. 1131), c. 13, 14, (cfr. *Hefele*, V, 418 sq.), non tanta severitate statuitur.

[84] Cfr. c. 1791, iunct. cap. 3, X, de divort. IV, 19; S. C. C. in c. Caesaraug. 10 mart. 1770, quae in prima instantia a Curia Metropolitana iudicata est agente promotore iustitiae; Instr. *Card. Rauscher*, § 122; S. C. Inq. 5 iun. 1880, ubi etiam causa nullitatis matrimonii ob impedimentum *consanguinitatis* (et affinitatis ex copula licita) iis adnumeratur, quae *unica* sententia Ordinarii definiri possunt, si de impedimento *evidenter* (notorietate) constet: cui praescriptioni consonat c. 1990.

[85] Cfr. de denuntiatione impedimenti (*consanguinitatis*) *post* initas nuptias: cap. 7, X, de cogn. spirit. IV, 11; cap. 3, X, de eo, qui cogn. IV, 13; cap. 9, X, de testib. II, 20, vel *ante* matrimonii celebrationem; cap. 3, X, de matr. contracto contra interd. Eccl. IV, 16; cap. 27, X, de sponsal. IV, 1; cap. 3, X, de clandest. desp. IV, 3; cap. 13, X, de despons. impub. IV, 2. Quodsi denuntiationes scripto factae, quarum auctor *nomen suum* abscondit, iam *ante* celebratas *nuptias* sunt exigui valoris, nisi alia adminicula accedant, multo minus *per se* sufficiunt ad instituendam actionem ex officio et ad ferendam sententiam *contra valorem* matrimonii *contracti*. Cfr. cap. 2, X, qui matr. IV, 18; S. C. C., 18 sept. 1852, cit. in not. sq. h. c.; Instr. *Card. Rauscher* § 130.

357. Facta accusatione vel denuntiatione, principalis difficultas consistit in *probanda* consanguinitate intra gradus prohibitos per argumenta *certa* vel saltem probabilia. Quae probatio ad *dissolvendum* matrimonium *iam contractum* debet esse *plena* sive ita *certa*, ut omne dubium prudens de impedimento ante matrimonii celebrationem per dispensationem non sublato excludatur; at matrimonium *contrahendum* legitime impeditur, si vel sola *semi-plena* probatione de consanguinitate constat, v. g. depositione *unius* testis fide digni[86] vel publica fama[87], donec dubium fuerit solutum.

Plena autem probatio impedimenti cognationis naturalis ex disciplina nunc vigente potissimum colligenda est ex libris authenticis matrimoniorum, baptizatorum, defunctorum etc., quibus fides publica debetur, nisi ex certis et evidentibus argumentis constet ipsos esse vitiosos vel falsos[88]. At nostra quoque aetate praesertim in impedimento consanguinitatis ex *illicita* copula etiam ad testes, famam publicam aliaque adminicula est recurrendum[89]. Certe *per duos testes* fide dignos, v. g. consanguineos, affines propinquos, attestantes de consanguinitate probatio *plena* habetur[90]. Immo iure antiquo cum libri paroeciales nondum existerent, unice fere per huiusmodi testes *de auditu* causae nullitatis ex capite consanguinitatis fuerunt definiendae[91].

---

[86] Cfr. cap. 4, 27, X, de sponsal. IV, 1; cap. 13, X, de despons. impub. IV, 2; cap. 22, X, de testib. II, 20; S. C. C. 14 iun. 1834, in ASS. VIII, 178 sq., et in c. Aesin. 23 nov. 1805, in ed. *Richt. C. Tr.*, 261, n. 99. Cfr. quoque cap. 3, § 2, X, de cland. desp. IV, 3 (de punienda *malitiosa* denuntiatione) et S. C. C. 18 sept. 1852, in Arch. f. k. K. II, 45 sq. (de casibus dubiis). Quam decisionem *Scherer*, l. c., 148, minus accurate allegat; nam S. C. C. non absolute et generaliter respondit matrimonia ob mera dubia non esse impedienda.

[87] Cap. 27, X, de sponsal. IV, 1; cap. 2, X, de consang. IV, 14; cap. 3, X, de matr. contr. contra interd. Eccl. IV, 16; *Sánchez*, l. c. l. I, disp. 71, n. 1 sq., 13 sq.; *Leitner*, 221.

[88] Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 29; Instr. S. C. de Prop. F. (a. 1883), n. 31, iunct. S. C. C. 14 iun. 1884, in ASS., XVII, 178 sq., ubi in ordine ad *impediendam* matrimonii *celebrationem* depositio matris, aliis adminiculis roborata, contra librum baptizatorum saltem tanquam probabilis fuit admissa. Cfr. quoque cap. 10, X, de probat. II, 19.

[89] Cfr. cap. 10, X, de prob. II, 19; Instr. S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. cit. in not. praec. h. c.; S. C. C. in cit. c. Aesin. 23 nov. 1805, in not. 86, h. c.

[90] Cfr. c. 3, 4, 1, 2, C. XXXV, q. 6; cap. 1, 7, X, de consanguinit. IV, 14; cap. 47, X, de testib. IV, 20; cit. Instr. S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. in not. praeced.; Grat. post. c. 11, C. XXXV, q. 6; *Leitner*, l. c.

[91] Cfr. c. 1 sq., C. XXXV, q. 6; cit. cap. in not. praeced.; *Scherer*, 303 sq.

Probatio consanguinitatis quasi ad oculum optime fieri potest per arborem genealogicam utriusque familiae ex libris paroecialibus aliisque fontibus *legitimis* rite confectam[92]. Quibus ex arboribus etiam facilius cognoscitur num duo sponsi forte *multiplici vinculo* consanguinitatis sint ligati[93]. Quarum arborum genealogicarum delineationem congrue factam[94] aliis scriptoribus relinquere debemus.

Cum nullitatis querela ob consanguinitatem proponitur contra matrimonium fidelis cum infideli *post dispensationem* ab impedimento disparitatis cultus celebratum, iudex ecclesiasticus *probata* consanguinitate ilico in omnibus casibus pronuntiare nequit sententiam nullitatis. Nam iuxta Instr. S. C. Inq., 16 septembris 1824, ad Episc. Quebec. Ecclesia dispensando cum parte catholica super impedimento disparitatis cultus censebatur etiam dispensare ab iis impedimentis, a quibus exempta erat pars infidelis. Quae *regula generalis* suas habebat difficultates et limitationes; certe nullo unquam tempore extendi poterat ad dispensationem implicitam in gradu quodam lineae rectae, etiam ultra primum, vel in primo gradu lineae transversalis consanguinitatis[95]. Haec igitur prae oculis habenda erunt, quoties causa dirimenda se referat ad matrimonia inita ante Codicem; nunc vero Ecclesia non confert huiusmodi dispensationem implicitam; vide supra n. 274.

358. Scholion I. In foro civili impedimenta consanguinitatis *lineae rectae* eodem modo obstant valori matrimonii *civilis* atque in foro ecclesiastico validae celebrationi nuptiarum. Quare

---

[92] Cfr. Alex. II in c. 2, § 7, C. XXXV, q. 5; arbor. consang. eiusque declar. i. f. Decr. Grat.; cit. Instr. S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. Quae arbor genealogica, si interveniat *illegitima* nativitas, aut singuli gradus ex libris *authenticis* erui non possunt, quandoque facile confici nequit, atque *certam* non suppeditat demonstrationem. Unde denuo patet cur a non paucis Episcopis postulata fuerit reductio impedimenti consanguinitatis ad *tertium* gradum, ut non solum *facilior* sed *certior* haberetur *cognitio* huius impedimenti; cui petitioni iam in Codice factum est satis.

[93] Benedict. XIV Const. « *Etsi* », 27 sept. 1755; Instr. S. C. de Prop. F. 9 maii 1877; *Leitner*, 218, 419 sq.; *Scherer*, 304 sq., ubi tamen attendendum novum ius de multiplicatione impedimenti.

[94] Cfr. *Schnitzer*, 387 sq.; *Scherer*, 304 sq.; *Leitner*, 217 sq.; *Laurentius*, n. 640 sq.; *Muellendorf*, Methode zur Auffind. d. Eheh.; *Feije*, n. 354 sq.; *Heiner*, Grundriss d. k. Eher, §§ 113 sq.; *Verm.-Cr.*, II, n. 357, 358; *Cappello*, I, nn. 512-515; *Arregui*, Summarium th. mor., nn. 766-767. Arbor genealogica est mittenda ad S. C. de d. Sacram., quoties petitur dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis.

[95] Collect. S. C. de Prop. n. 1325. *Périès*, l. c., 124. Cfr. supra n. 37 et n. 272.

matrimonia *civilia* inter omnes ascendentes et descendentes sive legitimos sive naturales vel illegitimos sunt prohibita et invalida etiam *ultra primum* gradum in infinitum, sive bona sive mala fide contracta fuerint[96]. Principalis igitur differentia inter utrumque forum reducitur ad *modum computandi* et exprimendi gradus prohibitos consanguinitatis. At leges civiles modernorum codicum, licet conveniant in *irritandis* matrimoniis civilibus inter fratres et sorores sive germanos sive uterinos sive consanguineos, legitimos vel illegitimos[97], tamen in *extensione* huius impedimenti *ultra primum gradum* multum discordant. Nam v. g. in codice civili *Germaniae* §§ 1310, 1327, cui ius matrimoniale Status *Neoeboracensis* in America septentrionali concordat, impedimentum consanguinitatis matrimonii civilis *ultra primum* gradum lineae transversalis omnino *non* extenditur[98]. Melius dignitati humanae et honestati morum aliae leges civiles consuluerunt, quibus saltem ex parte secundus gradus consanguinitatis in linea collaterali tanquam impedimentum matrimonii civilis fuit retentus. Qua ratione, v. g. in Austria, cod. civ. § 65, matrimonium valide contrahi nequit usque ad secundum gradum computationis canonicae incl., v. g. etiam inter consobrinos. In Italia (cfr. cod. civ. art. 85) et *Gallia* (cfr. cod. civ. art. 163, 164) et *Helvetia* (cfr. leg. matr. a. 1875, art. 28) et *Hungaria* (cfr. leg. matr. a 1894), saltem inter patruum (avunculum) et neptem atque vicissim inter amitam (materteram) et nepotem irritum est matrimonium civile, nisi in *Gallia, Italia* et *Hungaria dispensatio* obtineatur. Quae dispensatio in *Helvetia* ipsa legis dispositione est exclusa. At in *Hungaria* inter consobrinos quoque existit impedimentum *mere prohibens*, non dirimens, quod insuper *dispensatione* tolli potest. In *Hispania* ex iustis causis iuxta art. 85 cod. civ. gubernium potest dispensare super certis gradibus[99]. In Statibus foederatis Ame-

---

[96] Cfr. v. g. cod. civ. Austr. § 65, Gall. art. 161, Ital. art. 85, Hisp. art. 84, German. §§ 1310, 1327, 1329; *Allègre*, I, 88 sq.; *Hollweck*, D. Civileher. 135 sq.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. ad §§ 1310, 1329; *López*, El derecho español, 71 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 146, III, IV.

[97] Cfr. v. g. cod. civ. Gall. art. 162, Ital. art. 85, Austriae, Hispaniae, German, in not. praeced.

[98] *Scherer*, 312, in laudem aliorum Statuum eiusdem confoederationis refert ibidem matrimonia quoque inter consobrinos et sobrinos prohiberi.

[99] At valor matrimonii *canonici* in Hispania, ex legis quoque civilis dispositione (cfr. cod. civ. art. 42, 75) pro fidelibus catholicis unice admissi, etiam quoad consanguinitatis impedimenta ex solis legibus *ecclesiasticis* est definiendus.

In foro ecclesiastico schismaticorum orientalium impedimentum consanguinitatis lineae collateralis generatim extenditur etiam nunc usque

ricae septentrionalis vi legum civilium haec consanguineorum matrimonia irrita habentur: consanguineorum aut affinium in linea recta; fratris et sororis; in Statu New Jersey insuper usque ad gradum secundum lateralem consanguinitatis et affinitatis; idem valet in pluribus aliis Statibus. Konings-Putzer, Commentarium in facultates apostolicas ed. 5, 1898, n. 131.

Leges civiles cum nostra aetate matrimonia tantum inter consanguineos proximos impedire soleant, a quibus vel ipsa natura abhorret et mores populorum sunt alieni, eo facilius non solum ipsis coniugibus, sed etiam promotori iustitiae, immo omnibus quorum legitime interest, concedunt ius impugnandi valorem matrimonii contracti [100]. At inde quoque patet cur in foro civili huiusmodi matrimonia, si *mala fide* fuerint contracta, praeter nullitatem gravibus quoque *poenis* sint obnoxia [101]. Neque quidquam mirum quod *proles* ex tali matrimonio nata habeatur *illegitima*, si *uterque* coniux fuerit tempore celebrationis matrimonii in *mala fide*. Quo in casu codices quidam eo procedunt, ut ipsa iuris dispositione *legitimationem* prolis excludant [102].

CAPUT XV

De impedimento affinitatis

359. Fontes: Grat. [1], et cpl. antiq. et Clem. aliique fontes cit. in praec. capite. — Decret. Gregor. IX, l. IV, tit. 13, 14. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 4, de ref. matr.; S. Pii V Const. « *Sanctissimus* », 20 augusti 1566, et Const. « *Ad R. Pontif.* », 28 nov. 1566; Gregor. XVI Resp. ad Episc. Belgii 29 mart. 1842. — S. C. Inq. 20 febr. 1888; S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Tr., 261 sq.; Collect. S. C. de Prop. Fid. n. 1227 sq., 1572; Instr. Card. Rauscher §§ 30, 31 33. Cfr. Fontes iuris Eccles. Orient. l. c. in cap. praeced.

---

ad septimum gradum incl. comp. civ., nisi excipias Graeciam, ubi (a. 1873) limitatur ad sextum gradum. Cfr. *Milas*, l. c., 518, 544 sq.

[100] Cfr. v. g. cod. civ. German. §§ 1329; *Hollweck*, l. c., 136 sq.

[101] Cfr. v. cod. crim. German. § 173; *Berner*, Lehrb. d. d. Strafr., 417 sq.

[102] Cfr. v. g. cod. civ. German. §§ 1699, 1732; *Lehmkuhl*, l. c. ad §§ 1699, 1732.

[1] Inst. I, 10, de nupt.; Dig. XXXVIII, 10, de gradib. et affinib. et nomi-nib. eor.; L. 5, Cod. de incest. et inut. nupt. V, 5; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 221; *Accarias*, « Précis de droit romain », I, n. 86 sq.; *Zhishman*, 290 sq.; cod. civil. Ital. art. 85, Austr. § 66, Gall. art. 161, 162, German. § 1310, Hisp. art. 84; *Allègre*, I, 88 sq.; *Hollweck*, D. Civileher., 134 sq.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. § 1310; *López*, El derecho español, 71 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in cit. tit. 13, 14. — *Aichner*, § 179; *Devoti*, § 138; *Scherer*, § 119. — *S. Raymund.*, Summa lib. IV, tit. 15, de impedimento affinitatis; *Roland.*, l. c., 230 sq.; *Bernard Pap.*, l. c., 163 sq., 168 sq., 295, 305; *Tancred.*, l. c. tit. 29, de affinitate et eius gener. 54 sq. — *Sánchez*, lib. VIII, disp. 64 sq. [2]; *Feije*, n. 370 sq.; *Van de Burgt*, 168 sq.; *Mansella*, 49 sq.; Arch. f. k. K. XI, 150 sq. (*Laemmer*); *Gasparri*, I, 715 sq.; *Rossel*, 1912 sq.; *Schnitzer*, 399 sq.; *Leitner*, 228 sq. — *Moy*, l. c. cap. praec.; *Esmein*, I, 414 sq. II, 292 sq.; *Freisen*, 449 sq., *Zhishman*, 290 sq.; *W. v. Hörman*, Forschungen über Quasiaffinität, 1906; *Gillman*, Das ehemals zwischen der soboles ex secundis nuptiis und den Blutsverwandten des verstorbenen Eheteiles bestehende Ehehindernis: Arch. f. k. K. LXXXIX, 477. — *Chelodi*, n. 99 sq.; *Cappello*, I, n. 530 sq., *Vlaming*, I, n. 343 sq.; *De Smet*, n. 613 sq.; *Ferreres*, Der. sacram. n. 622 sq.

Canon 1077. « *Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.*

Affinitatis impedimentum multiplicatur: 1°) *quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit;* 2°) *iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti* ».

Praenotiones

360. Inter vincula, quibus certae personae inter sese coniunguntur et inde minus decet ut inter ipsas matrimonium ineatur, proxime ad consanguinitatem accedit *affinitas* [3].

Definitio. Affinitas [4] iure Codicis est propinquitas personarum inter virum et consanguineos mulieris et vicissim *ex matri-*

---

[2] Ex theolog. consulendi sunt: *S. Thom.*, Comment. l. IV sent., dist. 41; *Perrone*, II, 144 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 782 sq.

[3] Cfr. *S. Thom.* l. c. dist. 41, q. 1, quaestiunc. 2; *Schmalzgr.*, h. t. n. 86; *Rosset*, n. 1934.

[4] De varia terminologia hac in re consuli possunt: *Freisen*, l. c., 439 sq. et *Zhishman*, l. c., 230 sq. Cfr. v. g. c. 1, 16, C. XXXV, q. 2, 3, (de *affinitate* consanguinitatis = de *propinquitate* (vinculo) consanguinitatis); c. 5, D. XXXV, q. 5 (ubi reprehenditur quod affines dicantur « cognati »); L. 8, D. de condict. XII, 4, (*affinitas* dicitur relatio inter sponsos); L. 5, C. de hered. VI, 24 (uxor nominata est *affinis* mariti).

Vocabulum *affinitatis* etiam occurrit in legibus romanis et modernis codicibus iuris civilis, in quibus eandem habet significationem et ex eadem causa repetitur ac affinitas secundum novum conceptum canonicum Codice inductum. Nam L. 4, § 3, D. de grad. et affinib. XXXVIII, 10 statuitur: « *Affines sunt viri et* uxoris *cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt,* per nuptias *copulantur, et altera ad* alterius cognationis finem *accedat; namque coniungendae affinitatis*

monio valido, sive rato tantum, sive rato et consummatio orta[5]. Quae *propinquitas* ex lege irritante Ecclesiae constituit *impedimentum dirimens* matrimonii in linea recta in infinitum, in linea vero transversali usque ad gradum *secundum* inclusive.

Ex tradita notione aperte sequitur affinitatem novi iuris fundari *in vinculo maritali*, quo vir et uxor ligantur in unam societatem coniugalem, unde fit ut per talem societatem maritus cognationi seu parentelae uxoris consocietur et vicissim. Verum autem vinculum maritale non datur nisi in matrimonio *valido*, non autem in matrimonio dumtaxat putativo. Quod autem matrimonium sit vel non sit *sacramentum*, ideo in stricto sensu *ratum*, non satis apparet quid pertineat ad inducendam vel non illam personarum propinquitatem, quae ipsa natura duce eaque saltem suadente agnoscitur inter memoratas personas; ideo-

---

causa fit ex nuptiis ». Cfr. quoque cod. civ. Ital. art. 78. Quare affinitas in iure Romano — et idem obtinet in moderno iure civili — oriebatur ex *nuptiis iustis*, i. e. *legitime contractis* sive consummatis sive ratis tantum: nec in iure Romano aut in foro civili propter copulam *fornicariam* vel concubinariam ulla inducitur affinitas. Iure canonico Codicem praecedente affinitas oriebatur ex *omni* et *sola copula carnali* perfecta sive *coniugali* sive *fornicaria;* dum ex matrimonio valido sine consummatione oriebatur *publica honestas*. Rediit ergo Ecclesia in novo Codice ad primaevum conceptum affinitatis, quem antiquitus mutuata fuerat ex iure Romano, quo simul maior habita est conformitas cum modernis legibus civilibus. *Rosset*, n. 1914, not. 1; *Gasparri*, I, n. 715.

[5] Cfr. c. 97 § 1. Affinitas vi vocis est propinquitas finium sive limitum duarum *rerum*, e quibus una, v. g. silva, dicitur affinis vel confinis alteri, quia fines unus attingunt fines alterius. Qua ratione etiam per vinculum maritale oritur singularis propinquitas *personarum*, qua vir ad fines sive consanguineos mulieris accedit et vicissim. Cfr. c. 1, C. XXXV, q. 10, ubi tamen ratio petitur ex unitate carnis quae fit per copulam.

Vir et mulier *inter se* per vinculum maritale *non* fiunt *affines*, sed potius unum *principium* sive causa, unde mediante una parte tanquam *effectus* producitur affinitas cum consanguineis ipsius in altera parte, quemadmodum pater et mater *inter se* non sunt consanguinei, sed unum principium adaequatum, quo per generationem cum aliis fiunt *consanguinei*. Similiter *affines* cum una parte sunt *solummodo* consanguinei *alterius* partis, non consanguinei *utriusque* partis *inter se*. (Cfr. cap. 5, X, IV, 14; S. C. C., 16 dec. 1593, 8 mart. 1721). Quare pater et filius possunt ducere matrem et filiam, duae sorores valent nubere duobus fratribus, privignus non prohibetur a ducenda filia novercae, vir mortua sua uxore potest contrahere matrimonium cum sorore uxoris defuncti fratris sui. Cfr. *Gasparri*, I, n. 717; *Rosset*, n. 1912; *D'Annibale*, P. I, n. 62 sq. Profecto fieri potest, ut vir et mulier, e quibus oritur affinitas, inter se sint consanguinei; at id est per accidens nec per se requiritur; affinitas enim prorsus praescindit a consanguinitate inter virum et mulierem. Cfr. *Rosset*, n. 1913 sq.; *Freisen*, 460 sq.

que vox *ratum tantum* in c. 97 § 1 videtur esse sumenda in sensu oppositionis ad matrimonium consummatum, secundum modum loquendi usitatissimum apud omnes canonistas.

Id ipsum ostendit paritas cum impedimento *publicae honestatis*, quae *imitatio est affinitatis* — quasi-affinitas dicta — ubi dicitur provenire ex matrimono invalido « *sive consummato sive non* » (c. 1078): nihil autem magis pertinet ratio sacramenti ad affinitatem quam ad eius imitationem[6].

361. Divisio. I. *Triplex* iure antiquo distinguebatur *affinitas*, sc. *primi, secundi, tertii generis*, quatenus mediante una persona aut mediantibus duabus vel tribus personis contrahebatur. Quibus affinitatibus accessit *quarta* quaedam species, sc. affinitas sobolis susceptae ex *secundis* nuptiis cum consanguineis *primi* viri aut mulieris[7]. At post abrogatam affinitatem secundi et tertii generis, tum in linea recta tum in linea transversali, et insuper affinitatem sobolis susceptae ex secundis nuptiis[8], omnis disputatio de duplici illo genere potissimum ad historicam spectat eruditionem[9], practicam vero utilitatem solummodo retinet affinitas primi generis supra in definitione descripta.

II. Pariter antiquata est illa altera affinitatis divisio in affinitatem *ex fornicatione contractam* et in affinitatem ortam ex *consummato matrimonio*, seu, ut dicebatur, ex *copula illicita* et ex *copula licita*: nam iure Codicis ad affinitatem non amplius attendenda est copula.

---

[6] Cfr. infra n. 367, ubi de comprehensione infidelium sub hoc impedimento post ipsorum conversionem et baptismum.

[7] Cfr. c. 3, 12, 21, 22, C. XXXV, q. 2, 3: cpl. I, l. IV, t. 15, de sobole susc. ex sec. nupt. Quae affinitas secundi generis fuit propinquitas unius partis cum affinibus alterius partis dirimens matrimonium usque ad tertium gradum; affinitas tertii generis dicebatur propinquitas unius partis cum affinibus alterius partis in secundo genere, quae solummodo usque ad secundum gradum diremit matrimonium. Duplex illa affinitas cum *Benedicto XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 13 « *exemplis melius, quam ulla ratione* » ita explicatur: « *Si Titius, frater Caii, matrimonium iniisset et consummasset cum Bertha, haec Caii affinis est, sicuti nunc est in primo genere affinitatis. Si mortuo Titio, Bertha matrimonio iungebatur cum Sempronio, Sempronius, alter Berthae maritus, et Caium et omnes defuncti Titii consanguineos secundo affinitatis genere contingebat. Si demum mortua Bertha, Sempronius aliud coniugium celebrasset cum Naevia, etiam cum hac Caius et consanguinei Titii tertio affinitatis genere coniungebantur* ». Tandem affinitas illa sobolis susceptae ex secundis nuptiis fuit extensa usque ad *quartum* gradum, saltem quoad sobolem a muliere ex secundis nuptiis susceptam. Cfr. quoque *Schmalzgr.*, h. t. n. 74; *Scherer*, 336 sq.; *Freisen*, 489 sq.

[8] Cap. 8, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 75; *Rosset*, n. 1917.

[9] *Freisen*, 474 sq.

III. Similiter non amplius habet locum illa alia divisio in *antecedentem* et *supervenientem*, quae fundabatur in hoc quod per incestum a coniugato patratum contrahebatur affinitas, qua ius ad copulam cum comparte licite habendam amittebatur.

IV. Affinitas potest esse *simplex* aut *multiplex*, prout nititur una aut pluribus causis. Iure Codicis non multiplicatur nisi in *duobus* casibus: 1°) si multiplex est consanguinitas a qua procedit: quare Titius dupliciter consanguineus in secundo gradu cum *Caio* ad ducendam *Bertham* viduam *Caii* duplici affinitatis secundi gradus impedimento detinetur; 2°) si cum consanguineis coniugis defuncti matrimonium successive iteretur: quare *Titius* post primum matrimonium cum *Caia* et post alterum cum huius sorore *Bertha* — pro qua ducenda iam obtinuit dispensationem a primo gradu affinitatis in linea collaterali — si tertio nubere vult cum *Maria*, utriusque uxoris defunctae sorore, indigebit dispensatione a *duplici* affinitate pariter primi gradus lineae collateralis; eodem modo indigeret dispensatione a *duplici* affinitate *secundi gradus*, si vellet tertio ducere *consobrinam* utriusque uxoris defunctae [10].

362. Stipes, linea, gradus. Ut in consanguinitate, ita etiam in affinitate distinguuntur *stipes, linea* et *gradus* [11]. Et *stipes* quidem sive *principium* affinitatis sunt vir et mulier, inter quos intercessit validum matrimonium. Quare quemadmodum persona, quae causa communis et propinqua est consanguinitatis, dicitur stipes, ita in affinitate vir est stipes affinitatis mulieris cum consanguineis viri, et mulier est stipes affinitatis viri cum consanguineis mulieris: unde maritus et uxor non sunt sibi mutuo affines, nec consanguinei unius consanguineis alterius; « *affinitas* enim, ut dicitur, non *egreditur copulatos* ».

Lineae et gradus in affinitate, in qua non sunt generationes, *per se* non occurrunt [12], sed tantum *ratione consanguinitatis*, qua compars cum suis consanguineis ligatur. Hinc ad computationem lineae rectae vel transversalis et gradus affinitatis haec valet regula: *Qualis est linea et gradus consanguinitatis ab una parte, talis est linea et gradus affinitatis ab altera parte.* Abrogata secundi et tertii generis affinitate iam standum est regulae: *Affinitas non parit affinitatem* [13], i. e. contrahitur affinitas cum consanguineis alterius partis, non cum eius affinibus.

[10] Quare non amplius, ut iure praecedente multiplicatur affinitas ex eo quod *utraque pars* fuerit coniugata cum *persona alterius consanguinea.* Unde si *Titius* et *Caius* fratres respective duxerunt duas sorores *Annam* et *Bertham*, superstites *Titius* et *Bertha* — vel *Caius* et *Anna* — non nisi *semel* affines sibi erunt. Cfr. de iure praecedente: *Feije*, n. 371, 704; *Giovine*, I, 569 sq., II, 28 sq.; *Zitelli*, De dispensat. matrimonialib. 71 sq.; *Leitner*, 233 sq.

[11] *Schmalzgr.*, h. t. 14, n. 82 sq.; *Gasparri*, I, n. 717.

[12] L. 4, §§ 5, 6, D. de grad. XXXVIII, 10; *Schmalzgr.*, l. c.; *Freisen*, 445 sq.; *Zhishman*, 298 sq.

363. Notae historicae. Adeo naturale est agnoscere vinculum quoddam inter unum coniugem et consanguineos alterius coniugis, ut tum antiquorum populorum moribus atque legibus tum recentiorum quoque codicum civilium statutis, maiore minoreve ambitu, tanquam impedimentum dirimens matrimonii sit sancitum sub nomine affinitatis.

Lex *mosaica* [14] prohibuit et irritavit matrimonia cum noverca, privigna, filia privigni vel privignae, cum socru vel nuru, cum uxore fratris defuncti excepto matrimonio leviratus [15], cum uxore avunculi vel patrui.

Ex iure *Romano* antiquo unice in linea recta non potuit duci in uxorem noverca vel privigna, socrus vel nurus [16].

[13] *Freisen*, 489 sq.; *Rosset*, n. 1918 sq.

[14] Levit. XVIII, 8 sq., XX, 20, 21; *Schegg*, Bibl. Archaelog., 638 sq.; *Tirinus*, Comment. in Levit. l. c.; *Hummelauer*, Comment. in Exod. et Levit., 479 sq., 500; *Leitner*, 33.

[15] Deuter. XXV, 5 sq.; Matth. XXII, 24 sq. Ante legem mosaicam, cum polygamia iam vigeret apud antiquos patriarchas, matrimonium cum sorore uxoris adhuc viventis non fuit interdictum, ut patet exemplo Iacobi, qui duas sorores, sc. Liam et Rachelem, simul habuit uxores. Hoc matrimonium simultaneum cum duabus sororibus in lege mosaica (cfr. Levit. XVIII, 18), non amplius fuit permissum; at mortua uxore licuit ducere illius sororem. Similiter extra controversiam est fratrem saltem nondum uni uxori iunctum, ex lege leviratus (cf. Deuteron. l. c.), *debuisse* ducere uxorem fratris sui defuncti, ut eidem excitaret prolem. Quam *obligationem* fratris superstitis complures viri docti negant vel in dubium vocant, si is ante mortem fratris sui defuncti aliam iam duxisset uxorem. Cfr. v. g. *Leitner*, 170, not. 4; *Schegg*, l. c., 642 sq. Cui sententiae alii merito contradicunt et illam obligationem ad fratrem, alio matrimonio ligatum, pariter extensam fuisse tenent, v. g. *Palmieri*, De matrim., 112; *Schnitzer*, 13, not. 2; nam lex mosaica non distinguit inter superstitem fratrem caelibem et matrimonio iunctum. Cfr. quoque *Tirin.*, Comment. in Deuteron, l. c., *Hummelauer*, Comment. in Deuter., 416 sq.; *Zschokke*, D. Weib im alt. Testam., 129; *Scherer*, 328 sq.

[16] Cfr. § 7, Inst. de nupt. I, 10; L. 14, § 4, D. de ritu nuptiar. XXIII, 2; L. 4, §§ 3 sq., de grad. XXXVIII, 10; L. 17, C. de nupt. V, 4. Affinitas iure Romano potissimum constituit impedimentum matrimonii, quatenus orta est ex *nuptiis legitimis rite contractis*, etsi *non* consummatis; verumtamen etiamsi ex *contuberniis servorum* originem duxit, matrimonii celebrationi obstabat. Nam L. 14, § 3. de rit. nupt. XXIII, 2, statuitur: « *Item tamen, quod in servilibus* cognationibus *constitutum est, etiam in* servilibus affinitatibus *servandum est, veluti ut eam, quae in contubernio patris fuerit, quasi novercam non possim ducere* ». Immo vel de ipsis *concubinis* (i. e. ex significatione huius vocis in iure Romano) L. 4, C. de nupt.

Praeterea matrimonium consistere non potuit cum vidua privigni vel cum viduo privignae. Cfr. L. 12, D. de ritu nuptiar. XXIII, 2. A nuptiis quoque viro fuit abstinendum cum filia quam uxor *post divortium* cum alio marito procreaverat; illa enim filia, quae privigna non censebatur, tamen in ordine ad impediendum matrimonium eidem fuit aequiparata. Cfr. § 9, Inst. de nupt. I, 9; L. 15, D. de ritu nupt. Postea filii Constantini M. in Occidente (a. 355) [17] canones secuti matrimonia quoque in linea collaterali cum uxore fratris defuncti vel cum sorore uxoris mortuae interdixerunt eademque prohibitio (a. 396, 415) etiam in Oriente fuit recepta [18].

Ecclesia primis saeculis proprias leges de affinitatis impedimento non videtur condidisse; nulla enim huius prohibitionis existunt vestigia, sed saltem impedimenta iuris romani et mosaici videntur fuisse recepta. At iam ineunte saeculo IV ex c. 61 Conc. Illiberit. (a. 300-306) et ex c. 2 Concil. Neocaesar. (a. 314-320), luculenter probatur Ecclesiam pro sua perfecta ac independenti potestate iam *ante* illa Concilia impedimentum affinitatis, saltem ex legitimis nuptiis ortae, extendisse ultra terminos iure mosaico et romano constitutos, i. e. usque ad primum gradum etiam lineae *collateralis* [19]. S. Basilius [20], Archiepiscopus Caesariensis († a. 379), matrimonium cum *uxore fratris defuncti* sub poena excommunicationis et separationis coniugum severe interdixit. Quod cum *Diodorus* Tarsensis in S. Basilio reprehendisset, is in propria epistola [21] sese defendit, atque talia matrimonia Caesareae semper prohibita fuisse declaravit [22].

V, 4 decernitur « *Liberi concubinas parentum suorum uxores ducere non possunt, quia minus religiosam et probabilem rem facere videntur. Qui si contra hoc fecerint, crimen stupri committunt* ».

[17] L. 2, 3, 4, Cod. Theod. de incest. nupt. III, 12; *Hollweck*, D. Civileher., 102 not. 2.

[18] L. 5, 8, 9, C. de incest. nupt. V. 5; *Freisen*, 441; *Zhishman*, 314 sq.

[19] Cfr. quoque c. 19 Apostol.; c. 66 Conc. Illiber.: « *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem dandam esse communionem* »; *Hefele*, I, 183 sq., 244 sq., 806. Cfr. de Corinthio incestuoso (adultero), I Corinth. V, 1 et II Corinth. VII, 12: *Ballerini-Palmieri*, l. c. VI, n. 789; *Rosset*, not. 1956, n. 1.

[20] Epist. canon. secund. ad Amphiloch. c. 33, epist. can. tert. ad eund. c. 78; *Card. Pitra*, Histor. et monum. iur. ecclesiast. graecor. I, 589, 599; *Bardenhewer*, Patrolog. 244.

[21] *Card. Pitra*, l. c., 602 sq. 618: *Hefele*, l. c. I, 184; *Bardenhewer*, l. c., 276 sq.

[22] « *Primum ergo quod in eiusmodi rebus maximum est, morem nostrum obicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod a sanctis viris sunt nobis ritus traditi* »; *Zhishman*, 312 sq.

In Ecclesia quoque Occidentali Innoc. I in Synod. Roman. (a. 402) c. 9 proscripsit matrimonium cum sorore uxoris defunctae et c. 11 cum uxore avunculi.

In Conciliis Galliae [23] saeculi sexti et septimi saepissime, expressis verbis et gravissimis statutis poenis prohibetur, ne quis ducat *relictam fratris, sororem uxoris, privignam, novercam, relictam patrui vel avunculi*. Qui canones cum inde a saeculo sexto et septimo etiam ipsis legibus burgund., francor., alam., baiuv., visigothorum in Hispania, longobardorum in Italia confirmarentur, *extensio* illa impedimenti affinitatis *ultra* ambitum iuris romani et mosaici in universa Ecclesia fuit recepta. At impedimentum affinitatis nondum *parem* habuit *ambitum* cum impedimento *consanguinitatis*, et attenta enumeratione particularium personarum, non ex quibuscumque *fornicariis* coniunctionibus, sed ex *maritali* tantum unione originem duxisse videtur [24].

Quo magis ab illo tempore augeretur numerus graduum, quibus inter *proprios consanguineos* matrimonia irritarentur, etiam *pari passu* impedimentum affinitatis ad universam parentelam alterius partis extensum est [25]. Quae cum inde a saeculo octavo paulatim septem gradus saltem in Ecclesia romana comprehenderet, totidem gradibus affinitas quoque diremit matrimo-

---

[23] Cfr. c. 18 Conc'l. Aurelian. I (a. 511); c. 30 Concil. Epaon. (a. 517), ubi tamen matrimonia cum noverca vel privigna *iam contracta* non *iubentur* separari; c. 11 Conc. Arvern. (a. 535); c. 10 Conc. Aurel. III (a. 583); c. 4 Conc. Paris. III, (a. 557); c. 16 (14) Concil. Paris. V (a. 614).

[24] *Guildeberti*, II, c. 2 (a. 596), *Freisen*, 445 sq.; *Moy*, 361 sq.; *Scherer*, 330 sq.

[25] Lex visigoth. l. III, t. 5, c. 1 (Recesw'nd. a. 652-672) prima vice *pari modo* « *usque ad sextum generis gradum* » i. e. computationis romanae pro christianis statuit impedimenta consanguinitat s et *affinitatis*, immo l. XII, t. 3, c. 8, eidem legi « *in christianis* » latae etiam *iudaeos* subiecit. Cfr. *Esmein*, I, 415. Longobardi quoque ex desiderio *Gregor. II*, a. 723, (cfr. Edict. Luitprandi c. [32], 33), prohibitionem matr monii cum affinibus pariter *extenderunt* ad relictam de consobrino aut sobrino suo, i. e. ad *sextum* gradum computationis *civilis*, non canonicae, cum antea solummodo cum noverca, privigna, vidua fratris interdixissent matrimonia. Cfr. Edict. Rothari c. 185 (a. 643); *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 46; *Rosset*, n. 1920, ubi tamen legem longobardorum cum De Angelis allegatam falso tribuit Rotharo, quae potius est lex Luitprandi (cit. c. [32] 33) hisce verbis lata: « *Hoc autem Deo iuvante statuere previdimus, ut a modo* **nullus homo** *praesumat relictam de consobrino aut insobrino* (sobrino) *suo uxorem ducere... Hoc autem ideo adfiximus, quia Deo teste Papa urbis Romae, qui in omni mundo caput eccles'arum Dei et sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est, ut tale coniugium fieri nullatenus permitteremus* ».

nium [26]. Quod ius *pari* rigore non ilico in omnibus regionibus fuit receptum [27]. At satis fundata non est illorum scriptorum sententia, qui existimant non nisi a Pseudo-Isidoro invectum esse impedimentum affinitatis ortum ex copula *illicita* [28]. Denique ex studio illo magis magisque impediendi matrimonia inter personas coniunctas factum est, ut affinitatis triplex quoddam genus constitueretur: primum quod *una* dumtaxat media persona, alterum quod *duabus*, tertium quod *tribus* personis mediis contrahebatur. At triplicis illius generis affinitatis vestigia ante saeculum XI et XII non reperiuntur [29].

Quae extensio impedimenti affinitatis ad septimum gradum, licet paulatim saeculo undecimo et duodecimo [30], superatis non

---

[26] *Gregor. II,* in Conc. Roman. (a. 721) c. 9; *Zacharias* in Conc. Roman. (a. 743) c. 6, 15; c. 37, 38 Conc. Roman. (a. 826); *Freisen,* 444 sq.

[27] Cfr. c. 4, 10 Conc. Compend. (a. 757); c. 53, 54 Conc. Mogunt. (a. 813) iunct. c. 28, 29, 30 Conc. Mogunt. (a. 847) et c. 20, 21, 24, C. XXXII, q. 7, ubi impedimentum affinitatis certe quartum gradum computationis canonicae nondum egreditur.

[28] *Freisen,* 449 sq.; paulo aliter *Scherer,* 331 sq.; qui saltem nimiam efficaciam videtur tribuere decretalibus Pseudo-Isidori. Concedendum quidem est in antiquissimo iure, quo istud impedimentum definitur per concretam enumerationem personarum, non per normas generales, solummodo illas recenseri personas, quae legitimum supponunt matrimonium. At iam ex ipso iure Romano (cfr. L. 4, de nupt. V, 4) liberis cum concubinis parentum nuptiae fuerunt interdictae; porro praeeunte S. Augustino (cfr. c. 15, C. XXXV. q. 2, 3), affinitas propter *copulam carnalem* (duo in carne una) in foro ecclesiastico pariter impedimentis matrimonii adnumerata est; denique copula carnalis cum consanguineis uxoris vel sponsae (cfr. l. IV, tit. 13, de eo, qui cogn. consang. ux.) semper habita est insigne delictum. Quare nihil mirum quod nequaquam expectandus fuerit Pseudo-Isidorus, ut copula quoque fornicaria ex consuetudine ecclesiastica censeretur causa affinitatis et impedimenti matrimonialis. Et revera medio saeculo nono, quo collectio Pseudo-Isidori in Gallia divulgari coepta est, impedimentum affinitatis ex copula illicita non amplius fuit res nova et praxi Ecclesiae aliena. Cfr. c. 13 Conc. Comp. a. 757 = c. 32, C. XXVII, q. 2; *Freisen,* 453 sq., 456 sq.; *Sdralek,* in Arch. f. k. K. XLVII, 204 sq. Cui opinioni non obstat quominus, saltem ex parte, per c. 61 Conc. Agath., a. 506, falso attributum et interpolatum (cfr. c. 8, C. XXXV, q. 2, 3) atque per epistolam in decretalibus Pseudo-Isidori perperam S. Gregorio M. adscriptam (cfr. c. 10, C. XXXV, q. 2, 3) *extensio* impedimenti affinitatis non leviter fuerit promota. Cfr. *Sánchez,* l. VII, disp. 65, n. 8, disp. 67, n. 3; *Freisen,* 456 sq.; *Scherer,* 333.

[29] Cfr. c. 12, 21, 22, C. XXXV, q. 2, 3; *Roland.,* l. c., 204 sq.; *Bernard. Pap.,* l. c., 168 sq.; *Tancred.,* l. c. 55 sq.; *Freisen,* 474; *Scherer,* 335 sq. Quae triplex affinitas fuit efformata a Gratiano et glossatoribus partim decretalibus apocryphis innixis.

[30] Cfr. c. 17, 18 Concil. Bituric. (a. 1031); c. 9 Concil. Turon. (a. 1060), c. 14 Concil. Rothomag. (a. 1072); c. 24 Synod. Londin. (a. 1102); Conc. Clarimont. (a. 1130); c. 17 Conc. Lateran. II, (a. 1139); *Hefele,* V, 111.

levibus difficultatibus, de iure communi per consuetudinem praeformato esset statuta [31] et a doctoribus [32] defenderetur, tamen propter rationes supra de consanguinitate allatas, saltem in ultimis duobus gradibus, non certo et ubique tanquam impedimentum dirimens, sed potius ut impediens fuit in praxi observata [33]. Hinc crescentibus incommodis *Innocentius III,* (a. 1215) in Concilio Lateran. IV, sustulit secundum et tertium *genus* affinitatis atque impedimentum affinitatis sive ex copula licita sive illicita ortae ad quartum gradum restrinxit [34]. Denique Patres Tridentini, Sess. XXIV, cap. 4, de ref. matr., nihil immutantes quod in iure Decretalium statutum fuerat de affinitate proveniente ex matrimonio consummato, impedimentum dirimens affinitatis *ex fornicatione* contractae ad *primum* et *secundum* gradum quoad *validam* et *licitam* matrimonii celebrationem limitarunt. Quod ius Tridentinum cum accedentibus declarationibus S. Pii V constituebat disciplinam ante Codicem vigentem [35]. In Concilio Vaticano alii Episcopi postularunt ut *affinitas ex commercio illicito* tanquam impedimentum dirimens matrimonii omnino supprimeretur, et *affinitas ex commercio licito ultra primum gradum* non irritaret matrimonium; alii maiore moderatione usi, ut solummodo impedimentum quarti vel tertii gradus affinitatis ex copula licita prorsus e medio tolleretur, et impedimentum (affinitatis) ex copula illicita coarctaretur ad primum gradum, a Vaticana Synodo sibi postulandum esse existimarunt [36]. Quibus desideriis et postulatis quoad maximam partem satisfecit novus Codex, a quo praeterea post octo saecula *primaevus* affinitatis *conceptus,* ex matrimonio tantum licet inconsummato derivantis, denuo fuit instauratus.

---

[31] Cap. 1, 8, X, h. t. 14; *Sánchez,* l. VII, disp. 67, n. 3.

[32] *Gratian.,* ad c. 7, C. XXXV, q. 2; *Petr. Lombard.,* l. IV, dist. 40; *Roland.,* l. c. 205; *Bernard. Pap.,* l. c., 170; *Tancred.,* l. c., 57; *Freisen,* 447 sq.

[33] *Petr. Lombard.,* lib. IV. dist. 41; *Freisen,* 449, 478.

[34] Cap. 50 = cap. 8, X, h. t. 14. Item eodem capite sublata est prohibitio quoad sobolem susceptam ex secundis nuptiis. Cfr. C. XXXV, q. 10; cpl. I, lib. IV, tit. 15, de sobole suscepta ex secundis nuptiis; *Bernard. Pap.,* l. c., 174 sq.; *Roland.* l. c., 233; *Tancred.,* l. c. 52; *Freisen,* 484, 489 sq.

[35] S. Pii V Const. « *Ad Rom. Pont.* », 28 nov. 1566; S. C. C. 31 martii 1597; *Rosset,* n. 1923 sq.; aliter *Navarrus,* qui ex verbis Concilii Tridentini falso deduxerat tertium et quartum gradum affinitatis, ex copula *fornicaria* ortae, *mansisse* ut impedimentum *prohibens licitam* matrimonii celebrationem.

[36] *Martin,* Collect. docum. Conc. Vatic., 162, 190.

§ I. De origine, convenientia et ambitu impedimenti affinitatis

364. Origo. Affinitas antiqui iuris, tam ea quae ex copula *maritali* quam quae ex copula *fornicaria* procedebat, ex communi sententia vinculum quoddam *naturale* cum consanguineis alterius partis [37] producebat; nihilominus, ex eadem fere communi sententia, in nullo gradu sive lineae rectae sive transversalis *natura sua* seu de *iure naturali* irritabat matrimonium [38]; sed irritatio matrimonii christianorum propter affinitatem etiam in *primo* gradu lineae *transversae* vel *rectae* ex solo *iure ecclesiastico* erat derivanda [39]. Consequentia autem erat *infideles* ante baptis-

[37] *Schmalzgr.*, h. t. n. 86 sq.; *Gasparri*, I, n. 776; *Rosset*, n. 1934 sq. Quae sententia extra controversiam erat in affinitate ex copula *maritali* proveniente, *Sánchez*, l. VII, disp. 65, n. 1 sq.; at pariter certa, non dubia erat, de affinitate ex copula fornicaria. Nam etiam in illa vir et mulier fiunt una caro, unde provenit necessario vinculum *naturale*. Praeterea haec doctrina a SS. CC. iam toties applicata erat infidelibus conversis, ut contraria opinio *Sánchez*, l. c. n. 8 sq., aliorumque gravissimorum doctorum propositionibus *improbabilibus* esset adnumeranda. Cfr. *D'Annibale*, P. I, n. 62, not. 9. Quare in infidelibus conversis impedimentum affinitatis ex copula fornicaria nequaquam cum *Ballerini-Palmieri*, Op. theol. mor. VI, n. 786 sq., dicendum erat *dubium;* nam affinitas ex copula fornicaria ante baptismum habita certissime erat vinculum *naturale*, licet *minus firmum* quam vinculum affinitatis provenientis ex matrimonio consummato, in quo coniuges *societate* maritali iam firmissime uniti per unionem corporum fiunt etiam una caro. Cfr. *Périès*, l. c., 131, cum decis. SS. CC.

[38] Quae doctrina erat plane certa de omnibus gradibus affinitatis in linea *transversali*. Nam ratio *superioritatis* cessat, et multo minor est reverentia quam partes sibi mutuo debent. Cfr. Genes. XXIX, 23, 28; Deuter. XXV, 5; cap. 9, X, De divort. IV, 19; *Sánchez*, l. c. disp. 66, n. 10 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 93 sq.; *Rosset*, n. 1494 sq.; *Riganti*, l. c. in Reg. 49 Canc. Apost., n. 31 sq. et ed. *Richt.* C. Trid., 264, n. 103, ubi antiquiora afferuntur *exempla dispensationum* pontificiarum super hoc impedimento, quibus postea usque ad nostram aetatem multa alia accesserant. Cfr. quoque *Gasparri*, I, n. 722.

[39] Qua de re dubium prudens existere non poterat si affinitas proveniret ex *fornicatione* in linea recta; nam ista affinitas est vinculum quoddam minus perfectum, quam illud ex matrimonio consummato ortum, et insuper Ecclesia super illa ex iustis causis et cum necessariis cautelis iam saepe dispensavit, ut praesertim constat ex praxi S. Paenitentiariae et Datariae. Quae dispensatio ab Ecclesia nunquam fuisset concessa, si obstaret impedimentum iuris naturalis. Cfr. *Rossel*, n. 1952; *Gasparri*, l. c.; *Riganti*, l. c. in Reg. 49 Canc. Apost. n. 28 sq. Gravior erat quaestio num affinitas, contracta ex copula licita sive *validi* matrimonii consummatione, in *primo* gradu lineae *rectae* ex iure *naturae* constitueret impedimentum dirimens. Id complures et graves doctores affirmabant, v. gr. *Reiffenstuel*, h. t. 14, n. 49, *Rossel*, n. 1954 sq. cum *S. Antonino*, *S. R. Bellarmino*,

mum impedimento non ligari in matrimoniis inter se contrahendis, nisi obstaret lex civilis; recepto vero baptismo legi irritanti Ecclesiae subiacere ob vinculum naturale iam antea contractum [40].

Iure Codicis a fortiori dicendum est impedimentum in *omni linea* et *gradu* provenire *ex solo iure ecclesiastico.* Hoc autem de affinitate, quatenus proveniente ex matrimonio rato, iam constabat ex hoc quod certum esset de impedimento antiquo publicae honestatis, cum qua coincidit nova affinitas ex matrimonio rato proveniens. Praeterea universaliter etiam quatenus proveniens ex matrimonio rato et consummato certo modo constat ex c. 1043, in quo a facultate, quam canon ille Ordinariis locorum concedit dispensandi *super omnibus et singulis impedimentis* **iuris ecclesiastici** excipitur impedimentum «ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, proveniens». Quae exceptio *quoad gradus indistincta* etiam primum gradum comprehendit [41].

Pirhing aliisque; at merito et communius negabant: *Sánchez*, l. VII, disp. 66, n. 3 sq.; *Riganti*, l. c. n. 20 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 99 sq.; *Gasparri*, l. c.; *Leitner*, 235 sq., aliique. Cfr. c. 30 Conc. Epaon. (a. 517), qui falso quandoque tribuitur Concilio Agathensi (a. 506); c. 10 Conc. Aurel. III (a. 538), ubi matrimonia cum noverca vel privigna *iam contracta* non iubentur separari; S. C. Inq. 4 sept. 1743, 20 febr. 1888, et praesertim 26 aug. 1891, ubi generaliter decernitur: *Affinitatem, quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita tum illicita,* **non** *esse impedimentum pro matrimoniis, quae in infidelitate ineuntur;* **evadere** *tamen impedimentum pro matrimoniis, quae ineuntur post baptismum, quo suscepto infideles fiunt subditi Ecclesiae eiusque proinde legibus subiecti.* Quare *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 13, n. 4, optimo iure reprehendit Synod. Lim. (a. 1583), quod tanquam *certum* ponat affinitatem, quae ex matrimonio censetur, *iure naturae* dirimere matrimonium in primo gradu lineae rectae. Quae *Rosset*, l. c., ex natura rei vel Vetere Testamento vel fontibus iuris ecclesiastici opponit non sunt argumenta solide probabilia.

Certum autem indubitatumque erat in secundo gradu lineae rectae affinitatem etiam ex copula licita, non iure naturali, sed sola lege ecclesiastica dirimere matrimonium. Id multo magis valebat de ulterioribus gradibus, qui in praxi vix unquam creabant difficultatem. Cfr. *Rosset*, n. 1965.

[40] S. C. de Prop. F. 23 aug. 1852; S. C. Inq. 16 sept. 1824, ad Ep. Quebec. et 26 aug. 1891 ad Vic. Ap. Nankin. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1235, 1237, 1247; S. C. Inq. 14 dec. 1898, in *Anal. eccl.* VII, 61 sq.; *Laemmer*, in Arch. f. k. K. XI, 150 sq.; *Gasparri*, I, n. 723.

[41] Fuit error protestantium, affinitatem in primo lineae collateralis gradu matrimonium *iure naturali* dirimere. Cui errori dedit ansam Henricus VIII, qui, ut duceret Annam Boleyn, invalidum esse contendebat suum matrimonium cum Catharina Aragonensi — vidua fratris sui Arthuri — utpote contra ius naturale pontificia dispensatione initum. Cfr. *Rosset*, n. 1946 sq. At idem *Rosset*, n. 1965, exceptionem factam in decreto

365. Convenientia. Concedendum est rationes in favorem impedimenti *consanguinitatis,* tit. praec. § 2, allatas non eandem vim habere ad comprobandum impedimentum affinitatis. Attamen negari non potest mediante vero matrimonio oriri propinquitatem quandam, a natura ipsa insinuatam, cum consanguineis compartis, quae cum consanguinitate *magnam habet similitudinem.* Oritur enim mutua quaedam relatio *reverentiae* et respectus inter illas personas, cui opus coniugale est oppositum. Quod quantopere ipsa naturae voce intimetur, patet ex legibus romanis, in quibus sancitur: *Affinitatis quoque veneratione quarundam nuptiis abstinere necesse est* (§ 6 Inst. de nupt. 1, 10) et omnes fere populi, a cultu et humanitate non nimis alieni, suis legibus saltem in primis gradibus matrimonia inter affines prohibuerunt. Praeterea affinitati quoque recte applicatur principium illud S. Augustini, ex ordine *sociali* et ex multiplicandis nexibus amoris inter homines repetitum. Maxime vero urgeri potest illa ratio ordinis *moralis,* quod saltem per matrimonium legitimum inter duas personas familiarior oriatur conversatio cum consanguineis alterius partis. Quae ut immunis sit ab omni periculo et sinistra suspicione, ad instar relationis inter consanguineos proprios, sublata spe matrimonii sapienter ab Ecclesia est ordinata [42].

366. Ambitus. Affinitas, ut constituat impedimentum dirimens matrimonii inter christianos, oriatur necesse est ex vero et *valido* matrimonio, non ex matrimonio tantum putativo. Attingit autem consanguineos alterius partis, sive legitimi sint sive illegitimi.

Nihil porro interest utrum iam fuerit consummatum aut manserit ratum, cum eius fundamentum sit verum validumque vinculum coniugale.

Porro iure Codicis *in linea recta* dirimit matrimonium in quolibet gradu; *in linea collaterali* tantum usque ad *secundum* gradum inclusive. Unde patet valde restrictum fuisse ius praecedens, cum affinitas ex copula illicita fuerit abolita et impedimentum ex matrimonio fuerit suppressum quoad tertium et quartum gradum.

367. *Num impedimentum comprehendat infideles* a momento suscepti baptismatis, non videtur posse resolvi sine distinctione.

S. Offic., 20 febr. 1888, atque iisdem fere verbis expressam ac in can. 1043, falso putavit esse positam solum intuitu graduum remotiorum lineae rectae, non vero primi gradus. Cfr. *Vlaming,* I, n. 351.

[42] Cfr. c. 15, C. XXXV, q. 2, 3; *Rossel,* n. 1958 sq.; *Zhishman,* 292 sq.

I. Tametsi illa clausula Codicis c. 97 § 1 *sive rato tantum sive rato et consummato* esset interpretanda de solo matrimonio christiano seu *sacramento* [43], non est dubium quin, si duo coniuges infideles (Titius et Bertha) convertantur et baptizentur, statim a suscepto baptismo oriatur affinitas in sensu canonico atque ideo impedimentum; et consequenter, mortua Bertha, tametsi cum ipsa matrimonium non consummasset, Titius non possit sine dispensatione ducere eius sororem. Nam per susceptionem baptismi matrimonium legitimum factum est ratum et sacramentum, quod in hypothesi commemoratae interpretationis c. 97 § 1 esset fundamentum affinitatis et impedimenti.

II. Illa hypothesis, sc. quod fundamentum canonicum affinitatis et consequentis impedimenti sit praecise matrimonium qua ratum seu *qua sacramentum,* non videtur esse ex necessitate et tanquam certa tenenda. Sane in rigorosa iuris interpretatione, attenta *stricta* significatione verborum in c. 1015 §§ 1 et 3 firmata, illud esset admittendum, nisi graves rationes cogerent ad deserendum illum *strictum* sensum verborum et ad interpretandam illam clausulam c. 97 § 1 « ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato », in sensu *communissime* usitato pro *valido matrimonio, sive consummato sive non consummato* [44] Cfr. quoque c. 1075 de voce *legitimo.*

---

[43] Cfr. *Wernz-Vidal,* II, n. 19; *Chelodi,* n. 90, n. 2.

[44] Exploratissima est res in latinitate veterum et recentiorum *omnium* canonistarum *saepissime* adhiberi illam oppositionem matrimonii rati et matrimonii consummati etiam de matrimonio *legitimo* infidelium, v. gr. dum dicunt matrimonium, tum ratum et consummatum tum ratum tantum infidelium, non posse dissolvi ab Ecclesia nisi in favorem fidei, quando saltem unus baptizetur. Atqui iidem auctores non solum agnoscunt sed *expresse tradunt* vocem *ratum* proprie et stricto sensu significare *sacramentum*: porro illa terminologia de matrimonio *rato,* i. e. sacramento, non est nova nec primum per Codicem inducta, sed in foro ecclesiastico iam fixa et certa saltem a tempore *Innocentii III,* ut patet ex cap. 7 de divort. IV, 19. Cfr. *Gasparri,* I, n. 41. *Wernz,* Ius Decret. IV, n. 701, postquam toties inculcaverat matrimonium *ratum* esse sacramentum matrimonii fidelium, suam tractationem de dissolutione matrimonii infidelium sic exorditur: « Matrimonium *ratum* et *consummatum* aut *ratum* tantum duorum coniugum *non baptizatorum* etc. ». Simili ratione procedit *De Becker,* De matr., 411. Ergo illae duae expressiones *ratum, ratum et consummatum* quando inter se opponuntur, praeter significationem strictam — in qua solis matrimoniis fidelium applicari possunt — semper habuerunt aliam significationem vulgarem passim ab auctoribus usurpatam, qua elegantiore et breviore formula significaretur oppositio inter matrimonium consummatum et non consummatum, de quocumque demum matrimonio ageretur, sive fidelium sive infidelium. Quidni ergo in hac significatione adhibitae sint in c. 97 § 1, ubi adhuc non erat quaestio de impe-

Nam imprimis in illa relatione propinquitatis, quae ab ipsa natura constituitur [45] vel saltem ipsa suadente inducitur inter consanguineos mariti aut uxoris et alteram partem, non apparet quid referat *ratio sacramenti*, cum independenter ab ipsa ab omnibus populis illa relatio propinquitatis naturalis agnoscatur atque fundata habeatur in naturali vinculo coniugalis societatis inter maritum et uxorem, certo existente in quolibet valido matrimonio. De facto honestas publica praecedentis iuris, quae partialiter coincidit cum affinitate Codicis, ex vinculo matrimonii oriebatur, non praecise *qua sacramenti*, quippe etiam inducebatur a validis sponsalibus, quibus incohatur illa animorum unio quae in matrimonio perficitur. Ergo ipsa natura rei, de qua agitur, videtur cogere ad sumendas illas voces « *ratum, ratum et consummatum* », non in sensu strictissimo de matrimonio sacramento, sed de matrimonio valido — sive *rato*, sive *rato et consummato* i. e. *sive consummato, sive non* — quo sensu etiam comprehendatur matrimonium *legitimum* infidelium. Cfr. c. 1078.

Deinde idem exigere videtur congruentia iuridica seu logica systematis iuridici. Nam si Codex rediit in statuenda affinitate ad conceptum romanum, quem etiam omnia moderna iura habent, non apparet cur matrimonium *legitimum*, quod pro Ecclesia quoque validum matrimonium est et iuxta leges et communem hominum aestimationem facit affines, non debeat quoad hunc effectum in iure canonico considerari, si una pars ei subest. Nec potest non causare admirationem in fidelibus, si Titio et Bertha matrimonio in infidelitate iunctis atque altero coniuge praemortuo,

---

dimento matrimonii, sed de statu personarum earumque inter se relatione? Quodsi quis inde inferre cogitur improprietatem in modo redactionis canonis 97 § 1, huiusmodi aliquot paucae improprietates iam in aliis locis a doctoribus notatae sunt, statim a publicatione aliquae factae sunt correctiones aliae deinde indirecte inductae sunt per responsa Commissionis Codicis. Hactenus in mundo nullus unquam Codex publicatus est adeo perfectus et omnibus numeris absolutus, in quo aliquae correctiones fieri non debuerint.

[45] Quam iuxta naturam sit illud vinculum propinquitatis ex vinculo validi matrimonii exurgens cum consanguineis alterius partis, praeter rationes in textu allegatas etiam inde apparet quod *Sánchez*, l. VII, disp. 65, n. 6, 7, potuerit cum verisimilitudine defendere ex matrimonio rato infidelium oriri vinculum quoddam *naturale*, non mere iuridicum (antiquae publicae honestatis) quem in hac re sequutus est *Van de Burgt*, 51 itemque *Aversa*, *Lacroix*, *Giovine*, *Scherer*, etc., licet illa sententia post responsum S. Offic., 26 sept. 1837, non sustineatur, ut recte docuit *Rosset.*, n. 1987. Cfr. praeterea de quaestione affinitatis *Michiels*, Principia generalia de personis in Ecclesia, 222.

videant aut Titium iam baptizatum sine dispensatione admitti ab Ecclesia ad matrimonium cum socru aut privigna aut sorore uxoris, vel Bertham ducere socerum aut privignum aut mariti fratrem, cum id omnes leges civiles prohibeant et ipsa Ecclesia — antea numquam — nunc rarissime et in casu valde extraordinario dispensationem concedat fidelibus in linea recta. Cfr. *Gasparri*, I. n. 722.

III. Quibus praesuppositis, affinitas in infidelitate contracta, quatenus procedens a matrimonio *rato tantum* — i. e. nondum consummato — quemadmodum ante Codicem communiter iam tenebatur de publica honestate ex eodem matrimonio proveniente, videtur non comprehendi sub impedimento post infidelium baptisma. Sane id nunc est affinitas ex matrimonio non consummato proveniens, quod ante Codicem erat *publica honestas;* porro publica honestas erat vinculum *iuridicum*, non *naturale*, quod ab infidelibus Ecclesiae non subiectis non contrahebatur, in ordine ad impedimentum, ideoque post baptismum non obstabat matrimonio contrahendo lex irritans Ecclesiae in existentia illius vinculi iuridici fundata. Ita declaravit S. Offic. 19 april. 1837 (cfr. Collectanea P. F. n. 1254) [46]. Idem ergo videtur dicendum de affinitate, quae iure Codicis deducitur ex matrimonio nondum consummato. Quamquam enim quae modo praemissa sunt circa interpretationem can. 97 § 1 maxima ex parte suam vim servent pro casu affinitatis ex matrimonio non consummato exortae, cum ante Codicem in hoc casu — qui tunc erat casus *publicae honestatis* — non daretur in postea baptizatis impedimentum, nec nunc videtur esse impedimentum, cum Codex potius impedimenta antea existentia restrinxerit.

Nihil tamen in principiis iuridicis obstaret quominus Ecclesia, v. gr. per declarationem sive mere comprehensivam sive saltem extensivam, illam propinquitatem, ante baptismum contractam et ab infidelibus passim admissam, post conversionem et baptismum admitteret ut fundamentum, propter quod sibi iam per baptismum subditos obnoxios redderet suae legi irritanti, generatim pro fidelibus constitutae [47].

---

[46] *Vlaming*, I, n. 353.

[47] Ita certe statueretur conformitas cum legibus civilibus, quae unice respiciunt ad vinculum coniugale; quam conformitatem satis aperte patet legislatorem voluisse sectari in materia matrimoniali, quae certe est magis optanda, cum ex difformitate, ut accideret in hoc casu, potius admiratio et scandalum fidelium oriantur. Quae ratio praesertim valet *de linea recta*, ubi defectus conformitatis facilius inducit admirationem et scandalum in fidelibus, cum apud omnes gentes bene institutas privigna res-

IV. Quatenus affinitas procedit e matrimonio in infidelitate *consummato*, licet ob interpretationem nimis verbalem c. 97 § 1 nonnulli negent [48], videtur dicendum huiusmodi infideles, post baptismum receptum, comprehendi sub lege impedimenti dirimentis. Sane S. Offic., 26 aug. 1891, (Collect. P. F. n. 2180) decreverat: « *Affinitatem*, quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur, *evadere tamen impedimentum matrimoniis quae ineuntur post baptismum*, quo suscepto, infideles sunt subditi Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecti ». Porro S. Offic. et S. C. de P. F. agnoverunt ex copula coniugali — i. e. *matrimonio consummato* — oriri *vinculum naturale* propinquitatis, non mere iuridicum seu ecclesiasticum, etiam in infidelibus [49], et quae *naturalia* sunt obnoxia mutationi nequeunt esse. Iam illa decisio S. Offic. modo citata, licet nunc ceciderit quoad affinitatem ex copula illicita — quia c. 97 § 1 impedimentum canonicum a propinquitate naturali per eam inducta penitus abstulit — firma tamen manere videtur quoad affinitatem ex copula matrimoniali, i. e. ex *matrimonio consummato*. Primo quidem quia c. 97 § 1, quatenus affinitatem a matrimonio consummato oriri decernit, cum *veteri iure* ex parte congruit, ideoque, qua ita congruit, *ex iure antiquo* adhuc aestimandus est (c. 6, 3°). Deinde etiam quia, cum *naturalia* sint perpetua, non est cur Ecclesia, licet affinitatis conceptum ex parte mutaverit *naturalem* illam relationem *in parte non mutata* non aeque ac antea consideret, simul atque ii, qui *naturaliter* sunt affines, etiam *canonice* tales fieri possunt, i. e. cum primum per baptismum Ecclesiae subditi sunt effecti [50].

pectu vitrici, privignus respectu novercae, nurus respectu soceri, gener respectu socrus filiorum loco habentur, nec in hac re in communi aestimatione respicitur ad unionem carnalem, sed ad maritalem. *Gasparri*, I, n. 722. Cui iuri moderno et moribus populorum consonat ius Romanum § 7, Inst. de nuptiis I, 10, L. 16 D. soluto matrim. XXIV, 3. Cfr. *Ferreres*, Derecho sacr. n. 614.

[48] Cfr. *De Smet*, n. 613 et praesertim *Cappello*, I, n. 538, qui fortasse nimis asseveranter suam sententiam habet ut certam. Nobis sufficiat doctrinae in textu propositae eam tribuere probabilitatem quam ferant argumenta proposita.

[49] Cfr. S. C. de P. F. 23 aug. 1852; S. Offic. 16 sept. 1824 ad Episc. Quebec. et 26 aug. 1891 ad Vic. Apost. Nankin., in Collectanea, n. 1235, 1237, 1247; S. Offic. 14 dec. 1898, in *Anal. eccl.*, VII, 61 sq.; *Laemmer*, in Arch. f. k. K. XI, 150 sq.; *Gasparri*, I, n. 723.

[50] Ita *Vlaming*, I, n. 353, ubi recte animadvertit in analysi novi conceptus affinitatis in ordine ad varias conclusiones deducendas praeivisse ipsum Codicem dum in c. 1043 maiorem seu faciliorem statuit dispensa-

V. Propter eandem rationem videtur dicendum affinitatem quae sit fundamentum impedimenti oriri, *saltem matrimonio consummato*, si *unus* dumtaxat ex coniugibus infidelibus convertatur, aut si fidelis super cultus disparitate dispensatus, cum non baptizato contraheret, tametsi tale matrimonium non sit sacramentum seu non sit *ratum* in sensu strictissimo huius vocis.

Ceterum quae de hoc argumento dicta sunt, saltem videntur ostendere esse necessariam declarationem authenticam competentis auctoritatis, ut *certum* iudicium proferri possit de applicatione impedimenti ad infideles post eorum conversionem. Cfr. quoque *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 1038, qui sententiae supra propositae subscribit.

368. In *computando gradu* impedimenti affinitatis inter duas personas *remotior* gradus est attendendus, qui ad se trahit gradum propinquiorem. Hinc si vel *unus* ex contrahentibus alteri affinis est in *tertio* gradu lineae collateralis, impedimentum dirimens affinitatis pro neutro coniuge existit, licet fortasse *altera* pars intra gradus prohibitos affinitatis [51] sit constituta. Quodsi *utraque* pars, quae matrimonium contrahere desiderat, intra gradus prohibitos affinitatis existat, sed diverso gradu a stipite, « pro valore *matrimonii satis sit, ut in litteris dispensationis exprimatur remotior tantum gradus, qui propinquiorem secum trahit, dummodo primus non attingatur; obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis* » [52].

§ II. De cessatione et dispensatione impedimenti affinitatis

369. Impedimentum affinitatis, postquam contractum est, *morte* vel *divortio* non solvitur nec alio superveniente matrimonio deletur, sed ex iure canonico est impedimentum natura sua perpetuum [53] et attingit etiam consanguineos natos post coniugis mortem.

370. Cum hoc impedimentum etiam in primo gradu lineae

bilitatem, si affinitas supponatur ex matrimonio *rato tantum* procedere, minorem vero si provenit ex matrimonio consummato.

[51] Cfr. cap. 9, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 114; *Giovine*, I, 556 sq. Ita etiam iure Romano § 6, 7, Inst. I, 10; *Gaius*, I, § 63. Aliter de iure Romano non recte asserit *Vlaming*, I, n. 354.

[52] S. Pii V Const. « *Sanctissimus* », 20 aug. 1566; Benedict. XIV « *Etsi matrimonialis* » 27 sept. 1755; *Feije*, n. 376.

[53] Cfr. c. 1, C. XXXV, q. 10; *S. Thom.*, Comm. lib. IV, sent. dist. 41, q. 1, art. 1 quaestiunc. 3; *Sánchez*, l. VII, disp. 64, n. 2: *Schulte*, § 24; *Périès*, l. c., 127; *Gasparri*, I, n. 724; *Zhishman*, 292, 311; *Freisen*, 489 *Vlaming*, I, n. 354.

collateralis certo tantum sit iuris ecclesiastici, propter causas proportionatas per *dispensationem* Ecclesiae tolli potest[54]; quin immo secundus gradus lineae collateralis habetur impedimentum *gradus* minoris (c. 1042). Quae Ecclesiae potestas non est impedita quominus *lege* quoque *generali* simpliciter abroget impedimentum affinitatis ultra terminos a Concilio Lateranensi IV (a. 1215) et a Concilio Tridentino retentos[55], quod iure Codicis iam factum est, restringendo impedimentum ad secundum gradum in linea collaterali et penitus abrogando affinitatem ex copula illicita.

Etsi affinitas *in* primo gradu *lineae rectae* proveniens ex copula *coniugali* impedimentum dirimens *iure naturae* non constituat, tamen ante Codicem propter controversiam de origine huius impedimenti olim existentem atque ob magnam indecentiam inhaerentem matrimonio inter duos affines in linea recta, communis doctrina docebat de facto R. Pontificem super hoc impedimento nunquam concedere nec concessisse dispensationem neque ad matrimonium *contrahendum* neque ad convalidandum iam *contractum*[56], saltem ubi consanguinitas in qua fundatur affinitas pariter procederet ex copula licita. Similiter in ulterioribus gradibus lineae rectae non dabatur dispensatio super impedimento affinitatis ex copula licita in ordine ad *contrahendum* matrimonium; at non negabatur absolute, v. g. in secundo gradu.

[54] *Giovine*, I, 560 sq., 564 sq.; *Tancred.*, l. c., 68 *Freisen*, 897 sq.

[55] Quemadmodum pro indis et nigritis in America latina et insulis Philippinis impedimentum *consanguinitatis* reductum fuerat ad *secundum* gradum, ita etiam impedimentum *affinitatis* pro iisdem secundum gradum non debebat egredi, quod iam nunc valet pro omnibus. Cfr. Leon. XIII Const. « *Trans oceanum* », 18 april. 1897, n. 10; supra cap. praeced. not. 51; *Rossel*, n. 1921, not. 1; *Martin*, l. c., 162 sq.

[56] S. C. Inq. 4 sept. 1743: « *Non esse dubitandum de potestate Pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in linea recta etiam ex copula licita inter vitricum et privignam* ». Cfr. *Monit. eccles.*, VI, 21. Pariter cum Carolus Gonzaga, Mantuae dux, ab Urbano VIII peteret dispensationem, ut ducere posset uxorem filii sui praedefuncti, Cardinalis Lugo in suo voto hac de re dato censuit R. Pontificem *posse* quidem dispensare, sed *non expedire* ob maximam huius coniunctionis turpitudinem. Cfr. *Riganti*, l. c. in Reg. 49 C. Ap. n. 25. Eadem doctrina manifeste continetur in decr. S. C. Inq. 20 febr. 1888 et 26 aug. 1891 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1247, 1471; Resp. *Urbani VIII*, 5 iul. 1637, apud *Riganti*, l. c.; S. C. Inq. in cit. c. 4 sept. 1713; S. C. C. in c. Leod., 28 maii 1796, et in Malacit. 16 iunii 1894 (ASS. XXVII, 242); *Riganti*, l. c. n. 22 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 13, n. 4; *Gasparri*, l. c. n. 724; *Gennari*, « Consultazioni » I, 628 sq.; *Scherer*, 461 sq.

si matrimonium *publice* et *bona fide* iam fuisset *contractum* et affinitas esset *occulta*[57].

In linea autem transversali, relicto antiquo rigore iam maior benignitas in dispensationibus concedendis vigebat et ampliores facultates Ordinariis concedebantur. Cfr. *Putzer*, Comm. in facult. apost., 174, 179, 376, 407 sq.

Iure Codicis de facto dispensatio in primo gradu lineae rectae, *matrimonio consummato*, dari non solet neque ad contrahendum matrimonium neque ad sanandum contractum atque etiam ab amplissimis facultatibus excluditur — v. gr. ab iis quae dantur per S. C. de P. F. — et in c. 1043 etiam pro casu extraordinario excipitur, ita ut recte, hucusque saltem, hoc impedimentum dici deberet indispensabile[58]. Attamen varii casus ab auctoribus referuntur concessae ultimis his annis dispensationis in adiunctis extraordinariis[59].

In reliquis gradibus, antiquo rigore relaxato, hodie facile ex iusta causa dispensatur, praesertim ob bonum prolis ex priore coniugio.

371. Scholion I. Quae capite praecedente dicta sunt de poenis statutis contra violantes impedimentum consanguinitatis va-

[57] *Avanzini*, in ASS. II, 127. In affinitate *ex copula illicita*, nunc suppressa, in quolibet gradu utriusque lineae, sive in foro externo, sive praesertim in interno, haud raro dispensabatur, atque in casibus *occultis* per pagellam S. Paenit. Ordinariis et confessariis facultas dabatur dispensandi. Quodsi ageretur de primo gradu lineae rectae, inter clausulas, apponi solitas, haec imprimis continebatur: *Dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae*, in finem evitandi ne vir propriae filiae naturali nuberet; quod periculum satis vitabatur, si copula cum matre tam proxime vel tam remote praecessisset nativitatem sponsae, ut physice certum esset eam dicta copula non esse susceptam. Unde haud raro clausula hoc alio modo apponebatur: « *Dummodo nullum subsit dubium quod coniux possit esse proles ab altero contrahentium genita* ». (*Vermeersch*, Period. VII, 53). Praeterea in Dec. S. Offic., 20 febr. 1888, a facultate Ordinariis concessa dispensandi affinitas lineae rectae ex copula illicita non fuerat excepta.

[58] Cfr. *Feije*, n. 684; *Gasparri*, I, 722; *Van de Burgt*, n. 336; *Gennari*, « Consultazioni » I, 628; *Riganti*, in Reg. 49 Canc. Apost. n. 25.

[59] Ita passim asserunt plures recentiores, v. gr. *Chelodi*, n. 102, praeterea in periodico S. Vigilio, IV (1913), 205 sq. tres recentes casus commemorat. Alium casum refert *Vlaming*, I, n. 351, per rescriptum S. Paenitentiariae, 2 dec. 1911, ad convalidandum matrimonium, alium vero casum memorat *Vermeersch*, Nouvelle Rev. Théol., XLIV, 528 seq. et demum *Ferreres* Derecho sacram. n. 628, refert alium scite notans in casibus allegatis consanguinitatem, quae fundamentum erat affinitatis, ortum duxisse ex illegitima copula, unde censet hunc casum, quem ipse vocat *ex copula mixta*, facile esse declarandum comprehendi sub facultate quam concedit c. 1043, si de ea re specialis peteretur declaratio.

lent quoque pro impedimento affinitatis, cum *incestus* non solum cum consanguineis sed etiam cum affinibus committatur.

Scholion II. In Ecclesia Orientali saltem maronitae et syri in servandis impedimentis dirimentibus etiam affinitatis sequuntur morem Ecclesiae romanae [60]. Italo-Graecis Benedictus XIV, Const. «*Etsi pastoralis*» 26 maii 1724, § 8, pariter praecepit ut in quarto affinitatis gradu (comput. can.) copulari ulterius non praesumerent. Concilium vero provinciale Alba-Iuliense (a. 1872), 96 sq. approbante Sede Apostolica haec statuit: «*Cognatio naturalis dirimit matrimonium usque ad gradum septimum inclusive* (comp. civil.)... *Affinitas* α) *classis primae dirimit matrimonium usque ad septimum gradum inclusive*... β) *Affinitas classis secundae, ubi viget nec auferri potest scilicet inter consanguineos viri et consanguineos mulieris, dirimit matrimonium usque ad gradum septimum, ita tamen, ut confusione nominum haud interveniente tum in septimo tum in sexto gradu impedimentum dirimens minime constituat.* γ) *Affinitas ex copula illicita dirimit matrimonium usque ad quartum gradum incl.*». Cfr. *Papp-Szilagyi,* Enchirid., 446 sq.; *Zhishman,* 290 sq., 347 sq.; *Milas,* D. Kirchenr. d. morg. K., 532 sq., unde constat schismaticos orientales affinitatem in *sexto* et *septimo* gradu (comp. civ.) lineae collateralis non nisi in certis casibus ut impedimentum sustinere.

Scholion III. Quemadmodum in antiquo iure Romano impedimentum affinitatis ex *solis iustis nuptiis* legitime contractis, non ex copula carnali inducitur, ita etiam recentiores codices civiles regulariter in ordine ad impediendum matrimonium civile *solummodo* admittunt affinitatem ex matrimonio *valide contracto,* etsi postea per mortem vel divortium soluto. Cfr. cod. civ. Germ. § 1590, Italiae art. 85. Quare matrimonium civile, quod ex iudicis saecularis sententia declaratur *irritum,* non obstante *bona fide* vel *consummatione* in foro civili per se non producit impedimentum affinitatis, nisi in favorem matrimonii *invalidi* vel *putativi* aliud reperiatur statutum. Cfr. *Schnitzer,* 411; *Leitner,* 241; *Scherer,* 345, not. 80; *Friedberg-Ruffini,* § 147, not. 24; paulo aliter *Hollweck,* l. c., 134 sq. cum aliis, v. g. Engelmann, Scheurl, Hinschius. Pariter impedimentum affinitatis ex *copula illicita* a modernis codicibus iuris civilis *solet* esse alienum. At in cod. civ. German. §§ 1310, 1327 statuitur affinitatem ex copula extra matrimonium habita inducere impedimentum *mere prohibens* (non dispensabile) cum personis speciatim expressis in linea *recta.*

[60] Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 161 sq.; Synod. Sciarf. syr. (a. 1888), 180 sq.

Cfr. *Hollweck,* D. Civileher., 102 sq.; *Lehmkuhl,* D. buerg. Gesetzb. ad §§ 1310, 1590. Porro cod. civ. Hispan. art. 84 simpliciter declarat inhabiles ad matrimonium civile ascendentes et descendentes ob *legitimam* vel *naturalem* consanguinitatem et *affinitatem,* item *collaterales,* qui in secundo gradu (comput. civ.!) ex affinitate naturali vel quarto gradu ex affinitate legitima ligantur, sed vi art. 85 pro hisce affinibus collateralibus dispensatio obtineri potest. Cfr. *López,* l. c., 75. Denique in cod. civ. Gall. art. 161 legitur: «*En ligne directe le mariage est prohibé entre tous les ascendants et descendants légitimes ou naturels, et les alliés dans la même ligne*». Inde orta est controversia, num vocabula «*légitimes ou naturels*», etiam in secundo membro art. 161 et 162 post vocabulum «*alliés*» sint subintelligenda. *Rosset,* n. 2305, cum aliis, v. g. *Schnitzer,* 412, affirmat quod legislator *eodem* modo videatur loqui de *affinibus;* at alii id negant, quoniam in secundo membro simpliciter commemorantur *affines,* qui in iure gallico tantum videntur haberi ex matrimonio legitimo. Cfr. *Schnitzer,* 412, not. 3; *Scherer,* 345; not. 80. Idem ius atque in Gallia viget in Italia, si conferatur art. 78 cum art. 87 codicis civilis, ubi affines in secundo membro intelligendi videntur iuxta definitionem affinitatis, i. e. ex legitimo matrimonio, datam in art. 78. Cfr. quoque *Allègre,* l. c. ad art. 161, 162. Quodsi iura civilia aut nullo modo aut minus curant affinitatem ortam ex *illicito* commercio carnali in *linea recta,* non est mirum quod illam in linea *collaterali* aut penitus negligant (cfr. cod. civ. German. § 1310; *Hollweck,* l. c., 102; cod. civ. Gall. art. 162 et Ital. art. 87, ubi tamen eadem viget controversia atque de linea recta, ut patet ex *Rosset,* l. c.) aut ad infimos gradus reducant, v. g. in cod. civ. Hisp. art. 84 ad secundum gradum comput. civ.

Tandem moderni codices civiles vel ipsam affinitatem ex *legitimo* et *valido matrimonio* provenientem multo magis *restringunt* quam leges ecclesiasticae. Profecto cum illis generatim convenire solent circa gradus practicos in *linea recta* (cfr. v. g. cod. civ. Italiae art. 87, Galliae art. 161, Hispan. art. 84, German. §§ 1310, 1327; *Rosset,* n. 2305; *Hollweck,* l. c., 134 sq.; *Allègre,* l. c.; *Leitner,* l. c.); at in linea *collaterali* complures leges civiles istam quoque affinitatem inter impedimenta matrimonii *omnino non recensent,* v. g. in Germania, Helvetia, Hungaria (cfr. *Hollveck,* l. c.) aut gradum primum (cfr. v. g. cod. civ. Galliae art. 162), vel etiam secundum (cfr. v. g. cod. civ. Italiae art. 87; cod. civ. Austr. §§ 66, 40, 41, Hisp. art. 84, 85) unice comprehendunt, a quibus insuper gubernia civilia possunt *dispensare.* Cfr. *Scherer,* l. c., 345, not. 81 sq., 86; *Allègre,* l. c.; *Rosset,* l. c. Coronidis loco

observandum est quod leges civiles quandoque matrimonia cum affinibus *mala fide* attentata gravibus subiciant *poenis* atque adeo prolem ex tali matrimonio natam a legitimatione excludant. Qua ratione v. g. ex cod. crim. German. § 173, qui *mala fide* cum affinibus in linea *recta* celebrant prohibitas nuptias usque ad duos annos poena carceris castigantur et honoribus civilibus privari possunt, atque ipsorum proles legitimari nequit. Porro in cod. crim. Ital. art. 564 sancitur: « *Chiunque, in modo che ne derivi pubblico scandalo, tiene incestuosa relazione... con un affine in linea retta ... è punito con la reclusione da uno a cinque anni e con l'interdizione temporanea dai pubblici ufficii* ». Cfr. *Hollweck*, l. c., 135; *Berner*, Lehrb. d. d. Strafr., 417 sq., 420 sq.

CAPUT XVI

De impedimento publicae honestatis

372. Fontes: Cfr. supra ubi de impediment. ligam.; Gratian. C. XXVII, q. 2 [1] — Cpl. I, cap. 2 (Alex. III) de sponsal. IV, 1; cap. 11 (Alex. III) de desp. imp. IV, 2; cpl. I, lib. IV, tit. 15 de sobole suscepta ex secund. nupt.; Decret. Greg. IX, lib. IV, tit. 4 De spons. duor. — Cap. 3, 4, 8, X, de sponsal. IV, 1; cap. 4, 5 (Alex. III) cap. 12 (Clem. III) X, de desp. imp. IV, 2 (Alex. III); cap. 8 (Innoc. III) X, de consang. IV, 14. — Cap. unic. de sponsal. IV, 1, in Sext. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 3 de reform. matr.; S. Pius V, Const. « *Ad Romanum* » 1 iul. 1568. Instr. S. Congr. Inq. n. 31, 32, 33, 34, et Inst. S. C. de Prop. F. n. 33, 34, 35 (a. 1883) in ASS. XVIII, 377 sq. « *de impedimento publicae honestatis* »; decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid., 362 sq.; Collect. (Paris.) Const. S. Sed., n. 874 sq.; Instr. Card. Rauscher §§ 33, 34, 35; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1239 sq.; S. C. C. in c. Placent., 31 ian. 1880, et in c. Compost., 11 apr. 1891; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 592. Cfr. de fontib. iur. Eccl. Orient. infra h. t. n. 463.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in cit. tit. 4. — *Devoti*, § 139; *Aichner*, § 180; *Scherer*, § 120; *W. v. Hörmann*, Quasiaffinität, 1897 sq. — *S. Raymund.*, Summa l. IV, tit. 14 de public. honestatis iustitia; *Roland.*, l. c., 129; *Bernard. Pap.*, l. c., 303, 136, 174 sq.; *Tancred.*, l. c. 52 sq., tit. 28 de publ. honest. iustit. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 68 sq. [2]; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 291; *Feije*, n. 384 sq.; *Van de Burgt*, 164 sq.; *Giovine*, I, 527 sq.; *Mansella*, 58 sq.; *Schulte*, Eher. § 25; *Gasparri*, I, n. 728 sq.; *Rosset*, n. 1983 sq.; *Schnitzer*, 413 sq.; *Leitner*, 242 sq.; *Moy*, 209 sq., 365 sq.; *Freisen*, 497 sq.; *Esmein*, I, 162 sq., II, 295 sq.; *Zhishman*,

---

[1] L. 12, §§ 1, 2, L. 14, § 4 D. de ritu nuptiarum XXIII, 2; § 9 Inst. de nupt. I, 10; L. 6, § 1, L. 8 D. de grad. XXXVIII, 10.

[2] Cfr. quoque ex theologis: *S. Thom.*, Comment. in IV lib. sent. dist. 41, q. 1; *Ballerini-Palmieri*, Op. theol. VI, n. 766 sq.

358 sq.; *Chelodi*, n. 103 sq.; *Cappello*, I, n. 543 sq.; *Vlaming*, I, n. 356 sq.; *De Smet*, n. 626 sq.

Canon 1078. « *Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa* ».

Praenotiones

373. Impedimentum *publicae honestatis* iure praecedente [3] non raro vocabatur *quasi affinitas.* Quo usu loquendi huius impedimenti arta conexio cum affinitate sufficienter insinuabatur. Et revera publica honestas nihil erat aliud quam affinitas quaedam *incohata* per coniunctionem *animorum* consensu sponsalitio vel matrimoniali effectam, quae perfectissima tandem evaderet per coniunctionem *corporum* in consummatione matrimonii. Eadem appellatio etiam iuri Codicis apte congruit, dum inducitur mediante quodam quasi matrimonio, i. e. mediante matrimonio *invalido* vel mediante publico et notorio concubinatu [4].

Definitio. Impedimentum publicae honestatis est propinquitas quaedam personarum sive quasi affinitas orta *ex matrimonio invalido* itemque *ex notorio seu publico concubinatu* dirimens *propter honestatem* matrimonium contrahendum fidelium cum consanguineis etiam illegitimis alterius partis intra gradus a iure expressos. Cuius impedimenti fundamentum est unio imperfecta et illegitima, quae inter illos pseudo-coniuges intercedit, quemadmodum unio vere maritalis in impedimento affinitatis. *Ratio* autem huius impedimenti est publica quaedam honestas seu decentia, quae vetat quominus quis cum propinquis personae sibi tam intime et publice coniunctae nuptias celebret [5].

Ex similitudine, quam cum affinitate habet publica honestas, in hac eadem ratione consideranda veniunt stipes, linea et gradus.

---

[3] Cfr. cit. Instr. S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. (a. 1883); *Schmalzgr.*, l. IV, tit. I, n. 96; *Freisen*, l. c., 497.

[4] *Vlaming*, I, n. 343, ubi notat concubinatum, praesertim publicum, esse modum vivendi *mariti instar et uxoris*, et ideo a simplici consuetudine fornicaria aliqua saltem ratione distingui, ut propterea plus quam haec sociales matrimonii relationes sibi attrahat, et imperfectam quandam affinitatem constituat.

[5] *Chelodi*, n. 103; *Vlaming*, I, n. 356. De iure praecedente cfr. *Sánchez*, l. c. disp. 68, n. 1; *Rosset*, n. 1983; *Leitner*, 243.

374. Divisio. Ex tradita notione facile patet divisio publicae honestatis in duplicem speciem seu duplicem figuram impedimenti, prout *ex matrimonio invalido* aut *ex publico vel notorio concubinatu* proveniat. Prima illa figura *partialiter* coincidit cum publica honestate praecedentis iuris; altera figura est plane nova per Codicem inducta, quamvis dum supponit copulam inter concubinarios cohaeret antiquae affinitati [6].

375. Notae historicae. Cum in matrimoniis contrahendis non solum debeat respici quid liceat, sed etiam quid honestum sit [7], iam ipso *iure Romano* prohibitum fuit ne v. g. filius sponsam patris, sponsa filii patrem, sponsus matrem sponsae sibi coniungerent matrimonio [8]. At cum in iure Romano ad *affinitatem* contrahendam *consensus* matrimonialis *non copula carnalis* attenderetur, etiam altera species honestatis publicae ex matrimonio rato vel in ipsa linea collaterali habetur praeformata [9]. Ecclesia, quae tanti fecit sponsalia, ut ea sollemni benedictione saltem in Ecclesia Orientali consecraret, atque adeo sponsalia sollemnia matrimonio quasi aequipararet [10], sine dubio ius Romanum hac in re vel ipsa sana ratione tantopere commendatum minime respuit, sed potius etiam ad lineam *transversalem* extendit [11].

In iure scripto prima vice hoc impedimentum commemoratur in canonibus, quos refert Gratianus. Cfr. c. 11, 12, 13, 14, 15, C. XXVII, q. 2. Qui canones, licet sint capita incertae originis, tamen exhibent *praxim* Ecclesiae saltem saeculo XI et XII receptam; etenim Gratianus illos desumpsit ex antiquioribus collectionibus.

At origo huius impedimenti etiam ex multo antiquiore tempore non videtur esse repetenda; etenim scriptores saeculi noni, v. g. Benedictus Levita, Pseudo-Isidorus, Hincmarus Rem., Regin. illud silentio premunt, atque auctor c. 18, C. XXVII, q. 2 aperte negat [12].

Si in cit. canonibus Gratiani non semper accurate distinguitur inter *desponsationem de praesenti* et *de futuro*, certe in c. 14.

[6] *Giovine*, I, 180, 533; *Feije*, n. 384, 385; *Leitner*, 250.

[7] L. 42 pr. D. de rit. nupt. XXIII, 2.

[8] Cfr. text. cit. in not. 1, h. tit.; *Hörmann*, Quasiaffinität, 9, 16.

[9] L. 8, C. de incest. V, 5; *Moy*, 209; *Gasparri*, I, n. 728; *Schnitzer*, 414; *Scherer*, 347, not. 8; paulo aliter *Freisen*, 507; ubi negat conexionem huius impedimenti cum iure Romano.

[10] Conc. Trull. (a. 692) c. 98.

[11] *Zhishman*, 359; *Milas*, 506 sq., 522, 536 sq.

[12] *Freisen*, 499 sq., ubi rem solide tractat; *Esmein*, I, 161 sq. *Scherer*, 348; *Gasparri*, l. c. cum *Berardi*.

C. XXVII, q. 2 hoc impedimentum manifeste iam extenditur ad omnes consanguineos sponsi forte *defuncti*. Post Gratianum inter alios scriptores *Rolandus*, l. c. 129, obiter tantum attingit publicam honestatem; *Bernardus* vero *Pap.* († a. 1213) duplicem recenset casum publicae honestatis: « *Primo inter relictam sponsi et consanguineos eius, secundo inter sobolem susceptam ex secundis nuptiis et cognationem prioris viri* ». Idem auctor in opere postea conscripto ita priorem assertionem accuratius circumscribit: « *Nam ecce, si quis aliquam desponsaverit de praesenti et mortuus est ea non cognita, nullus de eius consanguinitate ipsam poterit accipere; similiter si sponsa praemortua fuerit, sponsus non poterit aliquam accipere de ipsius consanguinitate* ». Cfr. *Bern. Pap.* in ed. cit., 303, 136 sq.; *Tancredus*, in Summa de matrim., 52 (inter a. 1210 et 1214) duplicem recenset speciem publicae honestatis, sc. unam ex *desponsatione*, alteram ex *sobole suscepta* ex secundis nuptiis.

Quod impedimentum inde a Decretalibus Alexandri III (a. 1159-1181), iam primae compilationi antiquae insertis [13] saltem accuratius fuit expressum. Postea Innocentius III in Concilio Later. IV (a. 1215) prohibitionem de *prole suscepta* ex secundis nuptiis sustulit; at quamvis *alias* species impedimenti honestatis publicae non commemoret, tamen propter paritatem admissam cum secundo et tertio genere affinitatis, etiam restrictionem factam quoad consanguinitatem et affinitatem usque ad quartum gradum a fortiori dicitur applicasse impedimento publicae honestatis [14]. Atque hoc ambitu impedimentum in collectionem Gre-

[13] Cap. 1, 7 de sponsal., IV, 1 in cpl. I; cap. 11 de despons. impub. IV, 1 in ead. cpl. At concedendum est cap. 2 (Alex. III) de sponsal. IV in ead. cpl. difficulter cum aliis decisionibus Alexandri III, v. g. cap. 4, 5, 6, X, de desp. imp. IV, 2 posse conciliari. Quare mirum non est quod cit cap. 2 de sponsal. in compilationem authenticam non fuerit receptum. Nam Alexander III cit. cap. 2 Episcopo Winton in Anglia, haec respondit: « *Non sunt una caro vir et mulier, nisi cohaeserint copula maritali. Idcirco defuncta sponsa intacta, eius soror (a) sponso hoc non impediente libere ducitur in uxorem* ». Quo responso secundum sensum obvium videtur *declarari*, quod *contractus* sponsalitius non obstet, quominus *sponsus* ducat sororem *sponsae defunctae*. Quam difficultatem *Freisen*, 502 sq., ita solvere studuit quod ex iure antiquiore solummodo *sponsa*, non *sponsus*, impediretur a ducendis consanguineis alterius partis. A quo iure antiquiore et *dubio* Alexandrum III dicit cap. 3, X, IV, 1 recessisse. At cit. cap. 3, X, IV, 1 non est Alexandri III (a. 1159-1181) sed Eugenii III (a. 1145-1153). Deinde Alexander III cap. 5, X, de desp. imp. IV, 2 in parte decisa non adoptat *similem explicationem*, sed potius indulget dispensationem sive *dissimulationem*. Quare *brevi* capiti 2 Alexandri III per novam interpretationem nondum omnis obscuritas videtur esse ablata.

[14] Cap. 8, X, de cons. IV, 14; *Fagnan.*, Com. in cit. cap. 8, n. 20 sq., Glossa in hoc cap. 8; *Freisen*, 506 sq.; *Scherer*, 349, not. 15.

gorii IX fuit receptum [15]. Cuius impedimenti extensio cum videretur nimia, iam in Concilio Lugdunensi II (a. 1274) [16] deliberatum est de illo tollendo aut saltem restringendo, sed constitutio de ea re non fuit condita et publicata. At Bonifatius VIII, cap. unic. de sponsal. IV, 1, veterem quandam controversiam diremit atque generaliter statuit ex sponsalibus *incertis* aut *condicionatis* aut *invalidis* ex *defectu consensus* impedimentum publicae honestatis non oriri [17]. Qua in re Concilium Tridentinum duplicem correctionem iuris antiqui introduxit; etenim impedimentum limitavit ad sola sponsalia *valida* et ad *primum* gradum. S. Pius V vero authentice declaravit correctionem iuris antiqui de solis *sponsalibus* procedere neque ad matrimonium ratum esse extendendam [18].

Denique in Concilio Vaticano a compluribus Episcopis de abrogando aut saltem restringendo hoc impedimento postulata sunt proposita [19]. Quibus postulatis partialiter saltem iam fuit satisfactum per approbationem consuetudinis Hispaniae — postea in Americam latinam extensae — celebrandi sponsalia per *sollemnem scripturam* [20] novamque declarationem *Leonis XIII* de inefficacia matrimonii civilis ad producendam [21] publicam honestatem; ac tandem per decretum « Ne temere » auctoritate *Pii X* a S. C. Concilii, 2 aug. 1907, editum, quo sponsalibus ut canonicos effectus sortiantur forma scripta praescribitur, istud impedimentum in praxi multum fuerat limitatum. Sed immutatio plane substantialis facta est per Codicem, mutata radice seu fundamento impedimenti eoque restricto ad lineam rectam [22].

---

[15] Cfr. capita in fontibus.

[16] *Fagnan.*, Comment. in cap. 4 de sponsal. IV, 1, n. 7, in cap. 8, X, de cons. IV, 14, n. 26. Hinc patet etiam omni fundamento carere illam assertionem Henrici Bruweri a Bonifacio VIII impedimentum publicae honestatis primum esse excogitatum. Cfr. *Devoti*, l. c.

[17] *Passerin.*, Comment. in cit. cap. unic. n. 4, 5, 6; *Freisen*, 503 sq.; *Bernard. Pap.*, l. c., 341, 342, 343.

[18] Cfr. text. cit. in font.

[19] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic., 162 sq., 190.

[20] Cfr. text. cit. in font.

[21] Decret. S. C. C. 13 mart. 1879, die 17 mart. eiusd. an. a Leon. XIII confirmatum.

[22] Ut patet ex praemissis notis historicis iure praecedente publica honestas oriebatur:

1°) *Ex sponsalibus certis, absolutis* (i. e. sine condicione suspensiva) et *validis* ante diem 19 april. 1908, tametsi essent privata et occulta, post illum diem solum si in sollemni forma praescripta essent celebrata. Matrimonium dirimebat cum consanguineis sponsi vel sponsae,

§ I. De impedimento orto ex matrimonio invalido

376. I. Prima figura impedimenti est *matrimonium invalidum*, sive consummatum sive non. Debet ergo dari coniunctio viri et mulieris, quae speciem seu formam veri matrimonii prae se ferat, et nihilominus sit matrimonium invalidum sive ob aliquod impedimentum, sive ob defectum formae requisitae, nec refert utrum sit matrimonium *putativum* ob bonam fidem saltem unius partis aut ex utraque parte cum mala fide attentatum.

Utrum honestas publica oriatur ex matrimonio invalido ex defectu consensus certo modo definiri non potest. Ex una parte formula legis non distinguit: « oritur ex matrimonio invalido » sine ulla distinctione facta in causis unde provenit nullitas, qua distinctione non facta, videtur impedimentum asserendum in quolibet casu matrimonii invalidi, sine exceptione quae *expressa* erat in iure praecedente. Atque ita tenent plures novi iuris interpretes [23]. Ex alia parte non potest negari quin honestas publica, in quantum proveniens ex matrimonio invalido, coincidat partialiter cum honestate publica praecedentis iuris, ut consequenter facile applicari possit c. 6, n. 3° de iure novo ex antiquo aestimando, qua cum illo congruit, praesertim ubi ratio le-

---

tametsi post soluta sponsalia natis, usque ad primum gradum tantum sive rectae sive obliquae lineae.

2°) *Ex matrimonio rato tantum* seu non consummato, sive valido sive invalido, dummodo non ex defectu consensus. Unde si invalidum *ex metu* omnes consentiebant non oriri; si *ex raptu, errore condicionis servilis*, aut *ex clandestinitate* res erat controversa. — At *ex matrimonio civili* in locis ubi vigebat decr. *Tametsi* et dein decr. *Ne temere* post decretum S. C. C. 13 mart. 1879 a Leone XIII approbatum certo modo constavit nullum oriri impedimentum publicae honestatis, quaecumque demum fuisset intentio contrahentium.

Ex hoc titulo orta dirimebat usque ad *quartum gradum*. Sponsa autem derelicta non afficiebatur impedimento ob matrimonium compartis, idemque valebat de sponso derelicto, nisi secuta esset consummatio.

Multiplex esse poterat ex pluralitate sponsalium, matrimoniorum vel multiplici consanguinitate.

Erat vinculum *legale*, quo non afficiebantur infideles etiam post conversionem et baptismum (S. Offic. 26 sept. 1837).

[23] Nullo excitato dubio id tenent: *Vlaming*, I, n. 360; *Chelodi*, n. 104; *De Smet*, n. 627; *Noldin*, III, n. 597, quibus consentit *Cappello*, I, n. 543, cui nulla apparet intrinseca ratio pro sententia negante et *Creusen*, Epit. i. c. II, n. 361, qui praesertim insistit in silentio legislatoris circa rem in qua magna erat controversia, adeo ut suppressio antiquae exceptionis sit tribuenda intentioni legislatoris.

gis exigat illam interpretationem et ex variis circumstantiis intelligatur ea fuisse mens legislatoris: haec autem videntur concurrere in casu. Nam impedimentum fundatur in unione animorum per mutuum consensum voluntatum: hinc *deficiente consensu* impedimenti publicae honestatis deest naturale fundamentum [24]. Porro mens legislatoris satis clare apparet fuisse restringere impedimenta potius quam extendere; et licet iam magna facta sit restrictio quoad lineas et gradus, nihilominus ipse *conceptus* impedimenti valde esset ampliatus, si comprehenderet matrimonium invalidum ex defectu consensus.

Quare pro utraque sententia affirmante et negante solida videtur dari ratio, quae impedimentum videtur reddere non certum donec per authenticam declarationem illud dubium solvatur.

377. Ex *matrimonio civili* publicae honestatis impedimentum non inducitur, prout constat ex declaratione S. C. C. 13 mart. 1879, 17 mart. eiusdem a. iussu Leonis XIII data, quae etiam iure Codicis valere dicenda est. Cuius declarationis ratio ea est, quod contractui mere civili, ne figuram quidem matrimonii Ecclesia agnoscit quoad fideles [25]. Porro ipso iure Codicis vinculum mere civile subsumi nequit sub nomine *matrimonii* invalidi, cum in Codice constanter proprio termino designetur [26].

---

[24] Quae ratio maxime urget in casu, quo desit aliqua condicio *in consensu* ipsa lege *naturali* requisita, tunc enim maxime obtinet quod animadvertit *Ferreres* (Derecho sacram., n. 631), quod tale matrimonium potius quam *invalidum* sit dicendum *inexistens*. Semel autem ac admittatur de illo casu, iam nulla cogens ratio adduci potest cur illa exceptio non sit admittenda in tota extensione iuris praecedentis, quod etiam valebat de defectu condicionis *in consensu*, quae iure *canonico* esset essentialiter et directe requisita. Iuxta magis receptam doctrinam excludebatur publica honestas ex matrimonio contracto ab amente, perfecte ebrio, vel stante *errore substantiali* de persona alterius partis vel interveniente errore *accidentali* de condicione *servili* alterius coniugis, vel ex vi *absoluta* aut ex metu *gravi* iniuste incusso, vel ob defectum consensus *personalis*, vel propter legitimam revocationem mandati *procuratorii* dati, vel ob defectum consensus voluntarii pleneque deliberati vel interni vel mutui; item ex matrimonio contracto sub *condicione* contra *substantiam* matrimonii vel sub alia condicione de futuro neque *revocata* neque *impleta*.

[25] Cfr. *Cappello*, I, n. 543; *Chelodi*, n. 104; *Ferreres*, l. c., n. 631, ubi notat non necessario cum matrimonio civili iunctum esse concubinatum praesertim publicum; aliter *Noldin*, III, 597. Actum coram magistratu civili attentatum ad ineundum matrimonium ab iis, qui forma canonica celebrationis matrimonii tenentur, non constituere independenter a cohabitatione impedimentum publicae honestatis declaravit authentice Comm. Codicis d. 12 mart. 1929; AAS. XXI, 170; Period. XVIII, 172.

[26] Cfr. c. 188, 5; c. 646, § 1, 3°; c. 2356; c. 2388, § 1. At ubi fidelis legitime est immunis a forma servanda, ex matrimonio civili ex alio capite invalido publicam honestatem contraheret atque idem dicendum de acatholicis in matrimoniis inter se ineundis a forma immunibus, ubi illa celebratio coram magistratu civili habeat speciem veri matrimonii.

At matrimonio civili plerumque accedit concubinatus, qui de regula adest et plerumque praesumitur, quo in casu, si concubinatus sit publicus vel notorius, tum exurgit impedimentum honestatis publicae ex altera ipsius figura [27].

§ II. De impedimento orto ex notorio vel publico concubinatu

378. Altera figura impedimenti est concubinatus publicus vel notorius. Apte a *Vlaming*, I, n. 361, quem sequitur *Cappello*, I, n. 544, concubinatus ita describitur: viri et mulieris sexualis conversatio, quae, licet animo maritali careat, *vitae* tamen *maritalis* instar fovetur [28]. Ad quam notionem verificandam duae condiciones requiruntur: 1°) quaedam *unitas*, i. e. conversatio cum eadem persona: quamvis enim de facto etiam cum duabus vel pluribus personis concubinatus quidam, ad instar coniunctionis polygamae, institui possit, huiusmodi tamen coniunctio nec iure romano nec canonico attenditur [29]; 2°) requiritur quaedam *continuitas* seu duratio, qua concubinatus sit saltem aliquatenus similis matrimonio differatque a conversatione simpliciter fornicaria seu ab actibus fornicationis singularibus, licet frequenter committendis. Iure tamen canonico non requiritur ut mulier in domo

---

[27] *Vlaming*, I, n. 360; *Creusen*, Epit. i. c. II, n. 361; *Cappello*, *Chelodi*, *Ferreres*, l. c.

[28] Ita etiam *De Smet*, n. 628; *Verm.-Cr.*, II, n. 361. Iure Romano L. 4 D. de concubinis XXV, 7, *Paulus* clare refert « *concubinam* ex sola animi *destinatione* aestimari » et L. 144 D. de V. S. idem *Paulus* dicit: « pellicem (concubinam, amicam) vulgo vocari ... quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit ». Consonat *Reiffenstuel*, V, 16, n. 61: « Concubinatus est, cum quis mulierem solutam in domo sua loco uxoris detinet et cum ea carnale commercium habet ». Cfr. quoque *Hollweck*, Strafgesetze, § 176, not. 2; *Thesaurus*, De poen. concubinatus, n. VI.

Vlaming, l. c., vult exclusum concubinatum adulterinum, qui vitae maritalis instar non fovetur, cum et illud ius Romanum reprobet (L. 1, C. de concubinis V, 26) et vix quaedam inde *honestas publica* in societate christiana oriri possit. Quo etiam spectat notio data a *Reiffenstuel*, l. c., ubi requirit mulierem *solutam*. Respectum honestatis in nullo casu oriri difficulter probabitur, v. gr. si vir, relicta uxore in America, in Europa concubinarius fiat et apud populum ignoretur eius matrimonium. Forte efficacior sit alia ratio, quia ius resistit ob impedimentum ligaminis.

[29] Cfr. quoque *De Smet*, l. c., exigens sexualem conversationem inter *determinatum* virum et *determinatam* mulierem. In defectu illius unitatis potius videtur haberi *concubinatus vagus* quam verus concubinatus.

viri concubinarii retineatur; nihilominus verus concubinatus sub hoc respectu eo plerumque dignoscetur, quod vir mulierem aut in domo sua aut saltem suis expensis alio loco sibi retineat [30].

Praeter concubinatum *verum* modo descriptum, nonnunquam ipso iure Codicis concubinatus *praesumitur*, veluti in clericis, qui ab Ordinario prohibiti ne certam mulierem in domo sua retineant vel alibi frequentent, illi prohibitioni non obediunt (c. 133 § 4).

Canon 1078 loquitur de concubinatu *publico* vel *notorio*. *Publicus* erit dicendus concubinatus « si iam divulgatus est aut talibus in adiunctis versatur ut prudenter iudicari possit aut debeat facile divulgatum iri » (c. 2197, 1°). *Notorius* erit *notorietate iuris* « post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ». *Notorius* erit *notorietate facti* « si publice notus sit et talibus comitatus adiunctis, ut nulla tergiversatione celari possit nulloque iuris suffragio excusari [31] » (c. 2197, 2°, 3°).

Figura impedimenti habetur in concubinatu *vero* eoque *publico* vel *notorio* sensu explicato [32], non in mere praesumpto.

---

[30] Cfr. *Noldin*, III, n. 597, ubi commercium carnale etiam frequens secerni posse supponit a vero concubinatu. Inde concubinatus non esset commercium institutum a viro regulariter tendente ad lupanar et rem habente cum muliere forte eadem ibidem habitante, cum haec noscatur cuicumque adventanti prostare estque proinde *meretrix*, non concubina. *De Smet*, n. 628, iunct. Coll. Brug. IV, 27 sq.

[31] Ita *publicum* vel *notorium* aestimandum putant: *De Smet*, n. 629; *Cappello*, I, n. 544; *Chelodi*, n. 104; *Vlaming*, I, n. 361 atque fundantur in hoc quod concubinatus sit delictum: a quibus doctoribus non videtur in hac parte esse dissentiendum. Manet tamen difficultas petita ex c. 1037 in quo impedimentum publicum dicitur *quod in foro externo probari potest*, quae probatio adhuc erit possibilis in multis casibus, in quibus non verificatur notio publicitatis in textu ex c. 2197, 1° proposita. Nihilominus ratio indecentiae iuxta communem hominum aestimationem non verificatur nisi detur diffamatio *de facto* vel *de iure*, quae non habetur nisi in notione *publici* et *notorii* in textu proposita. Res tamen non penitus liquet et authentica declaratio esset necessaria.

[32] Aliud grave dubium movet *Ferreres*, Derecho sacram., n. 631, de casu in quo publica vel notoria sit vita maritalis inter virum et feminam, sed ignoretur communiter esse concubinarios, cum aestimentur generatim ab aliis ut veri coniuges. V. gr. Titius et Bertha ab initio concubinatus se transtulerunt in longinquum locum, ubi penitus erant ignoti et inde aestimantur ut veri coniuges. Si Bertha erat vidua et habebat filiam ex priore matrimonio, poteritne Titius ducere illam filiam? Idem autem auctor solutionem *practicam* proponit: videlicet, factis proclamationibus, denuntiabitur impedimentum affinitatis in primo gradu, si denuntiantes censent matrimonium *validum* inter ipsos existere, aut publicae honestatis, si ipsis declaretur fuisse *invalidum* aut certe concubinatus debebit fieri publicus. Haec solutio practica, quae solum in casu normalis praeparationis matrimonii locum habebit, quaestionem *theoreticam* non solvit; quare idem auctor dubitanter proponit huius solutionem, quod *forte* possit dici satis esse ut sit publicus concubinatus *materialis seu* factum quod illae personae — reapse matrimonio non unitae — maritaliter vivant, tametsi ignoretur quod inter ipsas matrimonium non existit. In cuius solutionis favorem posset allegari, quod ratio legis iam in tali casu verificatur, cum illa sit indecentia quae habetur ex communi aestimatione. At quoad ipsam figuram concubinatus, non videmur versari in *concubinatu publico*, sed *in falso putato publico matrimonio*. Ex alia parte a *Cappello*, I, n. 544, incunctanter asseritur impedimentum *certissime* adesse: ab ipso autem repetitur aut ex concubinatu aut ex matrimonio invalido ex defectu, v. gr. formae (?). At quomodo habeatur concubinatus publicus ipse non explicat — est coniunctio in publica aestimatione maritalis —; quodsi non petitur ex concubinatu, satis intelligere non valeo quod possit peti ex matrimonio invalido ob defectum formae, cum hoc sit contra hypothesim de duobus qui *nullo modo* contraxerunt matrimonium, sed secreto initiarunt ex condicto concubinatum, quem de industria occultum retinuerunt per translationem habitationis in locum, ubi erant plane ignoti. — Quare de hac quoque re videtur expectanda authentica declaratio; interim tamen putarem impedimentum esse *obiective* dubium dubio iuris et *vitato scandalo*, v. gr. per celebrationem in alio loco, non obstare validae celebrationi matrimonii. De facto impedimentum omnino novum nondum accepit illustrationem ex iurisprudentia, cum tamen fundetur in facto dubiis satis obnoxio.

379. *Ratio iuridica* impedimenti supra assignata ostendit ipsius *convenientiam*, quae reducitur ad ipsam rationem decentiae militantem pro affinitate secundum novum conceptum Codicis; immo pluribus in casibus publica honestas Codicis coincidit cum antiqua affinitate ex copula illicita [33].

380. Ambitus impedimenti is est, ut in utraque ipsius figura irritet matrimonium inter virum et consanguineos sive legitimos sive illegitimos mulieris, sed tantum in *primo et secundo gradu lineae rectae* et vicissim inter mulierem et consanguineos viri. Impedimentum autem est de se *perpetuum* ac semel ortum non cessat soluto vel seiuncto coniugio invalido aut dissoluto concu-

---

[33] Sane in praesente Codicis disciplina licet publica honestas stricte contrahi possit sine copula, cum etiam ex invalido matrimonio non consummato exurgat, regulariter tamen praesupponit commercium carnale illegitimum in concubinatu aut in matrimonio invalido, quod non solet manere inconsummatum. Quare publica honestas novi iuris practice magis accedit antiquae affinitati quam antiquae publicae honestati e cuius causis erat exclusa copula sive matrimonialis sive extra-matrimonialis. Cfr. *De Smet*, n. 629, n. 1.

binatu [34], sed sola dispensatione aufertur, quae profecto dari potest, cum sit iuris mere ecclesiastici, ut apparet ex eius origine.

381. Scholion I. Ex textu Codicis non potest certo modo definiri, utrum in casu in quo matrimonium invalidum convalidetur aut concubinatus in iustas nuptias convertatur, praeter tunc exortum *affinitatis* impedimentum, etiam impedimentum *publicae honestatis* perseveret, an potius cedat locum affinitati superinductae. Quae res est practici momenti, si pro *Titio* petatur dispensatio v. gr. a secundo gradu affinitatis cum *Bertha* et reticeatur matrimonium invalidum iam separatum aut concubinatum habitum iam dissolutum, v. gr. cum Berthae matre aut filia: si impedimentum honestatis absorbetur, illa dispensatio sufficeret, secus in contraria hypothesi.

Etiam in hac re est desideranda authentica declaratio. Interim vero videtur asserendum publicam honestatem manere nec absorberi a superveniente affinitate. Sane in genere multiplex impedimentum in eodem casu ex diverso titulo concurrere potest, quod aperte supponitur cc. 1049 et 1050 et ex natura rei patet. Praeterea in iure nullibi agnoscitur absorptio unius impedimenti praeexistentis per aliud specie et ratione diversum, tametsi superveniens impedimentum sit gravius latiusque pateat. Porro communis sententia [35] iure praecedente omnino tenebat publicam honestatem, qua matrimonio rato inductam permansisse nec consummato matrimonio affinitati cessisse; quod prorsus certum

---

[34] *Vlaming*, I, n. 366; *Chelodi*, n. 104; *Cappello*, I, n. 554. Ceterum quasi-affinitas seu publica honestas iuris praecedentis pariter impedimentum erat perpetuum.

[35] Cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 459; *Rosset*, n. 2000 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 776, not. a.; *Feije*, n. 395, aliique communiter; aliter *D'Annibale*, P. III, n. 434, not. 25; *Leitner*, 246 sq., 252 qui videntur fuisse ducti auctoritate Benedicti XIV (De Synod. dioeces. l. IX, cap. 13, n. 13, 4), ubi docet: « *Matrimonium autem consummatum aut veram producit affinitatem aut certe aliud impedimentum non parit* ». At haec verba nihil probabant in favorem sententiae *D'Annibale*. Nam sine dubio matrimonium *consummatum* **producebat** *solam* affinitatem, at publica honestas, quae ex matrimonio *rato* (vel sponsalibus) iam *orta* erat, manebat. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c.; *Feije*, l. c. Praeterea Benedictus XIV, Quaest. can. 591, videtur omnino stare pro duplici impedimento affinitatis et publicae honestatis, neque ulla est ratio fingendi inter utrumque locum aliquam contradictionem. Cfr. *Rosset*, n. 2001; *Putzer*, l. c., 186 sq.; *Bened. XIV*, Quaest. can. 291 = relat. Secret. in c. S. C. C. decis. 6 dec. 1722 in ed. *Richt.*, Conc. Trid., 563 sq.

Practice tamen, manifestata in petitione dispensationis affinitate *ex copula licita*, intelligebatur manifestata publica honestas ex matrimonio *rato*, quod necessario praecedit consummatum.

erat de affinitate ex copula illicita [36], si matrimonio invalido accessisset consummatio.

382. Scholion II. De multiplicitate huius impedimenti pariter Codex silet, cum tamen consanguinitatem et affinitatem multiplicem recenseat tanquam fontem pluralitatis impedimenti [37]. Atque haec potest esse apta ratio, cur haec multiplicitas in publica honestate non esse attendenda censeatur. Quodsi ex paritate rationis cum consanguinitate et affinitate videatur esse asserenda, pluralitas impedimenti habebitur pro numero *matrimoniorum* vel *concubinatuum*, quibus una pars cum consanguineis alterius in linea recta fuerit successive coniuncta, v. gr. si Titius vult ducere Bertham, cuius primo aviam, deinde etiam matrem sibi habuit concubinam [38]. De hac quoque re desideratur authentica declaratio.

383. De subiectione infidelium. Certissimum est hoc impedimentum esse iuris mere ecclesiastici, ideoque infideles quamdiu in sua infidelitate manent illo non teneri. Tota ergo quaestio esse debet de infidelibus post conversionem et baptismum iam factis fidelibus et obnoxiis ceteris legibus ecclesiasticis.

I. Si utroque infideli baptizato, perseverat adhuc illa utriusque partis unio in matrimonio invalido vel in concubinatu, nihil iam deficit ad hoc ut impedimentum exoriatur, ut est manifestum.

II. Si uterque infidelis baptizatur, postquam iam dissolutum fuit matrimonium invalidum quod mansit inconsummatum, videtur dicendum impedimentum non existere, cum in tali casu habeat pro unico fundamento vinculum *legale* in infidelitate non contractum. Ceterum hic esset casus antiquae publicae honestatis, quae ex declaratione S. Offic., 26 sept. 1837, non tenebat infi-

---

[36] Si matrimonium *invalidum* consummetur, *duplex* haberi impedimentum, sc. unum ex publica honestate matrimonii invalide contracti, alterum ex affinitate per copulam carnalem contracta plane certum effecerat iure praecedente decisio quaedam S. C. C. Etenim S. C. in c. Brixiensi, 3 dec. 1667, respondit in ista suppositione: « *Non posse contrahere obstante illi tum impedimento publicae honestatis tum affinitatis* ». Cfr. *De Smet*, n. 631; *Vlaming*, I, n. 367; *Cappello*, I, n. 553.

[37] *Vlaming*, I, n. 365, quem sequitur *Cappello*, I, n. 550 diversum modum agendi Codicis explicat ex hoc quod in affinitatis et consanguinitatis impedimento voluit limitare ambitum multiplicationis; at in hac explicatione argumentum ex silentio Codicis de publica honestate non parum extenuatur.

[38] Dubitanti modo propugnant multiplicationem impedimenti *Vlaming* et *Cappello*, l. c., item *Chelodi*, n. 104, praesertim ob silentium Codicis. Eam supponit *De Smet*, n. 630, not. 3, quamquam adiungat raro eventurum casum, v. gr. quod vir habuerit concubinam successive aviam et matrem puellae, quam vult ducere.

deles etiam post conversionem. Aliter autem convenienter posset statui a legislatore.

III. In quantum honestas publica consideretur orta ex matrimonio invalido *consummato* vel ex *concubinatu publico et notorio* videtur dicendum infideles illa post conversionem teneri et ligari impedimento, cum hic casus coincidat cum affinitate ex copula illicita, ex qua oriebatur vinculum naturale post baptismum perseverans et ex responso S. Offic., 26 aug. 1891, post baptismum receptum inducens impedimentum. Quod impedimentum tunc quidem dicebatur affinitatis, nunc iure Codicis dicitur honestatis publicae. Nam vinculum, quod ante Codicem erat naturale, illam qualitatem non amisit nec conversum est in vinculum mere legale: existente vinculo (fundamentum) et subiectione ad Ecclesiam ex baptismo recepto debet exurgere impedimentum.

IV. Quodsi unus dumtaxat convertatur, impedimentum exurgit propter eandem rationem supra propositam, si matrimonium consummavit aut vixit in concubinatu, saltem quatenus haec adiuncta adhuc perdurent; non exurgit impedimentum, si *dissociatum* coniugium praecessit baptisma propter eandem rationem antea propositam [39].

§ III. Dispensatio impedimenti publicae honestatis

384. Cum impedimentum honestatis publicae solo iure ecclesiastico sit institutum, in utroque gradu dispensari potest et de facto in facultate pro casibus extraordinariis concessa per cc. 1043-1045 hoc impedimentum nequidem quoad primum gradum reperitur exceptum, sicut non reperiebatur excepta in facultatibus Ordinariis concessis per decret S. Offic., 20 febr. 1888, publica honestas praecedentis iuris nec praecedens affinitas etiam lineae rectae ex copula illicita, quae partialiter coincidit cum publica honestate novi iuris.

Publica honestas in secundo gradu iure Codicis censetur inter impedimenta *minoris gradus* (c. 1042 § 2, 3°) [40]. Etiam in primo gradu ex iusta et gravi causa obtineri potest dispensatio. At cum partialiter cohaereat hoc impedimentum cum antiqua affinitate ex copula illicita, sedulo attendenda est clausula quae in dispensatione illius affinitatis apponi solebat « *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae* » aut saltem illa clausula minus rigida « *dummodo nullum subsit dubium, quod coniux possit esse proles ab altero contrahentium genita* ». Quare tum in petenda tum in exequenda dispensatione, illud periculum omnino praecavendum est [41].

[39] *Chelodi*, n. 104; *Vlaming*, I, n. 364. Aliter *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 361; *De Smet*, n. 632, ubi tamen impedimentum admittit in matrimonio inter infidelem et fidelem; *Cappello*, I, n. 552.

[40] Etiam iure praecedente per novum ius a Pio X conditum (Ordo servand. — normae peculiares S. C. de d. Sacr. n. 20 — impedimentum publicae honestatis quoad dispensationem adnumerabatur impedimentis minoris gradus et quidem publicae honestatis impedimentum « sive per sponsalia sive per matrimonium ratum, super quod iam dispensatum sit fueritque solutum ».

§ IV. De accusatione et probatione impedimenti publicae honestatis

385. Impedimentum publicae honestatis est *iuris publici*, non mere privati. Quare valor matrimonii iam contracti, cui allegatum impedimentum obstat, etiam *ex officio* impugnari potest.

Ad adstruendum impedimentum ex matrimonio invalido proferantur necesse est *documenta* comprobantia matrimonii praecedentis celebrationem. Quae documenta facile suppeditant vel libri matrimoniorum a parochis servandi, si matrimonium coram Ecclesia sit celebratum, vel regesta existentia penes ministros haereticos vel schismaticos vel magistratus civiles, si apud eos matrimonium contractum esse affirmetur. At quamvis documenta vel a sola potestate *civili* vel ab haereticis aut schismaticis manantia vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus curare debet ut in iudicio compareant *partes, testes*, qui matrimonii celebrationi interfuerunt, *propinqui* coniugum necnon *omnes* quos sciverit de re instructos. Cfr. Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 31; *Périès*, « Code de procédure canonique », 141 sq.

Quodsi impedimentum publicae honestatis ortum asseratur ex publico vel notorio concubinatu, eius probatio in pluribus casibus singularem habet difficultatem. Quodsi habeatur authenticum documentum de celebrato solo *matrimonio civili* ab iis fidelibus ceterisque, qui ad valorem tenentur servare formam ecclesiasticam celebrationis nec ab ea sunt legitime excusati, certe concubinatus est praesumendus, si constet insuper de cohabitatione.

386. Scholion I. Quae in Ecclesia Occidentali de duplici specie impedimenti publicae honestatis iure Codicem praecedente

[41] *De Smet*, n. 633; *Cappello*, I, n. 554.

constituta erant, ea etiam apud maronitas, italo-graecos fuerunt praescripta [42]. Verum Concilium provinciale Alba-Iuliense (a. 1872) approbante Sede Apostolica haec statuit: « *Affinitas ex sponsalibus sollemnibus, ubi haec obtinerent, qua impedimentum iustitiae publicae honestatis dirimit matrimonium usque ad septimum gradum* (i. e. comput. civ.) *inclusive, quemadmodum et affinitatis ex matrimonio rato, ast nondum consummato* » [43]. Cuius decreti immutatio ut iuri Codicis conformaretur, requireret S. Sedis interventum.

Scholion II. Codices civiles de matrimonio civili eam solummodo admittunt *affinitatem*, quae oritur ex *valida* matrimonii celebratione; et sicut nulla ratio habetur consummationis per carnalem copulam perfectae, ita matrimonium invalidum aut concubinatus non consideratur. Praeterea a modernis legibus civilibus *penitus aliena* erat ea species impedimenti canonici publicae honestatis, quae oriebatur ex *sponsalibus*, quae pariter in iure Codicis fuit suppressa [44].

Scholion III. Utrum in attentatione matrimonii cum coniunctis vinculo legali publicae honestatis committatur *incestus*, valde dubium est, cum partim hoc matrimonii impedimentum respondeat antiquae affinitati, et aliunde ex publica honestate praecedentis iuris, cuius nomen retentum est, non incurreretur. Res ergo in se est dubia et pendet a positiva dispositione seu intentione Ecclesiae, quae solum cognosci potest cognito *speciali motivo* propter quod constituit impedimentum [45].

---

[42] Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 160, 166; Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* », 26 maii 1742, § 8, n. 5; Synod. Sciarf. syror. (a. 1888), 181.

[43] De aliis ritibus orientalibus consuli potest *Papp-Szilagyi*, l. c., P. II, § 116. Vim sponsalium sollemnium sive benedictorum producendi impedimentum quasi-affinitatis etiam apud schismaticos orientales fusius exponunt: *Zhishman*, 316 sq.; *Milas*, D. Kirchenr. d. morg. K. 536.

[44] *Rossel*, n. 2300; *Scherer*, 351.

[45] Negant malitiam incestus *Vlaming*, I, n. 368, iunct. 355bis; *Cappello*, I. n. 210, not. 2; *Vermeersch*, De Castitate, n. 314, 3.

CAPUT XVII

De impedimento cognationis spiritualis

387. **Fontes:** C. XXX, q. 1, 3, 4 [1] — Cpl. I, l. IV, tit. 11, de cog. spir. et filiis ante vel post compaternitatem genitis; cpl. II, l. IV, tit. 6, de cog. sp;. cpl. III, l. IV, tit. 8, de cog. sp. — Decretal. Greg. IX, l. IV, tit. 11, de cog. sp.; Decretal. Bonif. VIII, lib. IV, tit. 3, de cog. sp. — Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref. matr. — S. Pii V Const. « *Sanctissimus* » 20 aug. 1566, Const. « *Cum illius vicem* », 28 nov. 1566. — S. C. C. 5 mart. 1678; Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 29 sq., et S. C. de Prop. F. n. 31 sq., (a. 1883) in ASS. XVIII, 352 sq., 376 sq.; decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. 266 sq., et in ASS. XIV, 411 sq.; resp. S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1248 sq.; Instruct. S. C. de Pr. F. 4 maii 1774, pro simpl. sacerd. Sacram. confirm. admin. in ASS. VII, 306 sq.; S. C. Inq. 3 maii 1893, 29 apr. 1894, 3 dec. 1902. — Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* », 26 maii 1742, § 8, n. 6; Synod. prov. Ruthen. (a. 1720) et Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. I, col. 28, 119, 127, 163; Concil. provinc. Alba-Jul. (a. 1872) p. 96; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 180. — Instr. C. Rauscher § 27; Instr. Eystett. 346 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in h. t. — *Devoti*, § 137; *Aichner*, § 178; *Scherer*, § 117. — *S. Raymund.*, lib. IV, tit. 7, de cog. sp.; *Roland.*, l. c., 144 sq.; *Bernard. Pap.*, l. c., 157 sq., 295; *Tancred.*, l. c., 32 sq., tit. 21, de cog. sp. et de diversis specieb. eius.; *Durantis*, l. c. h. t. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 54 sq. [2]; *Feije*, n. 409 sq.; *Giovine*, I, 382 sq.; *Schulte*, § 26; *Mansella*, 41 sq.; *Van de Burgt*, 155 sq.; *Gasparri*, I, n. 749 sq.; *Rosset*, n. 1835 sq.; *Schnitzer*, 418 sq.; *Leitner*, 252 sq.; *Périès*, 145 sq. — Arch. f. k. K. XV, 216, ubi *Laurin*, praesertim de historia huius impedimenti egregie disserit; *Moy*, 91 sq., 211 sq., 366 sq.; *Freisen*, 507 sq.; *Schmitz*, l. c., 391, 457, 801. — *Zhishman*, 263 sq.; *Esmein*, I, 401 sq., II, 292 sq. — *Chelodi*, n. 105 sq.; *Vlaming.*, I, n. 369 sq.; *De Smet*, n. 637 sq.; *Cappello*, I, n. 556 sq.; *Ferreres*, Derecho sacr. n. 632 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit. i. c., II, n. 366.

Canon 1079. « *Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can.* 768 ».

Canon 768. « *Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus* ».

---

[1] L. 26. Cod. de nuptiis V. 4. (Iustinian. a. 530). Codices iuris civilis nostra aetate ut plurimum impedimentum cognationis spiritualis non agnoscunt, velut cod. civ. Ital., Galliae, Austriae aliique, immo etiam Hispaniae. Cfr. *Schulte*, 552 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 148, i. f.

[2] Cfr. ex theologis: *S. Thom.*, l. c. in lib. IV sent. dist. 41, q. 1; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 642 sq.

Praenotiones

388. Ut in ordine *naturali* per adoptionem fit imitatio naturae, qua cognatio et affinitas quaedam legalis oritur, ita in ordine *supernaturali* minister baptismi per lavacrum regenerationis, novae vitae supernaturalis in homine baptizato ex Dei ordinatione est auctor [3]. Qua in nova vita praeparanda et conservanda praesertim attenta praxi Ecclesiae antiquae, principalem quandam curam habuerunt *patrinus* vel *matrina*. Hinc inter ministrum baptismi et patrinum atque hominem baptizatum orta est sancta quaedam relatio paternitatis et filiationis spiritualis. Quae cum matrimoniali coniunctioni parum videretur conformis, impedimentum matrimonii ab Ecclesia constitutum est.

389. Definitio. Cognatio spiritualis est propinquitas quaedam personarum iure ecclesiastico ex collatione et susceptione sacramentorum baptismi vel confirmationis orta, quae *in quantum enascitur ex baptismo* ad modum paternitatis et filiationis matrimonium dirimit [4].

Divisio. Cognatio spiritualis dividitur:

1. Ratione *originis* in cognationem spiritualem ortam ex *baptismo* aut ex *confirmatione* [5]. At quatenus ex confirmatione orta non amplius est impedimentum.

---

[3] Concil. Trid. Sess. V, de pecc. orig. can. 4; Catechism. Rom. P. I, cap. 2, q. 5, 26, sq., cap. 3, q. 15; *Laurin*, l. c., V, 216 sq., et Arch. f. k. K., 369 sq

[4] Cfr. cap. 1, 3, h. t. IV, 3 in Sext. iunct. cap. 2 Conc. Trid. Sess. XXIV, de ref. matr.; *Van de Burgt*, 155; *Rosset*, n. 1836; *Freisen*, 507, 508.

[5] Praeterea in iure *antiquo* distinguebatur cognatio spiritualis ex sacramento *paenitentiae* et ex *catechismo*. Verum prior illa cognatio ex sacramento paenitentiae, quae in Decreto Gratiani reperitur (cfr. c. 8, 9, 10, C. XXX, q. 1) et in Decretalibus Gregorii IX expressis verbis non commemoratur, impedimentum quoddam impediens non fuit inter filios filiasque naturales atque spirituales alicuius confessarii (Cfr. Glossa v. Baptizavit ad cap. 8, X, h. t.; *Paucapalea*, Summa 122; *Freisen*, 536 sq.), et si quod fuisset, certe a Bonifatio VIII, cap. 3, h. t. in Sext., esset sublatum; cfr. *Laurin*, l. c., 243 sq. 260.

Altera vero cognatio spiritualis ex *catechismo*, quam Bonifatius VIII, cap. 2, in Sext., impedimentum *impediens* esse denuo authentice declaraverat, a Concilio Tridentino Sess. XXIV, cap. 2, de ref. matr. omnino est abrogata. Cfr. *Passerin.*, Comment. in Sext. in cap. 2, h. t. in Sext., n. 5 sq.; *Giraldi*, Exposit. iuris pont. P. I, sect. 706; *Laurin*, l. c., 264; *Rosset*, n. 1836 sq.; Benedictus XIV Const. « *Inter omnigenas* », 2 febr. 1744, § 17, pro regno Serviae et finitimis regionibus tanquam abusum reprobat consuetudinem qua cognatio spiritualis oriebatur ex assistentia matrimonio praestita, vel inter eos a quibus capilli pueris primo tondebantur; *Gasparri*, I, n. 750.

II. Altera divisio quae ratione *extensionis* fiebat in *paternitatem* (directam) et *compaternitatem* (directam), i. e. inter ministrum et patrinum ex una parte et patrem vel matrem baptizati, non amplius est practici momenti, cum compaternitas iure Codicis maneat abolita [6].

390. Notae historicae. Cum sacramentum baptismi sit vera quaedam regeneratio spiritualis, iam inde ab aetate Apostolorum [7] inter *ministrum* [8] baptismi et baptizatum censebatur orta sancta quaedam relatio patris spiritualis ad filium suum spiritualem. Quae cognatio spiritualis mox extensa est ad *patrinos* vel *matrinas*, quorum primis saeculis religionis christianae iam fit mentio [9]. Ipsi instruxerunt [10] baptizandos in religione christiana, testes, sponsores, fideiussores exstiterunt de dignitate baptizandorum, quos obtulerunt (« *offerentes* ») ministro baptismi. Cum per immersionem administraretur baptismus, patrini ex sa-

---

[6] Pariter *paternitas indirecta*, quae constituebat impedimentum inter baptizatum vel confirmatum et baptizantis vel confirmantis vel patrini *uxorem* (cfr. cap. 1, h. t. in Sext.) antea carnaliter cognitam, itemque *compaternitas indirecta* dirimens matrimonium inter *parentes* baptizati vel confirmati et baptizantis vel confirmantis vel patrini uxorem antehac cognitam (cfr. c. 1, 3, C. XXX, q. 4), denique *fraternitas*, qua contrahebatur impedimentum inter *filios* carnales baptizantis vel confirmantis vel patrini et inter baptizatum vel confirmatum (cfr. c. 2, 3, C. XXX, q. 3; cap. 7 X, h. t.; cap. 1, h. t. in Sext.) iam a decreto Concilii Tridentini matrimonium contrahendum non amplius dirimebant. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 9 sq., 13 sq.; *Laurin*, l. c., 263 sq.; *Scherer*, 314 sq.; *Esmein*, I, 364 sq.

[7] S. Petr., I epist., V, 13, et Nicol. M. in resp. ad cons. bulgar. n. 2; similiter S. Paulus vocat Timotheum, Titum, Onesimum filios suos. Cfr. II Timoth. II, 1; Philem. 10 sq.; *Laurin*, l. c. XV. 216 sq.

[8] Cfr. c. 119, (Innoc. I, scr. a. 416), c. 125, (c. 2 Conc. Arausic. I, a. 441), D. IV, de consecr.; decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, de bapt. can. 4.

[9] *Tertullian.*, De bapt. c. 18; *Dionysius Areop.*, De hierarch. eccl. cap. 7, § 11, (*Migne*, P. G. III,567 sq.); c. 105 (= verb. Caesarii † a. 542) D. IV, de consecr.

[10] Instructio illa religiosa, quae dicebatur catechismus vel christianitas vel ministerium sive sacramentum christianitatis (cfr. c. 57, D. IV, de cons.; cap. 2, h. t. in Sext.; *Bernard. Pap.*, l. c., 160; c. 3, XXX, q. 4) non a solis patrinis vel matrinis fuit data, sed principaliter a sacerdotibus aliisque clericis vel a diaconissis. Cfr. cit. c. 57, D. IV, de consecr. Quae voces catechismi, christianitatis etc. deinde omnes actus preparatorios et ritus sacros baptismum praecedentes comprehendebant. Cfr. c. 100, D. IV, de consecr.; cpl. I, (in parte decisa) qui matr. IV, 18; *Laurin*, l. c., 217 sq., et in cit. Arch., LX, 369 sq.

cro fonte levabant vel suscipiebant baptizatum (« *levantes, susceptores* »); quodsi per ablutionem vel aspersionem baptismus fuit collatus, inter ritum sacrum tenere (« *tenentes* ») solebant baptizandum [11].

Antiquissima igitur est illa cognatio spiritualis atque adeo antiquior *impedimento* matrimonii ex illa orto, de quo primis saeculis sacri canones non reperiuntur [12]. Nam illo tempore saepissime baptizabantur *adulti*, quibus in administratione baptismi per ritum immersionis ob decentiae legem dabantur patrini eiusdem sexus. Porro quandoque *parentes* ipsi suos infantulos ad baptismum offerebant. Hinc ratio condendi legem irritantem matrimonium inter *patrinum* et *baptizatum* non exstitit multoque minus inter baptizatum et baptizantem, ordinarie *episcopali* vel *sacerdotali* dignitate insignitum [13]. Quae disciplina immutata est, cum paulatim numerus adultorum baptizandorum fieret exiguus, neque parentes ipsi, sed patrini, qui nequaquam semper eiusdem sexus fuerunt atque baptizandi, e sacro fonte infantes levarent. Inde vero factum est ut christiani, quamvis lex scripta nondum existeret, propter *consuetudinem* laudabilem a matrimoniis inter personas spirituali cognatione coniunctas abhorrerent [14].

Prima lex scripta, qua matrimonium inter *susceptores* et *baptizatum* prohibebatur, *incidenter* lata est 30 oct. a. 530 — L. 26. Cod. de nupt. V, 4, — ab imperatore Iustiniano. Quam prohibitionem, utut a potestate civili datam, aegre non tulit Ecclesia, cum imperator rem *novam non* constituisset, sed potius *confirmasset consuetudinem iam receptam* et disciplinae canonicae summopere conformem. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 10, n. 6; *Gasparri*, I, n. 751; *Scherer*, § 117, not. 1. Quare Concilium Trullanum (a. 692) c. 53, non solum legem imperatoris de cognatione spirituali sollemniter canonizavit, sed etiam *extendit* ad prohibitionem matrimonii inter *patrinum* et *matrem* baptizati.

In Ecclesia quoque Occidentali cognatio spiritualis iam saeculo sexto reperitur; at prima vice c. 4 Concilii romani (a. 721) de impedimento matrimonii proveniente ex cognatione spirituali hisce verbis datur lex: « *si quis commatrem spiritualem duxerit in coniugium, anathema sit* ».

[11] *Laurin*, l. c.
[12] *Freisen*, 508.
[13] *Laurin*, l. c., XV, 220 sq.; c. 79, D. IV, de consecr.
[14] *Laurin*, l. c., 220 sq.; *Freisen*, 508 sq.; *Esmein*, l. c., 362 sq.

Prohibitio hoc canone contenta saeculo octavo et nono in Conciliis [15], in rescriptis RR. Pontificum [16], in libris paenitentialibus [17] et in legibus civilibus [18] non tantum fuit *repetita*, sed etiam *extensa* [19]. Ex ipsis epistolis S. Bonifatii, quibus, a. 731, a nonnullis Praelatis *Angliae* de impedimento cognationis spiritualis petit informationes, satis manifestum est *Romae* atque in *Gallia* inter francos hoc impedimentum iam fuisse receptum; at in Anglia et in regionibus missionum S. Bonifatii praxis videtur fuisse contraria; aliter ignorantia et admiratio sancti viri de disciplina romanorum et francorum explicari nequit, contra quam miro illo argumento usus est, quod, cum omnes fideles sint fratres et sorores in Christo, consequenter omnia matrimonia essent prohibenda [20].

Quod ius antiquis canonibus de cognatione spirituali constitutum in Decretum *Gratiani* est translatum; at non pauca *dubia* et *controversiae* de vi et ambitu huius impedimenti non nisi paulatim soluta et extricata sunt [21].

Qua in re ut RR. Pontifices in dirimendis controversiis etiam *consuetudini* suam vim non negarunt [22], ita alia dubia authenticis interpretationibus resolverunt. Quod factum est tum in capitibus compilationis Gregorii IX, [23] tum [24] a Bonifatio VIII in Sext.

Primis Ecclesiae saeculis, cum baptismus et confirmatio *simul administrarentur*, patrini baptismi a patrinis confirmationis non fuerunt distincti. Quare de cognatione spirituali et impedimento matrimonii ex *confirmatione* proveniente leges speciales illo tempore non extiterunt [25]. Postquam utrumque sacramentum *diversis temporibus* administrari coeptum est, alii quoque patrini

[15] Cfr. c. 5 Concil. roman. (d. 743) sub Zacharia Papa.
[16] Epistol. Zachariae Pap. ad Episc. Gall. (a. 747).
[17] Paenitentiale Casinense (circ. a. 700-750) c. 24, 25; *Schmitz*, 391, 404 sq.; *Freisen*, 513 sq.
[18] Edict. Luitprandi, regis longobard. (a. 723) c. 32, 34; Capit. Pippini (a. 754) c. 1.
[19] Cfr. c. 1, C. XXX, q. 1 (Nicol. M.); *Freisen*, 509 sq.; *Milas*, D. Kirchenr. d. morg. K., 534 sq.
[20] *Schmitz*, l. c., 405 sq.; *Freisen*, 510 sq.
[21] Cfr. c. 2 (Zacharias (?) ad Ep. Ticin. d. 741-752), 3 (cap. incert.), 4 (Urb. II, a. 1088-1099), 5 (Paschal II, a. 1096-1118), 7 (c. 48, Conc. Tribur. a. 895) C. XXX, q. 3; c. 1, (Nicol. M.? ad Ep. Constant. inter a. 858-867), 2 (Pseudo-Chalced.), 3 (Pseudo-Innoc.), 4 (c. 47, Conc. Tribur. a. 895), 5 (Paschal. II), 6 (*Urban. II*) C. XXX, q. 4; *Laurin*, l. c., 226.
[22] Cap. 1, 3, X, h. l.; *Freisen*, 529 sq.
[23] Cap. 5, 6, 4, 2, 8, X, h. t.; *Laurin*, l. c., 252 sq.
[24] Cap. 1, 2, 3, h. t. in Sext.; *Laurin*, l. c. 258 sq.
[25] *Laurin*, l. c., 200 sq., 239, 253, 259 sq.; *Freisen*, 533 sq.

in baptismo, alii in confirmatione fuerunt adhibendi. Qui patrini confirmationis, cum pariter contraherent cognationem spiritualem, etiam quoad *impedimentum matrimonii* patrinis baptismi aequiparati fuerunt. De *distincta* illa administratione sacramenti baptismi et confirmationis [26] et de *impedimento* contracto ex confirmatione prima vice canones reperiuntur saeculo octavo et nono [27]. Cum insuper etiam ex *catechismo* [28] et ex sacramento paenitentiae [29] orta esset cognatio quaedam spiritualis, non obstanti-

[26] Cfr. c. 100, D. IV, de consecr.

[27] Cfr. cap. 1 Synod. gener. in reg. Franc. (a. 752?) et *Hefele*, III, 591: c. 15 Conc. Comp. (a. 757); c. 4 Conc. Cabill. (a. 813); c. 55 Conc. Mogunt. (a. 813); epist. Nicol. M. scr. a. 864. Cfr. c. 2, 4, 6, C. XXX, q. 4.

[28] Cfr. c. 3, XXX, q. 4; c. 1, C. XXX, q. 1. Controversiam inter doctores agitatam, utrum *catechismus* constituat impedimentum *dirimens* an tantum *impediens* (cfr. *Roland.*, l. c., *Bernard Pap.*, l. c., 159, 296; *Tancred.*, l. c., 37) iam Clemens III (a. 1187-1191), cap. 5, X, h. t. « *vix* » admittens ullum impedimentum (mere impediens) potius in favorem sententiae *negantis* impedimentum *dirimens* satis clare diremit. Quae negans sententia *Tancredi*, etiam a *Goffredo de Trano*, l. c. h. t. n. 4, propugnata tandem manifesta et authentica cap. 5, X, h. t. declaratione Bonifatii VIII, cap. 2, h. t. in Sext. est confirmata. Cfr. *Laurin*, l. c., 239 sq., 258 sq.; *Freisen*, 534 sq.; *Scherer*, 315, not. 17, ubi interpretationem vocabuli « *vix* » secundum *grammaticam latinam a Bonifatio VIII*, factam appellat « *plus quam artificialem* ».

[29] Dict. Grat. ad. c. 7, C. XXX, q. 1. Cognatio illa spiritualis ex paenitentia, quam Gratianus c. 8, 9, 10, l. c. probat, tantum exstitit inter sacerdotem ministrum sacramenti et filiam paenitentialem. Cfr. *Franz Gillmann*, Das Ehehindernis der geistlichen Verwandtschaft aus der Busse, Mainz 1910, et Archiv. f. k. K., XC, 236.

Quare cognatio illa spiritualis, propter impedimentum ordinis sacri iam statutum, potius fuit nova causa fornicationis qualificatae inter confessarium et filiam spiritualem, non specialis et practici cuiusdam impedimenti matrimonii Cfr. supra h. cap. not. 5; *Laurin*, l. c., 241 sp., 260; paulo aliter *Freisen*, 537, qui propter inconcinnas assertiones nonnullorum Glossatorum pro illo tempore admittit aliquod impedimentum matrimonii ex paenitentia etiam a *laicis* administrata.

Multo minus cum *Schnitzer*, 423, not. 1, asseri potest, secundum probationes a *Freisen*, l. c. datas, antiquo tempore saepe receptam fuisse illam opinionem, quod in extrema necessitate etiam *laicus* possit *valide* absolvere. At omnes *tres* textus ex antiquis Glossatoribus unice a *Freisen* allati, cum non agant de *sacramentali absolutione*, ex sese plane nihil probant. Cfr. de praxi antiqua quandoque laico vel diacono peccata confitendi atque de locutionibus nonnunquam ambiguis circa vim confessionis laicis factae et absolutionis a laicis datae: *Laurain*, De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence, Paris 1897; *Königer*, Die Beicht nach Cäsarius von Heisterbach, München 1906: Veröffentlichungen aus dem kirchenhist. Seminar München, II, 10, *Gillmann*, Zur Frage der Laienbeicht:

bus limitationibus factis per Bonifatium VIII [30], numerus impedimentorum ex cognatione spirituali nimis est multiplicatus [31]. Etenim si cap. 51 Concilii Pragensis (a. 1355) recensentur *viginti* casus cognationis spiritualis in iure statuti, aucta est difficultas ex illo abusu quatuor vel quinque vel plures adhibendi patrinos. Concilium Tridentinum, omissa omnimoda abrogatione huius impedimenti, ut malo isti ex nimis extensa cognatione spirituali medelam afferret, Sess. XXIV, cap. 2, de ref. matr., ius antiquum correxit et cognationis spiritualis impedimentum ex catechismo et fraternitate et affinitate spirituali abrogavit. Quod decretum Tridentinum una cum citatis authenticis declarationibus S. Pii V et SS. CC. constituebat ius ante Codicem vigens. Postquam iam in Concilio Tridentino perfectior limitatio huius impedimenti petita, sed ob exceptiones hibernorum non impetrata fuit [32], denuo in Concilio Vaticano a non paucis Episcopis postulata proposita sunt, ut cognatio spiritualis ex catalogo impedimentorum dirimentium omnino eliminaretur, « *nisi forte inter baptizatam et patrinum* » [33]. Quibus postulatis Codex saltem ea ratione satisfecit valde restringendo impedimentum.

§ 1. De origine et ambitu impedimenti cognationis spiritualis

391. Cognatio spiritualis, cum non inducat vinculum quoddam naturale, sed mere ecclesiasticum [34], solo iure *humano* Ecclesiae obtinuit vim irritandi matrimonia inter personas tali vinculo spirituali obstrictas, ut patet ex ipsa *varietate* disciplinae ecclesiasticae [35].

Quemadmodum enim reverentia, quam parentes et filii sibi

Der Katholik, Mainz (1909) 435. *Pesch*, Praelect. dogmat. VII, n. 415, 416; *Leitner*, 266, not. 9, ubi per transennam etiam solide demonstrat falso a nonnullis scriptoribus defendi S. Albertum M. laicis in casu necessitatis vindicare habilitatem dandi *sacramentalem absolutionem*. Cfr. quoque *Galtier*, De Paenit., n. 513 sq.

[30] Cap. 3, h. t. in Sext.

[31] *Laurin*, l. c., 261 sq. At inter ipsos varios patrinos, haud raro adhibitos, non fuit admissa cognatio spiritualis. Cfr. *Gillmann*, in Arch. f. k. K. LXXXVI, 688 sq., 703, LXXXVIII, 556.

[32] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic., 162 sq.

[33] *Martin*, l. c., 162, 183, 190. Cfr. quoque Katholik (a. 1872), II, 224 sq.; *Pallavicin.*, Hist. Conc. Trid. lib. XXIII, cap. 9; *Laurin*, l. c., 263 sq.

[34] *Sánchez*, lib. VII, disp. 60, n. 7; *Van de Burgt*, 52 sq.

[35] *Sánchez*, l. c. disp. 54, n. 2; *Schmalzgr.*, h. t. n. 2, 28 sq., 32 sq.; *Scherer*, 318, not. 31; *Rosset*, n. 1838.

mutuo debent, coniunctioni maritali obstat, ita *similis* reverentia ex nativitate spirituali orta, at interdum exaggerata, Ecclesiam induxit, ut propter illam matrimonium [36] prohiberet.

Quod impedimentum cognationis spiritualis iam non contrahitur nisi ex baptismo, licet ipsa cognatio spiritualis inter patrinum et confirmatum etiam ex sacr. confirmationis oriatur (c. 797), quae tamen ex iure non obtinet vim irritandi matrimonii. Ceterum praeter casum extraordinarium, in quo aliud postulet rationabilis causa, etiam inde non habet locum impedimentum, quod *ordinarie* ex praescripto iuris patrinus in confirmatione debet esse eiusdem sexus ac confirmandus.

392. Scholion. In Ecclesia *Orientali catholica*, quamvis diversi ritus conveniant in admittendo impedimento cognationis spiritualis, tamen quoad *ambitum* huius impedimenti non levis existit differentia. Sane maronitae, italo-graeci, rutheni et syri [37] sequuntur in hac re disciplinam a Concilio Tridentino constitutam. At in Concil. provinc. Alba-Iul. (a. 1872), 96, haec statuuntur: « *Cognatio spiritualis a baptismo proveniens impedimentum dirimens constituit in linea recta, inter baptizantem baptizatique parentes, inter patrinos et filios spirituales* (*primus gradus*), *inter patrinos atque parentes aut filios susceptorum, nec non inter patrinorum filios ac susceptos* (*secundus gradus*), *inter patrinorum filios ac susceptorum filios* (*tertius gradus*) ». *Papp-Szilagyi*, Enchiridion § 111, eandem differentiam admittit atque explicat. Cfr. quoque *Mansella*, 44 sq.; *Milas*, l. c., 534 sq. de simili extensione huius impedimenti apud schismaticos orientales.

§ II. De condicionibus requisitis ad contrahendam cognationem spiritualem

393. Illae condiciones spectandae sunt ex parte baptismi, ex parte ministri baptizantis et ex parte patrini.

I. Ex parte ipsius baptismi:

a) Ad inducendam cognationem spiritualem, quae constituat impedimentum dirimens matrimonii omnino requiritur vera *validaque* sacramenti collatio [38]. Quare *ex caeremoniis* sacramentalibus *suppletis* vel ex *invalido baptismo* [39] cognatio spiritualis nullo modo contrahitur. Cuius principii practica applicatio habetur in casu quo *valor baptismi* propter rationes utrinque solide probabiles sit vere *dubius* ideoque *sub condicione* iterandus. Curandum quidem est ut utraque vice idem patrinus adhibeatur, quod si fiat certe patrinus cognationem et impedimentum contrahit; tunc enim *certum* est patrinum vere talem fuisse in baptismo *valide* collato, cum validus sit aut prior baptismus aut iteratus (c. 763 § 2).

Quod si hoc non fiat et diversus patrinus in baptismo et in eius condicionata iteratione adhibeatur, « *neque* patrinus qui priori baptismo adfuit, *neque* qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit »: hoc autem tum quoque procedit, cum serius certo et indubitanter constiterit aut primum aut alterum baptismum validum fuisse; nam ipsum ius ab impedimento patrinum liberat nec illa immunitas deducitur per argumentationem interpretativam [40].

b) Baptismus *sollemnis* non requiritur, sed *privatus* sufficit, ut inducatur impedimentum cognationis spiritualis, non solum inter baptizantem et baptizatum, quod iam in praecedente iure tenebat communis sententia [41], sed etiam inter baptizatum et patrinum, de quo acris erat controversia [42].

---

[36] *Sánchez*, l. c. n. 3; *Schmalzgr.*, h. t. n. 3; *Laurin*, l. c., 216 sq.

[37] Synod. Mont. Liban. (a. 1736), et Syn. provinc. Ruthen. (a. 1720), in Collect. Lacens. II, col. 119, 127, 163; Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » § 8, n. 6; Synod. Sciarf. syror. (a. 1888), 110.

[38] R. I. 52, in Sext.; S. C. C., 13 apr. 1669, 2 octob. 1687; S. C. de Prop. F. 6 aug. 1840, et S. C. Inq. 22 iun. 1892, (de caeremoniis mere accidentalibus in confirmatione); *Sánchez*, l. VII, disp. 62, n. 5; *Schmalzgr.*, h. t. n. 40; *Laurin*, l. c., 268 sq.; *Gasparri*, I, n. 754.

[39] C. 762, § 2; ex quo canone simul constat in supplendis baptismi caeremoniis per se adhibendum esse patrinum, si in administratione privata baptismi non fuisset adhibitus, exclusa tamen cognatione spirituali. Cfr. de iure praecedente, S. C. C., 16 maii 1711, cum relat. in ed. *Richt.* C. Tr., 266, n. 106.

[40] Inde evanescit antiqua doctrina quae cognationem faciebat dependentem a certa notitia postea superveniente. Cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 489; *Ballerini-Palmieri*, n. 651; at *Rosset*, n. 1874 sq., iam affert graves rationes *contra* valorem. *Vlaming*, I, n. 375, scite animadvertit locutionem « cum baptismus iteratur sub condicione » comprehendere non solum veram iterationem condicionatam faciendam cum baptismus erat dubius *dubio iuris* ideoque vere *bis* conferebatur, sed etiam cum baptismus erat dubius *dubio facti*, cum hic quoque casus comprehenderetur in controversia ante Codicem existente et passim etiam in sermone iuridico adhibeatur ille modus loquendi de *condicionata iteratione*, cum quaestio est de dubio facti.

[41] Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 2, de ref. matr.; S. C. Inq., 18 decem. 1872; *Sánchez*, l. c. n. 9, 10; *Passerin.*, l. c. in cap. 1, h. tit. in Sext. n. 5; *Laurin*, l. c., 269; *Feije*, n. 413; *Gasparri*, I, n. 755.

[42] Inde a Dom. Soto († a. 1560), multi scriptores sententiae neganti adhaeserant, v. g. *Sánchez*, l. c. n. 13, 14, 15; *Passerin.*, l. c. n. 6; *S. Alphons.*, Theol. mor. l. VI, n. 149; *Giovine*, I, 385; *Lehmkuhl*, Theol.

394. II. Ex parte ministri: Minister baptismi, ut contrahat cognationem spiritualem, debet esse *baptizatus*.

Quare *infidelis*, si in casu necessitatis licite valideque administret baptismum, omnino non contrahit impedimentum cognationis spiritualis atque adeo illius contrahendae prorsus incapax est. Nam infidelis legibus Ecclesiae nondum subicitur; *cognatio* vero spiritualis, cum consistat in *relatione*, nequit oriri, nisi *utraque pars* legibus ecclesiasticis subdatur; deficiente igitur impedimento cognationis spiritualis in infideli, etiam deficit ex parte christianorum [43]. Immo ista cognatio spiritualis, quoniam nunquam exstitit, *non reviviscit*, si infidelis minister postea ipse baptismum recipiat [44].

395. Utrum quod dictum est de baptismo dubio ideoque sub condicione iterando respectu *patrini* sit etiam applicandum *ministro* baptizanti, ita ut hic perinde atque ille cognationem et

---

mor. II, n. 994; *Sebastianelli*, II, 92, ob rationes non satis solidas. Nam verba « *de sacro fonte* » levare (cfr. cap. 6, X, h. t. et Conc. Trid. l. c.) non designant unice baptismum *sollemnem*, sed ex se atque a S. C. C. in decisione particulari, 17 apr. 1603, etiam ipsi baptismo *privato* applicantur. Nec *susceptio* baptizati erat mera baptismi caeremonia, sed munus seu officium fideiussoris, cuius adhibitio in baptismo privato non erat ratio cur deberet excludi. Hinc iam ante Codicem omnino standum erat decisioni magistrali S. C. C., 5 mart. 1678, in qua universa controversia *ex professo* fuit discussa et per interpretationem *mere comprehensivam, non extensivam*, dirempta, ut ex recentioribus scriptoribus recte tenebant: *Wernz*, l. c. not. 48; *Santi*, h. t. n. 9; *De Angelis*, h. t. n. 5; *Laurin*, l. c., 384 sq.; *Leitner*, 255 sq.; *Rosset*, n. 1862 sq.; *Scherer*, 318 sq.; *Schnitzer*, 428. Cfr. Analect. iur. pont. VIII, 1708 sq. Insuper S. Offic., 15 sept. 1869, iam declaraverat circumstantiam *sacri fontis* non sufficere ad constituendam sollemnitatem baptismi, sed requiri ritus et caeremonias, quas Rituale Rom. memorat acceptas et approbatas ab apostolica et antiquissima traditione fuisse, et ad eius sollemnitatem pertinere. Cfr. Collect. S. C. de P. F. II, n. 1347. Ceterum iure Cod. id factum esse omnino certum manifeste constat ex c. 762 § 2, quo solus excipitur casus patrini adhibiti in supplendis caeremoniis. *Vlaming*, I, n. 377; *Chelodi*, n. 106; *Cappello*, I, n. 560. Aliter *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 50, ubi asseritur quaestionem esse a Codice in medio relictam. Etiam *Ferreres*, l. c., n. 634, not. 2, non videtur habere rem ut undequaque certam.

[43] *Sánchez*, l. VII, disp. 60, n. 3 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 29; *Rosset*, n. 1852; *Leitner*, 254; *Scherer*, 318; *Gasparri*, I, 762, 3, qui insuper recte docet legem *civilem* esse invalidam, si velit statuere *cognationem spiritualem* inter ministrum *infidelem* baptismi et baptizatum; deest enim competentia in legislatore civili tum ratione causae, i. e. cognationis spiritualis, tum ratione unius saltem subiecti, i. e. baptizati (cfr. *Sánchez*, l. c., n. 12, 14).

[44] R. I. 16, in Sext.; *Sánchez*, l. c. n. 11, 15; *Schmalzgr.*, h. t. n. 30; aliter, sed falso, Glossa ad c. 102, D. IV, de consecr. Cfr. *Freisen*, 554.

impedimentum non contrahat sive in prima collatione sive in condicionata iteratione, nisi in casu quo fuerit idem minister utriusque collationis, controvertitur inter novi iuris interpretes. Nonnulli [45] negant posse applicari ministro quod dictum est de patrino, sed, silente Codice de ministro, huic applicandum esse ius praecedens; ideoque purgato dubio cognationem et impedimentum contrahi a ministro validae collationis, dubio non purgato, uterque minister sit dispensandus ab impedimento dubio *dubio facti* ad normam c. 15. Fatendum est hanc interpretationem in se valde probabilem esse; illi tamen accedere non ausim. Nam valde mirum esset legislatorem agnovisse paternitatem spiritualem in ministro dubii baptismi, dependentem ex facto scientiae acquisitae de eius valore, quam abrogavit in patrino. *Minister* et *patrinus* sunt cum *baptizato* in eadem relatione *paternitatis spiritualis*; ergo aut in neutro est admittenda aut in utroque: quodsi minister est *pater spiritualis primarius*, patrinus *secundarius*, in ordine ad finem Ecclesiae est maioris momenti paternitas in secundo quam in primo, quia *patrino non ministro* imponitur obligatio c. 769.

Aliunde satis clare hic videtur obtinere c. 22 de lege posteriori totam de integro ordinante legis prioris materiam, quae priori legi obrogat [46]; praesertim cum nova ordinatio valde restrinxerit impedimentum.

396. III. Ex parte patrini:

Codex, c. 765, condiciones enumerat sequentes ad hoc ut quis *valide* munus patrini obire valeat, canone vero 766 enumerantur condiciones necessariae ad hoc ut personae habiles de iure *licite* possint admitti ad exercitium eiusdem iuris.

Iam vero ut contrahatur cognatio et impedimentum opus est ut valide munus patrini obeatur; ad hoc autem necessarium est:

1°) *Ex parte personae*: *a*) ut sit baptizata; hinc si *infideles perperam* fuerint adhibiti, hoc impedimento non ligantur, etiamsi postea ipsi baptismum suscipiant [47];

---

[45] Ita *Chelodi*, l. c.; *Vlaming*, I, n. 376; *De Smet*, n. 639.

[46] Ita etiam *Cappello*, I, n. 558, 3°. Rationes in textu allegatae *ipsum ius* de cognatione et impedimento videntur reddere dubium, ideoque in praxi non urgendum, nec proinde potest dici quod agatur de mero *dubio facti*, ut vult *Vlaming*, l. c. Ceterum cum minister baptismi sollemnis sit Episcopus vel presbyter vel extraordinarie diaconus, practice non agitur nisi de baptismo *privato*, qui forte a matre vel patre, levatrice, medico similibusque personis *in necessitate* fuit collatus, quorum opera, in necessitate pro aeterna salute praestita, difficulter concipitur in iure Codicis inferre sequelam inhabilitandi ad matrimonium.

[47] *Sánchez*, l. c. n. 3 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 28 sq.; *Passerin.*, l. c. in

b) ut rationis usum sit assecuta; *c*) ut nulli sectae haereticae aut schismaticae sit adscripta, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicata aut infamis infamia iuris aut exclusa ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus aut degradatus; *d*) ut non sit pater, vel mater aut coniux baptizandi; *e*) tandem ut sit legitime designata [48].

2°) *Ius designandi patrinos* ex c. 765, 4° pertinet: *a*) ad ipsum baptizandum, si videlicet est adultus, i. e. in maiore aetate aut saltem in decimo quarto aetatis anno constitutus [49]; *b*) ad parentes vel tutores; si ii negligant, ministri baptizantis est supplere omissionem, ad quem praeterea pertinet repellere non solum personas *inhabiles*, sed eas etiam qui *illicite* ex c. 766 patrini munere fungerentur. Quodsi designati ab iis ad quos spectat repulsi fuerint ut *inhabiles*, profecto, inhabilitate reapse existente, veri patrini non sunt nec cognationem et impedimentum contrahunt: sin autem fuerint reiecti, quia *illicite* admittuntur et nihilominus contra reiectionem a ministro factam ea quae ad susceptorum munus pertinent praestiterint, in tali casu, cum *iusta* sit reiectio, non videntur esse rite seu legitime designati et ab Ecclesia acceptati ideoque nec cognationem nec impedimentum contrahere [50]. Tandem si legitime designati ad munus patrini *iniuste*

---

cap. 1, h. t. in Sext. n. 4; *Scherer*, 318, not. 40; paulo aliter iure praeced.: *Rosset*, n. 1858 sq.; Glossa ad c. 102, D. IV, de consecr. et ad c. 1, C. XXX, q. 1. Cfr. quoque *Freisen*, l. c.

[48] Condiciones hoc canone 765 requisitas pertinere ad valórem merito cum *Vlaming*, I, n. 380, infertur tum ex ipso exordio « ut quis sit patrinus » quod iam in se indicat habilitatem, non mere facultatem, licite habendi munus, tum praesertim ex collatione cum sequenti c. 766, ubi recensentur condiciones ad liceitatem, tum demum ex c. 767, qui supponit antea propositas esse condiciones requisitas *ad valorem*.

[49] Haec aetas videtur requirenda ex collatione cum can. 1648 § 3. Cfr. *Vlaming*, I, n. 382. Cfr. Instr. S. C. de P. F. a. 1774, et iura particularia in Collect. Lac. V, col. 492, 499, 490.

[50] Ita iam iure praecedente: *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 491, not. 58, cum *Sánchez*, l. VII, disp. 67, n. 15 sq., 13 sq.; *Feije*, n. 419, i. f.; *Rosset*, n. 1851, quibus contradixit *Scherer*, 319, not. 47, non distinguens inter iustam et iniustam recusationem. Ita etiam iure Codicis *Chelodi*, n. 106. Aliter *Cappello*, I, n. 562, i. f. et *Vlaming*, I, n. 382. Certe parochus vel Episcopus per suam reiectionem personam *indignam* ex c. 766 non potest reddere *inhabilem* ad munus patrini, si habeat condiciones requisitas c. 765; at illegitima *indigni* designatio — quae designatio est necessaria ad valorem — postquam, ut debet, a parocho vel Episcopo fuerit reiecta, non amplius est designatio iuridico valore praedita; sicut clericus ceteroqui non inhabilis ad beneficium, si fuerit praesentatus et praesentatio fuerit *iuste* reiecta, utpote facta de clerico certe *indigno*, non amplius re-

reiecti fuerint et nihilominus suo officio functi fuerint, videtur dicendum in tali casu ab ipsis contrahi cognationem et impedimentum, quemadmodum iam iure praecedente admittebatur, nec iniusta repulsio debet habere iuridicum effectum [51].

Novo autem iure iam certo constat, eos, qui *non designati* sponte infantem tenent, itemque eos, qui *ultra designatos* sese obtrudunt, nec cognationem nec impedimentum contrahere.

Relate ad *numerum* patrinorum, ex c. 764 *unus* tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum *unus* et *una* adhibendi sunt; cum tamen memoratus canon clausula irritante careat, si de facto plures designentur et officium exerceant omnes impedimentum contrahunt.

397. Ex parte *muneris* in patrinis vel matrinis ad contrahendam cognationem spiritualem sequentia sunt necessaria:

I. Officium *scienter* et *deliberate* suscipi debet cum *intentione* obeundi munus *patrini* vel *matrinae*, non meri *testis* honorarii [52] aut iuvandi per modum famulatus. Hinc si quis *usu rationis* careret aut non nisi *vi* et *metu* ad officium suscipientis

---

tinet ius sibi quaesitum ex praesentatione, quae facta reiectione valore iuridico destituitur, nec tamen inde Episcopus clericum de iure communi *habilem* ad beneficium reddit *inhabilem*. Cfr. quoque *Ferreres*, l. c. n. 634, qui rem proponit ut dubiam.

[51] Ut iam recte *Wernz* l. c. in nota praecedente advertebat, licet *designatio* sit necessaria ad valorem, admissio digni per parochum vel Episcopum nullibi ponitur ut condicio ad valorem requisita.

[52] S. C. C., 5 mart. 1597; S. C. Inq., ian. 1763, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 447: « *Il missionario pertanto, quando non possa schivare l'intervento dell'eretico dovrà prima dichiarare con esplicita designazione che il cattolico fa unicamente l'ufficio di patrino, onde l'altro venga ad essere presente* **tanquam testis, non tanquam patrinus,** *e procurerà, che nei registri dei battezzati si noti in coerenza la sola presenza del patrino cattolico* »; Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865), in Collect. Lac. V, col. 815 sq.: « *Si indignus inopinato se praesentet* (ut patrinus in baptismo), *sacerdos ipsi honesto modo significet legem Ecclesiae non permittere ut admittatur, ipsum vero coram aliis nullatenus obiurget, quin immo facile permittat ut ceu* **testis assistat,** *et ne in aliud tempus baptismo dilato infans exponatur periculo sine eo decedendi, absque ullo etiam susceptore, baptizet* ». Cfr. Instr. S. C. Inq., 9 dec. 1745, in cit. Collect. n. 604, iunct. n. 618, 1825, 1863; S. C. Inq., 3 mai 1893, in ASS. XXVI, 448; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899), n. 505. Quare sententia antiquorum et recentiorum doctorum (cfr. *Schnitzer*, l. c., 425, not. 2), qui putarunt haereticos in baptismo catholico admitti *tanquam patrinos*, opinionibus improbabilibus et obsoletis est adnumeranda; nam ex cit. decr. S. C. Inq. 3 maii 1893, id omnino prohibitum est, atque baptismus potius conferri debebat sine patrino quam cum patrino haeretico. Cfr. *Leitner*, 259 sq.

absolute cogeretur, aut substantialiter *erraret* quoad personam suscipiendam, aut sine *animo* exercendi munus patrini tantum materialiter maioris commoditatis causa infantem teneret, cognationem spiritualem non contraheret [53]. Quodsi patrinus vel matrina omnia praestiterit, quae ad officium suum rite exercendum sunt praescripta *ipso facto ex iuris dispositione* cognatio spiritualis oritur. Porro sicut intentio illam contrahendi non est necessaria, ita *intentione contraria* suscipientium *iuris dispositio* nequit impediri [54].

II. *Eo modo* suscipientes munere suo fungantur necesse est, qui conformis sit verbis legum ecclesiasticarum. Quare cum patrini vel matrinae in fontibus iuris dicantur *accipere* vel *suscipere* vel *tenere* vel *levare, vero tactu physico* baptizatum in administratione sacramenti tenere debent; secus cognationem spiritualem, *licet* legitime a parentibus fuerint *designati*, non contrahunt [55]. Si suscipientes per *procuratores* [56] officium suum

---

[53] *De Angelis*, h. tit. n. 3; *Rosset*, n. 1849.

[54] S. C. Inq., 15 sept. 1869; *Sánchez*, l. VII, disp. 58, n. 4 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 36.

[55] Conc. Trid. l. c.; Rit. Rom. et Pontif. Rom. l. c.; *Sánchez*, l. VII, disp. 56, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 38; *Fagnan.*, in cap. 3, X, h. t. n. 2 et in cap. 4, X, h. t. n. 4 sq., 10 sq.; *Feije*, n. 418; *Rosset*, n. 1881 sq. Quae cognatio spiritualis non contrahitur, si *verus contactus physicus* omnino desit solisque verbis vel signis aequivalentibus suppletur, unde de suscepto munere patrini *moraliter* constet. Cfr. S. C. de Prop. F., 21 ian. 1856, cum aliis antiquioribus resp. S. C. C.; *Rosset*, n. 1885; *Leitner*, 257, aliique communiter contra paucos. Qui physicus contactus *immediate in pelle* baptizandi non est necessarius, sed mediantibus vestibus fieri potest. Porro quamvis tutius sit ut baptizandi physice tangantur a patrinis saltem per manum vel extremitates digitorum **in ipso actu** administrationis baptismi (cfr. S. C. C., 17 apr. 1603 et 18 dec. 1668 et S. C. de Prop. F., 21 ian. 1856), tamen id absolute non requiritur; nam ex resp. S. C. C., 20 dec. 1653, cognatio spiritualis ab eo contrahitur, qui in patrinum designatus infantem baptizatum de manu sacerdotis qui baptizaverat, — saltem immediate et in continenti — recepit, licet in actu baptismi eundem non tetigerit. Quodsi decisio S. C. C., 18 dec. 1668, v. g. a *Giraldi, De Angelis, Rosset*, n. 1883, allegetur, ut inde demonstretur etiam *mediatam* susceptionem infantis baptizati e manu obstetricis vel (alterius) patrini vel matrinae sufficere, adhibetur inefficax, argumentum; nam ex specie facti illius causae patet patrinum revera infantem e manibus obstetricis acceptum postea *actu in baptismo* tenuisse. Cfr. *Feije*, n. 418; *Leitner*, 257. Quare talis receptio *mediata* — nisi forte speciales circumstantiae concurrant ad unionem moralem actuum — haud sine ratione non habetur causa *omnino* certa ad contrahendam cognationem spiritualem. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. VI, n. 51, cum De Iustis. Leitner. — Magis fundata est illa sententia, quae docet cum Corrado et De Iustis sufficere ut susceptor *immediate* ante baptismum teneat infantem atque sacerdoti ad baptismum *offerat;* nam praeter rationem intrinsecam et paritatem cum contactu immediate post baptismum admisso in favorem huius sententiae militat declar. S. C. C., 27 sept. 1601, a Barbosa citata. Cfr. *Feije*, l. c.

Ad contrahendam cognationem spiritualem omnino non requiritur, ut patrinus in baptismo respondeat pro infante ad interrogationes; illae enim responsiones et fideiussiones spectant ad « *catechismum* », non ad baptismum. Cfr. *Sánchez*, l. c. n. 7 sq.; *Laurin*, l. c. XV, 270 sq.; *Rosset*, n. 1882. In confirmatione iuxta Pontificale Rom.: « *Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris* »; pro adultis vero loco incommodi ritus Pont. Rom., S. R. C. 20 sept. 1749, ad 6, declaravit sufficere ut patrinus post filiolum stet, et dum Pontifex confirmat, *manum dextram* super humerum dextrum confirmandi constanter teneat.

obeant, profecto requiritur ut ii baptizatum *physice* tangant; at eo in casu certissime *mandantes, non procuratores,* ligantur impedimento cognationis spiritualis, dummodo sint *veri* mandantes [57]. Quare cum fideles absentes, qui officium patrini sibi delatum penitus ignorant neque suo consensu acceptant, veri mandantes non sint, etiam ipsi cognationem spiritualem non contrahunt, licet postea re cognita ratam habeant designationem ad munus patrini de se factam et interventionem alterius personae tanquam sui procuratoris [58].

Scholion. Multiplex impedimentum iure Codicis dari non potest, cum abolitum sit impedimentum ex confirmatione et compaternitas ratione ipsius baptismi, nisi forte circa eandem personam ipse minister per procuratorem patrini munus obeat [59].

---

[56] Si *Episcopus* confirmans patrini officium erga confirmandum aliquo in casu assumere vellet, huiusmodi munus gerere deberet per *procuratorem*. Cfr. S. R. C., 14 iun. 1873. (Auth. Decr., n. 3305, ad 3); Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 517. Quae norma etiam baptismo videtur esse applicanda, si presbyter baptizans casu quodam singulari simul fungeretur officio patrini.

[57] S. C. C. in c. Nullius, 15 mart. 1631 et c. Theat., 13 sept. 1721, (in ed. *Richt.* C. Tr., 266, n. 105) et in c. Nucerina, 11 iun. 1881, (in ASS. XIV, 411 sq., ubi in casu quodam nunc valde raro matrimonium propter impedimentum cognationis spiritualis declaratum est invalidum); *Sánchez*, l. VII, disp. 59, n. 1 sq.; *Esmein*, I, 401 sq.

[58] *Leitner*, 256; Arch. f. k. K., LXXXIII, 124 sq.

[59] Quae tamen facultas cumulandi munus patrini et ministri, deducta per argumentationem ex responso pro confirmatione dato, non videtur esse undequaque certa.

Iure praecedente impedimentum erat multiplex in triplici casu: 1°) si quis eandem alterius prolem in baptismo et in confirmatione susciperet; 2°) si quis eiusdem personae unum filium de fonte levaret, alterum in confirmatione teneret; 3°) si alter alterius in baptismo aut in confirmatione prolem vicissim susceperat. At per susceptionem plurium

§ III. Cessatio et dispensatio impedimenti

398. Cognatio spiritualis inducit vinculum quoddam iuridicum perpetuum, ideoque etiam ut impedimentum dirimens matrimonii non cessat nisi per mortem unius ex personis inter quas existit relatio paternitatis et filiationis spiritualis [60].

Cum impedimentum *solo iure ecclesiastico* sit institutum *per dispensationem* tolli potest.

Quae dispensatio, postquam impedimentum cognationis spiritualis accensetur impedimentis *minoris gradus*, facilius super illo conceditur ex rationabilibus causis a S. Sede probatis. Hinc dispensatio in hoc impedimento valet perinde ac si ex motu proprio et ex certa scientia impertita sit nec ulli impugnationi sive obreptionis vitio sive subreptionis est obnoxia. Ordo servandus in S. Congregationibus: Normae peculiares 29 sept. 1908: AAS. I, 91 sq., quibus consonat c. 1042.

Nihil igitur mirum quod stante hac maiore facilitate, qua non parum antiqua severitas fuit relaxata, etiam in facultatibus quae nunc Ordinariis dantur a S. C. de d. Sacr. cum aliis impedimentis minoris gradus permittatur dispensatio etiam in hoc impedimento absque ulla limitatione [61].

399. Scholion I. Impedimentum cognationis spiritualis cum sit *iuris publici* ab unoquoque fideli et multo magis ex officio contra valorem matrimonii allegari potest. Quo in processu canonico, nunc satis raro agitato, *probationes* impedimenti imprimis desumendae sunt ex *libris authenticis* baptizatorum vel confirmatorum *legitime* allegatae. Quae allegationes ex documentis si dubiae maneant, aliis probationibus coadiuvandae sunt. At cum documenta authentica huius probationis praecipuum sint fundamentum, nunquam licet contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit ipsa esse vitiosa aut falsa [62].

Scholion II. Cognatio spiritualis *superveniens*, ex eo quod a patre vel matre propriae proli legitimae [63] collatus fuerit baptismus, qua impedimentum valde controversum ab usu matrimonii prohibens, non amplius est practici momenti, abolita iure Codicis compaternitate et qualibet poena consistente in privatione iuris petendi debitum [64].

Manet dumtaxat prohibitio parentibus facta ne propriam prolem baptizent, quae etiam in periculo mortis eius servanda est, si praesto sit alia persona (c. 742 § 3).

Scholion III. Codices civiles non admittunt impedimentum matrimonii ex cognatione spirituali; at interdum attendendi sunt in quaestionibus conexis; v. g. in Borussia, Bavaria, Hispania etc. libri paroeciales baptizatorum habentur regesta *publica;* immo in constitutione Bavariae *ius patrinorum* agnoscitur invigilandi religiosae infantium educationi. Cfr. Edikt über äusseren Rechtsverhältnisse in Beziehung auf Religion, 26 maii 1818, § 23.

---

filiorum eiusdem personae in eodem sacramento ex responso S. Offic. 29 apr. 1894, (ASS. XXVII, 314), spiritualis cognatio non augebatur.

[60] Iure praecedente etiam mortua persona, qua mediante fuerat contracta, non cessabat in aliis gradibus. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 8; *Giovine*, I, 383; *Feije*, n. 409.

[61] De antiqua severitate relate ad impedimentum inter baptizantem et baptizatum, cfr. *Ferreres*, Theologia mor. II, n. 1047.

[62] Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 29, 30; *Périès*, l. c., 145 sq.

[63] Alia erat quaestio magis practica in iure praecedente relate ad parentes illegitimos, qui cum nondum essent matrimonio iuncti, si unus eorum propriam prolem illegitimam baptizasset aut de sacro fonte levasset contrahebat cognationem spiritualem *antecedentem* cum altero parente, qua a nuptiis cum illo *valide* celebrandis arcebatur. Sed haec cognatio ministri vel patrini cum patre vel matre baptizati nunc est prorsus abolita.

[64] Antiquis temporibus ex iure particulari severior quaedam viguit disciplina quoad prohibitionem usus matrimonii ex supervenienti cognatione spirituali. Quae severitas, qua unus coniux coactus fuit ad vitam caelibem perpetuo servandam, potius degeneravit in laxismum et gravem violationem iuris divini de indissolubilitate matrimonii, quatenus alter coniux sibi vindicavit libertatem transeundi ad novas nuptias. Cfr. c. 15 Conc. Compend. (a. 757) = c. 2, C. XXX, q. 1, ubi de solutione vinculi nihil statuitur, ut recte notat *Freisen*, 550; at *Scherer*, 320, not. 48, ex illo canone *deducit* novum matrimonium fuisse permissum. Qui scriptor, l. c., etiam per meram conclusionem ex c. 3, C. XXX, q. 1, eruit Nicolaum M. in casu consensus utriusque coniugis in susceptionem decrevisse separationem coactam. Quodsi unus coniux *fraudulenter* egit, ut v. g. per munus patrini ab altero coniuge separaretur, merito *paenitentiam* subire debuit neque pravum suum finem consecutus est. Cfr. c. 4 (c. 31 Conc. Cabil. a. 813) c. 5 (c. 55 Mogunt. a. 813) c. 6 (Nicol. M. c. a. 858-867) C. XXX, q. 1; cap. 5, X, h. t.; *Schmitz*, Bussbuecher, 456 sq.

CAPUT XVIII

De impedimento dirimente cognationis legalis (remissive)

400. Notiones de cognatione legali orta ex adoptione iam traditae sunt in cap. IV, ubi explicatum est impedimentum *impediens* ex adoptione proveniens. Sicut c. 1059 legislator ecclesiasticus reddit illicitum matrimonium sua lege canonica, ubi illud prohibet lex civilis, propter adoptionem inter easdem personas quas comprehendit civilis prohibitio, ita relate ad irritationem matrimonii c. 1080 statuit: « *Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere* ».

Ante Codicem impedimentum dirimens cognationis legalis in illis locis vigebat, ubi leges de adoptione quoad substantialia conveniebant cum adoptione iuris Romani. *Canonizaverat* Ecclesia, ut dicitur, in hac parte ius Romanum; illud autem semel canonizatum arbitrio principum subtraxerat, quemadmodum fecerat cum aliis legibus vel institutis iuridicis romanis pro suo foro adoptatis. At novo et unico exemplo in recentiore legislatione ecclesiastica, ita adoptavit seu canonizavit legem civilem de impedimento sive impediente sive dirimente cognationis legalis, ut non solum elementa impedimenti eiusque ambitus sint desumenda ex codice civili nationis ad quam quisque pertinet, sed etiam mutato per legitimam reipublicae auctoritatem vel sublato iure civili, mutatur seu aufertur *impedimentum canonicum*; cuius tamen tota vis et obligatio formaliter provenit ex solo iure ecclesiastico relate ad matrimonia baptizatorum [1].

Huiusmodi constituendi impedimentum ratio congrua invenitur in eius natura speciali; fundatur enim in instituto iuridico-civili adoptionis: iam vero post abrogatam ubique iuris Romani observantiam substitutosque codices nationales, vix conveniens erat ut retineretur tanquam fundamentum impedimenti ius Romanum non amplius vigens, multo minus ius civile codicis determinatae nationis, quo vix fieri poterat ut haberetur *certa norma*.

---

[1] Perfecta paritas cum simili dispositione cc. 1508 et 1529, non datur, cum in illis sit quaestio de materia natura sua civili, hic autem versamur in materia sacramentaria.

Loca, in quibus impedimentum viget ut dirimens, iam enumerata sunt in cit. capite IV, ubi actum est de utroque impedimento impediente et dirimente.

CAPUT XIX

De dispensationibus impedimentorum matrimonialium

401. Fontes: Dist. 13 pr. dict. Grat.; c. 16, C. XXV, q. 1, cum sequente dicto Grat. — Cpl. I, cap. cleric. IV, 6; cap. 1, de consang. IV, 14; cpl. III, cap. 4, de cons. IV, 10. — Decretal. Greg. IX, cap. 13, X, (in parte historica et quaestione proposita in parte dispositiva v. « *Non potest* ») de rest. spoliat. II, 13, cum cap. 8, 9, X, de divort. IV, 19 [1]. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, 5, de ref. matr. — Instr. et decis. SS. CC. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1451 sq. et in ed. *Richt.* C. Trid., 271 sq.; Formulae Datar. Apost.; Praxis Dat. Apost.; Instr. *Card. Rauscher*, §§ 79 sq. [2]; Instr. Eystett., 360 sq.; Pii X Const. « *Sapienti consilio* » 29 iun. 1908: AAS. I, 7 sq. *Ordo servandus in Sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Curiae romanae,* 29 sept. 1908. AAS. I, 36 sq.

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. i. f. lib. IV, tit. 16; *Santi*, i. f. lib. IV, 207 sq. — *Aichner*, §§ 186 sq.; *Scherer*, §§ 132 sq. [3]; *Sánchez*, lib. VIII; *Feije*, n. 600 sq.; *Schulte*, §§ 40 sq.; *Mansella*, 162 sq.; *Gasparri*, I, 263 sq.; *Rosset*, n. 2323 sq.; *Schnitzer*, 497 sq.; *Leitner*, 401 sq. — *Pyrrhus-Corradus*, Praxis dispensation. apostolicar.: *De Iustis*, De dispensationibus matrimonial.; *Giovine*, l. c.; *Van de Burgt*, Tract. de dispens. matrimonial.; *Zitelli*, De dispensationib. matrimonial.; *Téphany*, « Traité des dispenses matrim. ». — *Thomassinus*, V. et nov. Eccl. disc. P. II, lib. 3, cap. 24 sq.; *Freisen*, 891 sq.; *Esmein*, II, 355 sq.; *Stiegler*, Dispensation. in Arch. f. k. K. LXXVII, 3 sq., *Zhishman*, 190 sq., 712 sq.; *Leo Mergentheim*, Die Quinquennalfakultäten pro foro externo, ihre Entstehung und Einführung in deutschen Bistümern, Stuttgart, 1908,

---

[1] Cum proprius quidam titulus de dispensationibus matrimonialibus in collectionibus authenticis non existat, illi tituli quoque sunt consulendi, in quibus generales quaestiones de dispensationibus super legibus ecclesiasticis resolvuntur. Cfr. lib. I, tit. 2, de constit., tit. 3, de rescript., tit. 29, de pot. et off. iud. deleg.; Decretal. Clem. P. VIII, ed. *Sentis*, 3 sq., 154 sq.

[2] Ut potestas civilis sibi vindicavit ius statuendi impedimenta etiam pro matrimoniis hominum baptizatorum, ita etiam consequenter sibi tribuit ius *dispensandi* super impedimentis a se constitutis. Cfr. cod. civil. Ital. art. 84, 87, Gall. art. 145, 164, Hispan. art. 85, Austr. § 83; *Schulte*, 571 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 151.

[3] Ex theolog. consuli possunt: *S. Alphons.*, l. c. lib. VI, n. 1118 sq.; *Gury-Ballerini*, l. c. II, n. 861 sq.; *Perrone*, II, 83 sq., *Palmieri*, De matrim. 294 sq. Neque negligendi sunt commentatores iur. Decretal. in lib. I, tit. 2, 3, aliique canonistae, ubi disputant de dispensationibus in genere, aut scriptores practici, v. g. *Ioder*, *Schneider* aliique.

iunct. *Vermeersch*, Periodica XI, (33) sq.; *Koning-Putzer*, Comment. in Facult. Apost.; *Chelodi*, n. 38 sq.; *De Smet*, n. 713 sq.; *Cappello*, I, n. 215 sq.; *Ferreres*, Derecho sacram. n. 469 sq.

Praenotiones

402. Conexio materiae. Postquam omnia impedimenta dirimentia et impedientia sunt proposita et explicata, *singulisque capitibus* breves subiunctae fuerunt animadversiones de *cessatione* et *dispensatione* pro natura uniuscuiusque impedimenti, *universa* et *generalis theoria* de cessatione et dispensatione impedimentorum matrimonialium in casibus particularibus [4] explanetur necesse est. Sunt impedimenta dirimentia et prohibentia sive iuris divini sive iuris ecclesiastici, quae tolluntur per *remotionem causae*, v. g. *ligamen* legitima vinculi solutione, quae habetur in morte vel sollemni professione vel privilegio Paulino, *disparitas religionis* conversione partis acatholicae, *votum* simplex castitatis *viri* religiosi haud raro legitima dimissione ex religione, *raptus* constituendo mulierem in loco tuto; sunt quae auferuntur per *lapsum temporis*, v. g. in impedimento aetatis; attamen *dispensatio est ordinarius* modus [5] auferendi in casibus particularibus vim legis irritantis vel prohibentis quoad *pleraque* [6] impedimenta matrimonialia. Quare ex professo de sola dispensatione proprie dicta [7] hoc loco est agendum.

403. Definitio. Dispensatio hoc loco generatim intelligitur

---

[4] De *generali abrogatione* vel *derogatione* legum irritantium vel prohibentium matrimonii attendendum est ius commune de abrogatione vel derogatione legum ecclesiasticarum in genere (cc. 22, 23), vel in specie de impedimentis matrimonialibus constitutum (cc. 1040, 1041).

[5] Existunt impedimenta, quae *uno* tantum ex istis *tribus* modis auferri possunt, v. g. impedimentum *ligaminis* per cessationem causae, impedimenta *consanguinitatis* iure humano definita per solam dispensationem, cum alia impedimenta compluribus modis ablationi sunt obnoxia, v. g. impedimentum *aetatis* lapsu *temporis* et *dispensatione*, disparitas *cultus* conversione partis acatholicae et dispensatione.

[6] Cum complura impedimenta certo nitantur absoluto iure naturali, v. g. impedimenta impotentiae, ligaminis, consanguinitatis in primo gradu lineae rectae, vera et proprie dicta dispensatio per potestatem humanam super iisdem concedi *nequit*.

[7] A dispensatione stricto sensu accepta, i. e. *legis* directa relaxatione, v. g. de cognatione spirituali, est distinguenda dispensatio sensu lato, i. e. solutio alicuius vinculi, unde consequenter lex cessat, v. g. de voto vel matrimonio rato. Cfr. *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VI, l. 6, cap. 9, n. 1 sq., 11 sq., 15 sq.; *Sánchez*, l. VIII, disp. 6, n. 2.

relaxatio impedimenti *matrimonialis*, quae si omnia elementa melius sint enuntianda, dici potest: Relaxatio legis irritantis vel prohibentis matrimonium a competente Superiore ecclesiastico ex iusta ratione in casu particulari de impedimento solubili legitime facta [8].

404. Divisio. Dividitur dispensatio matrimonialis:

I. In dispensationem ad matrimonium *contrahendum* et ad matrimonium invalide iam *contractum* postea *convalidandum*.

II. In dispensationem pro *foro externo* et pro *foro interno* sive *sacramentali* sive *non sacramentali*; illa tolluntur impedimenta *publica*, ut etiam in tribunalibus ecclesiasticis sive in utroque foro velut ablata sint habenda [9], alteri vero ea est efficacia, ut impedimenta occulta *vere* [10] quidem auferat, sed in *solo foro interno*, non in iudicio ecclesiastico, admittatur. Quare, si impedimentum deinde evadat publicum, *per se* et nisi aliter ius statuat (cfr. c. 1047) nova dispensatio *pro foro externo* est petenda, ut matrimonium in se et coram Deo validum, etiam publice seu coram Ecclesia ut tale habeatur: quae nova dispensatio, reddito publico impedimento, semper est necessaria, cum dispensatio obtenta fuerat in foro interno sacramentali (cfr. can. 202 § 1).

---

[8] Cfr. c. 80; *Sánchez*, l. VIII, disp. 1, praesertim n, 2, *Suarez*, De leg. l. VI, cap. 10, n. 7, l. II, cap. 14, n. 9, 10, 11; *Leitner*, 401 sq.

[9] S. Paenitent., 27 apr. 1886, ad 4, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1496; *Suarez*, De leg. l. VIII, cap. 6, n. 11, 12; *Putzer*, 29.

[10] Instr. *C. Rauscher* § 87; *Leitner*, 410 sq.; *Putzer*, 24 sq. Si postea per accidens huiusmodi impedimentum fiat *publicum*, nequaquam matrimonium, vi dispensationis *valide* contractum, simpliciter *mere putativum* atque invalidum est habendum, eo quod condicio dispensationis de impedimento occulto permanente non fuerit verificata, ut putavit *Scherer*, 453, not. 2. Quare idem auctor sine sufficienti fundamento deseruit communem doctrinam, quae in tali casu admittit aliquem conflictum inter forum externum et internum (cfr. *Benedict. XIV* Instr. eccl. 87, n. 49 sq.) oriri posse, atque minus recte vocavit « *vitiosum* » consilium a *Benedicto XIV*, l. c., n. 51, *S. Alphonso*, *Putzer*, aliisque doctoribus suggestum.

Quae divisio praesertim attendenda est in usu facultatum *apostolicarum* dispensandi super impedimentis matrimonialibus partim in foro *externo* partim in solo foro *interno*. Nam facultates pro foro interno *tantum* concessae adhiberi non possunt in foro externo, et vicissim facultates pro foro externo datae saltem certo nequeunt adhiberi pro *solo* foro interno. Cfr. S. Paenitent., 14 iul. 1881; *Rosset*, l. c., n. 2493. Ille in usu facultatum servandus est *modus*, qui menti Superioris concedentis est conformis. Cfr. *Feije*, n. 624 sq.; *Zitelli*, De disp. matrim., 51; *Putzer*, 29; *Aichner*, append. III, not. 1; *Laurentius*, Institut. n. 673; *Vlaming*, II, n. 395, aliter *Scherer*, § 133, not. 3, 121, ubi putat facultates pro foro externo datas posse etiam adhiberi pro foro interno *tantum*, iunct. *Putzer*, 30 sq.

III. In dispensationem *pontificiam*, quae a R. Pontifice vel ipsius nomine a tribunalibus romanis vel a delegatis Sedis Apostolicae conceditur, et in *episcopalem*, quam Episcopus eiusque Vicarius generalis vel delegatus indulgere solent. Cfr. *Rosset*, l. c. n. 2469.

IV. In dispensationem datam in *forma gratiosa* vel in *forma commissoria*. Prior in casibus extraordinariis, v. g. a R. Pontifice conceditur *immediate* ipsis *oratoribus*, v. g. principibus; altera *immediate Ordinario* petentium vel delegato transmittitur, sive *potestas dispensandi* datur, ut *is* cognita causa et veritate rei inspecta ex commissione Superioris ecclesiastici *dispensationem* petentibus concedat — executor *voluntarius* — vel etiam nudum ministerium executionis committitur — executor *necessarius* —.

Dispensationem concedens, etiam in forma commissoria, est nihilominus *auctor* dispensationis, cum ipse de facto dispenset; is cui committitur est *executor*, licet impedimentum non maneat sublatum nisi a momento executionis.

A dispensatione in forma commissoria distinguitur facultas dispensandi commissa prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi vel Ordinarii. Cfr. « Normae peculiares » cap. III, n. 3, 4, iunct. *De Smet*, n. 740, n. 2.

V. In dispensationem in *forma nobilium* — cum maiore componenda —, si oratores sint *principes* et pro suo statu *divitiis* instructae personae; in dispensationem in *forma communi* — cum minore componenda —, si oratores ita divites quidem sint, ut ex *reditibus* suarum possessionum pro condicione sui status vivere possint, sed nobiles (divites) non sint; in dispensationem in *forma pauperum* — sine componenda — si oratores secundum computationem canonicam sint miserabiles personae aut *pauperes* aut *fere pauperes* [11].

VI. In dispensationem, quae *absolute* concedi *non potest* vel *de facto* nunquam conceditur vel saltem concedi *non solet*, et in dispensationem quae servatis servandis rarius vel frequentius vel regulariter conceditur [12].

---

[11] Quae divisio desumpta est ex *taxis* et *componendis* occasione dispensationum solvendis et infra explicandis. Cfr. Bened. XIV epist. ad Arch. Turon. 26 sept. 1754; Praxis Datar. Apost. n. 23 sq., 205 sq.; *Leitner*, 432 sq.

[12] *Indispensabilia* sunt: impotentia; vinculum matrimonii consummati fidelium; consanguinitas in primo gradu lineae rectae. — *Dubium* est an sint *absolute indispensabilia* — saltem quatenus plures graves auctores dubitant — ceteri gradus lineae rectae primum excedentes; gradus

VII. Pro diversitate causarum in *debitam*, si per evidentem necessitatem vel utilitatem exigitur; in *permissam*, quae ex prudenti iudicio Superioris ecclesiastici concedi potest; in *prohibitam*, ad quam concedendam iusta causa deest.

405. Notae historicae. Primis Ecclesiae [13] saeculis cum pau-

---

primus consanguinitatis in linea collaterali. — Inter *dispensabilia*: 1°) aliqua talia sunt ex concessione divina, quale est vinculum matrimonii rati et non consummati; 2°) in aliis *dispensari* non solet, ideoque vix unquam ob causas omnino singulares dispensatur: aetas, ordo sacer, praesertim presbyteratus, votum sollemne, raptus, publicum coniugicidii crimen, affinitas in linea recta, praesertim consummato matrimonio; 3°) tertia species est eorum quae dicuntur *gradus minoris*, de quibus dispensatio datur ex rationabilibus causis a S. Sede probatis (c. 1042 § 2); 4°) quarta species est eorum, quae dicuntur *gradus maioris*, in quibus dispensari *solet* interveniente legitima causa, suntque cetera omnia quae non sint iuris divini (c. 1042 § 3). Impedimenta *impedientia* ad haec impedimenta gradus maioris videntur esse referenda, quod de impedimento mixtae religionis propter c. 1061, non videtur posse dubitari. Cfr. *Vlaming*, II, n. 393bis; *Cappello*, I, n. 206, iunct. n. 224; *Leitner*, 18 406 sq.; *Rosset*, n. 2324 sq.; *Scherer*, 461 sq.; Instr. Eystett., 361 sq.

[13] Impedimenta matrimonialia Veteris Testamenti, cum ab ipso Deo per legatum suum Moysen pro populo israelitico positive essent constituta et promulgata, immo ut plurimum iam niterentur iure *naturali*, a nulla potestate humana per veram dispensationem poterant relaxari. Quae relaxatio ne ab iis quidem impedimentis prohibentibus sponsalium vel voti simplicis castitatis fieri potuit, quae nunc R. Pontifici servatis servandis est permissa. Nam nullibi in Vetere Testamento ulla potestas dispensandi super impedimentis matrimonialibus legis mosaicae summo sacerdoti reperitur concessa, sed ipsis verbis Deuter. IV, 2 potius absolute est exclusa atque sine fundamento eadem potestas dispensandi R. Pontifici propria etiam vindicatur Aaron eiusque successoribus. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 2, lib. IX, cap. 6, n. 4 sq. et praesertim cap. 9, n. 4 sq., De virt. et stat. relig. tract. VI, l. 6, cap. 9, n. 5 sq., 9, 15 sq., 18 sq.; *Stiegler*, l. c., 15.

Cum Ecclesia primis illis saeculis in imperio romano propagaretur, dispensatio super legibus *civilibus* ex iure Romano iam fuit permissa et ab ipsis impedimentis matrimonialibus nequaquam aliena. Cuius rei specimina habentur in L. 8, D. de leg. I, 3, ubi edicitur: « *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur* »; at L. 1, § 2. D. de const. I, 4, evidenter dispensatio hisce limitibus permittitur: « *Nam quae princeps alicui ob merita indulsit, ... personam non egreditur* ». Dispensationes vero matrimoniales commemorantur in L. 10, pr. D. de his, qui nat. III, 2, (de anno luctus) et L. un. C. Theod. si nupt. III, 10, (de matr. inter consobr.) aliisque in legibus. Cfr. *Moy*, 206 sq.; *Stiegler*, l. c., 16 sq. Qua in re celeberrimum est exemplum dispensationis a Theodorico, rege ostrogothorum, duobus consobrinis concessae et a Cassiodoro relatum, ex quo tamen *Stiegler*, l. c., 238 sq., sine sufficienti ratione deducit in foro quoque *ecclesiastico* tunc iam receptam fuisse praxim dispensandi super impedimentis in ordine ad matrimonium *contrahendum*, ut scite tenet etiam *Scherer*, 496, not. 200, contra *Stiegler*.

ciora existerent impedimenta matrimonii, exempla dispensationum super illis in ordine ad matrimonium *contrahendum* [14] non commemorantur. Relaxatio iuris ecclesiastici, quae a Gregorio M. anglis dicitur concessa [15], ut in tertia et quarta generatione matrimonia possent contrahere, sane sensu latiore dispensatio est; attamen propria vi verborum retenta potius *privilegium* sive exemptio a iuris communis sanctionibus est dicenda. Itemque favor, quem sibi germani a Gregorio II vindicabant (a. 726) esse concessum [16], non simplicis dispensationis, sed veri perfectique *privilegii* rationem habuit. Quantopere vero Romani Pontifices ab huiusmodi dispensationibus et exemptionibus concedendis fuerint alieni, patet ex epistola in qua S. Bonifatius (a. 742) a Zacharia Papa quaesierat, quo fundamento niteretur fama, qua Gregorius III, praedecessor Zachariae, diceretur dispensasse, ut quis posset ducere viduam sui avunculi. Cui quaesito Zacharias (a. 743) respondit talem dispensationem legibus ecclesiasticis contrariam non fuisse concessam [17].

Saeculis quoque subsequentibus nequaquam frequens fuit usus *dispensationum*. Quemadmodum in aliis legibus et sanctionibus ecclesiasticis frequenter accidit, ut prima vice concederentur dispensationes ad convalidandum vel ratificandum actum nulliter vel illicite gestum [18], ita primae dispensationes fuerunt datae ad ratificanda matrimonia contra leges ecclesiasticas iam contracta. Cuius praxis praeformationem iam habemus c. 30, Conc. Epaon. (a. 317), et c. 10 Conc. Aurel. (a. 538) et c. 1, Conc. Vermer. (a. 753). At in casibus *particularibus* prima vice saeculo undecimo dispensationes *post* contractum matrimonium referuntur. V. g. Nicolaus II, Papa (a. 1058-1061) [19], iam Guilelmo, duci Normanniae, annuit ut permaneret in matrimonio cum cognata non obstante vetito Leonis IX contracto, similemque favorem Paschalis II, (a. 1099-1118), concessit Philippo I, regi Galliae, qui contra ecclesiasticas regulas eo tempore vigentes Bertradam in sexto attingente tertium gradum sibi consanguineam

---

[14] At non desunt exempla ex primis saeculis, quod matrimonia quaedam *invalide contracta* per *subsequentem* quandam *dispensationem* fuerint convalidata. Cfr. v. g. c. 61 Conc. Agath. (a. 506), = c. 30 Conc. Epaon. (a. 517), = c. 8, C. XXXV, q. 2, 3, iunct. *Hefele*, II, 657 sq.; c. 10 Conc. Aurel. III, (a. 538). *Stiegler*, l. c., 256, ex primis saeculis exemplum *praeviae* dispensationis matrimonialis afferre nequit praeter unicam concessionem a Gregorio M. anglis factam, quae, ut patet ex sequentibus, vera et proprie dicta dispensatio non fuit. Cfr. *Leitner*, 402, not. 1; *Schnitzer*, 498; *Freisen*, 891; *Zhishman*, 712 sq., quem *Stiegler*, l. c., 40, inefficacibus impugnat argumentis; etenim non sufficienter attendit non agere *Zhishman* de dispensationibus *universim* spectatis, sed de dispensationibus *matrimonialibus* in antiqua Ecclesia Orientali, ex qua etiam ipse *Stiegler* ne unum quidem valet afferre exemplum dispensationis super impedimento matrimoniali. Quodsi *Gasparri*, I, n. 268, pariter negat factum S. Gregorii M. continere dispensationem, id facit secundum suppositam relationem illius facti in folio causae coram S. C. C., 29 apr. 1873, discussae (cfr. ASS. VII, 292); at ista relatio in folio falso supponit S. Gregorium anglis concessisse favorem permanendi in coniugiis ante *susceptam fidem in tertio* consanguinitatis gradu contractis. Ad quem scopum (cfr. *Rosset*, n. 2475), certe opus non fuit speciali privilegio apostolico; at S. Gregorius iuxta narrationem S. Bedae venerabilis anglis permisit, ut etiam *post baptismum* matrimonia in tertio consanguinitatis gradu *contrahere* possent. Quodsi *Freisen*, 891, putat c. 46 Conc. Wormat. (a. 868), Episcopis vindicari generalem potestatem dispensandi etiam in impedimentis matrimonialibus, huiusmodi interpretatio nititur aequivocatione; nam cit. c. 46 Episcopi dicuntur competentes ad administrandas (« *ad dispensandum* ») res *temporales* Ecclesiae, non ad *dispensationes* sive relaxationes *iuris*.

[15] Cfr. c. 20, C. XXXV, q. 2, 3; supra in notis historicis de imped. consang.

[16] Cfr. c. 15 Conc. roman. (a. 743), *Freisen*, 381 sq.

[17] Cfr. *Iaffé*, Reg. n. 1741. Quo ex facto liquet quam caute accipiendum sit quod *Stiegler*, l. c., 20, asserit, sc. Episcopis primis saeculis « *illimitatum quoddam ius dispensandi* » fuisse proprium. Nam vix quisquam sibi persuadebit etiam in hisce impedimentis matrimonialibus Episcopos habuisse « *illimitatum* » ius dispensandi, quo ipsi Episcopi atque adeo RR. Pontifices per complura saecula non sunt usi in ordine ad matrimonium contrahendum. Quare ad summum illud concedi potest primis saeculis *ius condendi leges* de impedimentis matrimonialibus nondum fuisse R. Pontifici *reservatum* (cfr. *Schnitzer*, 498), sed etiam *Conciliis particularibus* permissum, ut constat ex quamplurimis exemplis suo tempore allatis. Quare nihil mirum quod eadem Concilia particularia, quae *leges* condiderant, etiam de rigore iuris aliquid potuerint remittere, ut constat ex exemplis in not. 14 h. cap. allatis. Cfr. *Santi-Leitner*, l. IV, 356. At inde non sequitur etiam *singulos* Episcopos in hisce legibus a superiore auctoritate latis *amplam* habuisse potestatem dispensandi. Quodsi Episcopi in impedimentis quibusdam cum *paenitentia* connexis facilius tanquam moderatores paenitentiae publicae potuerunt permittere nuptias, id *ad omnia alia* impedimenta, quae cum paenitentia et poena nihil habuerunt commune, pari facilitate non potuit extendi. Cfr. *Scherer*, 453 sq.; *Zhishman*, 712 sq.; *Leitner*, 404 sq.; *Rosset*, n. 2567, 2317 sq.

[18] Cfr. Siric. (a. 385), in c. 56, D. 50; c. 1, Conc. Agath. (a. 506); *Stiegler*, l. c., 256 sq.; *Scherer*, 454.

[19] *Riganti*, l. c. in Reg. 49 Canc. Apost., n. 6 sq. Postea Gregorius VII, a. 1074, saltem spem fecit marchioni Azoni eiusque uxori Mathildae, ut ab impedimento consanguinitatis in quarto gradu dispensarentur. Cfr. *Iaffé*, Reg., n. 3671.

duxerat uxorem [20]. Primum exemplum dispensationis datae in ordine ad matrimonium legitime *contrahendum* videtur esse indultum Ioanni, filio Henrici II regis Angliae, concessum contrahendi matrimonium cum consanguinea, atque certissime Innocentius III, (a. 1198-1216), Ottoni IV, regi Germaniae [21], eandem gratiam a. 1209 elargitus est. Porro cum inde ex compilationibus authenticis impedimenta matrimonialia regulariter niterentur *iure communi* et *universali*, rarius consuetudine particulari, nihil mirum est quod inde ex saeculo decimo tertio maiore cum rigore ius dispensandi super impedimentis iuris communis R. Pontifici *reservaretur* [22]. Quae dispensationes pontificiae exeunte me-

[20] *Iaffé*, l. c. n. 4462, iunct. *Thomassin*, Vetus et nova Eccles. discipl. P. II, l. 3, cap. 29, n. 10.

Cfr. quoque cap. 6, X, de consang. IV, 14, ubi Innoc. III, a. 1213, commemorat dispensationem super impedimento consanguinitatis *post* contractas nuptias datam, sed invalide ob *falsae causae* allegationem unde nova dispensatio fuit necessaria. Quibus in rescriptis dispensationum post celebrationem matrimonii concessis interdum expresse requiritur consensus renovatio, v. g. in rescripto Paenitent., a. 1281, legitur: « *Postquam de novo invicem consenserint* »; at in aliis ex a. 1279 et 1281 allegatis simpliciter statuitur: « *Quod impedimento non obstante in sic contracto matrimonio permanere possit* ». Cfr. *Eubel*, in Arch. f. k. K. LXIV, 63. Quare praxis, in dispensationibus post contractum matrimonium datis, exigendi consensus renovationem, praesertim post Concilium Tridentinum magis stabilis facta est.

[21] *Riganti*, l. c. n. 9 sq. et Reg. 50, n. 117, ubi etiam alia exempla dispensationum allegantur; at complures dispensationes super sollemni voto castitatis, vel impedimento ordinis sacri, quae antiquitus dicuntur concessae a Benedicto IX, Alexandro III, Coelestino III, Innocentio III, (cfr. *Thomassin*, l. c. cap. 27, n. 4; *Ferraris*, l. c. v. Votum art. 3), partim falsae sunt, v. g. dispensatio monialis Constantiae, filiae Rogerii, regis Siciliae, a Coelestino III data, partim saltem dubiae, v. g. Ramiri, regis Aragoniae. Cfr. *Nilles*, in Arch. f. k. K. LXI, 331 sq.; *Scherer*, 455, not 7.

Quanta vero severitate RR. Pontifices saeculo duodecimo iam refecerint dispensationes in gradibus prioribus consanguinitatis, patet ex epist. Innoc. III, a. 1199, ad Arch. Compostell. scripta = cap. 5, X, de donat. inter vir. IV, 20, cum parte decis. Etenim Innocentius III, loco dispensationis a rege Legionis iterum iterumque expetitae, ut convalidare posset matrimonium cum sua nepte, filia regis Castellae, temere attentatum, potius eundem regem per excommunicationem et interdictum ad *huiusmodi copulam dissolvendam coegit*.

Quodsi in praxi, quae facile a stricto iure deflectit, tantus rigor fuit retentus, non est mirum quod in theoria Glossatores quidam medii aevi aliique viri docti usque ad initium saeculi decimi sexti de potestate dispensandi Ecclesiae et R. Pontificis, v. g. super impedimentis legis mosaicae rigidiores sectarentur sententias. Cfr. *Freisen*, 709 sq., 897 sq.

[22] Qua ratione dissimulatio, qua Ecclesia non raro usa fuerat (cfr. in font. cap. cit. ex cpl. antiq.), in veram dispensationem transformata est, atque in cpl. III, cap. 2, qui matr. accus. IV, 13, Innocentius III,

dio aevo videntur iam fuisse adeo frequentes, ut Concilium Tridentinum Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr. per severiorem praxim illas potius studuerit limitare.

Cum rima facta facile cresceret in grande foramen, atque in dies necessitas et numerus dispensationum etiam in personis privatis augeretur, in ipsa Curia Romana stabilibus tribunalibus dispensationum matrimonialium negotium commissum est [23]. Postquam Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 5, de ref., statuerat ut *executio dispensationum* extra Romanam Curiam Episcopis committeretur, deinceps et missionarii apostolici in remotissimis regionibus amplis *facultatibus* dispensandi super impedimentis matrimonii ad certum tempus instructi sunt. Cuius praxis prima exempla saeculo decimo sexto occurrunt [24]. Tandem saeculo decimo septimo similes facultates extraordinariae etiam Episcopis aliarum regionum concessae fuerunt, v. g. Archiepiscopo Coloniensi a. 1645, Archiepiscopo Moguntino a. 1658, Archiepiscopo Trevirensi a. 1662. Inde ortae sunt facultates « *quinquennales* » pro foro externo atque « *triennales* » pro foro interno. Neque desunt formulae, quibus pro necessitate temporum et regionum a Sede Apostolica etiam ampliores conceduntur facultates [25]. At Sedes Apostolica constanter reprobavit falsas theorias gallicanorum, febronianorum, pistoriensium de *iure* quodam *proprio Episcoporum dispensandi* super impedimentis dirimentibus matrimonii. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 2; *Rosset*, n. 2367 sq.; *Brueck*, Lehrb. d. Kircheng. §§ 192, 193. Denique in Concilio Vaticano a multis Episcopis postulata ad « *latiores facultates* » obtinendas proposita sunt. Quibus postulatis a Leone XIII per decretum S. C. Inq., 20 feb. 1888, saltem pro concubinariis in periculo mortis constitutis, amplissimo modo satisfactum est. Usum potestatis a Leone XIII concessae *Pius X*, decreto *Ne temere*,

(a. 1205), in causa quadam respondit: « *Tunc enim Ecclesia propter diuturnitatem temporis quodammodo dispensando dissimulat et dissimulando dispensat* ». Cfr. *Esmein*, II, 355 sq.; *Freisen*, 891 sq.; *Scherer*, 461; *Leitner*, 405.

[23] Pius X Const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908: AAS. I, 7 sq. Cfr. de Dataria Apostolica et Sacra Paenitentiaria: *Bangen*, D. roem. Curie, 396 sq., 418 sq.; *Phillips*, Kirchenr. VI, 385 sq., 508 sq.; *Leitner*, in Arch. f. k. K. LXX, 418 sq.; *Eubel*, in Arch. f. k. K. LXIV, 63 sq., ubi *quattuor* referuntur dispensationes intra a. 1279-1289, a S. Paenitentiaria concessae super impedimentis matrimonialibus in ordine ad *convalidanda* etiam in foro externo matrimonia antea invalide contracta.

[24] In Collectan. (Paris) Const. S. Sed., 407 sq., 481 sq.

[25] Cfr. *Nilles*, in Act. theol. Oenip. XV, 550 sq., de facultat. a Congr. de Prop. F. concessis secundum formulas antea a S. C. Inq. approbatas.

a. 1907, ac per subsequentes declarationes extendit [25]. Codex autem, sicut impedimenta restrinxit, ita facultates despensandi, postulante id bono animarum, haud parum ampliavit.

Art. 1. — De subiecto et ambitu potestatis dispensandi super impedimentis matrimonialibus

§ I. De potestate dispensandi Romani Pontificis

406. Omnis dispensatio matrimonialis, cum sit *relaxatio legis* prohibentis vel irritantis matrimonia in casibus particularibus, ab eo solummodo concedi potest, qui leges illas prohibentes vel irritantes tulit, aut ab ipso legislatore specialem accepit dispensandi facultatem. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr. Quare quoniam tantum R. Pontifici vel Concilio oecumenico ex disciplina nunc vigente proprium est ius ferendi leges de impedimentis impedientibus et dirimentibus (c. 1038), ipsis solis supremum plenumque competit ius dispensandi [27]. Quare perfecta potestas dispensandi *pro praxi* in solo R. Pontifice est attendenda, quippe qui semper adiri potest. Id autem de Concilio oecumenico dici non potest; atque etiamsi Concilia generalia legitime sint congregata, tamen dispensationes particulares ad matrimonia contrahenda vel convalidanda dare non solent, sed potius leges condunt universales de iure et usu dispensandi (c. 1040) [28].

407. R. Pontifex: I. Dispensare *non* potest in omnibus impedimentis dirimentibus *absoluti* iuris divini et naturalis [26], *sive*

---

[26] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic., 163, 176 sq., 186, 191; *Putzer*, Comm. in facult. apost., 1 sq., 302 sq., 376 sq., 414 sq.

[27] Quae antiqui Glossatores (cfr. *Freisen*, l. c., 709 sq.), atque asseclae Henrici VIII, regis Angliae, de nimis limitata potestate dispensandi R. Pontificis, v. g. super impedimentis in lege *mosaica* statutis disputarunt, iam pridem sunt antiquata et reprobata. Cfr. Conc. Trid. l. c. can. 4; *Scherer*, 461.

[28] Concilia oecumenica sese non solent immiscere in administratione particularium negotiorum Ecclesiae, atque invito R. Pontifice id ne facere quidem possunt. Quare optimo iure Eugenius IV (a. 1436) conquestus est de Synodo Basileensi, quae sese immiscuit in quamplurima negotia particularia et privata, immo etiam dispensationem matrimonialem 6 nov. 1434 temere concesserat. Cfr. *Hefele*, VII, 593, 637.

[29] *Suarez*, De leg. l. II, cap. 14, l. VI, cap. 10; *Sánchez*, l. VIII, disp. 6; *S. Alph.*, l. VI, n. 1118 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 7; *Riganti*, in Reg. 49 Canc. Ap. n. 12 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 64 sq.;

irritatio nititur *substantiali defectu consensus*, velut in casu erroris substantialis personae, amentiae, carentiae usus sufficientis rationis propter aetatem, vis et metus, simulati consensus, condicionis deficientis vel contra substantiam matrimonii appositae, *sive* absoluta vel relativa *inhabilitate personae*, v. g. propter impedimentum impotentiae, ligaminis ex matrimonio consummato fidelium, consanguinitatis in primo gradu saltem lineae rectae: nunquam autem dispensat in impedimento de quo adest controversia num sit iuris naturalis, velut in primo gradu consanguinitatis lineae collateralis. At R. Pontifici competit potestas dispensandi in divino iure *condicionato* sive orto ex *voluntate humana*, velut super votis, iuramentis, sponsalibus, matrimoniis ratis [30].

II. Iure dispensandi pollet super omnibus impedimentis dirimentibus, quae certo tantum sunt *iuris ecclesiastici*. Nam

---

Rosset, n. 2625 sq., qui, n. 2329, ad iustos limites reducit quod S. Alphonsus l. c. n. 1120, asserit, i. e. « *posse Papam in aliquo casu urgentissimae necessitatis declarare esse validum matrimonium non obstante impedimento, quod* **probabiliter** *de iure naturali illi obstat, prout de facto declaravit Clemens XI, prout vidimus n.* 1115. *Nec obstat quod ait Sánchez lib. VIII, disp.* 6, n. 10 ». At Clemens XI, l. c., non dedit declarationem *validitatis* matrimoniorum stante vera probabilitate in favorem impedimenti iuris naturalis, sed potius dispensavit a *renovatione* consensus certissime *solo* iure ecclesiastico requisita. Quare talis declaratio R. Pontificis est signum *certo* impedimentum quoddam matrimonio cuidam non obstare, prout tandem etiam ipse S. Alphonsus cum Benedicto XIV rem explicat. Et revera etiam *Sánchez*, l. c. n. 10, non agit de impedimento *probabili*, sed de impedimento *certo*. Quodsi R. Pontifex interdum, v. g. propter impotentiam unius partis magna tantum cum *probabilitate* probatam, solvit matrimonium ratum, nequaquam innixus *probabili* impedimento iuris naturalis dat sententiam *declaratoriam* nullitatis. Quae magna probabilitas impotentiae est *sufficiens causa*, ob quam R. Pontifex ex plenitudine suae potestatis *solvere* valet *verum* vinculum matrimonii *rati*. Similiter explicandus est modus agendi Urbani VIII, per *certam declarationem* iuris divini vel solutionem vinculi in favorem fidei *concessam*. Cfr. quoque *Gennari*, l. c. 340 sq.; *Rosset*, n. 2832 sq.

Quare tamquam excessiva et plane improbabilis reicienda est sententia Abbatis, qui R. Pontifici integrum esse dixit dispensare in omni iure divino praeter fidei articulos. Cfr. *Sánchez*, l. c. n. 3, 4. Qui auctor, l. c. n. 5, Abbatis sententiam limitat ad casus *speciales ex urgente necessitate;* at tandem, l. c. n. 10 sq., suam limitatam theoriam — pariter omnino improbabilem — non audet ad impedimenta dirimentia matrimonii absoluto iure naturale statuta applicare, super quibus R. Pontifici etiam in casibus specialibus negat facultatem dispensandi.

[30] *Sánchez*, l. c. n. 2; *Suarez*, De leg. l. c. et De virt. et stat. relig. tract. VI, l. 6, cap. 9, *Rosset*, n. 2324, 2330 sq.; *Feije* n. 601 sq.

R. Pontifex ex iure divino supra ius canonicum ab hominibus conditum est constitutus: hinc *valide* etiam *sine iusta causa* in illis impedimentis dispensat, quamvis ad *licitam* dispensationem causam proportionatam habeat necesse est et eo graviorem quidem, quo gravius est impedimentum [31].

III. Etsi R. Pontifex super omnibus impedimentis dirimentibus iuris mere ecclesiastici dispensare *possit*, tamen in nonnullis *de facto* nunquam dispensat aut dispensare *non solet* nisi *raro* aut *rarissime* in casibus vere extraordinariis et ob causas omnino singulares. Cfr. supra not. 12, h. c. [32].

IV. R. Pontifex in *impedientibus* impedimentis diversa ratione dispensat pro diversitate originis singulorum impedimentorum. Nam impedimenta impedientia, quae velut impedimentum cognationis legalis solo iure ecclesiastico constituta sunt, *valide*, sed *non licite* absque ulla causa a R. Pontifice per dispensationem tolluntur. Quodsi impedimentum *iuris divini* velut *votum* sit dispensandum, ad ipsum *valorem* dispensationis *vera* et *sufficiens* causa requiritur. Nam inferior in lege Superioris dispensare nequit, nisi id *specialiter* sit concessum, et *vera* atque *sufficiens causa* intercedat [33].

V. Cum R. Pontifex in quamplurimis regionibus praesertim S. C. de Prop. F. subiectis Ordinarios locorum tum pro foro interno tum pro foro externo instruxerit amplis facultatibus dispensandi (cfr. novas formulas facult. conc. a S. C. de Pr. F., a S. C. de d. Sacr. et a S. Paenitent.); numerus impedimentorum, quorum relaxatio saltem regulariter *immediate* a *Sede Apostolica* peti *debet*, ex disciplina nunc vigente frequenter est multum imminutus. Accedit quod etiam Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici satis amplam etiam in materia matrimoniali habent facultatem dispensandi. Quare omnino expedit, nisi specialis ratio v. g. sigilli sacramentalis aliter suadet, ut imprimis ad Ordinarium loci recurratur forte iam sufficientibus facultatibus praeditum.

408. Ut R. Pontifex sua potestate dispensandi super impedimentis matrimonialibus maiore securitate et circumspectione ipsorumque fidelium vera utilitate uteretur, certis Congregationibus Cardinalium et Tribunalibus in Urbe principaliter negotium concedendarum dispensationum commisit.

[31] *Sánchez*, l. c. n. 14 sq.; *Giovine*, I, 100; *Feije*, n. 603.

[32] *Riganti*, in Reg. 49 Cancell. Ap. n. 19 sq.; *Leitner*, 407; *Scherer*, 462; Benedict. XIV Const. « *Aestas* », § 13, 15.

[33] *Giovine*, l. c., 106 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 59, 60, 61; *Sánchez*, lib. VII, disp. 61, n. 2.

Iure Codicis, ad normam eorum quae iam fuerant constituta in Const. « Sapienti consilio »: I. *Pro foro externo* utitur:

1°) S. C. S. Offic., quae est exclusive competens ad dispensanda impedimenta *disparitatis cultus* et *mixtae religionis* (c. 247 § 3) [34].

2°) S. C. de d. Sacr. pro ceteris omnibus impedimentis, cuius Congregationis hac in re competentia quoad territoria etiam missionum non est limitata, at quoad personas non extenditur ad orientales [35] (c. 249).

3°) S. C. pro Eccles. Orient., quae dispensationem elargitur fidelibus orientalis ritus, tametsi una duntaxat pars ad aliquem ex illis ritibus pertineat, in omnibus impedimentis, salvo iure S. Officii (c. 257).

4°) S. C. de Relig., in quantum haec dat dispensationes a voto castitatis pro sodalibus religiosis.

II. *Pro foro interno* sive *sacramentali* sive *non sacramentali* R. Pontifex dispensationes largitur per S. Paenitentiariam. Pro foro interno *non sacramentali* censetur data dispensatio, quando fuerit concessa in *forma gratiosa*. Quando vero dispensatio datur in *forma commissoria*, cum confessarii executioni soleat committi, dispensatio censetur concessa in foro interno *sacramentali*. Inter hunc duplicem modum concedendi dispensationem *pro foro interno* est magnum discrimen practicum: nam si dispensatio fuit concessa pro foro interno *non sacramentali* nunc ex dispositione c. 1047, nisi aliud ferat rescriptum S. Paenitentiariae, adnotanda est dispensatio obtenta in libro conservando in secreto archivo Curiae cum accurata indicatione nominis et praenominis oratorum, et inde si impedimentum occultum, pro quo data fuerat, deinde publicum evaserit, non est necessaria alia dispensatio pro foro externo [36]: quare dispensatio tali modo ae-

[34] Cum ex c. 247 § 3 quaevis quaestio circa matrimonia quibus obstet impedimentum vel mixtae religionis vel disparitatis cultus, exclusive pertineat ad S. Offic., videtur hoc esse quoque competens ad dandam dispensationem ab aliis impedimentis, quae forte cum illis concurrant. Cfr. Decl. S. C. Consist. in AAS. II, 56; Responsum S. Offic. d. 27 ian. 1928: AAS. XX, 75; Periodica, XVII, 53.

[35] Ab hac S. C., pro territoriis S. C. de P. F. non subiectis, nunc satis amplae concedi solent facultates dispensandi ab impedimentis matrimonialibus tum ad matrimonium contrahendum tum in matrimoniis iam contractis, praesertim pro tempore Pastoralis visitationis aut sacrarum missionum, salvo onere mittendi ad S. Congregationem aequas oblationes, quas fideles, qui pares solvendo sunt, debent iuxta vires persolvere. Quae facultates iam in formulam stabilem sunt redactae.

[36] Quod nunc ex c. 1047 est regula generalis pro dispensatione data in foro interno non sacramentali, ante Codicem solummodo obtinebat ex

quivalenter valet pro utroque foro, cum reddito publico impedimento satis sit evulgare matrimonium fuisse validum utpote contractum post dispensationem obtentam. At necessitas novae dispensationis semper adest, cum impedimentum occultum, in foro interno *sacramentali* dispensatum, evaserit publicum [37]. Cum in citato canone unica exceptio fiat de clausula rescripti S. Paenitentiariae aliud exigente, illa dispositio de adnotatione in libro secreto Curiae videtur esse intelligenda etiam de dispensatione pro foro interno non sacramentali data ab Ordinario vel ab alio competente sacerdote [38].

409. Quaenam autem dispensationes debent aut possunt dari pro foro interno ideoque a S. Paenitentiaria peti debent aut possunt, regula generali dici potest esse impedimenta *fori interni*, saltem *in ordine ad contrahendum matrimonium*, ea quae natura sua et simul de facto sunt occulta; e contra sunt impedimenta *fori externi* quae vel natura sua *vel* de facto sunt publica.

Licet autem ex c. 1037 dicantur *publica* illa impedimenta quae in foro externo probari possunt, tamen in ordine ad definiendum in hac parte ambitum competentiae S. Paenitentiariae ius praecedens non videtur esse mutatum; unde in ordine ad obtinendam dispensationem a S. Paenitentiaria quoad matrimonium *contrahendum* adhuc habetur occultum impedimentum quod *natura sua* — v. gr. consanguinitas illicita — et praeterea *de facto* ita latet, ut non nisi paucis et discretis personis, v. gr. duabus vel tribus, quatuor vel quinque etc. pro qualitate loci pateat, atque proximum divulgationis periculum absit, tametsi tale impedimentum in foro externo probari possit. Quare in matrimoniis *contrahendis* dispensat S. Paenitentiaria in impedi-

---

speciali dispositione inserta in rescripto S. Paenitentiariae, qua edicebatur dispensationem suffragare posse in foro externo, ubi opus esset, adhibita cautela conservandi dispensationis documentum in secreto archivo cancellariae episcopalis, addita ad eiusdem calcem indicatione nominis et cognominis oratorum. Quae clausula addi solebat, cum singulare aderat periculum ne impedimentum, hic et nunc occultum, deinceps evaderet publicum. Cfr. *De Smet*, n. 738.

[37] Si in c. 1047 ponitur illa exceptio de casu, quo aliter ferat rescriptum S. Paenitentiariae, hoc ideo fit, quia ubi ob peculiares circumstantias S. Paenitentiariae manifestas notitia dispensationis nequeat Episcopo revelari, dispensatio obtenta ab illo s. tribunali in foro interno non sacramentali in libro *secreto* eiusdem tribunalis adnotatur, indicatis, ut par est, nomine et cognomine oratorum. Cfr. *Arendt*, in Nouv. Rev. Theol. XLVII, 266; *Il Monitore*, XXXII, 65.

[38] Cfr. *Cappello*, I, n. 242; *Arendt*, l. c. in Nouv. Rev. Theol., 268 sq.

mento *criminis*, *voti* et *consanguinitatis* ex occulta copula illicita ortae, si impedimentum modo explicato manserit de facto occultum [39].

Propter eandem rationem non mutatae competentiae, pro matrimoniis *contractis* dispensat: 1°) super iisdem impedimentis occultis modo enumeratis; 2°) praeterea in quibusdam impedimentis *natura sua* publicis sed *de facto* occultis, speciatim in cognatione spirituali, in tertio gradu consanguinitatis atque etiam in secundo « *si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint et convixerint et uti coniuges legitimi reputati fuerint* » [40].

At ex doctrina et praxi S. Paenitentiariae impedimenta *materialiter* — quoad *omnes* facti circumstantias — *publica*, sed *formaliter* — quoad vim irritandi — propter communem *iuris ignorantiam occulta* — v. gr. honestas publica ex notorio concubinatu — non habentur ab hoc sacro Tribunali *simpliciter occulta* [41].

---

[39] Cfr. *Gasparri*, I, n. 289; *Leitner*, 410; *Putzer*, 33 sq.; *Cappello*, I, n. 227; *De Smet*, n. 466; *Chelodi*, n. 40; paulo aliter *Vlaming*, II, n. 395.

[40] Benedict. XIV Const. « *Pastor bonus* », 13 april. 1744, § 39-46; idem Benedict. XIV, Inst. eccl. 87, n. 7, 11; *Chelodi*, n. 40; *Cappello*, I, n. 227; *De Smet*, n. 466. Si quis attendat in huiusmodi casibus, in quibus competentia S. Paenitentiariae ampliata fuit ad casus natura sua publicos, partes debere revelare suam turpitudinem et peccatum, si obligarentur petere dispensationem pro foro externo, facile consequenter erit tractandum tanquam impedimentum occultum publica honestas orta ex publico vel notorio concubinatu, si nupturientes in loco versantur in quo illa condicio penitus ignoratur; secus enim obligarentur ad revelandam suam turpitudinem, nec defuerunt doctores qui de existentia impedimenti in tali casu dubitarent. Cfr. supra cap. XVI, n. 378, not. 31, 32.

[41] Cfr. S. Paenit. resp. a 1875 in ASS. XIV, 157; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 87, n. 39 sq.; *Gennari*, « Consult. » I, 714 sq.; *Leitner*, 412 sq.; *Feije*, n. 94. Cfr. causam actam apud S. C. C., 29 ian. 1881, in ASS. XIV, 155 sq. — Antiquitus dispensationes matrimoniales super impedimentis publicis in foro externo etiam pro pauperibus a sola Dataria Apostolica fuerunt petitae et concessae. Quod tribunal cum tempore revolutionis gallicae ab a. 1798 in suis functionibus esset impeditum, tunc praxis invaluit ut S. Paenitentiaria omnes concederet dispensationes matrimoniales. Postquam in Statu pontificio almaque Urbe pristinus ordo fuit restauratus, etiam Dataria Apostolica denuo negotia sibi commissa administrare coepit; at disciplinae ad tempus inductae vestigium illud mansit usque ad saeculum vigesimum ut quilibet Paenitentiarius Maior initio suscepti novi officii a R. Pontifice acciperet extraordinariam potestatem dispensandi etiam super impedimentis *publicis* in *utroque* foro « *quando concurrat vera oratorum paupertas, per authenticam Ordinariorum attestationem comprobanda* ». Quae exceptio de pauperibus per Const.

Si impedimentum *publicum* concurrat *cum occulto*, ab impedimento publico, reticito altero, petenda est dispensatio a S. C. de d. Sacr.; ab occulto, mentione facta de publico, reticitis tamen nominibus, a S. Paenitentiaria [42].

410. Vacante Sede Apostolica, S. Paenitentiaria dispensat modo solito iuxta facultates expressas in Const. « *Pastor bonus* » § 51-55; S. Officium et S. C. de d. Sacr. in casibus ordinariis et nullius difficultatis, non autem in gravioribus aut in ligatis clausula « facto verbo cum SS.mo ».

S. Paenitentiaria *ferias* non habet, atque ut dici solet, toto anno est aperta, sed eius officium diebus dominicis et festis de praecepto est clausum; attamen urgente necessitate ipsius officiales privatim adiri possunt (AAS. I, 126 sq.).

Congregationes vero suas habent ferias autumnales (10 sept. ad 31 octob.) praeter feriatos dies. Nihilominus in Normis adiectis Const. « *Sapienti consilio* » edicitur: « feriatis diebus, moderatores Officii curare poterunt ut aliquis ex administris Officium frequentet expediturus negotia, si quae forte occurrerint »; per ferias autem autumnales « Officium nullum erit intermissum, sed in unoquoque tot aderunt tum maioris tum minoris ordinis administri quot satis esse existimentur urgentioribus expediendis negotiis ordinariae administrationis ». *Normae communes*, cap. V.

Scholion. Ante reformationem Curiae Romanae per Pium X inductam dispensationes praesertim concedebantur a Dataria Apostolica pro foro externo; a S. Paenitentiaria *iure nativo* pro foro interno et ex mandato R. Pontificis etiam pro foro externo quoad pauperes et quasi-pauperes; S. C. de P. F. pro locis missionum, quae casus difficiliores solebat transmittere ad S. C. Inq.; haec S. C. Inq. dispensabat, ut hodie, in matrimoniis mixtis, licet non exclusivo iure et in ceteris causis cum fide conexis velut in delictis suspicionem haeresis inferentibus, v. g. si matrimonio attentato obstaret sollemnis professio religiosa aut ordo sacer [43].

« *Sapienti consilio* » sublata fuit, restricta S. Paenitentiariae potestate ad forum internum.

[42] *Leitner*, 422; *Gasparri*, I, n. 294; *Chelodi*, n. 40; *Cappello*, I, n. 227.

[43] Etiam Secretaria Brevium dispensationes concedebat principibus et regibus. Ac nunc quoque pro causis eorum, qui supremum in Civitate tenent principatum, attendendi sunt cc. 220, 244 § 1, 264.

Etiam S. C. pro negotiis eccl. extraord. dispensationes, maxime vero indulta dispensandi, concedebat, pro locis quae antea ab ipsa speciali ratione dependebant, velut America latina, dioeceses Russiaco imperio

§ II. De potestate dispensandi Ordinariorum

411. Locorum Ordinarii duplici ratione dispensare possunt in impedimentis matrimonialibus, aut ex potestate *ordinaria* aut ex potestate *delegata*. Ad potestatem ordinariam pertinet tum ea quam ipsum munus episcopale importat ad iuris normam, ideoque non indiget speciali concessione, sed intelligitur in Episcopo residentiali, nisi constet de restrictione facta per R. Pontificem, tum ea quae ex dispositione iuris communis reperitur Ordinario qua tali concessa, licet ex vi muneris episcopalis, quale illud iure communi reperitur definitum, ei non competeret. In primo casu potestas est *ordinaria* et **propria**; in altero casu est *ordinaria* sed **vicaria**. Cfr. c. 197 [44].

Ex dispositione iuris communis est quod in hac parte Episcopo aequiparentur ceteri, qui ex ipso iure communi veniunt nomine Ordinarii ad normam c. 198.

Reliqua potestas, quae non ex dispositione iuris communis cuilibet Episcopo seu Ordinario, sed *determinato* Ordinario per specialem concessionem est facta, est potestas *delegata*. Quae delegatio ad universitatem causarum ita fit *determinato* Ordinario, ut ab omnibus, qui nomine *talis* Ordinarii veniunt, exerceri possit (v. gr. concessa Ordinario Florentino).

I. De Ordinariorum potestate ordinaria dispensandi

412. I. *Ordinarii* potestate sua *ordinaria* et **propria** nihil possunt quoad dispensationes ab impedimentis matrimonialibus, excepto legitimo vetito iuris particularis; omnia enim impedimenta matrimonialia sunt constituta per legem generalem supremae auctoritati ecclesiasticae reservatam (c. 1038), in qua Ordinarii infra R. Pontificem, ne in casu quidem particulari dispensare possunt, nisi a Sede Apostolica aut iure communi aut speciali indulto eam potestatem ut vicariam vel ut delegatam acceperint (c. 81 iunct. c. 1040) [45].

---

subiectae, territoria in Asia et Africa iuri patronatus regum Lusitaniae obnoxia. Cfr. *Cappello*, De Curia Romana I, 345.

[44] Cfr. *De Smet*, n. 753; *Wernz-Vidal*, Ius can. II, n. 365; *Cappello*, I, n. 230 sq.; *Chelodi*, De matr. n. 41; idem, De personis n. 125, 126.

[45] Cfr. S. C. C. 13 mart. 1660, 19 ian. 1661 in ed. *Richt.* C. Tr., 271, n. 120, 121; *Riganti*, in Reg. Canc. Ap. 49, n. 2; *Suarez*, De leg. lib. VI, cap. 14, n. 3 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 1, n. 5 sq., cap. 2, 3; *Feije*, n. 633; *Giovine*, I, 70 ubi antiquatis theoriis gallicanorum

413. II. Potestate ordinaria, sed **vicaria** sensu explicato, i. e. ex potestate adnexa officio Ordinarii, possunt dispensare:

1°) *In dubio facti,* dummodo agatur de impedimento, in quo R. Pontifex dispensare solet (c. 15), sive occultum sive publicum fuerit. A qua facultate sunt proinde praesertim exclusa impedimenta licet facto dubia, quae tamen si existerent essent iuris naturalis vel divini, velut si dubitetur utrum nupturientes sint frater et soror, cum in tali dubio vel ipsi Romano Pontifici a dispensando abstinendum foret: quo spectat c. 1076 § 3. Quae dispensatio in dubio data in casibus permissis illum habet effectum, ut si postea factum evadat certum, impedimentum nihilominus vi illius dispensationis vere manet sublatum [46].

Scholion. Impedimenta dubia *dubio iuris* non indigent dispensatione, cum impedimenta iuris ecclesiastici ex eodem c. 15 in dubio iuris non urgeant.

2°) Relate ad impedimenta *certa*:

a) **In periculo mortis** ad consulendum conscientiae, et si casus ferat, legitimationi prolis, dispensare possunt vi c. 1043 « tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio ».

Haec potestas, quae prout iam quoad substantiam data fuerat a S. Officio (20 febr. 1888) censebatur esse *delegata* [47], iure Codicis facta est ordinaria.

---

et regalistarum in Italia, Austria et Germania longa opponitur defensio praerogativarum RR. Pontificum; *Schmalzgr.*, l. c., n. 70 sq. *Rosset*, n. 2367 sq. Quanto rigore Sedes Apostolica tale ius *proprium* Episcoporum reprobarit, patet ex decis. S. C. C., 19 ian. 1661, ubi hoc iudicium censorum S. C. Inq. ratum habuit: « *Propositio asserens Episcopum posse dispensare in publico impedimento consanguinitatis pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint exspectare dispensationem Sedis Apostolicae, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa* ». Unde denuo recte multis videbatur concludi quam difficulter admitti posset in casu particulari urgentis necessitatis *ipso facto* cessare impedimentum quoddam dirimens etiam occultum, ita ut Episcopus vel parochus tantum *declararet* impedimentum cessasse. Cfr. *Rosset*, n. 2393, 2402 sq., 2142 sq., 2148; paulo aliter *Gennari*, l. c. 704 sq.

[46] Effectus talis dispensationis satis demonstrat potestatem, qua conceditur, non esse propriam sed vicariam.

[47] Potestatem datam per decretum S. Officii, non stricto sensu *ordinariam*, sed *delegatam* esse ad universitatem causarum ex iure apostolico, ut recte tenuit *Wernz*, IV, 617, not. 63, cum *Rosset*, n. 2421 sq. 2458, 2467

Quoad personas, non iam limitatur ad aegrotos concubinarios, sed extenditur ad omnes versantes in periculo mortis, sive mortis periculum proveniat ex morbo sive etiam ex causa extrinseca, velut praelio instante, capitali damnatione, periculosa chirurgica operatione et pertinet etiam ad non concubinarios [48]. Atque *subditos* quidem dispensare possunt ubicumque commorentur, *reliquos,* i. e. vagos et peregrinos, dum in territorio commorantur.

Periculum — non *articulus* — mortis moraliter aestimandum est, i. e. agi debet de vera et gravi probabilitate secuturae mortis. Nec est necessarium ut impedimentum dispensandum directe afficiat partem periclitantem, sed valet etiam facultas pro casu in quo versetur altera compars [49] in periculo mortis.

Causae ad concedendam dispensationem sunt *pax conscientiae* vel *legitimatio prolis,* nec duplex causa debet simul existere, cum facultas adsit, tametsi casus legitimationem prolis *non ferat* [50]. Porro *consulitur conscientiae* dum peccatum vel peccandi occasio proxima aut magna tentatio per celebrationem matrimonii tollitur ex quacumque causa derivet, non ex sola luxuria [51]. *Consulitur proli* sive iam susceptae sive suscipiendae, si per matrimonii celebrationem ea redditur legitima ad normam c. 1051: porro ex memorato canone sola proles naturalis et incestuosa, non autem adulterina vel sacrilega, per dispensationem datam et matrimonium subsecutum redditur legitima [52]. Porro necessarium non est ut tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Obiectum dispensationis sunt omnia impedimenta *impedientia* et *dirimentia, publica* vel *occulta,* tametsi multiplicia seu plura simul in eodem casu concurrentia, excluso dumtaxat ordine

---

sq., vel ex hoc inferebatur quod facultas *generaliter subdelegandi* solummodo *postea* et *limitata* ratione per declarationem *extensivam* specialiter decreto S. Offic., 9 ian. 1889, concessa fuit.

[48] Post publicatum Decr. « Ne temere » a S. C. de d. Sacr., illa extensio ad omnes qui in periculo mortis versarentur iam fuerat facta. Cfr. AAS. I, 468, II, 600.

[49] Cfr. S. Offic. 1 iulii 1891; *Gasparri*, I, n. 393; *Chelodi*, n. 41; *De Smet*, n. 759; *Cappello*, I, n. 231; *Vlaming*, II, n. 401.

[50] *Vlaming*, l. c.; *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c.

[51] Cfr. *De Smet*, n. 759; *Chelodi*, l. c. Quo spectat resp. S. C. de d. Sacr. 16 aug. 1909 in AAS. I, 656.

[52] Ita *Vlaming*, l. c.; *De Smet*, n. 759. Aliter *Cappello*, I, n. 231, qui tenet non posse dispensari intuitu prolis adulterinae vel sacrilegae esse dubium, et *Chelodi*, qui ad opinionem aliorum sese refert, cui videtur consentire **Ferreres, Derecho sacr. n. 489, ex illa ratione** quod celebrato matrimonio facilius obtineri possit legitimatio per rescriptum Principis.

presbyterali et affinitate lineae rectae, consummato matrimonio [53].

Cautiones adhibendae in genere sunt ut removeatur scandalum; ad quod imprimis pertinet ut de impedimento publico dispensatio publice, i. e. in foro externo, detur atque eiusdem rationes aliquo modo notae fiant pro diversitate impedimenti quod est dispensandum; quo spectant etiam quae ad removendum scandalum praescripsit S. Offic., si forte necessaria evaderet dispensatio in ordine sacro vel in sollemni professione religiosa [54]. E contra, nonnunquam ad vitandum scandalum erit necessarium ut dispensatio et celebratio retineantur secretae, ideoque in secreto archivo Curiae inscribenda, v. gr. si duo erant communiter reputati veri coniuges, reapse tamen in concubinatu vivebant, v. gr. quia unus erat sollemniter professus, quod communiter ignoretur, cum in locum discesserint ubi penitus essent ignoti. In particulari, si dispensandum sit super disparitate cultus aut mixta religione, etiam a constituto in mortis periculo exigendae sunt *solitae cautiones*, quibus non requisitis aut denegatis, attento responso S. Officii, 21 iun. 1912 (AAS. IV, 443) dispensatio *certo valida* non est [55].

Tum ex defectu distinctionis in canone factae, tum ex fine propter quem potestas est data, facultas c. 1043 pertinet ad dispensationes dandas sive *ad contrahendum* sive pro matrimoniis iam *contractis;* at non comprehenditur potestas *sanandi in radice* matrimonia iam contracta.

b) **Extra mortis periculum imminentibus nuptiis,** cum omnia ad matrimonii celebrationem iam sunt parata, nec matrimonium sine *probabili* gravis mali periculo differri potest, usque dum a S. Sede dispensatio obtineatur, Ordinarii locorum pollent potestate dispensandi super iisdem impedimentis ac in periculo mortis sub iisdem clausulis in fine c. 1043 statutis (c. 1045 § 1). Atque haec pertinent ad matrimonia *contrahenda*.

At ex § 2 eiusdem c. 1045 facultas eadem extenditur ad matrimonia iam *contracta convalidanda*, si idem periculum sit in mora, *nec tempus suppetat* recurrendi ad S. Sedem.

Hac facultate providetur casui urgenti, qui respectu ma-

[53] Si affinitas lineae rectae, matrimonio nondum consummato, non est exclusa, tandem affinitas haec in tali casu coincidit cum antiqua honestate publica; et consummato matrimonio affinitas coincidit cum antiqua affinitate ex copula licita, quae iam in decreto S. Offic. a. 1888 erat exclusa.

[54] Cfr. *mentem* additam citato decreto S. Offic. a. 1888.

[55] Ita *Chelodi*, l. c.; *De Smet*, n. 762, not. 6; *Ferreres*, l. c. n. 495.

trimonii *contrahendi* habetur per hoc, quod eo momento quo impedimentum detegitur iam omnia sunt parata ad nuptias et simul matrimonium differri nequit sine probabili gravis mali periculo, donec romana dispensatio obtineatur, pro qua obtinenda, saltem extra Italiam, circiter duae hebdomadae ut minimum requiruntur. Nec necessarium est ut antea impedimentum fuisset prorsus ignoratum et tunc primum cognitum, sed satis est si, cum iam omnia sint parata, tum primum ad parochum vel Ordinarium sit delatum [56]. Porro ad effectum cc. 1044 et 1045 censendum est S. Sedem vel Ordinarium adiri non posse, si non nisi per telegraphum vel telephonum adiri queat [57].

Periculum gravis mali sufficit *probabile* ex valde efficaci ratione timendum, nec necessarium est ut sit omnino certum; cum mali natura specialis non determinetur, sufficit malum cuiuscumque generis, modo sit grave, v. gr. gravis infamia, grave scandalum, etiam grave damnum patrimoniale, graves rixae aut iurgia et similia.

Quoad matrimonium contractum *convalidandum* casus urgens simulque gravis mali periculum habetur imprimis in casu in quo matrimonii impedimentum erat ignoratum ab utraque parte, praesertim vero si ab una dumtaxat; eo vero cognito impossibile aut valde difficile evadat ut coniuges vivant per plures dies ut frater et soror, eorum vero separatio fieri nequeat sine periculo scandali aut infamiae [58].

Idem periculum gravis mali exurgere potest in casu nullitatis publice notae, si videlicet pseudo-coniuges sine populi offensione cohabitare non possint, et renuant aut non possint separationem instituere [59].

[56] Commissio Codicis, 1 mart. 1921, ad IV.

[57] Litterae Secret. Status, 10 dec. 1891; S. Offic., 14 aug. 1892 (ASS. XIX, 642); Commissio Codicis, 12 nov. 1922.

[58] Inde praesertim providetur gravissimae difficultati quam experitur confessarius, praesertim ubi impedimentum in notitiam unius dumtaxat coniugis venit, cum haec facultas etiam confessario fiat c. 1045 § 3.

[59] Si *Cappello*, I, n. 234, asserit non obstare facultati Ordinarii quod nupturientes *mala fide rem ad illud discrimen adduxerint*, tali opinioni non puto esse calculum adiciendum. Legislator per amplissimam facultatem comprehendentem impedimenta, in quibus vel ipsa S. Sedes dispensare non solet nisi in casu omnino singulari et ob causam valde gravem, voluit occurrere exurgenti necessitati, non dare *praemium fraudis necessitatem creanti* in finem facilius se liberandi ab impedimento, «fraus sua nemini patrocinari debet». Gravis mali periculum in tali casu non incurrit nupturientibus; sed ipsi sese libere et volentes in illud coniciunt. Ergo Ordinarius consultius abstinebit ab usu potestatis.

Ambitus potestatis *pro casu urgenti* idem est ac *pro periculo mortis* et sub iisdem clausulis, excepta facultate dispensandi *a forma celebrationis*, de qua silet canon, nec extra periculum mortis satis apparet urgens ratio ab ea dispensandi [60].

Quodsi dispensatio iam fuerit a Sancta Sede tempestive postulata et gravissima urgeat causa matrimonium celebrandi antequam dispensatio pervenerit, non adeo clarum est in omnibus et singulis casibus esse locum facultati Ordinariis factae [61*] per c. 1045. Si omnia requisita a iure ante matrimonii celebrationem, v. gr. examina sponsorum et proclamationes, iam fuerint expleta et elapso intervallo temporis intra quod solet pervenire pontificia dispensatio ea nondum venerit, putarem esse locum

---

[60] *Chelodi*, n. 41, 3; *Cappello*, I, n. 234; *Ferreres*, n. 497. Paulo aliter *De Smet*, n. 764, n. 4 qui, ex eo quod in indice alphabetico Codicis sermo sit *de impedimento clandestinitatis*, censet, ubi *forma* non excipitur, eius dispensationem posse forte dici esse concessam simul cum impedimentis: cui opinioni contradicit c. 1043 et argumentum desumptum ex indice alphabetico, habente scopum practicum reperiendi cum facilitate canones de determinata materia agentes, est argumentum valde infirmum, cui vis iuridica non est tribuenda. Hac de re ipse *De Smet* post observationem praefatam addit sententiam severiorem esse magis fundatam, licet exoptet interpretationem authenticam.

[61*] Haud levis discrepantia erat inter auctores cum de relatione inter cc. 81 et 1045 pressius determinanda ageretur. Eratne c. 1045 habendus ut determinatio restrictiva quoad dispensationes matrimoniales, potestatis generaliter concessae Ordinariis in canone 81 pro casibus urgentibus? Affirmative respondebant huic quaestioni nonnulli auctores (cfr. *De Smet*, n. 763), aliis contradicentibus, iuxta quos potestas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus in casibus urgentibus competit Ordinariis locorum non solum intra limites et restrictiones in c. 1045 statutas, sed etiam ultra eas, sc. quotiescumque verificentur condiciones in c. 81 praescriptae (cfr. *Michiels*, Normae generales, II, 486), nec deerant demum qui media via incedentes assererent verba illa « cum iam omnia sunt parata ad nuptias » non habere sensum exclusivum sed indicativum tantum, quatenus exhibent peculiaria adiuncta in quibus haberi solet casus gravis et urgentis necessitatis. Secundum hanc sententiam, possunt locorum Ordinarii vi can. 1042 dispensationem matrimonialem concedere in quolibet casu gravis et urgentis necessitatis; ideo fautores huius sententiae logice omnino tenebant potestatem concessam in c. 81, quod impedimenta matrimonialia totam contineri penitusque absorberi in c. 1045 (cfr. *Cappello*, I, n. 233 ad 5). Si praxis solummodo respiciatur, haec sententia fere confundi videtur cum illa alia, quae utriusque canonis usum intra limites in eisdem descriptos propugnat. Parva tamen differentia assignari poterit in eo quod c. 1045, in sensu amplissimo acceptus, permitteret in quolibet casu urgenti dispensationem ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis duobus ibidem memoratis, nisi quis adhaereat sententiae eorum, qui asserunt dici pose Ecclesiam solere dispensare omnia impedimenta matrimonialia, praeter illa duo expresse in cc. 1043-1045 exclusa, quoties agatur de removendo probabili periculo gravis mali.

dispensationi ab Ordinario dandae, praesertim ubi agitur de impedimento occulto, cum ex natura rei procrastinatio celebrationis, quae fiat ob causam quae manifestari non potest, nata sit inducere infamiam et scandalum, ad quae vitanda illa facultas Ordinariis est facta; insuper in tali hypothesi verificatur quod

---

Finis impositus est huic controversiae per responsum authenticum Comm. Codicis d. 27 iulii 1942, quod sic sonat: « An vi canonis 81, conlati cum canone 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus intra fines eiusdem canonis 81, etsi nondum omnia parata sint ad nuptias. — *R. Affirmative* ». Cfr. AAS. XXXIV, 241; Periodica, XXXII, 103. Haec interpretatio illud habet commodi, sc. quod nullam vim inferat obviae significationi verborum et praeterea gravibus necessitatibus occurrentibus sufficienter provideat. Responsum Commissionis non respicit saltem directe controversiam circa extensionem maiorem vel minorem dandam significationi clausulae « cum iam omnia sunt parata ad nuptias » vel circa naturam iuridicam eiusdem. Nihilominus fortasse possit deduci aliquod argumentum pro stricto sensu huius clausulae ex praedicto responso Commissionis. Admittitur enim expresse usus utriusque canonis quoad dispensationes matrimoniales;asseritur praeterea locum dari applicationi canonis 81, cum nondum sint omnia parata ad nuptias; iam vero cum pro usu potestatis contentae in c. 81 requiratur semper gravis necessitas, sequi videtur clausulam « cum iam omnia sunt parata ad nuptias » non aequivalere simpliciter cuilibet gravi necessitati, sed specialem quandam necessitatem significare. Qua de re dicendum etiam videtur clausulam « omnia sunt parata ad nuptias » induere naturam condicionis sine qua non, ita ut invalide dispensationem concederent, hac deficiente circumstantia, sive parochus, sive sacerdos qui matrimonio ad normam c. 1098, n. 2 assistit, sive confessarius in actu sacramentalis confessionis. De Ordinario loci hac in re nulla est quaestio, cum ipse possit uti potestate contenta in c. 81, quoties non dentur circumstantiae in c. 1045 descriptae.

Si autem quaeratur cur legislator in §§ 1 et 2 canonis 1045 illam circumstantiam « quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias » adiecerit, respondetur a nonnullis hanc restrictionem explicari ex maiore extensione ibidem data quoad impedimenta quae dispensari possunt, cum tantum duo excipiantur. Sed ratio potissima videtur inesse in eo quod legislator intendat in hoc loco describere adiuncta in quibus *parochus* et *confessarius* possint ab impedimentis matrimonialibus dispensare. Praecipua adiuncta exponit in § 1 eisque nova adiungit in § 3, cuius clausula initialis « in eisdem rerum adiunctis » videtur indicare sufficienter rationem cur in prima paragrapho, cum agitur de potestate Ordinarii loci, illa adiuncta incluserit. Non intendebatur ergo restringere potestatem qua Ordinarius gaudebat iam vi canonis 81, sed circumstantias clare determinare in quibus parochi et confessarii possent concedere dispensationes matrimoniales. Illa autem verba « sed solum pro casibus occultis, in quibus *ne loci quidem Ordinarius adiri possit* » opportunam praebebant occasionem loquendi primum de potestate Ordinarii loci, atque hoc modo includuntur in uno eodemque canone omnia quae fieri debent in circumstantiis plerumque casum necessitatis urgentis inducentibus.

omnia iam sint parata ad nuptias nec suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem ad evitandam procrastinationem nuptiarum, ex qua infamia et scandalum orirentur. At attento Decr. S. C. Consist. (25 april 1918), n. 4, 6, non videtur comprehensus casus, in quo pendente recursu ad S. Sedem mere superveniat urgens necessitas obtinendi dispensationem, cum in illo Decreto Ordinariis regionum remotiorum facultas in tali casu ad quinquennium indulgeatur *ultra concessa in Codice*[62]. Manet tamen semper potestas concessa in c. 81.

III. In *impedimento voti*, quando non est reservatum ac dummodo ius tertii non laedatur, Ordinarius potest dispensare iusta de causa ex potestate ordinaria, officio per ius commune adnexa (c. 1313). Reservata non sunt vota virginitatis, non nubendi, suscipiendi ordines sacros, amplectendi statum religiosum in Congregatione; immo etiam votum *privatum* perfectae casti-

[62] Cfr. quoque infra n. 416 not. 68 *de facultate quam concedit* S. C. de d. Sacr. ex gravi urgentique causa et quando periculum est in mora. Memoratae duae potestates Ordinariorum *pro mortis periculo* et *pro casu urgenti*, quamvis multo minore amplitudine, iam iure praecedente erant praeformatae. *Pro periculo mortis* in toties memorato decreto S. Offic., 20 febr. 1888, successivis declarationibus ampliato (S. Offic. 9 ian. 1889; 23 april. 1890; 18 mart. 1891; 13 dec. 1899: cfr. ASS. XXI, 696; XXII, 640; XXVI, 385, 387; XXXIII, 500; Arch. f. k. K. LXXI, 188), per decretum S. C. de d. Sacr. generaliore forma renovato (9 maii 1909; 15 aug. 1909 in ASS. I., 468, 656) et tandem extenso ad omnes assistentes matrimonio in periculo mortis (S. C. de d. Sacr. 29 iulii 1918 in AAS., II, 600).

Pro casu urgenti Episcopis censebatur competere dispensandi potestas ex tacita R. Pontificis voluntate: 1°) in matrimoniis *contractis*, si in facie Ecclesiae essent celebrata, in bona fide saltem unius partis, matrimonium iam esset consummatum, impedimentum esset occultum, difficilis esset recursus ad S. Sedem et separatio sine scandalo aut periculo incontinentiae fieri non posset (cfr. praesertim *Benedictum XIV*, De Syn. dioec. l. 9, cap. 2, n. 1 iunct. S. Offic. aug. 1873). Quae facultas erat pro solo *foro interno*, sed non paucis difficultatibus obnoxia ob magnam sententiarum diversitatem (cfr. praesertim *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 618; *Rossel*, n. 2455 sq.; *Feije*, n. 633 sq.:

2°) In matrimoniis *contrahendis* pariter erat communiter recepta, inde a *Sánchez*, (l. VII, disp. 40, n. 5), qui fuit eius primus propugnator, sententia tribuens Episcopis potestatem *pro foro interno* dispensandi ab impedimentis occultis, quando adesset urgentissima causa magni damni imminentis et recursus ad S. Sedem vel eius Delegatum ne per epistolam quidem esset possibilis tempore utili. Quae sententia, licet argumentis intrinsecis propugnata, quibus accesserat auctoritas extrinseca doctorum, directo S. Sedis decreto aut responso nondum fuerat confirmata et pariter multis controversiis et obscuritatibus erat obnoxia (cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 619; *Gennari*, Consult. mor. I, 374 sq.; *Feije*, n. 636).

tatis et votum ingrediendi religionem votorum sollemnium non sunt amplius vota reservata, si emissa fuerint ante completum decimum octavum annum aut non absolute (c. 1309). Quae potestas valet etiam pro matrimonio contracto, sc. ad petendum debitum.

II. De Ordinariorum potestate dispensandi delegata

414. Eadem S. Sedis Officia, quae competentiam habent in impedimentis matrimonii dispensandis, possunt Ordinariis petentibus concedere facultates dispensandi ampliores pro regionum diversitate *ex delegata iurisdictione* exercendas.

415. Ante Constitutionem « *Sapienti consilio* » de Curia Romana, cum facultates *pro foro interno* darentur a S. Paenitentiaria, facultates *pro foro externo* cum circa rem matrimonialem tum circa alia obtineri poterant a variis Congregationibus, sc. a S. C. S. Offic., S. C. de P. F., S. C. Consist., S. C. pro neg. extraord. et post reformatam Curiam etiam a S. C. de d. Sacr. Quae facultates ex studio uniformitatis tum respectu personarum quibus concedebantur tum relate ad regiones, quarum necessitatibus erat providendum, paulatim in certas formulas congestae et ordinatae sunt. Quare iam ante Urbanum VIII certae occurrunt facultatum formulae, quae deinde ab illo Pontifice Const. « *Operosum* », 10 febr. 1637, in novam formam redactae et approbatae sunt[63]. Quae *formulae* facultatum quemadmodum propter conexionem cum quaestionibus fidei et morum a S. C. Inq. approbari debuerunt, ita etiam ab initio per eandem S. C. immediate cum Episcopis et Vicariis Apostolicis fuerunt communicatae[64]. Deinde vero anteposita approbatione S. Offic. iuxta praestitutam praxim communicatio fieri coepit ab ipsa S. C. de P. F. etiam cum Episcopis ipsi non subiectis, salvo tamen iure

[63] Collect. P. F. n. 141, 142; *Vermeersch*, Periodica XI, (36) sq., refert ad hoc fuisse constitutam Commissionem Cardinalium atque textum exhibet primitivarum formularum ex archivo S. C. depromptum. Quibus formulis primitivis paulatim immutatis et variis accessionibus auctis additae sunt dimidio saec. XIX novae formulae sic dictae extraordinariae.

[64] *Vermeersch*, l. c., (65) sq. ubi notat relate ad missionarios ab a. 1765 coeptum esse relinquere usum recurrendi ad S. Offic. et facultates fuisse expeditas ex audientia SS.mi per Secretariam eiusdem S. C. de P. F. Quae praxis concedendi facultates ex audientia SS.mi in S. C. de P. F. perseveravit usque ad novas formulas post Codicem confectas et 6 febr. 1919 a *Benedicto XV* approbatas, in quibus concessio fit directe ab ipsa S. C. *vigore potestatis* sibi a SS. D. N. tributae. *Vermeersch*, l. c., (70). Idem servatum est in novis Formulis 1 ian. 1941 publicatis; cfr. *Paventi*, Brevis comment. in fac. S. C. de P. Fide.

aliorum Dicasteriorum. Concedebantur autem petentibus *« non passim et pro cuiusque Episcopi* — Vicarii vel Praefecti Apostolici — *merito, sed iuxta antiquam praestitutam praxim* — mutationi tamen obnoxiam — *prout regionum distantia ab Urbe et dioecesium* — vel missionum — *utilitas postulat »* [65]

Post publicatum Codicem, S. C. Cons. de mandato SS.mi Decretum edidit d. 25 apr. 1918 (AAS. X, 191) quo facultates ante Codicem concessae etiam in materia matrimoniali, exceptis facultatibus S. Paenitentiariae, revocabantur in universis dioecesibus iuri communi obnoxiis, licet pro certis regionibus dissitis relate ad matrimonium novae concedebantur. Deinde vero, postulantibus Episcopis, novae paratae sunt formulae facultatum ita ordinatae ut unaquaeque Congregatio facultates concedat in materia ad propriam ipsius competentiam pertinente.

416. *Iure hodie vigente.* I. *Pro foro interno* facultates dispensandi in impedimentis matrimonialibus concedit S. Paenitentiaria per specialem formulam sic dictam pagellam S. Paenitentiariae.

a) In pagella quae nunc datur confessariis legitime approbatis, in ordine ad matrimonium conceditur: 1°) facultas dispensandi commutando in alia paenitentiae vel pietatis opera omnia vota privata, exceptis reservatis (n. V); 2°) dispensandi in matrimoniis *contractis* super impedimento occulto criminis ex adulterio cum fide data, absque ulla tamen machinatione, monitis coniugibus de necessaria secreta inter sese tantum renovatione consensus atque iniuncta gravi et diuturna paenitentia salutari (n. VI). Cfr. *Ferreres,* Theol. mor. II, 843 sq.

b) In pagella quae nunc datur Ordinariis conceditur: 1°) facultas dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti reservati perfectae et perpetuae castitatis qui cum dicto voto contraxit; monendus tamen est ille de obligatione servandi voti extra licitum usum matrimonii et si coniugi supervixerit (n. VII); 2°) dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, in matrimoniis *contractis,* monitis coniugibus de necessaria secreta inter ipsos consensus renovatione et iniuncta gravi et diuturna paenitentia (n. VIII); 3°) idem conceditur ad matrimonia *contrahenda,* iniuncta gravi et diuturna paenitentia.

Quae facultas Ordinariis conceditur ad quinquennium exer-

[65] Instr. S. C. Inq., 16 aug. 1781, in Collect. P. F. n. 147; *Putzer,* 33; *Vermeersch,* l. c., (67) ubi refert qua ratione singulae formulae destinabantur determinatis regionibus.

cenda etiam extra sacramentalem confessionem, atque etiam extra dioecesim quatenus vel ipse Ordinarius vel subditus vel uterque extra dioecesim versentur. Est delegabilis sed pro actu sacramentalis confessionis, canonico Paenitentiario et Vicariis foraneis etiam habitualiter, confessariis in particulari casu pro paenitente ad ipsos recurrente, nisi forte *aliquibus* confessariis ex speciali causa — v. gr. tempore missionis — per tempus statuendum placuerit habitualiter delegare[66].

II. *Pro foro externo*: **S. Officium** facultates dispensandi concedit *pro matrimoniis mixtis,* idque vel ad certum numerum casuum, vel sine limitatione numeri ad quinquennium, i. e. ad annum proximae relationis de statu dioecesis, quo tempore S. Offic. debet doceri de numero dispensationum concessarum [67]; item-

[66] Cfr. Collationes Brugenses, XXIII, 161 sq.; Collationes Gandavenses, X, 203 sq.

[67] Cum maxime intersit scire criterium, quo a S. Offic. dispensatio et facultas dispensandi in matrimoniis mixtis concedantur, formulam concessionis facultatum quinquennalium ex Collat. Brugensibus, XXIII, 410 subicio:

« SS.mus D. N. D. Pius divina providentia Papa XI per facultates R. P. D. Commissario S. Officii impertitas R. P. D. Ordinario N. facultatem benigne concedere dignatus est:

1°) Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento *mixtae religionis,* et, si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter ad praescriptum Codicis i. c. c. 1061 § 2 cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse ad mentem Codicis i. c. c. 1063 § 1 sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae iuxta c. 2319 § 1, stricte ceteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in c. 1063 § 2.

Quodsi partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, praevia eius absolutione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis paenitentiis salutaribus.

2°) *Sanandi in radice* matrimonia *attentata* coram officiali civili

que pro sanandis in radice matrimoniis nulliter contractis ob impedimentum *mixtae religionis* aut *disparitatis cultus*, quae facultas sanandi in radice solum est delegabilis *parochis*, *singulis vicibus* occurrentibus.

S. C. de d. Sacram. pariter Ordinariis petentibus ad dispensanda plura impedimenta dat facultates quinquennales, quibus

---

vel ministro acatholico a suis subditis etiam extra territorium, aut a non subditis intra limites proprii territorii, cum impedimento *mixtae religionis* aut *disparitatis cultus*, dummodo consensus in utroque coniuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi, sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones praestandas, ad praescriptum Cod. i. c. c. 1061 § 1, 2° ullo modo induci nequeat; dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum, super quo Ipse dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem Ordinarius serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei paenitentias imponat, et si casus ferat, eam ab excommunicatione absolvat iuxta Cod. i. c. c. 2319 § 1, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate et prudenter curandi conversionem coniugis ad religionem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius mandet ut singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractae executionis diligenter custodiatur in curia locali, necnon curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libro baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

In singulis autem praefatis sive dispensationibus sive sanationibus concedendis, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem Apostolicae delegationis (C. i. c. c. 1057); et quod attinet ad facultatem sanandi in radice, mens est eiusdem S. C., ut Ipse non nisi parochos singulis vicibus subdelegare possit.

Praesentibus valituris usque ad annum proximae relationis dioecesanae, quo tempore elapso, referatur sive dispensationum sive sanationum concessarum numerus Supremae S. C. S. Offic.

Taxa requiri solita pro qualibet dispensatione, quamque R. P. D. Ordinarius exiget, nisi pro casuum diversitate sit moderanda aut dispensanda ob paupertatem oratorum aliasve iustas causas est 15 franc.

R. P. D. Ordinarius in fine cuiuslibet anni directe mittet ad hanc Suprem. S. C. quas taxas ipse reapse exegerit, « detracta vero quinta parte, quam pro suae quisque dioecesis necessitatibus retinere poterit ».

Ordinarii uti possunt per se vel per alias personas ecclesiasticas idoneas [68].

S. C. de P. F. Ordinariis sibi subiectis, non aliis, nunc quoque amplissimas dat facultates dispensandi, cum in aliis mate-

---

[68] En formulam: « S. C. de d. Sacr. vigore facultatum a SS.mo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, Ordinario N. ... infrascriptas communicat facultates, quibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam c. 1057:

1. Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in c. 1042 recensentur, necnon super impedimentis impedientibus de quibus in c. 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2. Dispensandi *ex gravi urgentique causa*, quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis maioris gradus infra recensitis:

a) consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo;

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3. Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere repeRiuntur.

4. Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus, si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in praesenti folio prae oculis habeantur quae in cc. 1048-1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis praefatis concedendis dispensationibus ut nupturientes, qui pares solvendo inveniantur, aequam oblationem iuxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis. Idem autem Ordinarius in fine cuiuslibet anni, referat ad hanc Sacram Congregationem de numero et specie dispensationum quas vigore praesentis indulti Ipse fuerit elargitus et summam oblationum transmittat, salvo praescripto c. 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

Praesentibus duraturis usque ad annum quo ab Ordinario fieri debet proxima *Relatio dioecesana*, quousque nempe occasione praefatae relationis prorogationem harum facultatum petierit et obtinuerit ».

riis tum in materia matrimoniali. Eas concedit adhibitis novis *formulis* a Pio XII approbatis, quae vigere coeperunt 1 ian. 1941. Relate ad impedimenta matrimonialia formula tam maior quam minor concedit amplissimam potestatem dispensandi [69]. Praeter facultates hucusque dari solitas includitur potestas dispensandi super impedimento aetatis, si vir quatuordecim annos completos et mulier duodecim annos item completos habeat. Omnes facultates concessae circa matrimonium sunt delegabiles. Novae formulae conceduntur indistincte omnibus Ordinariis Missionum nulla habita ratione, ut antea, distantiae ab Urbe vel condicionis organizationis ecclesiasticae actu in territorio existentis.

417. Scholion. Praeter Ordinarios locorum Nuntiis quoque, Internuntiis et Delegatis Apostolicis per Secretariam Status vel S. C. Consist. facultates speciales etiam in materia matrimoniali *delegatae* (cfr. c. 267 § 1, 3°) conceduntur, quae post Codicem in novam formulam stabilem fuerunt redactae. Cfr. illam formulam apud *Verm.-Cr.*, Epit. i. c., I, n. 872, aliosque auctores.

III. De interpretatione et exercitio potestatis ordinariae aut delegatae Ordinariorum

418. Normae generales. Ut Ordinarius recte sua potestate utatur, ante omnia opus est ut prae oculis habeat principia interpretationis potestatis suae sive ordinariae sive delegatae tum generalia tum specialia de hac materia a legislatore proposita et de modo utendi sua potestate.

---

[69] Videlicet: « Dispensandi, canonicis existentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* sive minoris sive maioris gradus (c. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici: exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine, ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, et ex defectu praescriptae aetatis, quando sponsi ad aetatem ab antiquo iure praefixam nondum pervenerint — i. e. ad a. 14 completum pro viris et ad a. 12 completum pro mulieribus — ». Iubentur observari regulae Codicis et praesertim exigi cautiones solitae in matrimoniis mixtae religionis et disparitatis cultus: in particulari vero: « Si agatur de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat ».

Praeterea datur facultas « *Sanandi in radice* matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra, nulliter contracta ». — Item: « *Sanandi in radice matrimonia mixta* attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico ... ». Cfr. nn. 22-28 novissimarum Formularum.

I. Iam vero tum iurisdictio *ordinaria* tum *delegata ad universitatem causarum* latam recipit interpretationem; facultas data ad particularem casum strictam postulat interpretationem. Cum facultates habituales ad dispensandum datae sive in perpetuum sive in praefinitum tempus sive ad certum numerum casuum accenseantur privilegiis praeter ius (c. 66) late interpretandae sunt ad normam cc. 68 et 50.

Lata interpretatio non confundenda cum *extensiva* (c. 67), efficit: 1°) ut qui gaudet potestate generali dispensandi, delegata perinde ac ordinaria, super aliquo impedimento, nisi expresse contrarium edicatur, possit super eo dispensare tametsi sit multiplex — v. gr. multiplex consanguinitas vel affinitas — quod ceteroqui expresse sancitur c. 1049;

2°) ex eadem ratione qui gaudet potestate generali dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, potest ab illis omnibus etiam *publicis* dispensare, tametsi in uno eodemque casu concurrant, quod pariter expresse edicitur [70] cit. c. 1049. Qui c. 1049 videtur esse intelligendus sensu obvio de *determinato* indulto concedente generalem facultatem ad plura impedimenta dispensanda;

3°) quodsi *diversis facultatibus* esset utendum ad dispensanda plura impedimenta in eodem casu concurrentia, *cumulatio* facultatum est permissa ubi cum impedimento natura sua publico concurrat impedimentum occultum seu fori interni [71], non in aliis casibus;

4°) si expressa restrictio non fuit facta, generalis potestas sive ordinaria sive delegata potest exerceri sive in ordine ad matrimonium *contrahendum*, sive ad *contracti* matrimonii *convalidationem* simplicem, excepta sanatione in radice, quae indiget speciali concessione. Cfr. supra, ubi de potestate Ordinarii in periculo mortis et pro casu urgenti;

5°) pariter si expressum non fuit forum pro quo potestas data fuit, valet pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet (c. 202 § 3), et si limitata fuit ad forum internum potest

---

[70] Iure praecedente illa potestas cumulandi erat de regula exclusa et speciali indigebat concessione. Cfr. S. C. Inq., 18 maii 1869, 2 iul. 1884; S. Paenit., 18 ian. 1883; *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 622, not. 108.

[71] S. C. Inq., 18 aug. 1897, iunct. ead. S. C. in c. Coimbat., 31 mart. 1872. « Prohibitionem concedendi absque speciali facultate dispensationes, quando in una eademque causa plura concurrunt impedimenta matrimonialia, non extendi ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurrit impedimentum occultum seu fori interni ». Cfr. *Putzer*, 5 sq., 30.

exerceri in foro sacramentali vel extra-sacramentali, nisi forum sacramentale aut tenor concessionis exigat aut rei natura postulet (c. 202 § 2).

Stricta interpretatio tenori concessionis inhaerens secundum propriam verborum significationem, nihilominus non excludit ea, sine quibus potestas concessa exerceri nequit, quae potius simul intelliguntur concessa (c. 200 § 1; c. 66 § 3); v. gr. includitur in potestate dispensandi etiam potestas absolvendi a poenis, si quae obstent.

419. II. **In usu potestatis:** 1°) Si cum impedimento seu impedimentis *publicis* super quibus *ex indulto* dispensare quis potest aliud impedimentum concurrat super quo dispensari nequeat, *pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet* [72]. Quodsi cum impedimento *publico*, pro quo non habetur facultas dispensandi, concurrat impedimentum occultum, cuius dispensandi facultas habeatur, haec exerceri potest [73]. Pariter si impedimentum, etiam publicum, comperiatur *post impetratam* a S. Sede dispensationem, indultarius sua facultate dispensandi uti potest (c. 1050); quare nunc postquam *acceptum* fuerit rescriptum romanum dispensationis — non *post mere missam petitionem,* de quo casu valet regula sequens, — sive rescriptum fuerit datum in forma commissoria sive in forma gratiosa, iam nihil obstat quominus Ordinarius sua potestate utatur dispensandi ab impedimento publico tum demum comperto.

2°) Si in ordine ad petendam dispensationem impedimenti super quo Ordinarius dispensare potest, praetermisso Ordinario recursus ad S. Sedem directe instituitur, et « petitio dispensationis ad S. Sedem iam missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur », nisi « ex gravi et urgenti causa, et ea lege ut statim S. Sedem de re moneant » (c. 1048 iunct. c. 204 § 2). Ex quo ultimo canone, attenta eius paragrapho prima, apparet potestatem Ordinarii non suspendi, sed solum prohiberi eius usum propter appositionem manus pontificiae extra casum gravis urgentisque causae, v. gr. cum urget celebratio matrimonii, quod sine gravis mali periculo differri nequeat.

[72] Quae dicuntur de potestate dispensandi *ex indulto* non sunt applicanda potestati dispensandi *ordinariae,* v. gr. quoad vota non reservata, quamvis vix cum potestate ordinaria *in praxi* concurrere potest necessitas recursus romani, excepto casu voti non reservati.

[73] V. gr. hodie ex pagella S. Paenitentiariae facile habetur facultas dispensandi in impedimento criminis, quod potest concurrere cum impedimento publico consanguinitatis.

Quae regula videtur etiam obtinere, si missa petitione ad S. Sedem pro impedimento quod ab Ordinario dispensari non potest, dum pendet recursus verificaretur casus c. 1043 aut 1045, ex quo in Ordinario exurgit dispensandi potestas: quare eo in casu sufficeret post factum S. Sedem de dispensatione data monere ad normam c. 204 § 2.

3° Licet in usu potestatis *ordinariae* Episcopus ceterique Ordinarii stricte non teneantur se conformare stilo Curiae, ita ut existente legitima et proportionata causa satis sit ut dispensationis actus convenienti modo exprimatur et impedimentum dispensandum sufficienter determinetur, sed in exercitio potestatis delegatae, praeter clausulas accepti indulti, debent servare stilum et regulas Curiae romanae [74]: dispensatio tamen *informis* etiam ex indulto concessa non est invalida, sed dumtaxat illicita, v. gr. si concessa fuerit oretenus aut per telegraphum aut omissa fuerit praescripta mentio delegationis pontificiae [75]. Praesertim vero cum delegatus nec licite nec valide dispenset sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis impedimenti (c. 84 § 1), ab Ordinariis ex indulto dispensantibus speciali ratione attendendum est quaenam causa ex stilo Curiae seu praxi S. Sedis habeatur ut canonica et sufficiens ad dispensandum, quaenam ut mere impulsiva, sed ex se sola inefficax [76].

420. III. **Prolis legitimatio.** Excepta prole *adulterina* et *sacrilega,* qui potestate dispensandi gaudet sive *ordinaria* sive *delegata per indultum generale,* non modo habet potestatem legitimandi prolem illegitimam, sed eo ipso actu quo sua potestate dispensandi utitur in forma gratiosa proles redditur legitima, quin necessarium sit, ut per specialem distinctum actum proles nuncietur legitima (c. 1051). Porro habetur potestas delegandi per indultum *generale,* quando potestas data est ad universitatem causarum sive in perpetuum sive in tempus praefinitum; immo, attento c. 66 § 1 et oppositione quae fit in c. 1051, etiam facultas

[74] Cfr. S. C. de P. F. Instr. super dispensat. matr., 9 maii 1877; respons. S. Paenitentiariae, 1 iun. 1858; *Rosset,* n. 2463.

[75] Cfr. resp. S. Offic., 12 iun. 1875, ubi « clausulae (dicuntur) servandae esse adamussim, quantum tamen rerum, temporum locorumque adiuncta ferre possunt », nihilominus dispensatio dicitur « quamvis graviter *illicita,* valida tamen, quando data sit informis, propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatae, vel tempus ad quod expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis, vel oretenus tantum concessa sit » (Collect. S. C. de P. F. n. 1444). Porro quoad mentionem delegationis apostolicae c. 1057 sensum habet mere praeceptivum.

[76] Cfr. *Rosset,* n. 2469; *Putzer,* 76 sq.

dispensandi pro certo numero casuum dicenda est haberi per indultum generale [77].

* **421. IV. Potestas delegandi et subdelegandi.** 1°) Ex c. 199 § 1 certo constat potestatem *ordinariam* dispensandi posse ab Ordinariis pro suo prudenti arbitrio delegari sive ex toto sive ex parte, sive generaliter sive particulariter, sive habitualiter sive transeunter, ubi in dispositione *iuris*, quo talis ordinaria potestas data est, aliqua non fuerit facta restrictio. Quare facultates cc. 1043, 1045 Ordinarius, quo voluerit modo, uni vel pluribus libere potest delegare. Qui autem ab Ordinario fuerit *generaliter* seu ad universitatem causarum delegatus, poterit subdelegare in singulis casibus (c. 199 § 3).

2°) Pariter facultates a S. Sede delegatae *per se* ab Ordinariis subdelegari possunt, sive transitorie ad actum particularem, sive habitualiter ad plures actus, nisi aut fuerit electa industria personae aut subdelegatio prohibita vel restricta (c. 199 § 2). In materia dispensationum matrimonialium non solet esse electa industria personae.

Restrictio aliqua in hac parte fieri solet. Cfr. n. 416 de pagella S. Paenitentiariae et not. 67 hoc capite de facultate data a S. Officio. At in facultate quae datur a S. C. de d. Sacr. etiam expresse dicitur Ordinarium uti posse facultate « sive per se sive per alias idoneas personas ad hoc specialiter deputandas ». Cfr. not. 68 hoc capite. In formulis facultatum, quae dantur a S. C. de P. F. et ad plures diversasque materias pertinent, ponitur clausula quod solae facultates asterisco notatae *subdelegari* possint: sed in utraque formula notantur asterisco facultates datae relate ad dispensationes matrimoniales.

Scholion. Vicarius Generalis non indiget subdelegatione ut possit exercere facultates delegatas Episcopo vel Ordinario loci concessas, cum hae ex dispositione iuris (c. 66 § 2) ipsi quoque competant.

422. V. Cessatio facultatis dispensandi. Potestas delegata ad dispensandum ab impedimentis cessat ad normam c. 207. At potestas delegata quae habetur ex facultate generali S. Sedis ita

[77] Etiam iure praecedente potestas dispensandi, quae esset ordinaria vel delegata generalis includebat potestatem legitimandi prolem, sed legitimatio debebat concedi actu distincto a dispensatione in qua non includebatur: quod ius praecedens c. 1051 retentum est pro dispensationibus per rescriptum in casibus particularibus datis; quare curandum est ut in supplici libello ad S. Sedem misso opportuna mentio fiat, si casus ferat, legitimationis prolis. Cfr. resp. S. C. de d. Sacr., 29 ian. 1909, in *AAS.* I, 214.

nunc adnectitur muneri Ordinarii, ut sub eadem amplitudine et tempore transeat etiam ad Ordinarios qui in regimine succedunt, v. gr. ad Vicarium Capitularem, ad Pro-vicarium vel Pro-praefectum Apostolicum etc. (cfr. c. 198 § 1 iunct. Decr. S. Offic., 24 nov. 1897, 20 april. 1898): quare facultates istae habituales, tametsi concedant potestatem delegatam, haec non cessat resoluto iure Episcopi potestatem detinentis aut quomodocumque cessante eius officio vel mandato.

Cum facultates generales dispensandi ad tempus datae vel ad certum numerum casuum cessent per *lapsum temporis* aut *exhausto numero casuum*, curandum est ut tempestive renoventur, ne quis utatur facultate ultra tempus concessum aut casus permissos, salvo valore actus per *oblivionem* seu *inadvertentiam positi* ultra limites concessionis cum agitur de potestate *pro foro interno* data [78] ad normam c. 207 § 2. Quam dispositionem c. 207 § 2, S. C. de P. F. formulis facultatum, quae ab ipsa dantur, extendit etiam ad facultates *pro foro externo* concessas [79]. S. C. de P. F. concedit nunc facultates ad decennium valituras [80]; terminus a quo incipit haec computatio est 1 ian. 1941 et proinde hae facultates expirabunt semper simul cum anno in quo a ple-

[78] Pagellae et facultatibus S. Paenit. iam inde ex a. 1891 sq., addebatur clausula: « *Mens nostra est, ut si forte ex* oblivione *vel* inadvertentia *ultra praedictum terminum* (i. e. trium vel quinque annorum) his *facultatibus Vos (te) uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae* ». Cfr. *Putzer*, l. c., 432 sq., S. C. de Prop. F. quoad *renovationem* facultatum 16 ian. 1797 declaravit: « *Facultates concessas* — si renovatio earum absque *culpa Episcopi* retardata fuerit — *valere etiam post elapsum tempus concessionis usque ad novae prorogationis concessionem* ». Hoc ipsum nunc ponitur in clausulis finalibus formularum S. C. Qui favor non suffragatur Episcopo culpabiliter *negligenti* prorogationem facultatum *tempestive* petere, ut testantur Bened. XIV, Const. « *Cum venerabilis* », 17 ian. 1757 § Denique; *Zitelli*, Appar. 58; *Putzer*, l. c., 54 sq. Nam per se facultates lapsu temporis vel exhausto *numero* casuum exspirant, ita ut dispensatio ultra concessa sit irrita. Cfr. S. C. Inq., 22 nov. 1865, ad 5. Quare iuxta iterata responsa S. C. de Pr. Fr., v. g. 2 febr. 1831 et 5 iul. 1841, Episcopi imprimis curent *renovationem* facultatum *tempestive* saltem *postulandam*, ut facta postulatione legitime intelligantur prorogatae.

[79] Antea, ut aiebant auctores (cfr. *Vermeersch*, Period. XI, (78) n. 47, oblivio vel inadvertentia debebant respici solum in eo cui facultas generalis facta esset, non in subdelegato. Nunc vero in casu oblivionis vel inadvertentiae concessiones omnes factae ultra decennium tum ab Ordinario tum a missionariis, qui ab eo acceperunt potestatem delegatam, uti ratae et validae habentur (cfr. animad. III in fine utriusque novae Formulae).

[80] Confer supra clausulam appositam in formula S. Offic. et in formula S. C. de d. Sacr. n. 416 et not.

risque Ordinariis Missionum (cfr. c. 340 § 2) debet transmitti ad S. Sedem relatio status Missionis.

423. VI. Personae in quas exercetur. *a*) Ex generali regula potestas tam ordinaria quam delegata exercetur in subditos ratione domicilii vel quasi-domicilii aut actualis commorationis si agitur de vago, non in alios nisi expressa fiat extensio potestatis.

Illa expressa extensio fit c. 1043 in potestate dispensandi *in articulo mortis*, quae, praeter subditos, permittitur exerceri in *omnes in proprio territorio actu degentes*. Pariter talis extensio videtur facta in c. 1045 pro casu urgenti [81]. Expressa quoque fit extensio *ad peregrinos* quoad potestatem dispensandi in votis non reservatis c. 1313, 1°.

Praeterea illa extensio fieri solet — at non semper — cum dantur generales facultates dispensandi; cfr. supra formulam S. Offic. et S. C. de d. Sacr.).

Licet Ordinarius *directe* non possit dispensare nisi *dioecesanum* sensu explicato, cum agitur de impedimento *absoluto* se tenente ex una tantum parte, v. gr. in impedimento voti, at in impedimentis *relativis* ex utraque parte se tenentibus, v. gr. in consanguinitate, affinitate etc. dispensando cum dioecesano *indirecte* alteram partem extraneam ab impedimento liberat: sufficit ergo in hisce impedimentis ut sit subdita *una pars* i. e. alterutra, excepta disparitate cultus et mixta religione in quibus oportet ut sit subdita pars *catholica;* nam cum haereticis *non conversis* Ecclesia formaliter non dispensat, unde inferiores R. Pontifice etiam impedimenta in sola parte acatholica existentia relaxare non possunt et si in casu particulari esset relaxandum, petitio a parte catholica esset exhibenda competenti auctoritati, i. e. praecisa peculiari facultate S. Sedi [82].

---

[81] *Cappello*, I, n. 252; *Vermeersch*, Periodica, XII, (66). In casu cum facultas fiat « sub clausulis in fine c. 1043 statutis » extensio, quae in hoc altero canone fit, videtur pertinere ad clausulas finales. Immo citati auctores putant non obstante c. 201 § 1 mutatam esse in Codice disciplinam, et potestatem *dispensandi*, non alios iurisdictionis actus, attentis canonibus citatis et cc. 1245 ac 1313, posse generatim excerceri in non subditos in proprio territorio actu degentes; quae generalizatio doctrinae de facultate dispensandi in favorem peregrinorum in iure non habet solidum fundamentum, sed potius videtur applicandum principium « exceptio firmat regulam in contrarium »; regula autem contraria in casu erit regula c. 201 § 1. Cfr. *Chelodi*, De personis, n. 87. Aliter iure praecedente; cfr. *Wernz*, Ius. Decret. IV, n. 622,not. 104, IV; *Putzer*, 67 sq.

[82] Cfr. Reg. 66 Cancell. Apost.; *Putzer*, 63 sq.; Instr. S. Offic. ad Ar-

b) Ordinarius, sive ex potestate ordinaria agat sive ex delegata, novo iure Codicis [83] dispensare potest, sive ipse dispensans extra territorium versetur, sive subditus e dioecesi sit absens (c. 201 § 3), nisi aliter statuat ius aut tenor facultatis concessae [84]. Quare Ordinarius in hac materia dispensationis matrimonialis extra dioecesim versans, idem potest quod in dioecesi degens; erga *subditos* suam potestatem exercere potest sive praesentes in dioecesi sint sive absentes; *non subditos* tantum dispensare potest dum in dioecesi actu commorantur, si eius potestas etiam in non subditos extenditur, idemque valet pro *vagis*, qui ei non subduntur nisi ratione actualis commorationis.

c) Si agatur de dispensatione, quae a S. Sede Ordinario *exequenda committitur*, standum est praescriptis c. 1055.

d) Dispensationes matrimoniales *cum regibus ac regiae stirpis principibus* concedendae reservantur S. Sedi nec censeri possunt comprehensae in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, iuxta declarationem S. C. de d. Sacr., 7 mart. 1910, iussu Pii X editam: quae declaratio, licet in Codice non sit relata, satis intelligitur etiam nunc valere, tum quia sese referebat

---

chiep. S. Iacobi de Chile 17 maii 1869; *Cappello*, I, n. 252; *Vermeersch*, Periodica XII, (66).

[83] Iure praecedente facultates apost. *ubique* ab Episcopo adhiberi poterant etiam *extra* dioecesim in subditum proprium *pariter* extra dioecesim constitutum, nisi indulto adiuncta esset clausula: « *Nec illis possit uti extra fines suae dioecesis* ». Quae clausula ita intelligenda erat ut saltem *subditus, non Episcopus*, tempore exercitii facultatis actu in dioecesi versaretur (cfr. S. C. Inq. 22 nov. 1865, 2 maii 1877, 19 ian. 1885, nisi non obstante clausula speciale obtineretur indultum « *ut Ordinarius* (per seipsum) *etiam subditis extra dioecesim morantibus dispensationem* (ab impedimentis matrimonialibus) *indulgere possit, dummodo in aliena dioecesi saltem quasi-domicilium ad normam iuris contraxerint* ». Cfr. *Putzer*, l. c., 71 sq.; *Rosset*, l. c. n. 2484, 2501.

[84] In formulis S. C. de P. F. ponitur illa clausula: « Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat *intra fines suae iurisdictionis* ». Quam clausulam *Vermeersch*, Periodica XI, (76) putat esse intelligendam secundum c. 201, ita ut iisdem limitibus facultates concludantur, quibus iurisdictio ad normam illius canonis non aliis, cui consentit *Iglesias*, Comment, in Facult. S. C. de P. F., 22, iuxta quem pariter usus et exercitium facultatum etiam *extra territorium* competit, cum versantur circa iurisdictionem *voluntariam* seu gratiosam, nisi *terminus* facultatis sit in ipso territorio, v. gr. erectio Viae Crucis. Porro cum clausula non restringat exercitium ad *territorium* sed ad *limites iurisdictionis* et agatur de formula continente plures et inter se valde diversas facultates, interpretatio facta ad normas iuris communis videtur esse probanda.

ad facultatem non solum *concessam* sed etiam futuro tempore cuilibet et quavis forma *concedendam*, tum etiam quia talis causa semper habita est ut *causa maior* R. Pontifici reservata, quae non nisi speciali facta mentione aliis committatur.

§ III. De potestate dispensandi parochi, confessarii et sacerdotis

424. Codex sat amplam potestatem dispensandi tribuit *parochis, confessariis* aliisque *sacerdotibus*, ita ut, attenta etiam potestate quae datur Ordinariis, iam non amplius recurrendum sit ad difficiles solutiones propositas a doctoribus, pro *casu* sic dicto *perplexo*.

425. I. **Parochi.** *a) In periculo mortis* (c. 1044) gaudent eadem potestate dispensandi a forma et ab impedimentis, qua instructi sunt Ordinarii secundum modum et condiciones traditas in paragrapho praecedente. Quae potestas parocho non competit nisi cum, nedum S. Sedes, sed nequidem « *loci Ordinarius adiri possit* »: illa autem impossibilitas saltem Ordinarium adeundi tunc adest, cum nupturiens in periculo mortis constitutus prudenter timetur moriturus aut sensibus destituendus, antequam instituto ad Ordinarium recursu eius dispensatio obtineatur aut, tametsi per tempus Ordinarius adiri queat, non tamen sine gravi exorituro gravamine, praesertim ob singulare periculum sigillum aut secretum violandi. Quod ad defectum temporis attinet, censetur ad Ordinarium tempestive recurri non posse, si recursus fieri nequeat nisi via telegraphica aut telephonica [85]; non adest impossibilitas si per litteras aut personaliter sine gravi incommodo recursus fieri possit, dum impedimentum detegitur;

b) In casu urgenti (c. 1045) extra mortis periculum, *cum omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium differri possit sine probabili periculo gravis damni* pariter parocho competit eadem potestas, quae Ordinariis datur ad dispensanda impedimenta, non autem in *forma celebrationis* [86]; sed solum *pro casibus occultis* et *si Ordinarius* tempestive ad obtinendam eius dispensationem *adiri non possit* vel non nisi cum periculo violationis secreti.

Quare haec facultas, sicut praecedens, valet tum ad *contrahendum* matrimonium tum ad *contractum* convalidandum per

---

[85] Cfr. Litt. Secr. Status 10 dec. 1891; S. Offic. 14 aug. 1892, iunct. Collat. Brugenses. XII, 408, XIII, 405.

[86] Cfr. quod dictum est de potestate Ordinarii in paragrapho praecedente.

convalidationem simplicem (c. 1045 § 2), estque potestas *ordinaria* [87] ideoque delegabilis sive ad casum particularem sive etiam habitualiter, v. gr. in casu particulari ei qui matrimonio determinato ex delegatione legitima parochi assistit, vel habitualiter v. gr. vicariis cooperatoribus, qui forte delegati sint ad assistendum matrimoniis in paroecia celebrandis [88].

Utraque facultas sub *a)* et *b)* valet pro subditis et pro peregrinis actu commorantibus, sicut dictum est de potestate Ordinarii. Principia quae tradita sunt de interpretatione et usu seu exercitio potestatis Ordinarii valent etiam de potestate parochi quatenus locum habeant.

426. II. **Simplex sacerdos** qui nec parochus sit nec confessarius, quando in defectu parochi vel Ordinarii aut alius sacerdotis rite delegati, qui sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeunt, vocatur ad assistentiam praestandam matrimonio ad normam c. 1098, 2° eadem potestate dispensandi pollet, quae competit parocho sive pro casu urgentis mortis periculi sive pro casu urgentis necessitatis non procrastinandi matrimonium ad normam cc. 1043, 1045. Facultas in tali sacerdote, deficiente officio cui adnectatur, est evidenter *delegata* [89].

427. III. **Confessarius** tum *urgente mortis periculo*, tum *nuptiis imminentibus* quae sine periculo gravis damni diferri non possint, tum urgente eadem necessitate pro *convalidando matrimonio iam contracto*, eandem habet potestatem ac parochus, sed tantum *pro foro interno in actu sacramentalis confessionis* [90]. Ur-

---

[87] *De Smet.* n. 792, 799; *Cappello*, n. 236; *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 353; *Chelodi*, n. 44. Ceterum de iure Codicis relate ad parochum, qui verum et stricte dictum habet officium, non potest esse dubium, attento c. 197 § 1, quod potestas haec a iure antecedenter tali officio adnexa dicenda sit *ordinaria* perinde ac est ordinaria eadem potestas prout consideratur in Ordinario.

[88] Delegatus a parocho ad assistentiam matrimonio praestandam sive pro casu particulari sive ad universitatem causarum, nisi fuerit a parocho *etiam ad dispensandum* delegatus, non pollet potestate quae *parochis* datur cc. 1043, 1045. *Verm.-Cr.*, Epit. i. c., II, n. 311. Aliter *Cappello*, I, n. 237, *Chelodi*, n. 44, a quibus allegatur c. 200 § 1; at assistentia *qua talis* est valida sive obstet sive non obstet matrimonio impedimentum aliquod. Etiam ad rem non pertinet responsum S C. de d. Sacr. 29 iulii 1910 (AAS. II, 650).

[89] Ceterum de huius facultatis delegatione quaestio esse non potest, cum ab ipso iure concedatur cuilibet sacerdoti, qui in memoratis adiunctis matrimonio assistit.

[90] De confessario dispensante in *casu perplexo occulto* in c. 1045 non expresse dicitur, sicut in c. 1043, quod eius dispensatio sit restricta ad forum sacramentale, sed satis videtur intelligi ex qualitate *confessarii*

gente mortis periculo ex c. 882 *quilibet sacerdos* est de iure confessarius.

428. Scholion. Potestas *confessarii qua talis* est potestas restricta ad solum forum internum sacramentale, ad quod forum ex natura rei pertinent impedimenta *natura sua* et *facto occulta*, ex confessione sacramentali cognita. Ideo confessario in cc. 1043, 1045, facultas non datur nisi pro dispensandis impedimentis *natura et facto* occultis: quae dispensatio in foro sacramentali data, nequaquam adnotanda, non liberat ab obligatione obtinendi novam dispensationem pro foro externo (c. 1047). Quare confessarius ad quem a paenitente in mortis articulo defertur impedimentum natura sua publicum, tametsi facto sit occultum, in memoratis adiunctis debet illum remittere ad parochum, vel ex paenitentis licentia petere ipse dispensationem pro foro externo, nisi forte confessarius ad normam c. 1098, 2° esset sacerdos vocatus ad assistentiam; tunc enim paenitenti iniunget ut extra confessionem impedimentum manifestet, ut possit illud pro foro externo dispensare [91]. Impedimentum sic pro foro externo dispensatum a dispensante — parocho vel sacerdote — debet deferri ad Ordinarium tanquam sublatum per dispensationem ad tenorem c. 1043, ad hoc ut ex Ordinarii iniunctione adnotetur in libro matrimoniorum. Quodsi ad confessarium deferatur *imminentibus nuptiis* impedimentum natura sua publicum, confessarius nupturientem debet remittere ad Ordinarium vel ad parochum ut ad Ordinarium recurrat [92].

---

et quia non est verisimile maiorem ipsi dari potestatem quam in articulo mortis. *Verm.-Cr.*, l. c. n. 312.

[91] Animadvertendum est quod in articulo mortis potest dispensari a *forma* et consequenter a praesentia sacerdotis *competentis*; unde confessarius semper esse poterit sacerdos qui assistat matrimonio ad normam c. 1098, 2° si ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis necesssitas adsit dispensandi impedimenti fori externi, cui facultas dispensandi competit etiam pro foro externo. Quare confessarius in periculo mortis semper poterit providere urgentissimae necessitati celebrandi matrimonium aut convalidandi iam contractum, per dispensationem, quae, ubi id exigat natura impedimenti, detur pro foro externo et adnotari debeat.

[92] Cfr. *Cappello*, I, n. 238, ubi refellit opinionem contrariam de potestate confessarii sese extendente ad impedimenta publica propugnatam in Monitore XXXII, 59 sq. et in Nouv. Rev. Theol. XLVII, 261 sq., etiam secundum specialem explicationem ab hac ephemeride datam; quae explicatio profecto pugnat cum natura ipsa fori interni sacramentalis, nec aufert fraudem, qua *per se* inducerentur fideles ad recurrendum ad forum sacramentale ad extorquendam dolo malo dispensationem, reservata

Relate ad parochum, is *imminente mortis* periculo pollet potestate *pro foro externo et pro foro interno*: qua potestate uti debeat eruendum est ex natura impedimenti. In impedimentis *natura et facto occultis* danda est dispensatio *pro foro interno;* in hoc tamen differt a confessario, quod parochus non artatur ad dispensationem dandam in foro interno sacramentali, sed potest eam dare in foro interno *extra-sacramentali,* tuncque urget obligatio c. 1047 adnotandi dispensationem datam in libro secreto Curiae, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria; occurrente enim oppositione fori externi, per talem adnotationem in libro secreto repertam illa oppositio eliditur. In impedimentis publicis dabit dispensationem pro foro externo.

Quodsi ad parochum *imminentibus nuptiis* deferatur impedimentum publicum in sensu canonis 1037, sed *facto* occultum, quod videlicet in foro externo probari possit, nunc vero de facto paucissimis sit notum et prudenter iudicari debeat difficile divulgatum iri, tale impedimentum [93*] ita est auferendum, ut dis-

---

sibi potestate impugnandi in foro externo efficaciter matrimonium valide contractum illudque dissolvendi. Cfr. quoque *Chelodi,* n. 45, ubi in not. 3, illi explicationi timide adhaeret.

At vicissim *Chelodi,* l. c., eadem timiditate adhaeret explicationi, quod *parocho,* pro quo non verificantur allatae rationes de confessario, cum eius potestas fori interni non sit restricta ad forum sacramentale, tribuatur per c. 1045 facultas dispensandi non solum in impedimentis natura et facto occultis, sed generatim in impedimentis occultis iuxta stilum S. Paenitentiariae; quam explicationem pariter proponit *De Smet,* n. 793 not., quin tamen pro praxi audeat eam sequi. *Cappello* vero, ex illa ratione quod *casus occultus* non sit idem ac *impedimentum occultum,* sine haesitatione putat impedimentum natura sua *publicum* sed *facto occultum* posse a parocho dispensari in foro interno non sacramentali.

[93*] Declaratio authentica, quam olim de hac quaestione dubia desiderabat P. Vidal, data est a Commissione Codicis d. 28 dec. 1927; AAS. XX, 61. En responsum Commissionis: « An verba « pro casibus occultis » canonis 1045 § 3 intelligenda sunt tantum de impedimentis matrimonialibus natura sua et facto occultis an etiam natura sua publicis et facto occultis. R. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ». Ex hoc responso deducitur casum occultum non debere confundi cum impedimento occulto, quod iuxta c. 1037 eiusmodi debet esse ut in foro externo probari non possit. Si ergo dentur casus, in quibus imminentibus nuptiis detegant parochus aliique memorati in c. 1044 impedimentum quod probari sane posset in foro externo sed hic et nunc de facto est occultum, illi casus sunt dicendi vere occulti et consequenter applicationem habere poterunt quae in c. 1045 § 3 praescribuntur; cfr. *Cappello*, I, n. 236, d; Monit. eccl. XL, 75; Period. XVII, 42. Itaque non requiritur ut impedimentum in his casibus sit occultum in sensu canonis 1037, i. e. *indemonstrabile in foro externo,* prout nonnulli voluerunt (cfr. Ius Pontific. VIII, 4, 36) sed sufficit ut de facto hic et nunc sit

pensatio concessa valorem iuridicum habere possit, si forte dein publicum de facto evadat impedimentum. In hoc casu ad dispensationem concedendam est competens primo et per se Ordinarius, secundario vero, i. e. si ne loci quidem Ordinarius adiri possit vel non nisi cum periculo violationis secreti, parochus vel sacerdos assistens ad normam canonis 1098, n. 2. Semper manet obligatio adnotationis — cc. 1046, 1047 — quae evidenter refertur ad omnes canones praecedentes et pro natura impedimenti et dispensationis iniungitur facienda in libro publico matrimoniorum aut in secreto, quod caute in speciali tabulario asservatur [94]. Quae adnotatio etiam in casu dispensationis pro foro interno non sacramentali eo spectat ut vitetur, quantum fieri possit, conflictus inter forum internum et externum, qui in hac materia specialem indueret gravitatem; cum enim dispensatio vere auferat impedimentum efficiatque ut matrimonium subsequens sit validum, defectus probationis efficeret ut habendum esset invalidum. Per annotationem factam ad normam canonum 1046-47 possibilitas conflictus restringitur iam ad solum casum dispensationis datae in foro sacramentali, ex quo nulla probatio pro foro externo peti potest; qui conflictus solum *per accidens* evenit, si dispensatio in tali foro data restringitur ad casum impedimenti et natura sua et facto occulti, cuius publica notitia solum *per accidens* habebitur tumque est auferendum per novam dispensationem pro foro externo postulatam et obtentam (c. 1047).

---

occultum, licet probari possit in foro externo et forte olim de facto publicum fuerit vel in posterum fieri possit. In responso enim non agitur simpliciter de impedimentis occultis, quorum notio est clare tradita in c. 1037, sed de impedimentis *facto* occultis, cuius vocabuli additione indicari videtur hanc novam locutionem habere latiorem sensum ac impedimentum occultum. Ceterum, iam ante hanc responsionem authenticam rationabiliter ambigi non poterat quin locutio « pro casibus occultis » canonis 1045 § 3 significaret saltem casum impedimenti occulti in sensu canonis 1037, in quo iam restricta fuerat norma antiqui iuris; controvertebatur solummodo utrum casus occultus latius pateret ac impedimentum occultum atque haec controversia videtur iam soluta in sensu affirmativo. Incommodum, quod in hac re forte obvenire posset, apte vitatur per monitionem transmissam Ordinario de dispensatione concessa in foro externo et per annotationem factam in libro matrimoniorum ad normam canonis 1046. Si autem haec fieri nequeant ob rationes speciales, documentum dispensationis concessae in foro interno non sacramentali servari poterit in archivo secreto et rem cum S. Paenitentiaria communicare, si ratio secreti servandi impediat deferre eam ad Episcopum; cfr. *Verm.-Cr.*, II, n. 311.

[94] Ad habendum autem impedimentum publicum sufficit ut factum ex quo oritur sit publicum, ut declaravit Comm. Cod. d. 25 iun. 1932; cfr. AAS. XXIV, 284.

Art. 2. - De causis dispensationum matrimonialium

429. Omnis dispensatio matrimonialis ut *licite* a *qualicumque* Superiore ecclesiastico concedatur, requirit causam *iustam* et proportionatam (c. 84 § 1) [95]. Quodsi gravius sit impedimentum, gravior causa est necessaria, cum in dispensatione levioris impedimenti levior quoque sufficiat causa canonica. Si R. Pontifex *in casibus sibi permissis* dispenset super impedimento *quodam iuris divini*, dispensatio *absque iusta causa* facta etiam *nulla* et irrita existit [96]. Item si ab inferiore Praelato sive ex potestate *ordinaria* sive ex *delegatione* Apostolicae Sedis super impedimento matrimoniali, *communi* iure canonico constituto, *sine* legitima causa dispensetur, *irrita* est dispensatio [97]. Ipsi quoque RR. Pon-

---

[95] Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr., Sess. XXV, cap. 18, de ref.; Instr. S. C. de Prop. F. 9 maii 1877; *Suarez*, De leg. lib. VI, cap. 18; *Giovine*, I, 107; *Rosset*, n. 2519; *Feije*, n. 649; *Putzer*, 76 sq. 112, 382 sq., 377, 412.

[96] *Sánchez*, lib. VIII, disp. 17, n. 3; *Suarez*, De leg. lib. II, cap. 14, lib. VI, cap. 12, n. 3.

[97] *Suarez*, lib. VI, cap. 19; *Sánchez*, lib. VIII, disp. 17, n. 4, 27 sq.; *Rosset*, n. 2521.

Quo ex principio textus iam facile videtur posse resolvi quaesitum, num postquam R. Pontifex propter *insufficientiam causae reiecit* preces ad dispensationem matrimonialem obtinendam adiri possit, *eadem* causa allegata, inferior Praelatus qui ex potestate quadam *ordinaria* vel *delegata* super impedimentis iuris *communis* dispensare valet. Qua in in re per merum *recursum* ad R. Pontificem non ligatur potestas dispensandi istorum inferiorum Ordinariorum; nullo enim iure cautum est R. Pontificem per manuum appositionem in ipso recursu causam sibi reservare, ut recte defendit *D'Annibale*, Summula P. I, n. 77, cum communi sententia contra Corradum et De Iustis, et firmatur c. 204. At postquam R. Pontifex propter insufficientiam causae allegatae dispensationem negavit, inferior Praelatus ex *eadem causa* non videtur posse licite valideque dispensare, etiamsi huius repulsae fiat mentio. Cui sententiae merito calculum adiciunt: *Rosset*, n. 2544 sq.; *Gury-Ferreres*, Casus consc., I, n. 121; *Zitelli*, De dispens. matr., 70, aliique v. g. *Ballerini-Palmieri*, *Sánchez*, nec quoad rem contrarius est *Putzer*, 56 sq., 97 sq. Aliter opinatur: *D'Annibale*, l. c., cum *Suarez*, *Schmalzgr.*, aliisque, v. g. *Matharan*. Nam quamvis R. Pontifex per *meram negationem* dispensationis non *tollat* potestatem dispensandi in illis Ordinariis inferioribus, nisi ipsius usum expresse prohibeat cum clausula irritante, tamen certe eandem facultatem *non extendit ad casus nunquam in illa comprehensos;* at nullus Praelatus inferior in lege pontificia sine iusta causa licite valideque unquam dispensare potest. Quae sententia videtur claram confirmationem accipere ex cc. 43, 44. Quodsi huic sententiae quandoque additur limitatio: « *Nisi evidenter constet causam dispensandi esse iustam atque prudenter praesumatur in Curia Romana causam non satis*

tifices, licet absque iusta causa super impedimentis *mere* canonicis *valide* dispensent, tamen de facto, cum *nolint illicite agere*, validam dispensationem sine sufficienti causa dare non intendunt, ideoque causa iusta non verificata vel ipsa dispensatio pontificia valore caret [98]; at sine causa fuisse datam non est praesumendum.

In exigendis causis multo severior erat antiqua Ecclesiae disciplina, sub qua et rarius concedebantur dispensationes et solum ob multo graviores causas; cuius antiquae severitatis adhuc vestigium mansit in Conc. Tridentino (Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr.). Hodie, mutatis temporum condicionibus, ex studio consulendi bono animarum multo benigniorem sese ostendit Ecclesia.

430. Causae, quae in concedendam dispensationem influere possunt, *dividuntur*: I. In causas *finales* sive *motivas* et in causas *impellentes*. Causae motivae dicuntur illae, quae Superiorem ecclesiasticum ad ipsam dispensationem concedendam principaliter determinant, sive a quibus ipsa *existentia* dispensationis quoad *substantiam* dependet; causae vero impellentes eae appellantur, a quibus dispensationis concessae existentia non quoad substantiam, sed tantum quoad aliquam *circumstantiam* mere *accidentalem* pendet; v. g. si ad causam motivam aliqua causa impellens accedat, *facilius* vel *citius* minoreque repugnantia dispensatio conceditur [99].

II. In causas *sufficientes*, quae solae ex sese suppeditant motivum iustum et proportionatum dispensationis legitimae, et in causas *insufficientes*, quae aut *nullum* valorem habent aut tantum *alteri iunctae*, v. g. si mulier aetati superadultae sit proxima, completam causam motivam constituunt aut solummodo vim causae *impellentis* habere possunt [100]. Practice haec divisio non differt a praecedente.

III. In causas *canonicas*, quae in iure vel secundum stilum Curiae Romanae sive solae sive iunctae cum aliis tanquam ordinariae causae motivae expresse et specifice recensentur, et in

fuisse expositam » haec, attenta sollicita cura et aequitate canonica, qua in Curia Romana dispensationes matrimoniales expediri solent, spectant ad theoreticas subtilitates, sed absque temeritate in Praelato inferiore vix unquam habent usum practicum. Cfr. Praxis Dat. Ap. n. 25.

[98] Benedict. XIV Const. « *Ad Apostolicae* » 25 febr. 1742, pr. et § 1. Praxis apostolicarum dispensationum super impedimentis matrimonii secundum reformatas formulas Apostolicae Datariae edita iussu Em. Card. Pro-Datarii Caietani Aloisi-Masella, Romae 1902, p. 15 sq.; *Sánchez*, l. c. n. 23 sq., disp. 18, 19, 20; *Giovine*, l. c., 108 sq.; *Rosset*, n. 2520.

[99] *Giovine*, 112 sq.; *Rosset*, n. 2604 sq.

[100] Formulae Datar. Apost. (princ.); *Leitner*, 423 sq.

certas *rationabiles causas*, quae licet sua vi non careant, tamen inter *ordinarias* causas canonicas non referuntur. Quare si propter illas dispensatio matrimonialis dicitur concedi « *sine causa* », non qualiscumque causa legitima, sed una ex ordinariis causis canonicis excluditur [101]. At hodie in praxi S. C. de d. Sac. illa distinctio non fit, sed tantum requiritur causa impedimento proportionata.

IV. In causas *honestas* sive *non infamantes* et causas *infamantes*, quae etiam *inhonestae* dicuntur. Priores neque crimine neque diffamatione sponsorum nituntur, posteriores fundantur aut in delicto aut saltem in diffamatione nupturientium [102].

431. Causae canonicae [103] honestae sunt: I. Angustia loci [104]. — II. Aetas feminae superadultae [105]. — III. Deficientia aut incompetentia dotis [106]. — IV. Paupertas viduae filiis (numerosa et nondum adulta prole) gravatae. — V. Bonum pacis [107] (vel

[101] *Putzer*, 77; *Leitner*, 431 sq.

[102] *Feije*, l. c. n. 649, 650.

[103] Instr. S. C. de P. F. 9 maii 1877, iunct. formulae Datariae Apost. Annot. § Caus. disp. Quibus in causis canonicis ponderandis et explicandis profecto primo loco standum est expressis decretis S. Sedis stiloque Curiae Romanae *ex disciplina nunc* vigente. Vix enim negari potest scriptores quosdam antiquos et recentiores nimis subtiles movere quaestiones de causis canonicis, quae cum moderatione et aequitate canonica — *attentis omnibus circumstantiis in casu occurrentibus* — in Congregationibus Romanis servata et extra Urbem interdum ignorata non concordant. Porro quamvis profecto non prohibeatur allegare causas non canonicas et graves circumstantias, tamen ab ineptiis et iuris erroribus est abstinendum, v. g. aetate superadulta *viri*, vel angustia loci in favorem mulieris *acatholicae*. Cfr. Collect. S. C. de Pr. F. n. 1477 sq.; *Rosset*, n. 2547 sq.; *Putzer*, 78 sq; *Leitner*, 424 sq.; *Gasparri*, I, n. 350 sq.; *Scherer*, 474 sq.; *Chelodi*, n. 55 sq.; *Cappello*, I, n. 258 sq.; *De Smet*, n. 816 sq.; *Vlaming*, n. 419 sq.; *Ferreres*, n. 473 sq.

[104] Quae angustia *loci*, i. e. vici, oppidi, *non* paroeciae, sive absoluta — non ultra 300 focos cum 1500 incolis — sive relativa (ratione oratricis) solummodo favet *oratrici*, si illa in loco originis vel etiam domicilii ob propagationem propriae cognationis virum paris condicionis, cui nubat, (moraliter) invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum. Cfr. Instr. Dat. Ap., 30 aug. 1847, et S. C. C., 30 aug. 1876, et 8 mart. 1834; *Rosset*, n. 2571, de extraordinaria condicione *virorum* in certis regionibus Alpium.

[105] Quae causa requirit in *muliere* annum vigesimum quartum *completum*, sed in favorem *viduae* allegari nequit, cui tamen facile *aliae* causae suffragantur, v. gr., si sit iunior (usque ad a. 30) vel aetate adhuc florens (a. 39-40), periculum incontinentiae; post a. 40 iuvat condicio oratricis viduae auxilio indigentis. Cfr. *Rosset*, n. 2575.

[106] Quae dos *actu* iam debet haberi, nec certa spes *futurorum bonorum* excludit hanc causam.

[107] Huc non solum spectant inimicitiae inter regna et civitates, sed

pacis confirmatio). — VI. Periculum fidei. — VII. Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi. — VIII. Periculum matrimonii (tantum) civilis [108]. — IX. Periculum incestuosi concubinatus. — X. Periculum damni spiritualis. — XI. Cessatio publici concubinatus. — XII. Remotio gravium scandalorum. — XIII. Periculum vitae et mortis [109]. — XIV. Praerogativa dignitatis regiae vel principalis [110]. — XV. Conservatio (?) illustris familiae. — XVI. Conservatio divitiarum in eadem familia. — XVII. Lites super successione bonorum iam exortae vel earundem grave vel imminens periculum. — XVIII. Excellentia meritorum (de Ecclesia). — XIX. Ex certis rationabilibus causis « *sine expressa causa* » [111].

432. Causae canonicae *infamantes* sunt: I. Copula cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita et praegnantia, ideoque legitimatio prolis [112]. — II. Nimia, suspecta, periculosa familiaritas necnon cohabitatio sub eodem tecto, quae facile impediri non potest. — III. Infamia mulieris ex suspicione orta, quod a consanguineo vel affine cognita sit, licet suspicio falsa sit. — IV. Convalidatio matrimonii invalide contracti [113].

---

etiam inter cives privatos, quas nuptiarum celebratio extinguere vel denuo impedire potest. Cfr. cap. 2, X, de desp. imp. IV, 2; *Scherer*, 467, not. 63, ubi affert exemplum dispensationis a *Martino IV*, a. 1283, propter hanc causam duobus nobilibus anglicis concessae per intercessionem regis Angliae.

[108] S. C. de Pr. F. 17 apr. 1820; S. C. Inq. 14 aug. 1822; Instr. Eystett. 370 sq

[109] Bened. XIV Const. « *Ad Apostolicae* » § 2.

[110] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr.; Formulae Dat. Ap. Annot. § Dispens. sine causa expressa.

[111] De aliis causis, quae occurrunt in Formulis Datariae, cfr. Archiv. f. k. K. XCII, 494 sq. S. Paenitentiaria supplicationes dispensationum ex sola causa « *sine causa* » sive *ex certis et rationabilibus causis* » sc. ob copiosiorem compositionem non admittebat, sed ad Datariam Apost. remittebat, a qua « *dispensatio sine causa expressa ... non nisi raro conceditur et tantum pro principibus et magnatibus aliisque personis qualificatis vel pro personis insignis nobilitatis ad instantiam alicuius Cardinalis, Episcopi, Regis, Principis civilis* », ut traditur in Form. Dat. Ap. Annot. l. c.

[112] Cit. Instr. S. C. de Pr. F., 9 maii 1877, iunct. S. C. Inq., 25 iun. 1885; S. C. Inq., 18 mart. 1891.

[113] Cap. 7, X, de consang. IV, 14. Quae dispensatio imprimis iis danda est, qui *bona fide* et *servata forma* ab Ecclesia praescripta publice matrimonium contraxerunt. At sponsi, si *mala fide* nuptias inierunt, gratiam dispensationis (per se) minime *merentur, sic disponente* Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr. Qui rigor iuris iam diu in praxi non amplius servatur; dispensationes enim huiusmodi conceduntur, non solum

433. Scholion. Inst. S. C. de Pr. F., 9 maii 1877, i. f. docet: « *Hae sunt* **communiores potioresque** *causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci* **solent**, *de quibus copiose agunt theologi ac sacrorum canonum interpretes* ». Quibus ex verbis eruitur *alias* quoque existere *causas*, quae ex praxi Curiae Romanae et doctrina probatorum auctorum saltem ut adminiculares proponi possunt [114].

Inter causas quae non recensentur in ordinariis elenchis ideoque solent dici *non canonicae*, praxi tamen Curiae iam pridem admissae, hae recensentur:

1. *Oratrix* alterutro vel utroque parente orbata. — 2. Ex natalibus illegitimis orta. — 3. Infirmitate, deformitate aliove defectu detenta. — 4. Iam ab alio deflorata. — 5. *Orator* viduus prole oneratus cui quaerit bonam matrem. — 6. Adiutorio huius mulieris indigens, v. gr. ad gerendam rem domesticam [115]. — 7. Omnia ad nuptias iam parata. — 8. Propositum contrahendi propalatum seu plane divulgatum aut propositi pertinacia. — 9. Boni mores utriusque oratoris. — 10. Convenientia matrimonii. — 11. Oratorum munificentia erga bonum publicum. — 12. Bonum parentum, quando alterutrius vel utriusque pater vel mater indiget adiutorio. — 13. Mutuum auxilium in provecta aetate.

Si nonnullae dispensationes dicuntur concedi *sine causa* [116], per se non significat quod dentur sine ulla causa, sed quia nulla determinata causa inseritur in rescripto dispensationis. Qui defectus insertionis in rescripto determinatae causae praesertim obtinet, praeter casum oblationis maioris componendae « ob copulam vel actus inhonestos, quos ob honorem oratorum, attenta eorum qualitate, non expedit explicare », nonnunquam, quia causae allegatae non sunt stricte canonicae; tuncque solet apponi in rescripto « ex rationabilibus causis a S. Sede probatis ».

434. Iure Codicis c. 1054 dispensatio a *minore* impedimento

---

si *una* pars, sed etiam si *utraque* fuit in mala fide, ut consulatur saltem saluti partis paenitentis atque proli innocenti. Cfr. *Gasparri*, I, n. 365; *Rosset*, n. 2591 sq.; *Scherer*, 466; *De Smet*, n. 824.

[114] *S. Paenitentiaria* etiam attendit alias causas, v. g. si parentes matrimonium valide desiderant, aut inter oratores est specialis condicionis aequaliter, aut matrimonium exhibeat particularem utilitatem, v. g. si vir iam sit liber a servitio militari, aut sponsi nescientes impedimentum omnia ad nuptias paraverunt, aut magno amore intuitu matrimonii sese prosecuti sunt. Cfr. *Gasparri*, I, n. 319.

[115] S. C. de d. Sacr. vicissim admittit ut causam « condicionem oratricis viduae auxilio indigentis ».

[116] Cfr. *Suarez*, De legibus l. VI, cap. 18, n. 26, ubi aptam suppeditat explicationem dispensationum, quae dicuntur sine causa dari.

datur, quin requiratur causa *canonica*, ideoque eius concessio nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit. Quod principium iam in ordinatione Curiae Romanae fuerat sancitum (Normae peculiar. Cap. VII, art. 3, n. 21).

Art. 3. - De petitione dispensationum matrimonialium

435. Finis Ecclesiae in constituendis impedimentis intentus, non ille est ut in eis dispensetur, sed ut ea urgeantur et observentur. Quare ad officium parochi praeprimis pertinet *tempestive* curare ut impediti a matrimonio inter se ineundo avertantur. Quod si obtineri non possit, ipsius est videre ut libellus supplex pro obtinenda dispensatione apte conficiatur transmittendus ad Ordinarium qui illum suo testimonio munitum S. Congregationi praesentet.

436. Ad quemnam dirigenda petitio. Cum dispensatio matrimonialis a fidelibus oratoribus[117] ex iusta causa videtur etiam ope parochi vel confessarii expetenda, primo loco inquiratur necesse est, *a quo quave forma* sit imploranda. Non raro recursus *ad Episcopum* sufficit, quoniam pro sua potestate ordinaria aut vi extraordinariarum facultatum Sedis Apostolicae ad concedendam dispensationem competens est: saepe ob similem rationem potest recurri ad Nuntium, Internuntium vel Delegatum Apostolicum. Insuper attendendi sunt casus supra expositi, in quibus nequidem ad Ordinarium sit recursus faciendus, sed dispensatio aut a parocho, aut a confessario vel sacerdote matrimonio assistenti in respectivo foro pro natura impedimenti dispensatio concedi potest.

Etiamsi pro natura impedimenti necessario in Curia Romana supplicatio est proponenda, tamen expedit ut ordinarie non nisi *mediante Episcopo*[118] ad agentem in Urbe libellus supplex trans-

[117] Supplicatio fit nomine *utriusque* sponsi, si sint catholici; secus solummodo nomine partis *catholicae*, cui soli *directe* in matrimoniis mixtis dispensatio conceditur; nam *oratores* (latores praesentium) capaces sunt ii soli, qui « *orthodoxae fidei cultores vere existunt et sub obedientia S. R. E. vivunt vivereque et mori intendunt* ». Cfr. Benedict. XIV Const. « *Magnae* » 29 iun. 1748; *Putzer*, 87 sq., 95 sq.; *Scherer*, 468, 469 sq.

[118] Instr. Eystett., 363, 373 sq., 378 sq. Qui modus eo magis est servandus, cum in foro *externo* supplicationes privatae immediate ad Congregationes Romanas *sine litteris testimonialibus et commendatione Ordinarii* transmissae non soleant habere felicem exitum atque promptam expeditionem. Praeterea S. C. Inq., 20 febr. 1888, tandem sanxit: « *Dis-*

mittatur, nisi ratio sigilli confessionalis vel secreti videatur exigere — quod non raro accidit —, ut directe tribunal competens adeatur[119] aut saltem omissa Curia episcopali interventio agentis Episcopi in Curia Romana rite expetatur[120].

437. Quoniam S. C. de d. Sacr. regulariter adeunda est ut obtineatur dispensatio super impedimentis tantum *publicis*, et *S. Paenitentiaria* solummodo pro impedimentis *occultis*, imprimis examinandum est utrum impedimentum publicum sit an occultum iuxta doctrinam alibi traditam[121].

Quodsi *duo* impedimenta concurrant, e quibus unum *publicum* est, alterum *occultum*, a S. C. de d. Sacr. petenda est dispensatio super impedimento publico, *S. Paenitentiaria* vero adiri debet ad obtinendam dispensationem super impedimento occulto, quod cum impedimento publico exprimendum est, atque S. Paenitentiariae insinuetur necesse est super impedimento publico a S. C. de d. Sacr. dispensationem esse petitam aut obtentam[122].

438. Si a S. C. de d. Sacr. petatur dispensatio matrimonialis, dispiciendum est utrum dispensatio in forma *nobilium*, an in

pensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel oratorum Ordinario vel Ordinario loci ». Quare optime etiam per illos Ordinarios *preces* porriguntur. Cfr. *Putzer*, 94 sq.; *Feije*, n. 686 sq.

[119] Iuxta ordinem servandum in SS. Congregat. « Normae communes d. d. 29 iunii 1908 », Christifideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis. Qui ad S. Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causa uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eundem legitimo mandato munire, quod in Actis, ad ipsius officii cautionem, servatur; aut sin minus apud Moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas condiciones. Si exhibitum virum Moderatores iudicaverint admitti non posse, certiorem faciunt mandantem ut aliter consulat. Ad procuratoris seu *agentis* munus legitime et constanter obeundum pro Episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in procuratorum albo quod patet in Officio a Secretis S. C. Consistorialis: Norm. cit. cap. X, num. 1, cap. IX, num. 1, 3.

[120] Si confessarius in immediato recursu ad Sedem Apostolicam quoad impedimentum occultum utatur ministerio agentis, novum monitum S. Paenitentiariae (a. 1872) diligenter est servandum « *Ceterum, si opera alicuius procuratoris in alma Urbe uti velint, litteras* obsignatas *praelaudato Cardinali Paenitentiario Maiori tradendas suppressis nominibus ad ipsum procuratorem transmittere quidem poterunt, ast memoratos casus Sacrae Paenitentiariae proponendos nunquam aut nullimodo narrare seu manifestare audeant* ». Cfr. ASS. VII, 208 sq.; *Leitner*, l. c., 433, 469 sq.

[121] *Rosset*, n. 2394; *Leitner*, 410 sq.; h. tit. not. 36.

[122] *Feije*, l. c.; *Putzer*, 93 sq.; *Leitner*, 422. Cfr. *Vlaming*, I, n. 448.

forma *communi*, an in forma *pauperum* peti possit, cum taxationum normae vigentes in Dataria interim eaedem maneant[123].

[123] Cfr. de componendis et taxis eorumque iustitia et usu: *Giovine*, II, 109 sq.; *Feije*, n. 690 sq.; *Rosset*, n. 2477 sq.; *Leitner*, 432 sq.; *Scherer*, 492 sq.; Kirchenlex. III, 771 sq.

I. *Compositio* sive componenda intelligitur summa pecuniae occasione dispensationum ex legitimis normis praeter taxam Dicasteriis Romanis solvenda ut in pia opera erogetur. Quare componenda, licet naturam induat eleemosynae arbitrio S. Sedis in pia opera impendendae, tamen differt *ab eleemosyna* rite taxata, quae etiam a S. C. de Prop. F. vel a Paenitentiaria vel ab Ordinariis in casibus a Sede Apostolica permissis in dispensationibus iniungitur *oratoribus*, qui eam *ipsi* in pium aliquod opus expendunt. Cfr. *Putzer*, 25, 104 sq., 302 sq.; *Gasparri*, I, n. 278 sq.

Taxa vero est summa pecuniae occasione dispensationum ex legitimis normis in Dicasteriis Romanis solvenda pro stipendiis officialium et oneribus cancellariae, estque pro quolibet impedimento determinata independenter a condicione oeconomica oratorum.

Expensae, quae praeterea occurrunt in dispensationibus matrimonialibus sunt solitae *expensae postales* et retributiones legitime determinatae « *pro Agentia* » si oratores vel Ordinarii pro impetrandis et expediendis rescriptis dispensationum utantur opera alicuius « *Agentis* » in Urbe. Cfr. v. g. S. Paenitent. 10 nov. 1900.

II. Quae *taxae* et *expensae* longa defensione non indigent; aequum enim est ut ii, qui gratias a Sede Apostolica expetunt, etiam in se suscipiant necessarias expensas atque aliquid contribuant pro officialium sustentatione, quorum opera utuntur *oratores, non alii fideles*. Qui cum forte tota sua vita nunquam recurrant ad favores implorandos, etiam a contributionibus optimo iure manent immunes. Quare huiusmodi taxae et expensae nihil habent commune cum simoniacis transactionibus neque opponuntur Concilio Tridentino, Sess. XXIV, cap. 5 de ref. matr., quo dispensationes *gratis* concedendas esse statuitur. Nihil enim solvendum est *pro ipsa gratia* dispensationis, atque *gratuita concessio gratiae* non excludit *necessarias expensas* et contributionem pro officialium sustentatione, ut eam expresse declaravit S. C. C. in responso a Pyrrho Corrado relato.

Quae rationes *de componendis* decreto Tridentino contrariis eodem modo urgeri non possunt. At imprimis R. Pontifex decreto Concilii Tridentini absolute non ligatur. Praeterea componendae argumentis quoque intrinsecis comprobantur; frequenter enim habent rationem alicuius *mulctae* vel *paenitentiae* propter delictum merito impositae, aut *eleemosynae* in favorem operis pii, non in commodum *privatum* Superioris dispensantis elargiendae, qua saltem ex parte suppletur deficientia causae. Denique si componendae et taxae arcent *nimis frequentes, faciles*, immo *frivolas supplicationes* pro dispensationibus, producunt effectum secundarium haud spernendum. Cui rationi pondus non est tribuendum, si necessariae vel vere utiles dispensationes praesertim a pauperibus expetantur. Nam S. C. de Prop. F., 4 iul. 1793, ad Quebec. Antistitem scribit: « *Rariores autem dispensationes facere metu taxae solvendae indecorum est, sola enim animarum utilitas spectanda est in dispensando, praeterea*

Pro taxationibus generatim hae leges statuuntur. In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicatur non modo taxatio S. Sedis solvenda et remuneratio *agenti* debita, sed etiam

nihil ». Paulo ulterius progressi sunt Episcopi Belgii, qui in Concilio Vaticano non accurate distinguentes inter taxas et componendas hoc proposuerunt postulatum: « *Coram Domino expendere velint R.mi Patres Concilii: An non suppetat via, qua saltem pro Ordinariis hoc petentibus* abrogari *valeat, quae vocari solet dispensationum taxa seu* (?) *componenda, in pluribus regionibus nostri saeculi hominibus tam odiosa. Si autem hoc fieri nequeat, saltem adhibere velint Patres medium, quo ut qui pinguem solvunt taxam non citius obtineant dispensationem, quam qui parvam aut nullam solvant; ita enim caderent iniuriosa illa in Ecclesiam obloquia, quae nonnunquam occasione similium audiuntur* ». Quae via *abrogationis etiam taxarum* hucusque non est inventa.

III. 1. Omissa ultima regula *Datariae Apostolicae* de pauperibus vel fere pauperibus standum est resp. S. Paenit. quae sciscitanti Episc. Nicastrensi normam discernendi pauperes et quasi-pauperes (20 ian. 1904, respondit): « Donec aliud a S. Sede non statuatur, standum decreto Benedicti XIV, dato per S. C. S. Officii fer. V, die 26 sept. 1754, iuxta quod in ordine ad dispensationes matrimoniales, pauperes in Italia — extra Italiam computatur summa duplo maior — censendi sunt tum qui ex labore et industria tantum vivunt, tum qui aliqua possident bona, sed non ultra summam scutatorum romanorum 300 in capitali (id est libellarum 1612, 50). Fere pauperes autem ibidem ii dicendi sunt, quorum bona non excedunt in capitali summam scutatorum mille (id est libellarum 5375), a quibus tamen fere pauperibus modicum taxae augmentum exigi solet ». Collect. S. C. de Prop. F. II, n. 2187. Cum alia hac de re norma a S. Sede nondum sit statuta, vetus norma adhuc usui est; omnes tamen norunt quam diversus sit *hodie* valor pecuniae.

a) Qui pauperes, si ex litteris testimonialibus Ordinarii constat quod sint ita « *miserabiles, ut ne obolum quidem solvere possint* », nec componendam nec taxam solvere debent. Cfr. *Leitner*, l. c., 433.

b) *Vere pauperes* ex testimonio Ordinarii non obligantur ad solvendam *componendam*, sed moderatam solummodo *taxam*, v. g. pro diversitate impedimenti 30, 25, 20 libellas vel minorem summam. Cfr. *Leitner*, l. c., 435 sq.

c) *Vere pauperes* vel quasi-pauperes *praeter taxam vere pauperum solvere tenentur etiam componendam* 10 libellarum. Cfr. *Leitner*, l. c. 434; *Santi-Leitner*, l. c., 395; *Scherer*, l. c., 494.

d) Si ex testimonio Ordinarii rite dato, v. g. ex praehabita informatione parochi, sed non quaesita cum illo rigore ab Alexandro VII suo tempore praescripto et nunc vix possibili et summopere odioso (cfr. Arch. f. k. K. XXIV, 5 sq.), satis constat oratores sub forma *communi* vel *divitum* esse subsumendos, exigitur imprimis *taxa* quaedam determinata, sed *diversa* pro gradus propinquitate et gravitate impedimenti. Praeterea solvenda est *componenda*, quae pro *reditibus* oratoris, natura impedimenti, gravitate causarum canonicarum diversa quadam proportione taxatur. Qua in re inter formam communem et divitum ea tantum intercedit differentia, quod a *divitibus maior exigatur componenda*.

Quae computationes pecuniariae taxarum et componendarum per

pecuniae summa cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro executione rescriptorum, si haec necessaria sit; quae quidem

---

diversas scalas et proportiones, quamvis rationibus theoreticis a doctoribus defendantur, in praxi non leves habent difficultates. Quare mirum non est quod Dataria Apostolica ex compluribus regionibus, v. g. ex Gallia et Germania, acceptaverit certas summas sive a pauperibus sive a divitibus per Ordinarios *sponte oblatas*. V. g. si oratores pauperes sunt offerunt in *totum* 25 libellas i. e. pro taxa 20 l., pro agentia 5 l., ditiores oratores offerunt 100 libellas et ultra. Cfr. *Leitner, l.* c., 436 sq.; *Scherer,* l. c., 494

2. *S. Paenitentiaria* concedit dispensationes matrimoniales in foro interno ita *gratis*, ut *pro se* neque taxam neque componendam ullam exigat. Quodsi oratores pro interno foro per *agentem* dispensationem matrimonialem petunt, profecto eidem expensas postales et praeterea legitimam remunerationem, v. g. tres libellas et summam etiam minorem — salvis exceptionibus miserabilium personarum, a quibus nihil exigi potest — tribuere debent; at si absque *agente* ad S. Paenit. recurrant, omnino nihil solvere tenentur, nisi convenienter expensas postales pro responso compensare velint. Cfr. *Leitner*, 433; *Gasparri*, I, n. 289.

Dum iure precedente S. Paenitentiaria dispensabat pauperes vel fere pauperes super impedimentis publicis pro foro externo, pro se nihil exigebat, sed certas taxas, v. g. 32, 26, 21, 16 libellas secundum diversitatem impedimentorum imponebat « *pro iuribus Datariae Apostolicae* », quae detractis necessariis expensis in capsa Datariae deponebantur. At etiam in Paenitentiaria eadem fere praxis vigebat quoad pauperes saltem certarum regionum, quae supra de Dataria Apostolica fuit exposita. Immo, si pauperes oratores, v. g. ex Gallia, summam quandam sponte non offerebant, dispensabantur sine ulla taxae exactione, sed cum onere — a cuius implemento *valor* dispensationis non pendet, ut patet ex resp. S. Paenit. 11 iun. 1859, 10 iun. 1876, 11 nov. 1890: « *Erogata ab eis aliqua eleemosyna iudicio Ordinarii iuxta eorum vires taxanda et applicanda* ».

Si matrimonium in facie Ecclesiae fuisset *bona fide*, sed *invalide* contractum propter impedimentum *publicum* postea detectum, S. Paenitentiaria oratores *divites* et *pauperes* gratis dispensabat; at pauperes, qui mala fide celebrarunt nuptias, cum consuetis tantum taxis pro matrimonio dispensabantur, nisi remissionem obtinuerint; divites vero Datariam Apostolicam adirent necesse erat taxas in ordine ad matrimonium contrahendum receptas soluturi. Cfr. *Leitner*, l. c., 439.

3. *S. C. de P. F.* ex Gregor. XV Const. « *Cum inter* », 14 dec. 1622, etiam dispensationes matrimoniales gratis et sine taxis concedit. Cui gratuitae concessioni non obstat, si Secretarius S. C. de P. F., 18 maii 1896, monet: « *Ut taxa a lege in singulis regionibus pro transmittendis litteris praescripta exacte a mittentibus solvatur* ». Cfr. *Putzer*, 25, 87 sq.

4. *S. C. S. Offic.* quae *expressis* nominibus oratorum super impedimentis *mixtae religionis* et disparitatis cultus est adeunda, pariter gratis et sine componendis concedit dispensationes matrimoniales; at pro cancellaria solet exigere taxam fixam 15 francorum — nisi in favorem miserabilium personarum remittatur —. Quare oblatio maiorum summarum nemini prohibetur, sed non est necessaria. Cfr. *Leitner*, l. c., 465.

summa pontificia taxatione est inferior. Taxatio pauperibus, si petita gratia moraliter necessaria sit, ex dimidia parte minuitur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonatur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro exscriptione, aliisque id genus necessariis. His in casibus etiam *agentis* procuratio ad partem dimidiam redigitur aut omnino condonatur, salvis impensis pro tabellariis.

Ordinarii, secreto percontati parochos, quae vera sit oratorum condicio, significant in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competatne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid iniuria sublatum sit.

Si qui autem iniqua voluntate renuunt solvere taxam ad aliquam consequendam dispensationem praescriptam, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc est ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Iidem impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonent — si opportune id fieri prudenterque licet ab ipsis — ex iustitia aliquid Sanctae Sedi deberi. Utcumque tamen gratiae validitati nihil unquam officit error aut fraus circa oeconomicam petentis condicionem.

In omnibus Officiis, subsignatis rescriptis, destinatus administer, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notat S. Sedi debitam, impensas procurationis et pecuniae summam pro executione.

Usus S. C. de P. F. exemptionis a qualibet taxatione in suae iurisdictionis locis incolumis servatur. Ordo servandus in SS. Congreg. Normae comm. 29 iunii 1908, cap. XI num. *1-4;* 15. Si ergo paupertas falso allegetur, dispensatio concessa non efficitur invalida, sicut etiam sub vetere iure dispensatio a Dataria Apostolica tributa ob falsam allegationem paupertatis *non* efficiebatur *invalida* [124].

Illud autem per ordinem, 29 iunii 1908 editum, clare indicatur, sc. taxationem in consequenda dispensatione a S. Sede impositam obligatoriam esse ex iustitia, nisi oratores ob verum defectum bonorum habeant ius ad totalem vel partialem liberationem ab hoc debito.

439. Exprimenda in supplici libello. Supplicatio, qua petitur

---

[124] S. C. C., 9 sept. 1679; *Feije*, l. c., n. 695, 696; Instr. Eystett., 376; *Rosset*, n. 2477 sq.

dispensatio a S. C. Inq. vel a S. C. de d. Sacr., ad ipsum SS.mum Dominum (« *beatissime Pater* ») est dirigenda atque saltem convenienter lingua latina *conscribenda* [125]. Eadem lingua summopere est commendanda in libellis supplicibus, qui aliis tribunalibus romanis porriguntur, quamvis lingua italica et etiam gallica minorem faciat difficultatem [126]. In supplicatione ad *S. Paenitentiariam* oratores alloquuntur Maiorem Paenitentiarium (« *Eminentissime Princeps* »). Supplices libelli ad S. C. de P. F. dirigendae sunt ad Cardinalem Praefectum, non ad *Secretarium* huius Congregationis [127].

440. In ipsa supplicatione *pro foro externo* exprimenda sunt [128]:

I. *Nomen* et *cognomen oratorum* distincte, nitide ac sine ulla abbreviatione [129].

II. Dioecesis *domicilii* aut *quasi-domicilii* oratorum vel *actua-*

---

[125] Quamvis expressa iuris sanctione *scriptura* in *supplicatione* non requiratur, sed verbalis expositio precum sufficiat, tamen de facto nunc in Curia Romana tantum supplicationes *scriptae* admittuntur. Quae praxis ad *valorem* supplicationis non requisita laudabiliter etiam in Curiis episcopalibus ad instar *ordinariae* normae servatur. Nam supplicationes verbales saepe non accurate proponuntur nec rite intelliguntur faciliusque oblivioni dantur, ita ut existentia et valor dispensationis periclitentur. Cfr. *Gasparri*, I, n. 324 sq. *Putzer*, 87 sq. Preces pro dispensationibus matrimonialibus aliisque gratiis per *telegraphum* transmissae ex speciali mandato Leonis XIII, per Litter. encycl. Secretarii Status, 10 dec. 1891, intimato a SS. CC. aliisque Dicasteriis Curiae Romanae saltem *regulariter* non amplius admitti possunt. Insuper Sanctitas sua *voluit* ut etiam *Episcopi* in suis Curiis huic praescriptioni sese conformarent. Cfr. *Leitner*, l. c.

[126] S. C. de P. F., 29 sept. 1868, in Collect. S. C. de Prop. F. Si quis in proprio idiomate scribat ad S. Paenitentiariam, saltem utatur charactere latino.

[127] Secret. S. C. de P. F., 1 febr. 1892; *Putzer*, 88 sq.

[128] Inst. S. C. de P. F., 9 maii 1877: « *Sed iam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causas in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda de iure vel consuetudine aut stilo Curiae exprimenda sunt. Haec autem sunt*: 1. *Nomen etc.* ». Cfr. *Gasparri*, l. c. n. 336 sq. Denique eadem Instr. i. f. monet: « *Haec prae oculis habere debent non modo, qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex* **pontificia delegatione** *dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite ut par est utantur* ». Sed haec Instructio in nonnullis est antiquata.

[129] Error in *nomine* oratorum sicut et de loco in quo morantur, modo iudicio Ordinarii nulla sit de ipsa persona dubitatio dispensationem non invalidat (c. 47). Severior disciplina eruebatur ex Instr. a. 1877, et ex stilo Datariae Apost. Cfr. *Rosset*, n. 2490, 2522 sq.; *Leitner*, 417 sq., 447.

lis commorationis, si agatur de vago [130]. Paroeciae autem nomen non exigitur declarandum, nequidem ubi angustia loci allegatur ut causa.

III. *Species infima impedimenti*, v. gr. consanguinitas vel affinitas; in impedimento *criminis* determinata ipsius species; in *cognatione spirituali* utrum inter baptizatum et baptizantem vel inter baptizatum et susceptorem.

Error in impedimenti designatione vel in eius specie dispensationem irritat, tametsi sit inculpabilis, cum dispensatio conceditur iuxta exposita ideoque fertur in impedimentum, quod non adest, et non afficit impedimentum, quod adest, et per errorem non fuit manifestatum [131].

IV. *Gradus consanguinitatis* aut *affinitatis* vel *publicae honestatis* et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior sed etiam propinquior et *linea*.

Invalidum est rescriptum, si pro gradu propinquiore indicetur remotior, quia propinquior difficilius quam remotior dispensatur. At si per errorem pro gradu remotiore exprimatur gradus propinquior, dispensatio valet (c. 1052). Quare in linea collaterali *aequali* dispensatio valet, si ponatur gradus secundus pro tertio; in linea collaterali inaequali licet exprimendus sit uterque gradus, id non videtur pertinere ad valorem, cum ex generali regula, sancita in c. 96 § 3, gradus remotior trahat ad se propinquiorem ideoque per expressionem remotioris sufficienter exprimatur gradus impedimenti [132].

---

[130] Cum in Instr. a. 1877 commemoretur dioecesis originis vel domicilii, iure Codicis, attento c. 1055, potius videtur indicanda dioecesis domicilii vel quasi-domicilii.

[131] *De Smet*, n. 844; *Cappello*, I, n. 275. Attamen si error fieret in mera denominatione impedimenti, v. gr. vocando affinitatem quod debuit vocari publica honestas, modo ita describeretur impedimentum ut de ipsa re non adesset dubitatio, dispensatio data, attento c. 47, valeret.

[132] Utrum haec extendenda sint ad casum, quo omissa fuerit mentio gradus primi: affirmat *De Smet*, n. 846, cui videtur consentire *Cappello*, saltem in quantum exceptionem non facit n. 275, 4°; negat *Ferreres*, Theol. moral. II, n. 960, pro casu secundi gradus attingentis primum. Stilus Datariae erat habere dispensationem ut invalidam ad normam Const. S. Pii V, « *Sanctissimus* » 20 aug. 1566 (Collect. n. 1452²). Si pro sententia affirmante allegatur c. 96 § 3, iure merito observat *Vlaming*, II, n. 453, 4°, hoc Codicis praescriptum non esse novum, sed iam contineri in Decretalibus *Gregorii IX*, cap. 9, de consang. IV, 14, quo supposito S. Pius V dedit suam Constitutionem et Dataria in suo stilo ipsi inhaesit. Pariter S. Paenitentiaria habebat invalidas dispensationes, si primus gradus non fuisset expressus; S. C. de d. Sacr. iam immutasse illum stilum non constat et certe pro immutatione iam facta aut facienda non peti potest

Facile evitantur errores in graduum computatione, si simul transmittatur arbor genealogica, praesertim quia ex responso S. Officii, 22 febr. 1889, ad 1, si casus exponatur uti est, quod fit missa arbore genealogica, dispensationem non vitiat error materialis in supputatione graduum. Nunc ex praescripto S. C. de d. Sacr. (cfr. Instr. d. 29 iun. 1941, n. 5), in precibus includenda est semper *arbor genealogica*.

V. *Numerus impedimentorum*, v. gr. si consanguinitas aut affinitas est duplex aut multiplex, si praeter consanguinitatem adsit affinitas itemque aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive impediens, nisi ab aliquo impedimento, v. gr. voto non reservato, iam fuerit dispensatum ab Episcopo ex sua potestate ordinaria; omnia enim impedimenta sunt simul dispensanda; ubi cum impedimento publico super quo Episcopus *ex indulto* potest dispensare concurrit aliud impedimentum publicum ad quod non sese extendit indultum, pro omnibus S. Sedes est adeunda. Cfr. supra hoc cap. art. 1, § II.

Nihilominus hodie ex c. 1052 dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis concessa valet, licet in petitione vel concessione reticitum fuerit aliud impedimentum *eiusdem speciei* in *aequali* vel *inferiore* gradu [133].

VI. *Variae circumstantiae*, an. sc. matrimonium sit contractum vel contrahendum; quodsi iam contractum sit, aperiendum est an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impe-

---

argumentum ex c. 96 § 3. Interim ergo, ut consulatur valori, opportunum est non omittere expressionem primi gradus.

• Haec sententia confirmatur iis quae in Instr. S. C. de Sacr. d. 1 aug. 1931 continentur. Dicitur enim ibi haud sufficere ad dispensationem huius impedimenti obtinendam suetas, quae pro ceteris impedimentis etiam maioris gradus adducuntur, causas. Monentur praeterea Episcopi de obligatione saltem subscribendi propria manu et speciali modo commendandi huiusmodi preces, quotiescumque litteras ipsas commendatitias suis manibus integre exarare non valeant. Ex his verbis elucet S. Congregationem in dispensando impedimento consanguinitatis magnum discrimen facere inter secundum gradum lineae collateralis simpliciter et secundum gradum attingentem primum in eadem linea; qua de re dubitare iam non licet hanc circumstantiam debere exprimi in precibus ad validitatem dispensationis obtinendae.

[133] Iam stilus novus inductus fuerat, dum in formulis Datariae reformatis coepta est apponi clausula « ac aliis [impedimentis] *bona fide forsan* reticitis ... non obstantibus ». Inde etiam patet, quod licet illa praescriptio c. 1052, de reticitis impedimentis *eiusdem speciei* in *aequali* vel *inferiore* gradu, videatur exigere ad valorem ut alia non fuerint reticita, haec tamen conclusio, attento praecedenti stilo Datariae, non videtur absoluta certitudine donari, licet illa clausula Datariae non amplius apponatur in rescriptis S. C. de d. Sacr. Cfr. *Cappello*, I, n. 275.

dimenti; item an praemissis proclamationibus et iuxta formam praescriptam. Praeterea iuxta citatam Instruct. a. 1877 debet quoque exprimi, an matrimonium contractum sit spe facilius dispensationem obtinendi, — itemque an sit consummatum, si mala fide unius partis seu cum scientia impedimenti fuerit contractum — [134].

---

[134] *Chelodi*, n. 47; *De Smet*, n. 848, not. 2, necessitatem manifestandi intentionem quod matrimonium fuerit contractum sub spe facilius obtinendi dispensationem exinde probat quod decretum S. Offic. diei 25 iunii 1889 eiusque declaratio, 18 mart. 1891, solummodo abstulerunt necessitatem declarandi illam intentionem in exercenda copula, cuius manifestandae obligatio abrogabatur, non autem hoc praestiterunt relate ad eandem intentionem habitam in *matrimonio contrahendo*. Ob silentium Codicis, cum nondum sit plane notus stilus S. C. de d. Sacr., quae praesumenda est nolle imponere obligationes quas Codex non commemorat, videtur contraria sententia probabilis, licet argumentatio, a *De Smet* adhibita, sit prorsus legitima.

Consequenter ad abolitam generalissimo modo, etiam in matrimoniis contractis, necessitatem manifestandi copulam per Decreta S. Offic. modo citata, videtur etiam dicendum non amplius adesse obligationem manifestandi matrimonii consummationem nec malitiosam intentionem in tali consummatione habitam, tametsi matrimonium iam contractum allegatur ut causa motiva. *Cappello*, I, n. 275, 7°.

Illa abrogatio obligationis antea existentis manifestandi in supplici libello copulam incestuosam inter sponsos habitam ante dispensationis executionem, et quidem pro valore dispensationis, abrogata fuit per memoratum decretum S. Offic. 25 iunii 1885, iussu *Leonis XIII* editum, quo declarabatur et statuebatur: « *Dispensationes matrimoniales* posthac *concedendas, etiamsi copula incestuosa* vel *consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint*, validas *futuras*.

Quo ex decreto evidenter sequebatur neque ad *validitatem* neque ad *liceitatem* dispensationis in supplicationibus inde a d. 25 iun. 1885 « posthac » oblatis copulam incestuosam esse exprimendam, si *aliae* sufficientes causae canonicae allegentur. At etiam nunc copula incestuosa, *ex humana fragilitate* admissa, deficientibus aliis causis tanquam unica causa valde urgens ab oratoribus exprimi *potest* (cfr. *Gury-Ballerini*, 429; *Scherer*, 471).

Quodsi copula incestuosa non ex passione et fragilitate humana, sed *ea intentione* fuisset patrata facilius obtinendi dispensationem, perrexerunt disputare doctores, num prava illa intentio sive ab uno sive ab utroque oratore habita *nunc* quoque esset necessario ad *valorem* exprimenda, si solummodo copula incestuosa per modum causae motivae allegaretur. Qua in re secundum obvium tenorem decreti 25 iun. 1885, (« vel *consilium* etc. ») certe illa *intentio* ad *valorem* dispensationis non amplius fuit manifestanda. Quare clausula irritans (aliter putavit *Scherer*, 471, not. 84, illam clausulam non habuisse vim irritandi) in Instr. S. C. de P. F. a. 1877, apposita: « *Dummodo* » etc., post decretum S. C. Inq. 25 iun. 1885, abrogata dici debuit, ut recte tenent: Instr. Eystett. 370, 574; *Gasparri*, I, n. 344; *Rosset*, n. 2569; *Putzer*, 91 sq.; *Lega*, De iudiciis eccl. II, 477; *Zitelli*, De dispens. matr., 65, 74, aliique, v. g. *Lehm-*

VII. Invocandae demum sunt causae canonicae proportionatae aut ex stilo Curiae admissae, una vel plures, cum quae singillatim inspectae merc impulsivae sunt et insufficientes, simul sumptae possunt constituere causam motivam sufficientem. Ubi autem causae sufficientes *honestae* adsunt, omittendae sunt causae inhonestae seu infamantes, quae aliunde declarandae non sint ut circumstantiae definientes impedimentum vel ex speciali iuris praescripto, ne oratores coram auctore dispensationis fori externi infamentur, praesertim ubi illae occultae sint.

441. Vitia vitanda. In supplici libello diligenter vitandum est *subreptionis* vel *obreptionis* vitium. Porro ex c. 42 § 1. « *Reticentia veri* seu *subreptio* in precibus non obstat, quominus rescriptum (dispensationis) vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quae de stilo Curiae sunt ad validitatem exprimenda »: haec autem explicata sunt numero praecedenti: horum omissio ne tunc quidem officit, si dispensatio data fuisset cum clausula « motu proprio » (c. 45).

« Nec obstat (valori dispensationis) *expositio falsi* seu *obreptio*, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit » (c. 42 § 2). Quodsi ne una quidem causa motiva allegata vera sit, dispensatio inde data, tametsi *motu proprio* (c. 45) valore caret, cum detur sub *tacita* condicione, quae praeterea exprimi solet, *si preces veritate nitantur* (c. 40).

Quae vitia obreptionis vel subreptionis solummodo nocent in dispensationibus *gradus maioris;* nam in impedimentis *gradus minoris* « dispensatio concessa nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit (c. 1054) [135]: quare in hisce dispensationibus causa non est verificanda.

---

kuhl, Berardi, Génicot, Sabetti, Marc, Schneider, Scherer, Ferreres; aliter *Leitner*, 429, aliique. Qui auctores vix non unice videntur insistere formulis cum Annot. et Praxi Datar. Apost.; at ex hisce fontibus clausula *irritans* nequit certo colligi atque *nullitas* asserta dispensationis difficulter videtur posse conciliari cum allegatis decretis S. C. Inq., quibus primo loco standum est.

Restabat igitur sola quaestio, num illa intentio sit *circumstantia*, quae in casu *allegatae copulae incestuosae ut unicae causae motivae ad liceitatem*, necessario esset exprimenda. Qua in re certe abstinendum est a *mendaciis dicendis*, a quibus oratores excusari non possent, si loco illius pravae intentionis et fraudis allegarent *humanam fragilitatem*, qua exercuissent copulam incestuosam. At in suppositione facta, ut *licita* sit dispensatio, ulterior obligatio positive et expresse manifestandi fraudulentam istam intentionem saltem *certo* non potuit imponi. Cfr. *Rosset*, l. c.; paulo aliter saltem quoad liceitatem: *Scherer*, l. c., 471, aliique.

442. Libellus supplex pro foro interno. In dispensationibus *pro foro interno* a S. Paenitentiaria obtinendis, in supplici libello omnia omittenda sunt, quibus innotescere possint oratores, nec eorum nomina propria ponuntur sed eorum loco adhibentur ficta nomina, velut Titius et Titia. Quod vero attinet ad impedimenta eorumque determinationes et circumstantias exprimendas et causas allegandas, valent quae dicta sunt de dispensationibus fori externi, nisi quod causae inhonestae etiam occultae facilius possunt invocari.

Quodsi opportunum videatur obtinere dispensationem pro foro interno non sacramentali in ordine ad hoc ut valeat dispensatio pro foro externo in casu divulgationis impedimenti, dispensatio ita obtenta cum nominibus oratorum est communicanda Ordinario, ut ad normam c. 1047 adnotetur in secreto Curiae archivo.

443. Scholion. In supplicationibus ad S. C. de d. Sacr. mittendis Ordinarii significant statum fortunae oratorum, ut sciatur competatne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxae: Ordo serv. in SS. Congreg. Normae comm. 29 iunii 1908, cap. XI, n. 3.

Tandem animadvertendum est quod « data a *Sancta Sede* dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit », minime vero si intervenit machinatio (c. 1053). Quare in duplici memorato casu horum impedimentorum reticentia non amplius reddit rescriptum subreptitium. At sententia *Ordinarii* de morte prioris coniugis implicitam illam dispensationem non continet (Cfr. S. C. de d. Sacr., 3 iun. 1912, in AAS. IV, 403).

---

[135] Harum dispensationum in gradibus minoribus valor, etiam tunc videtur sustinendus, cum aliud quoddam concurrens impedimentum, sive minoris sive maioris gradus, etiam alterius speciei aut in gradu superiore fuerit reticitum: quo in casu sufficiet si impedimentum reticitum, quantum habita ratione canonis 1052 adhuc opus sit, a S. Sede aut ab Ordinario facultatem habente, *seorsim* relaxetur. *Vlaming*, II, n. 505.

Art. 4 - De concessione et executione dispensationum matrimonialium

444. Sedes Apostolica, si supplicationem non *respuat* vel *supplendam* sive *corrigendam* esse censeat, ex disciplina nunc vigente concedit dispensationes matrimoniales *scripto* [136] sive per Bullam vel Breve vel simplex quoddam rescriptum atque *ordinarie* in forma *commissoria* per executorem *necessarium*, non mere voluntarium [137], extraordinarie tantum in forma gratiosa, v. g. in favorem principum [138]. Qui executor necessarius illud habet commodum, quod Sede Romana per mortem Papae vacante atque re integra nihilominus ad executionem rescripti dispensationis procedere possit. (Cfr. c. 61, iunct. *Konings-Putzer*, Comment. in facult. apostol. n. 72 b). Forma vero gratiosa efficit ut dispensatio sit *gratia facta*, non facienda eo tempore, quo rescriptum in Curia Romana est *expeditum* [139].

Qui effectus formae gratiosae inducit singularem differentiam a forma commissoria, ut causae allegatae in forma gratiosa iam tempore gratiae datae sive factae [140], non tempore gratiae per executionem faciendae debeant esse verificatae, quemadmodum in forma commissoria sufficit [141].

Episcopi aliique Ordinarii, si vi facultatum a Sede Apostolica *delegatarum* impertiantur dispensationes matrimoniales, in iisdem concedendis debent sequi *regulas*, quae in Curia Romana observantur, atque praeterea observare sollemnitates et condi-

---

[136] *Leitner*, 444 sq.; *Scherer*, 472.

[137] S. C. Ep. et Reg., 7 apr. 1769, apud *Bizzarri*, Collectan., 38 sq.; *Gasparri*, II, n. 332; *Scherer*, 475, 480; *Feije*, n. 734; *D'Annibale*, P. I., n. 222; *Putzer*, 99 sq. Attenta forma qua nunc a S. Offic. conceditur dispensatio in mixta religione, potius constituitur *executor voluntarius*.

[138] Benedict. XIV Const. « *Gravissimum* » 26 nov. 1745, § 5. Ordinaria forma rescripti S. C. de d. Sacr. haec est: « S. C. de d. Sacr., vigore facultatum a SS.mo D. N. Pio Papa XII sibi tributarum, prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur hoc est — *hic ponitur causa* — Ordinario N. committit, ut, *si vera sint exposita*, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias prout desiderant contrahere valeant, contrariis quibuslibet minime obstantibus ».

[139] Reg. 52 Cancell. Apost. iunct. *Riganti*, in h. Reg.; *Rosset*, n. 2765 sq.; *Putzer*, 16.

[140] Cfr. cap. 9, de rescript. I, 3, in Sext.; *Rosset*, n. 2547 sq.

[141] *Schmalzgr.*, l. IV, t. 16, n. 162; *Rosset*, n. 2550 sq.; *Scherer*, 474, aliique, v. g. *Zitelli*, *Lehmkuhl*, quorum doctrinae alii, v. g. *Sánchez*, *Kugler*, *Planchard*, ob rationes inefficaces sunt contrarii.

ciones ipsis *specialiter* praescriptas. Quare sine dubio *debent* dare tales dispensationes matrimoniales expressis verbis, *scripto*, non telegraphice; at regulae illae quae spectant ad *formalitates* et modum, non ad substantiam concessionis, sub poena *nullitatis* dispensationum non amplius ligant Episcopos, quia clausula « *Alias nullae sint* », in indultis facultatum nunc omitti solet. Immo formalitates illae quoad *liceitatem* actus solummodo servari debent ab indultariis cum limitatione: Quantum rerum, temporum locorumque adiuncta ferre possunt [142].

445. Dispensationes, quae in foro *externo* a Sede Apostolica, v. g. a. S. C. de d. Sacr. vel S. C. S. Offic. conceduntur super impedimentis *publicis*, ad *executionem* extra Curiam Romanam iuxta praescriptum Concilii Trid. Sess. XXII, cap. 5, de ref. committi solent Ordinariis oratorum [143].

Competens autem est ad executionem Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel *preces transmisit* ad S. Sedem, tametsi sponsi, quo tempore executioni danda est dispensatio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri. Monendus tamen est Ordinarius loci in quo matrimonium contrahere cupiunt (c. 1055). Ordinarius in executione potest alium sibi substituere (c. 57 § 1).

Dispensationes matrimoniales in foro *interno* super impedimentis *occultis nunc* committi solent confessario ab Ordinario approbato — omissis aliis qualitatibus, v. g. doctoris in theologia olim requisitis — et ab oratoribus electo [144].

Delegatus, licet aliunde sciat litteras in Curia Romana iam esse expeditas, ex iure communi nequit procedere ad validam executionem dispensationis, nisi sibi exemplar originale rescripti gratiae etiam longissimo tempore elapso fuerit praesentatum. Quare si Ordinarius per telegraphum admonitus fuit de rescripto dispensationis Romae iam expedito, *non potest valide* illam dispensationem *exequi*, nisi notitia telegraphica transmissa fue-

---

[142] S. Paenitent., 1 iun. 1858, iunct. resp. S. C. Inq. 15 iun. 1875, in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1491; Praef. S. C. de Prop. F. ad Ep. Vallisprat., 26 apr. et 31 aug. 1880; *Gasparri*, l. c., n. 378 sq.; *D'Annibale*, P. III, n. 503, not. 16, 17, 18; *Rosset*, n. 2768 sq.; *Putzer*, l. c., 15 sq., 48, qui rigidiores sententias a *Giovine* propugnatas recte non admittunt.

[143] Cfr. S. Offic. 20 feb. 1888. Qui Ordinarius sensu illo *lato*, in eodem decreto S. C. Inq. explicato, est intelligendus etiam de Vicario Capitulari et Generali, de Vicario, Administratore et Praefecto Apostolico, de Praelato nullius. Cfr. quoque c. 58 de executione rescripti permissa executoris successori in dignitate vel officio.

[144] *Rosset*, n. 2647 sq.; *Leitner*, 499 sq., iunct. *Bened. XIV*, Inst. eccl. 87, et *Sánchez*, l. c., l. VIII, disp. 34, n. 5 sq., de disciplina antiqua.

rit ex auctoritate Sanctae Sedis (c. 53) [145]. Quodsi illud exemplar originale forte perierit, alterum *exemplar* authenticum rescripti omnino impetrandum erit [146]. Similiter si obtento certo nuntio de gratia iam concessa, dispensatio executioni mandaretur *ante* praesentationem exemplaris originalis litterarum apostolicarum, *non nova impetratio* gratiae dispensationis a Sede Apostolica requiritur, sed post praesentatum exemplar originale *nova* tantum *executio* rescripti iam obtenti fiat necesse est [147].

Praesentatis litteris apostolicis, delegatus executor imprimis inquirat in *authentiam* rescripti pontificii [148], cuius executio ipsi, utpote auctoritatem pontificiam repraesentanti, *ubique* etiam *extra* proprium territorium est permissa, dummodo ibidem non ponat actus, qui sapiant exercitium iurisdictionis contentiosae. Praeterea praesertim attendat quae sit ipsius potestas *subdelegandi*. Nam forte propter electam industriam personalem Ordinarii, fulminatio dispensationis debet fieri per ipsum Ordinarium, licet ad capiendas informationes ministerio aliorum uti possit (c. 57) [149].

Deinde executoris est, « *ut de praemissis sese diligenter informet* sive per se sive per delegatum, summaria et extra-iudiciali informatione », i. e. debet prudenter verificare substantiales allegationes in rescripto contentas, ut constet *essentialem errorem* non intervenisse, v. g. de impedimentis, causis canonicis aliisque clausulis specialibus ut de paupertate, praesertim ubi in dubium vocari potest *valor* dispensationis; quae verificatio nunc facta est multo facilior et minus periculosa, cum ex decreto S. C. Inq., 28 aug. 1885, adhibeatur clausula: « *Si vera sint exposita* » (non, *si ita esse repereris*), cui in rescriptis pro foro interno correspon-

[145] Cfr. cap. 14, X, de rescr. I, 3; cap. 12, X, de appell. II, 28; S. C. C. 12 ian. 1606; *Zitelli*, 101; *Rosset*, n. 2759 sq.; S. C. Inq., 14 aug. 1892; S. Paenit. 15 ian. 1894; *Putzer*, 48.

[146] S. C. C. 12 ian. 1606; *Feije*, l. c., n. 735 sq.; *Zitelli*, l. c.; *Putzer*, l. c.

[147] *Leitner*, 446; *Rosset*, n. 2759. — Nullo iure cavetur concessionem primi rescripti per illam priorem *executionem* invalidam vel per contractum interim matrimonium, etiam civile, *irritari*. Cfr. quoque S. Paenit., 2 oct. 1829, 2 apr. 1839, 25 nov. 1885; *Feije*, n. 718; *Rosset*, n. 2772. Praeterea S. Paenitentiaria, 15 ian. 1894, respondit in hoc casu: « *Opus esse nova dispensationum executione* », non nova *impetratione*. Idem iam eruitur ex responso S. Paenit. 27 iun. 1887.

[148] *Rosset*, n. 2761; *Leitner*, 446.

[149] Ante Codicem facultas delegandi executionem, quam facit c. 57, fere ab omnibus negabatur, nisi ageretur de delegando alio Ordinario. Cfr. S. Paenitent. 27 apr. 1886; *Zitelli*, 103, 101, not. 1; *Feije*, n. 733; *Scherer*, 480; *Leitner*, 451; *Rosset*, n. 2760.

det formula: « *Si ita sint* », quae ab executore pariter est verificanda, quatenus id in foro interno fieri potest.

Finitis informationibus, si difficultates non subsint ob quas antea ad Ordinarium vel Sedem Apostolicam sit recurrendum, absque dilatione procedendum est ab executore rescripti ad *fulminationem*, qua dispensatio *actu* conceditur: ubi autem est constitutus executor necessarius, executionem denegare nequit nisi ad normam c. 54. Praeterea Ordinarius eandem fulminationem per *scripturam* concedere debet, quae, etsi non ad *valorem*, tamen saltem ad liceitatem requiritur (c. 56). Quae scripturae in dispensationibus pro foro *externo* sive in exemplaribus originalibus sive in authenticis transumptis rite sunt conservandae, atque in casu urgentis necessitatis, si viva voce fulminatio facta esset, saltem postea in libris paroecialibus ex officio eae apponendae sunt animadversiones, ut in foro externo de data dispensatione certo constare possit.

At in dispensationibus pro foro *interno*, quae post actum sacramentalis confessionis et ante absolutionem executioni mandari solent et debent (cfr. S. Paenit. 19 maii 1834, 4 ian. 1839), nisi deficiente hac clausula in rescripto fulminatio etiam *extra sacramentalem* confessionem fieri possit, scripturae ad dispensationem spectantes sunt *destruendae* [150].

Si impedimentum unam tantum partem afficiat, v. gr. in voto castitatis vel una solummodo pars sit culpabilis, v. g. in publica honestate per concubinatum notorium cum matre sponsae, sufficit ut illa sola confessarium adeat, a quo fulminatio dispensationis executioni mandatur. At si impedimentum utrique parti sit commune et cognitum ex delicto commisso, v. gr. in impedimento criminis ex adulterio et mutua promissione, certe dispensatione unius partis iam vere impedimentum est sublatum, tamen in utramque partem fulminatio fieri debet, v. g. propter paenitentias imponendas. Cum inde sequatur necessitas ut utraque pars adeat eundem vel diversum confessarium, in praxi non levis potest esse difficultas, cui S. Paenit. per respons. 15 Nov. 1748 occurrere studuit, quo unus confessarius litteras S. Paenit. iubetur transmittere ad alterius partis confessarium.

Non raro autem fieri potest ut altera pars confessarium

[150] *Gasparri*, I, n. 387; *Leitner*, 472 sq.; *Feije*, n. 756. Quare obligatio destruendi rescriptum non urget nisi post rescripti executionem; quare si paenitens non veniat ad executionem possunt litterae conservari quandiu probabile sit paenitentem comparitųrum; quin immo, facultas exequendi perseverat etiam combustis litteris. S. Paenit. Respons. apud *Ferreres*, Derecho sacr. n. 512.

adire recuset. Quare iam in ipsa supplicatione id exprimendum est, ut huic incommodo occurratur. Si duplex dispensatio sit executioni mandanda una in foro externo, altera in foro interno, executio dispensationis in foro externo praecedat necesse est [151], quamvis id per se non requiritur ad valorem. « Excepta *modica* aliqua praestatione ex titulo *expensarum* cancellariae in dispensationibus *pro non pauperibus*, locorum Ordinarii eorumve officiales, *reprobata quavis contraria consuetudine*, nequeunt *occasione* concessae dispensationis emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas a S. Sede expresse eis data fuerit; *et si exegerint, tenentur ad restitutionem* » (c. 1056) [152].

446. Clausulae observandae. In executione dispensationum matrimonialium maxime attendendae sunt *clausulae*, quae a Congregationibus Romanis vel a S. Paenitentiaria pro diversitate fori, impedimenti, causarum, rescriptis dispensationum matrimonialium apponi solent, Quae clausulae, paulatim immutatae, praesertim per decretum S. C. Inq., 28 aug. 1885, ad formam breviorem et *benigniorem* reductae fuerant [153].

Plures antiquitus, pauciores hodie apponuntur. Aliae autem clausulae sunt *condiciones*, sub *culpa* et poena *nullitatis* actus in executione dispensationis matrimonialis implendae, aliae sunt *praecepta* quae *obligationem* obedientiae imponunt, sed si neglectae fuerint, reddunt dispensationem illicitam, non invalidam. Quaenam sensu explicato *essentiales*, quaenam tantum praeceptivae sint ex stilo Curiae praecipue pendet. Praeter casum quo dispensatio dicitur *alias* esse *nulla*, ex c. 39 *hodie* illae solae habendae sunt essentiales, quae per particulas *si, dummodo* vel aliam eiusdem significationis exprimuntur. Generatim mere praeceptiva est, tametsi ablativo absoluto efferatur, clausula aliqua, si id quod per eam exprimitur, iam aliunde ex *natura rei* vel *iure communi* est praeceptum, v. g. sublata occasione proxima, *remoto scandalo* vel *peractis publicationibus*. Eo enim in casu legislator tantum censetur dare monitionem de *obligatione* aliunde proveniente, nisi ipso iure communi vel speciali sanctione etiam cautum sit de nullitate actus. Nam clausulae illae nec *limitant* nec *extendunt* vim iuris communis. Ceterum clausulae, quae apponuntur per modum *praecepti* — monitionis, oneris, modi — certe religiose sunt observandae; at si praetermissae fuerint, non habent vim quandam *retroactivam* ad irritandam dispensationem valide concessam multoque minus ad solutionem vinculi matrimonii contracti. Denique probe considerandae sunt illae *limitationes*, quae non raro praecepti rigorem moderandum esse statuunt « *prudenti arbitrio Ordinarii* » v. g. de paenitentiis, quae non specificantur vel de eleemosynis pro foro interno per modum *exhortationis*, non *praecepti*, in rescripto expressis [154].

---

[151] *Gasparri*, I, n. 388; *Feije*, n. 757; *Putzer*, 108 sq.

[152] Quae prohibitio iam ante Codicem dabatur in variis S. Sedis Instructionibus; (cfr. *Gasparri*, I, n. 386; *Leitner*, 453; *Rosset*, n. 2195 sq.; *Putzer*, 105 sq., 302 sq.). At ab illa norma haud parum difformis erat in plerisque Cancellariis praxis adhibita etiam sub praetextu quod emolumenta exigi solita destinarentur ad opera pia. Cfr. conatus ad illam praxim excusandam apud *De Becker*, De matr., 383 sq.; Nouv. Rev. Théol. XVIII, 406.

[153] *Zitelli*, De dispens. matrim. 74 sq.; *Gasparri*, I, n. 393 sq.; *Rosset*, n. 2652 sq.; *Scherer*, 484 sq.; *Gennari*, « Consultazioni » I, 345 sq.; *Putzer*, 16 sq.

[154] Clausulae hodie adhiberi solitae sunt sequentes:

I. *S. Congregatio de d. Sacrament.* quatuor adhibere solet.

1° « *Servatis canonicis praescriptionibus* » quae ponitur in quolibet rescripto. Quae clausula est essentialis vel praeceptiva, prout canonicae praescriptiones quae servari debent, requirantur ad valorem vel liceitatem.

2° « *Si vera sunt exposita* » quae ponitur in omnibus rescriptis praeterquam in rescriptis pro impedimentis *minoribus*. Est procul dubio essentialis, sed secundum ambitum iam in praecedentibus explicatum.

3° « *Imposita oratoribus salutari paenitentia* » in rescriptis de impedimento criminis. Est mere praeceptiva.

4° « *Dummodo nullum scandalum intercedat* » pariter in impedimento criminis et est manifeste essentialis.

Paenitentia hic est paenitentia *iuridica* imposita in satisfactionem pro culpa admissa *coram Ecclesia* et differt a *sacramentali* iniuncta in satisfactionem pro peccatis *coram Deo. Salutaris* est, quae est proportionata *peccato* et *peccatori*. Ex decl. S. Paenit., 8 april. 1890, (*Monitore eccl.*, VI, 56): « In praefinienda paenitentiae qualitate, gravitate, duratione etc., quae dispensantis vel delegati arbitrio remittuntur, neque severitatis neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam condicionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc., eorum quibus irrogari iniungitur ».

Si adsit scandalum, antea est removendum; removetur autem per separationem sponsorum seu complicum per tempus ab Ordinario prudenti suo arbitrio definitum aut etiam per alia media iudicio Ordinarii idonea, v. gr. per detestationem delicti coram testibus factam et manifestatam animi dispositionem ad explendam impositam paenitentiam. Cfr. S. Paenit., 27 april. 1886, 12 april. 1889, apud « *Monitore* », IV, 175; VI, 201.

II. *S. Officium* dispensationibus super impedimento mixtae religionis has clausulas apponit: « Dummodo cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia praescriptis, praesertim de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici pro viribus procuranda ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, et dummodo neque ante neque

447. Effectus executionis. Decretum fulminationis rite confectum eo tempore suum effectum certo consequitur removendi impedimentum, quo ab *Ordinario* fuit *subscriptum* nec, attento c. 37, est expectanda oratoris acceptatio ut effectus iuridicus ablati impedimenti producatur, quamvis gratia non teneatur uti orator [155]. Semel ablato impedimento per rescripti fulminationem impedimentum non reviviscit, tametsi oratores desistant a praeparato matrimonio, nec renuntiatio gratiae acceptae iuridicum habet effectum, nisi fuerit a R. Pontifice acceptata [156].

Quodsi executor quovis modo erraverit, potest errorem corrigere, iterum rescriptum executioni mandando debito modo (c. 59 § 1).

Decretum fulminationis nihil omnino operatur, si forte rescriptum dispensationis *vim* suam *amiserat*, v. gr. si causa motiva allegata tempore fulminationis non amplius existit, *morte concedentis* R. Pontificis re adhuc integra, nisi dispensatio fuerit concessa et expedita in forma *gratiosa* sive gratiae factae.

At per mortem R. Pontificis, etiam re adhuc integra, rescriptum dispensationis non perimitur non solum cum in raro aliquo casu fuit expeditum in forma continens gratiam factam, sed etiam quando ex ordinariis facultatibus fuit datum in forma commissoria. In his enim rescriptis Ordinarius officium executoris necessarii agit, qui executionem detrectare nequit nisi ob duplicem rationem, scilicet si preces sunt manifeste vitiosae vel impetrans omnino indignus apparet. Illa ergo solummodo rescripta per mortem Pontificis et re adhuc integra vi sua destituuntur, quae a S. Sede ad Ordinarium mittuntur cum facultatibus petitam gratiam largiendi [157].

448. Sanatio dispensationis. Si ipsa dispensatio concessa vel eius executio ex qualicumque defectu sanabili fuerit *invalida* [158], sanatio invalide obtentae dispensationis vel executionis per litteras « *Perinde valere* » est imploranda, aut forte plane nova dispensatio vel sanatio in radice erit expetenda, nisi propter speciales circumstantias potius sit *dissimulandum* et coniuges relinquantur in bona fide [159]. A litteris « *Perinde valere* » distinguendum est decretum « *reformatorium* » *ante* rescripti *expeditionem* ab oratoribus expetitum. Cuius reformationis obiectum non est ipsa dispensatio iam expedita, sed supplicatio prius praesentata. Quare sufficit ut in nova supplicatione ea addantur, quae in priore sunt supplenda vel corrigenda.

---

post matrimonium, coram parocho catholico initum, partes adeant ministrum acatholicum ». Clausula respiciens cautiones est de essentia (S. Offic., 12 iun. 1912, in AAS., IV, 442 sq.; S. Rom. Rota in caus. *Baltimoren.*, 30 iun. 1910, in AAS., II, 584 sq.): altera de non adeundo ministro acatholico pariter est essentialis intellecta de *actuali* intentione oratorum; si iam adierunt, ponitur clausula circa absolutionem a censuris et paenitentiam salutarem. Praeterea per modum *praecepti* statuitur forma celebrationis.

III. *S. Paenitentiaria* adhuc pluribus clausulis utitur:

1° « *Audita prius eius confessione* » vel « *in sacramentali confessione tantum* » vel « *in actu sacramentalis confessionis* ». Qua clausula ad valorem dispensationis requiritur sacramentalis confessio, non autem absolutio, et dispensatio est fulminanda ante absolutionem: quodsi paenitens dispositus non fuerit dispensatio est differenda, nisi necessitas urgeat (S. Paenit., 19 maii 1834, 4 ian. 1839).

2° « Dummodo super publico impedimento dispensationis litterae obtentae fuerint et nullitas earum, ex praemissis proveniens, occulta remaneat ». Quae clausula pariter irritans apponitur in casu in quo cum occulto concurrat impedimentum publicum, per quam simul sanatur nullitas rescripti per subreptionem obtenti super publico a S. C. de d. Sacr., modo haec maneat occulta ante nuptias.

3° « *Dummodo impedimentum occultum sit* », quam clausulam esse substantialem exinde patet, quod illa exprimantur limites competentiae S. Paenit.

4° « *Iniuncta salutari paenitentia et confessione sacramentali semel singulis mensibus* ». Est clausula praeceptiva: paenitentia salutaris est distincta a paenitentia sacramentali pertinente ad sacramenti integritatem: confessio singulis mensibus intelligitur per aliquod tempus definiendum a confessario, v. gr. saltem per sex menses.

5° « *Nullis super his testibus adhibitis aut litteris datis, sed praesentibus, post earum executionem, sub poena excommunicationis latae sententiae, per te laceratis (combustis)* ». Est praeceptiva et omittitur pro casu in quo rescriptum — ubi opus sit — suffragari debet pro utroque foro. Obligatio comburendi seu lacerandi rescriptum *post eius executionem* adimpleri debet intra triduum. Non est illicitum confessario instructionis causa conservare exscriptum exemplar.

[155] Aliter iure praecedente in communiore et magis fundata sententia. Cfr. praxim Datar. Apost. n. 137, 227, 228; *Leitner*, 454 sq., aliosque; contrarius erat *Engel*, Ius can. l. I, t. 3, n. 17. Utraque sententia in eo conveniebat, quod sponsi *ante* intimationem dispensationis *licite* non possent celebrare nuptias; at *Engel*, l. c., putavit *etiam* sponsos *ignaros* dispensationis pro se ab aliis petitae et datae *validum* contrahere matrimonium; adversarii vero id tantum admittebant de iis sponsis, quibus *petentibus* et *consentientibus* dispensatio iam fuerat *data*.

[156] Cfr. *Rosset*, n. 2788 iunct. 2540 sq.

[157] Ordo servandus in SS. Congregationibus, Normae pecul. cap. 3, n. 3, 4.

[158] Cfr. *Rosset*, n. 2794 sq., iunct. n. 2430, (de dubio valore dispensationis de facto certo datae n. 2522 sq.), 2529 sq., (de variis erroribus in dispensationibus commissis, v. g. in gradibus) n. 2490, (de facultatibus etiam Episcopis concessis indulgendi litteras « *Perinde valere* »).

[159] *Feije*, n. 729; *Vlaming*, II, n. 509 sq.; *De Smet*, n. 924 sq.

449. Scholion. Potestas civilis, postquam suis legibus constituit impedimenta dirimentia vel prohibentia matrimonii civilis, etiam super iisdem sibi vindicat et exercet ius *dispensandi*[160]. Quo iure principes civiles in *subditos non baptizatos* legitime utuntur, dummodo ius naturale maneat salvum; at in *subditos christianos*, quemadmodum potestate *legifera* in causis matrimonialibus carent, ita etiam praerogativa dispensandi super impedimentis vel solo iure canonico institutis penitus destituuntur. Quo ex conflictu inter utramque potestatem fit ut dispensationes canonicae in foro civili, atque vicissim relaxationes principum civilium in foro ecclesiastico non admittantur. Qui conflictus in praxi imminui potest, si velut fiebat in Austria gubernium civile — gubernator provinciae — concedit vel negat suas dispensationes, quatenus ex praevia informatione Ordinarii intellexit easdem etiam in foro ecclesiastico concedi vel negari[161]. Praeterea cum in modernis codicibus civilibus multo minor numerus impedimentorum matrimonii civilis fuerit retentus, frequenter unice restat necessitas in foro ecclesiastico obtinendi dispensationem ab impedimento canonico.

Qua in re lex civilis *Helvetiae* (a. 1875), omnino non admittit dispensationes ab impedimentis matrimonialibus. In *Italiae* cod. civ. art. 84, 87 statuitur: « *Il Re o le autorità a ciò delegate possono per gravi motivi accordare dispensa, ammettendo al matrimonio l'uomo che ha compiuto gli anni quattordici e la donna che ha compiuto gli anni dodici. Il Re o le autorità a ciò delegate possono accordare dispensa nei casi indicati dai numeri* 3, 5, 6, 7, 8 *e* 9 *e nei casi indicati dal comma secondo. La dispensa può essere accordata anche nel caso indicato dal n.* 4, *quando l'affinità deriva da matrimonio dichiarato nullo.* ». In *Gallia* ex cod. civ. art. 145, 164, eadem fere potestas dispensandi atque regi Italiae competit praesidi reipublicae[162]. Novus codex civilis *Germaniae* §§ 1303, 1312, 1313, 1322, triplicem permittit dispensationem a guberniis singularum civitatum imperii dandam, sc. ab impedimento aetatis, a tempore luctus viduae (Wartezeit), ab

[160] Quibus in dispensationibus concedendis etiam potestas civilis quandoque non leves exigit *taxas*. V. g. in *Germania* oratores pro concessione dispensationum a 20 marc. usque ad 500 marc. solvere debent; immo pro *negatis* quoque dispensationibus a 4 marc. usque ad 250 marc. Cfr. *Leitner*, 443.

[161] *Schnitzer*, 550 sq.; *Scherer*, 496 sq., ubi etiam refert singularem illam imitationem iuris canonici in Austria, qua magistratus civiles *reticitis nominibus* oratorum concedebant dispensationes ad convalidanda matrimonia iam contracta.

[162] *Allègre*, l. c. ad cit. art. cod. civ. Gall.

impedimento adulterii[163]. In *Hispania* quoque gubernium ex art. 85 codicis civilis in ordine ad matrimonium *civile* dispensare potest in tertio et quarto gradu consanguinitatis, ab affinitate in linea collaterali, a cognatione legali. In *Hungaria*, ex nova lege de matrimonio civili (a. 1894) lata, dispensatio super impedimentis inter avunculum et neptem atque materteram et nepotem, coniugicidii mutua machinatione non patrati et complicitatis in adulterio *regi* erat reservata, in reliquis impedimentis speciatim expressis minister iustitiae dispensat[164].

[163] *Hollweck*, D. Civileher. 87, 111, 133. Quare dispensationes civiles in Germania pro matrimoniis iam *contractis* datae habent semper vim alicuius sanationis in radice! Cfr. *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ante § 1324.

[164] Cfr. *Melata*, De potestate qua matrim. regitur, 92, 101.

PARS TERTIA

DE CONSENSU MATRIMONIALI EIUSQUE FORMA

CAPUT I

De consensu matrimoniali eiusque essentiali expressione

Fontes et Scriptores cfr. in P. I, cap. I.

450. Conexio materiae. Matrimonium legitime perfici potest inter personas iure habiles, sive tales existant ex eo quod nullum inter ipsas existat impedimentum sive absolutum sive relativum, sive tales redditae sint per dispensationem Ecclesiae, qua sublatum fuit impedimentum eas inhabilitans. Iam ergo investigandum est qua ratione a personis habilibus, per verum consensum, non vitiatum, externe prolatum ac debita forma expressum, matrimonium perficiatur.

§ 1. De interno consensu in matrimonio

451. Matrimonium facit consensus partium inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri potest; c. 1081 § 1.

Quo principio per Codicem proposito significatur consensum mutuum maris et feminae, iure habilium, esse *necessarium* ut existat matrimonium, eumque *solum* sufficere; ita autem esse necessarium ut suppleri saltem per humanam potestatem non possit; ita se solo sufficere ut *nihil amplius* requiratur et in particulari excludendam esse copulam seu actualem corporum unionem ad hoc ut matrimonium in tota sua essentiali perfectione existat.

Iam si dicitur *matrimonium fieri per consensum* eumque solum, matrimonium accipitur pro illo vinculo morali permanente inter virum et mulierem, consistente in mutua potestate in corpus alterius in ordine ad carnalem copulam cum mutua obligatione unius ad alterum, qua mutua potestate cum relativa obligatione ambo uniuntur unione seu coniunctione animorum et fiunt unum principium completum — in actu primo — carnalis copulae et per eam secundum ordinationem primariam naturae principium generationis, quod incomplete in utroque seorsim reperitur [1].

Haec unius in alterum potestas cum huius subiectione erga illum ex natura rei haberi [2] non potest *sine consensu* eius qui alterius potestati subicitur; cumque potestas et subiectio sit mutua, etiam ex natura rei debet haberi per utriusque partis consensum. Haec mutua conventio, quo utrinque conceditur ius, utriusque inducitur iustitiae obligatio erga alterum, induit veram naturam contractus, qui citra consensum non existit et ex consensu initium et statum capit.

Ceterum in homine rationali et libero ac praedito iure exclusivo suorum membrorum ex ipsa natura rei non potest ius ab alio haberi ad usum membrorum, etiam ad finem honestum generationis, nisi ex eius *consensu* [3], qui consensus dari non potest nisi ad eum usum qui sit secundum institutionem naturae, i. e. in

---

[1] *Palmieri*, De matr. thes. 1, n. IV; *Rosset*, n. 70.

[2] Copulatio transiens citra mutuam obligationem potuit esse modus a natura intentus ad propagationem animantium ratione carentium et incapacium obligationis et relationis suae actionis ad finem honestum: pro qua copulatione habenda et naturali eius effectu propagationis speciei, satis erat cum habilitate orta ex diverso sexu inclinatio seu instinctus a natura inditus unius sexus erga alium. At ad propagationem generis humani, quae fieret per actum humanum liberum intra ordinem rationis contentum, quo non solum esset possibilis generatio sed *dignae* et *securae* propagationi consuleretur, opus fuit ut illa coniunctio inter duos sexus existeret, qua ex ipsa eius natura evaderet certa mutua providentia et cura prolis alendae et educandae quam natura prolis humanae requirit: ad hoc autem erat necessaria mutua obligatio ad communem vitam, praeveniens factum congressionis sexualis et tribuens ad illam mutuam potestatem cum mutua obligatione permanente. Unde in humana propagatione ex ipsa hominis natura manet exclusus tum vagus concubitus, tum concubinatus per se mutabilis et ad arbitrium dissolubilis.

[3] Cfr. *S. Thom.*, Suppl. q. 45, art. 1. « Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per eius consensum: sed per matrimonium accipit uterque coniugum potestatem in corpus alterius ... cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet; ergo consensus facit matrimonium ».

stricta societate coniugali, extra quam ille usus est ex ipso iure naturali illicitus. Quae societas coniugalis effecta per coniunctionem animorum cum mutua obligatione mutuoque iure, et quidem perpetuo nec ex voluntate in ea unitorum solubili, iterum ex natura rei haberi non potest sine mutuo consensu nec alia ratione effici potest nisi per eundem consensum plene deliberatum et liberum.

Inde etiam patet talem consensum, cum ex ipsa natura rei requiratur et ad essentiam contractus pertineat, quo societas coniugalis initur cum mutuo iure mutuaque obligatione, *a nulla potestate humana suppleri posse.* Si in contractibus, qui versantur circa res exteriores, quarum dominium aliaque realia iura ab una persona in aliam transferuntur, potest nonnunquam ob bonum commune a suprema auctoritate sociali consensus contrahentium suppleri, talis potestas publicae auctoritatis nullo modo potest pertingere neque ad translationem iuris in proprium corpus, neque multo minus ad efficiendam contra ipsorum voluntatem aut independenter ab ipsa unionem animorum inter duas personas in societate coniugali mutuo et perpetuo obligatas.

Idem expresse asserit *Pius VI* in Epist. ad Episc. Agrien. 11 iulii 1789: « Hic contractus etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis in casibus per leges suppleatur, in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat » [4].

Nec matrimonium quod dicebatur *praesumptum* erat matrimonium, in quo consensum suppleret Ecclesia; sed ab hac praesumebatur matrimonium ubi praesumebatur consensus, et non obstante praesumptione consensus, ubi constaret consensum non extitisse etiam de non existentia matrimonii iubebatur decerni.

452. Consensus autem qui facit matrimonium debet esse *mutuus,* cum agatur de obiecto in personali dominio et personali arbitrio utriusque partis. Debet esse *legitime manifestatus,* quia voluntas mente retenta nihil in humanis contractibus operatur [5]. Nihil autem refert num inter consensum unius et consensum al-

[4] Utrum a Deo suppleri possit, quoad magnam partem est quaestio de modo loquendi, quam libenter relinquimus theologis disputandam. Cfr. *Sánchez,* l. II, disp. 26: *Kugler,* De matr. P. I, cap. 1, § 5; *Rosset,* n. 88 sq.; *Cappello,* II, n. 571.

Satis est hic notare quod, si Deus potest supplere influxum cuiuslibet causae *efficientis,* at non potest supplere influxum causae *formalis;* at illius mutui iur's et obligationis inter coniuges non solum causa efficiens sed etiam formalis est eorundem consensus.

[5] Ceterum, matrimonium quod est sacramentum etiam ex alio capite requirit externam manifestationem consensus, ut sc. sit signum sensibile.

terius, inter unius externam propositionem et alterius acceptationem aliquod intervallum temporis interponatur; quod enim generatim accidit in ceteris contractibus, id quoque valet de matrimonio, sc. quod non requiritur coëxistentia physica utriusque consensus aut externae ipsius manifestationis, modo quando altera pars suum consensum verum manifestat, prior pars consensum verum externe manifestatum non revocaverit: quae revocatio non praesumitur, si breve tempus elapsum sit; si autem longa mora interposita fuerit, aliqua adest revocationis praesumptio [6].

453. *Obiectum,* circa quod debet versari consensus voluntatis est « *mutua traditio et acceptatio iuris in corpus perpetui et exclusivi, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem* » (c. 1081 § 2). Quodsi ex utraque parte debet dari traditio et acceptatio, necessarius tamen non est duplex actus formaliter distinctus, sed iam unius pollicitatione et alterius acceptatione perficitur, quin expressa et distincta repromissione opus sit; neque enim potest vir esse nisi sit uxor, neque uxor nisi sit vir [7], nec unus se tradit nisi in ordine ad reciprocam traditionem alterius. Quae mutua traditio et acceptatio iuris in corpus in ordine ad copulam nequaquam est confundenda cum *usu* seu exercitio iuris, quod stante potestate permanente variis modis potest esse ligatum [8]. Porro traditio et acceptatio non quavis ratione habet pro obiecto ius in corpus, sed ius perpetuum et exclusivum, ut constat ex duplici proprietate essentiali matrimonii, de qua c. 1013 § 2.

454. *Iure habiles* illae personae sunt, quibus sive seorsim et absolute sive relative spectatis, sive ex iure naturali sive ex iure positivo, nihil obstat quominus saltem validum consensum praestare possint. Quodsi habilitati ad dandum validum consensum solum obstat ius positivum humanum, consensus ipse est *naturaliter validus,* quamvis iuridice inefficax ob ecclesiasticum impedimentum personam inhabilitans, qui consensus naturaliter validus est fundamentum possibilis sanationis in radice per ablationem impedimenti sine necessitate novum consensum ponendi.

455. Consensum internum, legitime externe manifestatum, esse se solo sufficientem ad efficiendum matrimonium, excluso quolibet alio et in particulari exclusa necessitate copulae, sub

[6] *D'Annibale,* Summ. III, n. 443; *Sánchez,* l. II, disp. 32; *Kugler,* l. c., cap. 4, q. 15; *Chelodi,* n. 108; *Cappello,* II, n. 575 sq.; *De Smet,* n. 100.

[7] *D'Annibale,* l. c.; *Chelodi,* l. c.; *Cappello,* l. c., n. 574; *Vlaming,* II, n. 513.

[8] Cfr. *Palmieri,* De matr. thes. II, n. 6; *Cappello,* l. c., n. 574.

fundamento iuris Romani constanter in legislatione ecclesiastica fuit propositum.

Ius Romanum id aperte sanciebat: « Nuptias non concubitus sed consensus facit » [9] etiam absque traductione sponsae [10].

In responso Nicolai I ad consulta bulgarorum (c. 2, C. XXVII, q. 2) dicitur « Sufficiat solus secundum leges eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur ».

Item cap. 14, X, de spons. et matrim. IV, 1. « Matrimonium solo consensu contrahitur ». Cfr. quoque cap. 10, eod. IV, 1, in cpl. 1. Porro Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 6: « Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: anathema sit », ubi vinculum veri matrimonii existere supponitur in matrimonio copula carnali non consummato [11].

456. Incapacitas consensus ob defectum usus rationis. Qui usu rationis non pollent planum est incapacitate laborare consen-

---

[9] L. 15, D. de condit. et demonstr. 35, 1; L. 30, D. de div. reg. iuris. 50, 17.

[10] Cit. L. 15, D. de condit. 35, 1.

[11] Notum est exploratumque fuisse traditum ab Hincmaro Remensi, quem in hac re secuti sunt Regino Prunensis et Algerus Leodiensis, matrimonium consensu quidem *initiari* sed non *perfici* nisi per copulam; quam theoriam — copula-theoria — postquam a magistro Gratiano propugnata fuit in Caus. XXVII, adoptavit schola bononiensis, unde etiam deductum fuit matrimonium, ea ratione per consensum dumtaxat initiatum, posse ex variis causis dissolvi, v. gr. ob votum castitatis, ob captivitatem, ob cognationem spiritualem vel affinitatem supervenientem, nec defuerunt qui matrimonium consensu initum etiam per subsequens matrimonium consummatum dissolvi putarent. Quam theoriam scholae bononiensis, praeeunte Petro Damiano et Hugone Victorino prae ceteris impugnavit Petrus Lombardus, praesertim facta distinctione inter *sponsalia de futuro* et *sponsalia de praesenti* seu matrimonio per consensum de praesenti inito, cui vindicavit rationem sacramenti et tribuit absolutam indissolubilitatem; atque Petrum Lombardum in hac re secuta est universa schola parisiensis. Controversiam illam authentice diremit Alexander III, qui dum esset Magister Rolandus placitis scholae bononiensis magna ex parte adhaeserat, dum matrimonio non consummato decrevit agnoscendam esse rationem sacramenti ac veri perfectique coniugii, ex alia autem parte absolutam indissolubilitatem, etiam extrinsecam, vindicavit soli matrimonio rato et consummato. Si *Freisen* studuit repristinare theoriam iam penitus obsoletam de necessitate copulae, in altera sui operis editione illam sententiam sapienter retractavit. Cfr. supra n. 34 nota 68 iunct. *De Smet*, n. 96 sq. cum notis, ubi refert plures praxes medii aevi a nostris moribus alienis, aptis ad ingerendam confusionem circa actum quo matrimonium perficitur.

sum praestandi. Quare valide contrahere nequeunt tum qui *actualiter*, velut infantes, ebrii, dormientes, tum qui *habitualiter*, ut amentes, rationis compotes non sunt. Huc pertinent *idiotae* ac caeci simul ac surdi et muti, ubi aptam educationem non habuerint. Cfr. supra nn. 36, 83.

Incapacitas ex defectu discretionis aut ex ignorantia. Cum consensus ferri debeat in id quod est obiectum contractus, incapax est contractus matrimonialis ineundi qui eius obiectum *ignorat* aut tali iudicii *maturitate* et *discretione* nondum est praeditus, ut obiecti contractus naturam et vim intelligere possit, ita ut onera et officia coniugalia saltem in genere apprehendat. Quare si quis putaret matrimonium quod contrahit nihil aliud esse nisi societatem amicalem aut locationem operae in rem familiarem, invalide contraheret [12]. Talis existimatio efficeret ut consensus, qui diceretur dari ad matrimonium, afficeret aliquid substantialiter diversum ab ipso matrimonio.

457. Ut consensus vere matrimonialis haberi possit, ex c. 1082 § 1 omnino requiritur, « ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse *societatem permanentem* inter virum et mulierem ad filios procreandos ». Haec scientia importat saltem illam vagam notitiam quod aliqua ratione concursus proprii corporis sit necessarius ad habendos filios ex unione cum altera parte, et idcirco quod in associatione, quae fit per matrimonium, alteri parti tradatur ius in proprium corpus in ordine ad talem cooperationem, licet ea quae propius ad generationis modum et formam spectant ignorentur [13].

---

[12] Cfr. decis. S. R. Rotae in causa Vicariatus Apost. Sueciae, 14 aug. 1914, (AAS. VII, 51 sq.) ubi motrimonium fuit declaratum nullum, cum vir in contrahendo exclusive intendisset mulierem ut sociam habere, quae, in recipiendis domi personis officia honoris bene impleret. Item S. C. C. in caus. *Ventimilien.*, 19 maii 1888, edidit declarationem nullitatis, cum uxor, puella 12 a. et 9 mens., probaretur ignorasse matrimonium esse societatem ad filios procreandos (AAS. XXI, 162; *Gasparri*, II, n. 784).

[13] *Gasparri*, II, n. 805; *Chelodi*, n. 110. *De Smet*, n. 100. Aliter *Vlaming*, II, n. 524, qui praeterea requirit ut sciatur filios *haberi per carnalem copulam*, quamvis in alia operis editione suam assertionem temperavit negando requiri scientiam copulae phisiologice exactam. Et profecto, si requireretur cognitio copulae — i. e. penetratio talis membri viri in tale membrum feminae et seminatio viri intra vas muliebre — plurimae honestissimae puellae, quae vere volunt contrahere matrimonium sicut ceterae puellae, invalide ex hoc capite consentirent. At non posse tradi cum sufficienti cognitione ius in corpus in ordine ad generationem ab ea parte quae copulam prorsus ignorat, in quo adhuc insistit *Vlaming*, non videtur esse admittendum; non enim copula ipsa directe intendi debet ut validum ineatur matrimonium; ius ad ipsam

Talem notitiam sufficienter habitam fuisse, *in foro interno* prudens confessarius eruet ex assertis a confitente, non neglecta praesumptione quam ius statuit pro foro externo. In *foro externo* ignorantia potius praesumitur ante pubertatem; post pubertatem vero, in re quae duce natura discitur, praesumitur scientia (c. 1082, § 2). Quae praesumptio, licet sit mera praesumptio iuris contrariam probationem admittens, non tamen facile evertitur; qui enim consentit in matrimonium prout a ceteris omnibus frequentatur, implicite censetur velle ea omnia, quae illud comitantur, saltem apprehensa sub generico conceptu societatis permanentis ad procreandos filios cum mutuis iuribus et obligationibus, licet in individuo et claro conceptu illa mutua iura et obligationes non cognoscantur. Qua in re non est habenda ratio eius, quod, veritate cognita, contrahens *fecisset;* haec enim est voluntas *interpretativa*, in rerum natura non existens, quae consequenter nihil operatur.

§ II. De externa consensus interni expressione

458. Ex natura rei, perinde atque in aliis contractibus, consensus manifestari potest sive *verbis*, sive aliis *signis*, sive *factis* [14]. At tum ex necessitate evitandi dubia, quae possent oriri circa expressionem consensus, tum etiam ob maiorem reverentiam

---

tradi et accipi satis implicite cognosci et in consensu comprehendi potest ab eo qui non ignorat ex cooperatione utriusque coniugis filios procreari et ad hoc matrimonium ordinari, tametsi *penitus ignoret* modum et formam illius cooperationis. Quodsi dicatur esse faciendam distinctionem inter *ius coeundi* et *coniunctionem carnalem seu copulam*, non possum intelligere quinam conceptus de *iure coeundi* haberi possit ab eo qui ignoret coitum fieri per carnalem copulam, nisi ad summum ille de quo actum est in textu, sc. conceptus *genericus* cooperationis utriusque coniugis, qui omnino potest haberi cum pleno consensu ad eius obiectum ab eo, qui *prorsus ignorat* modum et formam talis cooperationis. Si *Vlaming*, l. c., insistit in eo quod simplex ignorantia hac in re absque apprehensione rei positive falsa vix concipi possit, illa apprehensio falsa in hypothesi versatur circa *modum* actus, quae non impedit consensum plene voluntarium et liberum circa ius ad actum sub generico conceptu apprehensum, quamvis, si fuisset cognitus modus actus, consensus non fuisset datus; haberetur enim illa voluntas mere interpretativa, quae utpote in rerum natura non existens, sed tantum extitura erat in hyphotesi, de facto non verificata, nihil potest operari.

[14] Quae sufficientia cuiuslibet apti signi ab altera parte intelligibili et de facto intellecti haberi prae oculis debet, si iudicium ferendum est de valore matrimonii duorum infidelium in casu conversionis saltem unius partis.

sacramenti in baptizatis, multo convenientius est ut consensus exprimatur verbis.

Expressio oralis consensus iure positivo Codicis praecipitur ac prohibetur usus signorum aequipollentium, ubi nupturientes loqui possunt. Qui modus expressionis praecipitur independenter a forma celebrationis, de qua postea, ad valorem tamen non requiritur [15].

Insuper « ad matrimonium *valide* contrahendum necesse est, ut contrahentes sint *praesentes* sive per se *sive per procuratorem* » (c. 1088 § 1).

Quare parochus non potest admittere alia signa distincta a verbis secundum formulam usu locorum praescriptam prolatis, nisi de surdo et muto agatur; quodsi alteruter vel uterque contrahentium ignota lingua utatur, adhibere licet interpretem (c. 1090) [16].

Iure Codicis, manifestatio consensus per *epistolam* [17] vel *nun-*

---

[15] Cfr. S. C. C. 25 maii 1867, in AAS. III, 225 sq., 228; 22 nov. 1856, in Arch. f. k. K. II, 81 sq.; *Sánchez*, II, disp. 31; *Gasparri*, II, n. 865.

Merum silentium, v. gr. ex parte sponsae, nisi alia signa vel facta et adminicula accedant, generatim tanquam certa manifestatio consensus matrimonialis haberi non potest. Immo, licet *parentes* pro filiis *praesentibus et tacentibus* matrimonium contrahant, huiusmodi taciturnitas filiorum non est veri consensus significatio, si alio signo consensus illorum non demonstratur; nec quod cap. unico § 2, de desp. impub. IV, 2, in Sext. in favorem *parentum* statutum fuerat quoad *sponsalia*, potuit arbitrarie extendi ad *matrimonium*. In re adeo gravi, ubi agitur de contractu indissolubili ex perfecta *libertate* ineundo, silentium filiorum saltem regulariter, potius dissensum quam consensum insinuat. Cfr. *Schmalzgrueber*, IV, 1, n. 246; AAS. VII, 55 sq., 66 sq. Paulo aliter *Sánchez*, l. I, disp. 23, n. 2. Cfr. quoque *D'Annibale*, P. III, n. 443, not. 5.

[16] Cfr. L. 1, § 6, D. de verbor. oblig. XLV, 1. Si nonnulli auctores, v. g. *Pontius* (cfr. quoque *Benedicti XIV* haesitationem, De Syn. dioeces. l. XIII, c. 23, n. 9) id fieri posse negarunt in locis cap. *Tametsi* subiectis, eo quod parochus et testes nequeant attestari de consensu partium, illa ratio non est solida; nam ut in aliis contractibus notarius et testes per interpretem vel alio signo sufficienter informantur, ita etiam parochus et testes satis possunt attestari de consensu partium per interpretem vel alio signo expresso. Quare alii, v. g. *Sánchez*, l. III, disp. 39, n. 3 et *Feije*, n. 300, et *Gasparri*, II, n. 876, melius affirmarunt etiam in territorio legi Tridentinae subiecto huiusmodi matrimonium esse validum.

[17] Iure praecedente consensum exprimi potuisse per epistolam etiam post decret. « Tametsi » Conc. Trid. et consequenter post decr. « Ne temere », si epistola unius partis coram parocho et testibus legebatur et altera pars declarabat suam acceptationem, constabat ex doctrina et praxi (cfr. *Sánchez*, l. III, disp. 12; *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 254 sq.; *Gasparri*, II, n. 864, not. 1,; *Schnitzer*, 194) et agnovit S. C. C., 30 sept. 1673 et ultimo tempore S. R. Rota pariter admisit 19 ian. 1910, AAS. II, 279 sq.).

tium[18] manet exclusa, cum requiratur mutua partium praesentia; at expresse permittitur fieri, quod attinet ad valorem, *per procuratorem*[19].

459. Consensus per procuratorem. Procurator sive eiusdem sive diversi sexus sit, ut valide munus suum exerceat exprimendi consensum loco mandantis, ex praescripto c. 1089 requiritur: 1°) ut munitus sit mandato *speciali* ad contrahendum cum certa et *determinata* persona. Non sufficit mandatum generale ad gerenda negotia mandantis, nec mandatum ad contrahendum matrimonium cum persona, cuius electio relinquatur ipsi procuratori; — 2°) ut mandatum detur per *scripturam publicam*, sc. subsignatam a mandante et *vel* a parocho aut Ordinario loci aut a sacerdote ab alterutro delegato vel saltem a duobus testibus. Quodsi mandans scribere *nescit* — *nescientiae* videtur aequiparanda *impotentia* attento c. 1017 § 2) — id in ipso instrumento mandati est adnotandum et alius testis addendus qui scripturam quoque subsignet; secus mandatum est irritum; — 3° ut cum mandatarius nomine mandantis contrahit, hic mandatum *non revocaverit* aut in *amentiam*[20] non inciderit; nihil autem refert utrum procurator vel altera pars revocationem cognoverit aut ignoraverit, cum partis consensus nullo modo suppleri potest et consensus revocatus non amplius est consensus existens in actu celebrationis matrimonii; — 4°) procurator debet munere suo per se fungi nec potest mandatum exequi per alium, tametsi mandans consentiat; — 5°) si statuta dioecesana alias condiciones requirant, etiam illae observandae sunt[21]; pariter omnino servari debent condiciones man-

---

[18] Iure praecedente etiam valuisse expressionem per nuntium insinuatur cap. 14, X, de conv. coniug. III, 32, et est paritas cum epistola.

[19] Cfr. *Sánchez*, l. II, disp. 11, 13; *Scherer*, § 112, p. 192 sq.; *Rossel*, n. 88 sq., 213 sq.; *Schnitzer*, 192 sq.; *Zhishman*, 604 sq.; *Leitner*, 5 sq.; *Lombardi*, in ASS. XXXVII, 410 sq., 603 sq.; 736 sq.; XXXVIII, 58 sq., 188 sq., 299 sq.; XXXIX, 123 sq., 379 sq., 617 sq.

[20] Cfr. cap. 9, de procur. I, 19, in Sext. iunct. L. 47, 48, D. de acquir. vel admitt. hered. 29, 2. *Sánchez*, l. II, disp. 11, n. 12, existimaverat valere matrimonium, si procurator consensum dedisset postquam mandans iam incidisset in amentiam. Quae opinio cui etiam assentitus est cum aliis *Rossel*, n. 231 sq., merito iam reiecta fuerat a *Lugo*, De sacr. in gen. disp. 8, n. 108 et *Gasparri*, II, n. 874, cum aliis; nam consensus in mandante per amentiam *deficit* sicut *in mortuo*; deficiente autem consensu in *una* parte matrimonium nec valide *iniri* nec per *sanationem vere convalidari* potest; nec est paritas cum dormiente vel ebrio, in quo usus rationis dumtaxat suspensus est, non extinctus.

[21] V. gr. iure particulari exigi potuit ut scriptura rite confecta antea in Curia episcopali esset recognoscenda. Cfr. Conc. prov. Neogranat. (a. 1868) in Collect. Lac. VI, col. 522 sq.

dato appositas, ultra quas procurator nihil operatur; quodsi mandatum datum fuerit ad tempus, eo elapso statim cessat, nec amplius procurator valide agit. Verificatis condicionibus, matrimonium statim valet nec indiget ratihabitione.

Per se patet matrimonium per procuratorem aut interpretem contractum pluribus incommodis et exceptionibus facile esse obnoxium ideoque non esse facile permittendum, et c. 1091 merito parocho prohibetur assistentia « *nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia* ».

Observatio formae difficultate caret, cum procurator personam gerat mandantis, ideoque coram parocho et testibus sistere debet procurator cum alia parte vel duo procuratores partium, eoque exquirente et excipiente consensu, hunc nomine mandantis exprimere.

Scholion. Non omnes Codices civiles procuratorem ad contrahendum matrimonium civile admittunt. Excluditur procurator codice *Germaniae* § 1317, *Helvetiae*, art. 117, *Galliae*, art. 57, et in aliis. Admittitur procurator mandato speciali munitus codice *Austriae*, § 76, *Hispaniae*, art. 95 etc. Codex italus admittit procuratorem in matrimoniis personarum regiae familiae, et militum tempore belli. Potest etiam concedi ut matrimonium celebretur per procuratorem cum alteruter nupturiens extra Italiam versetur, si graves intercedant causae, art. 111, 114.

§ III. De consensu ficto seu simulato

460. Simulare dicitur ille qui dum verba profert, consensum exprimentia, *aut* contrahendi *aut* se obligandi *aut* implendi animum non habet. *D'Annibale*, II, n. 412; *Chelodi*, n. 115. Adest oppositio inter externam expressionem et id quod in animo habetur.

Animus non contrahendi seu internus dissensus in matrimonium contra id quod prodit externa manifestatio, quae est simulatio seu fictio sensu stricto accepta, matrimonium reddit prorsus nullum, cum deficiat ipsa contractus substantia, quae in mutuo consensu circa obiectum contractus consistit, utique cum externa ipsius manifestatione.

Contra huiusmodi fictionem in foro externo stat *iuris praesumptio*: « *Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis* » (c. 1086 § 1): unusquisque enim censeri debet, prout natura ipsa postulat, uti verbis et signis ad exterius manifestandum quod

revera in animo habet [22]. Quare solae affirmationi asserentis fictionem in foro externo fides non est adhibenda, nisi eam concludentibus argumentis demonstraverit; quae probatio, cum agatur de facto interno contrario externae et liberae expressioni, difficillima evadit. In talem demonstrationem faciunt, si simul concurrant: confessio simulantis praesertim iurata et incontinenti post contractum facta, exsistentia manifestae *causae* simulationis, *circumstantiae* antecedentes, concomitantes et sequentes [23].

Qui ficte consensit tenetur reparare damna parti deceptae, praesertim mulieri, inde illata, quae reparatio non necessario fieri debet per matrimonii convalidationem, nisi hoc sit unicum medium, quod praesertim accidit si simulatio in iudicio probari non potuit et inde iudex tulit sententiam non constare de nullitate matrimonii et contrahentes obligat ad cohabitationem. Quo in casu, vere existente simulatione, per accidens oritur conflictus inter forum internum et externum, qui supposita inter putatos coniuges copula, vix alio modo solvi potest, quin utraque pars maneat obligata ad perpetuum caelibatum; augetur autem conflictus fitque omnino irreparabilis, si pars ficte consentiens, post primum fictum, alterum matrimonium serio contraxit et consummavit.

Simulationi seu fictioni stricte dictae aequiparatur *iocus*, dum consensus nugatorio modo praestitus fuit; quod evenire potest altera parte iocum non intelligente, licet fortasse aliis sit notus, et solet esse facilioris probationis quam fictio [24].

461. Animus non se obligandi. Hic animus, si *quamlibet* obligationem excludit, recidit in casum praecedentem strictae fictionis; sed potest voluntas non se obligandi esse restricta ad aliquid contractui essentiale, de quo casu valet regula c. 1086 § 2: « *Si alterutra vel utraque pars positivo* voluntatis actu excludat *matrimonium ipsum* — hic est casus praecedens fictionis, — *aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit* ». Actus positivus, quo quis excludit aliquid essentiale contractui vel eius obiecto, evidenter contractum ipsum destruit; nam voluntates contrariae sese mutuo elidunt, nec necessarium est ut illam exclusionem in

[22] Cfr. L. 7, § 2, de supellect. leg. 33, 10; L. 13, Cod. de non numer. pec. IV, 30; cap. 10, X, de prob. II, 19.

[23] S. C. C. in c. *Chien.*, 12 mart. 1729 (*Richter*, Conc. Trid. 281, n. 141, in c. *Granaten.*, 28 sept. 1743 (ibid., 232, n. 59), in c. *Parisien.*, 7 mart. 1885 (AAS. XVIII, 14 sq.); S. R. Rota, 1 iul. 1911 (AAS. III, 525), 12 aug. 1912 (AAS. IV, 708).

[24] S. C. C., 14 dec. 1889, (AAS. XXII, 529 sq.).

pactum deducat, quamvis ubi in pactum deducta non est difficilius probabitur illam positivam voluntatem intercessisse, cum externae expressioni consensus praesumendus sit fuisse conformis internus voluntatis actus [25].

In casu in quo pars positive excluderet *sacramentum*, ubi voluntas adest absoluta matrimonii contrahendi, illa intentio nihil operatur, cum posito valido matrimonio, quod supponitur absolute volitum, sacramentum consequitur ex voluntate divina. In praxi, in eo qui novit omne matrimonium baptizatorum esse sacramentum, considerandum erit quaenam sit voluntas praevalens seu omnino absoluta.

462. Animus non implendi. Cum *valido* contractu matrimoniali cohaeret voluntas seu intentio positiva non implendi obligationes, quas secum affert; harum enim adimpletio supervenit matrimonio in suo esse constituto nec defectus adimpletionis actus essentiam mutare potest: voluntas obligationem assumendi et eam violandi non necessario se invicem excludunt [26].

Quare qui matrimonium contrahit habens firmum *propositum* evitandi prolem, non solum negative per non usum seu denegando debitum, sed etiam positive per pravum usum, v. gr. per coitum onanisticum, vel necandi prolem, vel adulterandi, non obstante tali proposito valide contrahit. Tale propositum est contrarium bono fidei et prolis, quae solum sunt essentialia in matrimonio quoad *sua principia* seu quoad obligationem ad illa, at in se quoad *usum* et *executionem*, cui usui opponitur illud propositum, non sunt essentialia, nam esse rei non pendet a suo usu [27].

At bonum indissolubilitatis — bonum *sacramenti* — illam distinctionem inter obligationem assumptam et eius adimpletionem non admittit, nec verum matrimonium unquam existit sine inseparabilitate; et ideo qui matrimonium vult, debet velle perpetuum et si solubile intendit non vult matrimonium. Quae intentio contra indissolubilitatem probe distinguenda est ab intentione seu proposito retento contra fidelitatem: quare qui vere vult matrimonium, i. e. vinculum indissolubile et nihilomi-

[25] S. R. Rota, 1 mart. 1913, (AAS. V, 312), 8 febr. 1915 (AAS. VII, 292), iunct. *Chelodi*, n. 116 not. 2, necnon *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. 13, cap. 22, et *Cappello*, II, n. 599.

[26] *Ballerini-Palmieri*, III, n. 560; *Lugo*, De iust. et iure disp. 22, n. 36; *D'Annibale*, II, n. 412 iunct. III, n.448, not. 7; *Chelodi*, n. 117; *Cappello*, l. c., n. 600.

[27] *Sánchez*, l. V, disp. 9, n. 2; *S. Thomas*, in IV, D. 31, q. 1, art. 3; Supplem. q. 49, art. 3; *Rosset*, n. 414 sq.; supra n. 28.

nus intendit in certis adiunctis mulierem abicere et alteri adhaerere, is contra fidelitatem peccat, et matrimonium valet; at qui intendat sibi reservare *potestatem* in certis adiunctis mulierem abiciendi, ita ut maneat liber a vinculo ipsius, cum non intendat contrahere vinculum indissolubile, seu ius perpetuum et exclusivum tradere et acceptare, is invalide contrahit, cum voluntas contrahendi matrimonium elidatur per voluntatem ipsi contrariam circa idem obiectum [28].

CAPUT II

De consensu vitiato propter errorem (cc. 1082-1087)

463. Fontes: C. XXIX, q. 1,[1] — Cap. 18, 26, X, de spons. IV, 1; — Concil. Trid. ed. *Richt.*, 244 sq. — Instr. *Card. Rauscher*, §§ 14, 111. — ASS. I, 257 sq., 371 sq., XIV, 155, 466, 493. — Decisiones S. R. Rotae in indice v. error.

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in lib. IV, tit. 1, v. g.; *Schmalzgrueber*, n. 433 sq.; *Devoti*, Instit. can. lib. II, tit. 2, § 142; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 167; *Scherer*, l. c. II, 178 sq. — *Bernard. Pap.*, Summa de matr., 292 sq.; *S. Raymund.*, Summa lib. IV, tit. 3 de errore personae; *Sánchez*, lib. VII, disp. 18 sq.; *Ferraris*, l. c., v. g. matrimonium art. 5, n. 12 sq.; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 601 sq.; *Feije*, n. 105 sq.; *Leitner*, 111 sq.; *Van de Burgt*, 90 sq.; *Schnitzer*, 304 sq.; *Schulte*, Eher. § 19; *Rosset*, n. 1247 sq.; *Gasparri*, II, n. 788 sq.; *Daller*, D. Irrtum als trennend. Ehehind. — *Moy*, 53 sq.; *Freisen*, 276 sq.; *Esmein*, I, 344 sq., II, 441 — *Allègre*, I, 97 sq., 146 sq.; *Hollweck*, *D. Civileher.* 112 sq., 117 sq.; *Gerigh*, Irrtum u. Betrug als Ehehindernis, 1898; Id., Der Irrtum beim Ehevertrag., 1903; *Gaugusch*, Der Irrtum als Ehehindernis, 1899; *Thaner*, Die Persönlichkeit in der Eheschliessung, 1900; *Friedberg-Ruffini*, § 141; *Zhishman*, 609 sq. — *Vlaming*, II, n. 525 sq.; *Cappello*, II, n. 584 sq.; *De Smet*, n. 523 sq.; *Chelodi*, n. 111 sq.; *Ferreres*, n. 647 sq.

464. Definitio. Error generatim est apprehensio rei falsa sive aestimatio unius pro alio, in qua non habetur conformitas intellectus cum re. Hinc dum ignorantia est mera *carentia* sive negatio scientiae, error est iudicium positivum, sed falsum de obiecto, quo voluntas movetur. Universim igitur in matrimonio

---

[28] Cfr. decis. S. R. Rotae in c. *Oregonopolitana*, 6 iul. 1914 (AAS. VI, 516 sq.); item S. R. Rotae, 8 febr. 1915 (AAS. VI, 292 sq.).

[1] Dig. XXII, 6 de iuris et facti ignorantia; Cod. I, 18, eod.; cod. civ. Gall. art. 180, 181; Austr. §§ 57, 58, 59; Ital. art. 122; Hisp. art. 88, 101, 102; German. §§ 1332 sq. Cfr. *Arndts-Serafini*, l. c., §§ 62, 237 sq.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 80.

contrahendo error est falsum iudicium saltem unius ex nupturientibus circa obiectum, in quod voluntas per consensum maritalem fertur, v. g. circa *personam*, quae sive quoad *substantiam* sive quoad *qualitatem* est *alia* quam intellectus repraesentat atque voluntas appetit.

465. Divisio. Error in celebratione matrimonii potest esse:

I. Error *iuris* aut de principali *obiecto* contractus matrimonialis, i. e. de potestate in corpus alterius partis in ordine ad generandam prolem, aut de essentialibus *bonis* et *qualitatibus*, v. g. perpetuitatis, unitatis, fidelitatis, sacramentalitatis matrimonii, aut de *valore* ipsius [2], et error *facti*, sive substantialis de ipsa *persona determinata*, quacum quis vult contrahere, sive *accidentalis* circa meram *qualitatem* eiusdem personae. Posteriori errori adnumeratur error *fortunae* et *condicionis servilis;* ad priorem reducitur error, qui vocatur « *redundans in personam* » et consistit in errore circa qualitatem: *a*) plane *individualem* personae, v. g. primogenitae filiae principis Monacensis, *b*) ab errante directe et *exclusive tantum* — non solummodo *principaliter* — ratione illius qualitatis individualis — non *etiam* sub alio respectu — expetitae sive intentae [3].

---

[2] *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. XIII, cap. 22, n. 3, 4; *Sánchez*, l. c., n. 3 sq.; *Gasparri*, l. c., n. 788 sq.; *Hollweck*, l. c., 118 sq.

[3] *S. Thom.*, l. c., q. 51, art. 2, ad 5; *Sánchez*, lib. VII, disp. 18, n, 23 sq. et praesertim n. 28; *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 1, n. 445, 451 sq.; *Feije*, n. 112 sq.; *Rosset*, n. 1248 sq.

Qui casus erroris de qualitate *individuali* redundantis in personam est evidenter diversus ab altero, quo quis in celebrando matrimonio qualitatem quandam *genericam*, v. g. virginitatis, nobilitatis, divitiarum apponit ut *condicionem, sine qua* non vult dare *consensum* maritalem. Cfr. *Feije*, n. 115 sq.; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 606 sq. Profecto filia *primogenita* principis Monacensis illa *qualitate individuali* est certo determinata, sicuti per *nomen* et *cognomen*. At complures filiae eiusdem patris possunt esse *virgines, nobiles, divites*; illae igitur qualitates non determinant *unam* personam in *individuo*, et si forte una ex iisdem qualitatibus in matrimonio contracto cum certa et determinata persona desit, matrimonium non irritatur, nisi apposita fuerit ut *condicio* sine qua non. Cfr. S. C. C., 9 febr. 1732; *Rosset*, n. 1248.

Quare si quis *procuratori* mandaret ut suo nomine matrimonium iniret cum filia *primogenita* principis Monacensis, tale mandatum esset *speciale* de determinata persona, prout ex cap. 9 de procur. l. 19 in Sext. et in c. 1089 § 1, requiritur. Quodsi procurator cum *secundo-genita* eiusdem principis celebraret nuptias, manifeste nullum esset matrimonium; nam procurator excederet limites mandati, et voluntas decisiva mandantis consentiret in *personam plane diversam*. Similiter si quis per litteras vel nuntios tractasset de conciliandis nuptiis cum eadem filia primogenita hucusque *sibi personaliter ignota*, et die nuptiarum per *fraudem* et *dolum* sese sponso *praesentaret* filia secundogenita vel alia

II. Error *antecedens* sive dans causam contractui atque error incidens sive *concomitans*. Prior error habetur, si quis eo animo est comparatus, ut, illo errore ante nuptias detecto sive facto cognito, matrimonium non celebrasset; alter vero in hoc consistit, ut *etiam* cognito errore nihilominus a celebratione matrimonii non recessisset. Quae divisio neque in theoria neque in praxi est seponenda [4].

III. Error *vincibilis* et *invincibilis*.

IV. Error ex fraude et *dolo* vel *sine malitia* productus.

Scholion. Ex tempore *Savigny* quamplurimi iuristae in Germania adoptarunt divisionem erroris in *proprium* et *improprium* (echter u. unechter Irrtum). Ille dicitur esse error circa *motiva*, qui actum voluntatis non reddit ipso facto nullum, sed tantum rescindibilem. Alter error habetur, si de natura negotii erratur, v. g. locatio operae confunditur cum matrimonio, vel contrarium illius declaratur (*si* pro *no*), quod quis intendit; inde actus voluntatis plane *deficit* atque non solum rescindibilis, sed ipso fac-

---

mulier ut primogenita, sane consensus sponsi ferretur denuo in *personam diversam* ab *illa*, quacum extrinsecus, sed invalide celebrat matrimonium.

Auctores ad errorem redundantem in personam communiter exigunt ut illa persona alteri parti ex una qualitate individuali, non personaliter etiam ex *aliis* qualitatibus *individuantibus* sit cognita; hinc passim putant istum errorem tantum posse intervenire, si matrimonium celebretur aut *per procuratorem* cum parte absente et alias ignota aut forte cum falsa persona *praesente*, postquam de nuptiis cum vera sponsa praevie per litteras vel nuntios tantum fuerit tractatum. Cfr. C. XXIX, q. 1. Quae assertiones sane demonstrant quam rari sint in praxi casus erroris redundantis in personam, cuius explicatio theoretica et practica iam per saecula occupatos tenet viros doctos. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, n. 607 sq. Nam si matrimonia per procuratorem contracta iam nunc sunt rarissima, multo difficilius celebrantur per mandata, procuratoribus data, cum personis certo tantum notis ex aliqua *individuali qualitate*, non ex aliis (?). Quodsi quis *sine procuratore* ineat matrimonium, error redundans in alteram personam praesentem solummodo intelligi potest, si unus coniux hucusque personaliter fuerit *ignotus*, et *fraus* supra indicata obtineat, et consensus *illi qualitati individuali* sit maneatque alligatus. Cfr. *Aichner*, l. c., not. 5; *Gasparri*, II, n. 793, cum *D'Annibale* et *Lehmkuhl*; *Schnitzer*, 309; aliter *Scherer*, 180, ubi falso ex communi doctrina deducit istum errorem *tantum* posse locum habere in matrimonio *per procuratorem* celebrato; nam v. g. *Aichner*, l. c., aliique aperte etiam *alium* casum de persona praesente recensent, qui difficilior est, cum v. g. sponsus nunc *aliis* qualitatibus individuantibus allici possit, ut praecise cum persona *praesente* matrimonium contrahere velit, mutata priore voluntate.

[4] *Rosset*, l. c., n. 1250 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c., n. 603, aliique; aliter *Scherer*, l. c., 181, not. 78, cum *Schulte*.

to omnino nullus existit. Quae divisio a *Freisen*, l. c., 301 sq., aliisque scriptoribus ad influxum erroris explicandum in ius matrimoniale est invecta; at cum neque claritate neque soliditate commendetur, iam in loco suae originis a canonistis catholicis exiguo favore fuit recepta. Cfr. *Scherer*, l. c., 179, not. 68; *Hollweck*, l. c. 118 sq.; *Schnitzer*, 307, not. 1. Quare multo minus ista novitas verborum in aliis regionibus est attendenda, praesertim in divisione rei cum disputationibus philosophicis, theologicis, canonicis intime conexa et iam pridem a scriptoribus catholicis solide tractata. Cfr. *Lugo*, De iust. et iur., disp. 22, n. 67 sq.

466. Notae historicae. Cum nullitas matrimonii ob errorem substantialem evidenter *iure naturali* nitatur, et ipso iure Romano de ea caveretur: « *Quid enim tam contrarium consensui est quam error, qui imperitiam detegit* », (L. 15, D. de iurisd. II, 1) [5], primis saeculis canones de illo errore non reperiuntur [6]. *Gratianus* in longo « *dicto* » C. XXIX, q. 1, et *Petrus Lombardus*, Sent. l. IV, d. 30, primi fuerunt qui in foro ecclesiastico accuratiorem quandam doctrinam de errore proponerent [7]. At *Gratianus* licet cum P. Lombardo quadruplicem distinguat errorem, sc. personae, fortunae, condicionis, qualitatis, tamen canones antiquos neque de errore *personae* neque de errore « *fortunae* » vel « *qualitatis* » [8] potest allegare, neque singularis illius erroris *redundantis* in personam facit *expressam* mentionem, sed quoad rem ante « dictum » l. c. illum commemorat. Cuius notionis vel potius artis vocabuli, si non inventor, saltem principalis promotor fuit *S. Thomas* [9]. In collectionibus Decretalium proprius quidem titulus habetur de impedimento erroris *condicionis servilis* (IV, 9), sed impedimentum erroris substantialis personae ibidem supponitur (cfr. cap. 18, 26, X, de spon. IV, 1) potius quam expressis legibus confirmatur.

Ecclesia quamvis impedimentum erroris de condicione servili etiam ad aeque graves aut graviores errores de qualitatibus extendere posset [10], tamen de facto huiusmodi extensionem nunquam approbavit canone *universali*, neque *dolum*, qui non pro-

---

[5] L. 116, D. de R. I. L. 17; L. 8, 9, de iur. et facti ignor. I, 18.

[6] *Moy*, l. c.; *Freisen*, 277.

[7] *Freisen*, 288 sq.; *Esmein*, I, 344 sq., qui Petro Lombardo etiam ob rationes internas prioritatem illius terminologiae vindicat.

[8] Cfr. c. 10 Conc. Comp. (a. 757) atque *Freisen*, 279, et *Hefele*, Conciliengesch. III, 59.

[9] Summa theol. P. III, Suppl. q. 51, art. 1 ad 5.

[10] Gloss. v. Quod autem C. XXIX, q. 1; *S. Raym.*, Summa l. IV, tit. 4; *Sánchez*, l. c., n. 9; *Scherer*, 183, not. 82.

duxit errorem personae vel condicionis servilis, recepit ut proprium quoddam impedimentum dirimens matrimonii [11]. Qua in re vel inter ipsos novos legislatores civiles de matrimonio quidam Ecclesiam secuti sunt (cfr. cod. civ. Gall. et Ital. l. c.) dum alii [12] per errorem de certis *qualitatibus* praesertim per *dolum* inductum, v. g. de defectu virginitatis vel de epilepsia matrimonium irritari perperam decernunt. Neque defuerunt antiquiores quidam canonistae etiam catholici, v. g. *Walter,* Kirchenr. § 305, qui in eundem inciderent errorem [13].

Art. 1. — Error circa personam (c. 1083)

§ I. Origo et ambitus vitii erroris personae

467. Error substantialis de persona sive antecedens sive concomitans, vincibilis vel invincibilis, ex dolo vel sine fraude ortus, inculpabilis vel culpabilis, sive ob defectum sponsi errantis sive alterius non errantis, *ex iure naturae,* non ex mera constitutione Ecclesiae vitiat consensum et reddit invalidum matrimonium; hinc hominum *baptizatorum* et *non baptizatorum* — etiam sine lege civili — matrimonia pari ratione irritat, v. g. matrimonium Iacobi et Liae. Cfr. Genes. XXIX, 24. Nam ad valorem matrimonii essentialiter requiritur *mutuus consensus maritalis duarum personarum* in *individuo* sufficienter determinatarum [14]; sed per errorem *substantialem de persona* alterius sponsi in errante sponso omnino impeditur mutuus consensus maritalis, cum consensus errantis sponsi feratur in *tertiam* personam ab altera parte contrahente omnino diversam; ergo ex iure naturae per huiusmodi errorem valor matrimonii omnino impeditur, ut Gra-

---

[11] Gloss. v. Cogantur, ad c. 5, C. XX, q. 3; *Freisen,* 299 sq.; *Sánchez,* l. c., n. 17 sq.; *Scherer,* 181, not. 79.

[12] Cfr. v. g. cod. civ. Germ. §§ 1333 sq.; *Friedberg-Ruffini,* § 142, not. 13 sq.; *Schulte,* 516 sq.; *Lehmkuhl,* D. b. Gesetzb. d. d. R. ad cit. §§ 1333 sq.; *Hollweck,* l. c., 119 sq.

[13] Recte Grat. C. XXIX, q. 1, § 5; *Feije,* n. 109; *Scherer,* 182, n. 80; *Rosset,* n. 1261.

[14] Sufficiens determinatio personae non deest, si solummodo intercedat error de ementito *nomine* vel *cognomine* vel *titulo* personae aliunde notae. Cfr. cap. 26, X, IV, 1; S. C. C., 9 aug. 1817, 27 maii 1820, in ed. *Richt.* C. Tr. 244, n. 84, et S. C. C., 29 dec. 1862, in ASS, I, 257 sq., iunct. 371 sq.

tiano duce, l. c., atque S. Thoma magistro, Suppl. q. 51, art. 1, 2, canonistae atque theologi catholici unanimiter tradunt [15].

468. *Error de qualitate* personae *redundans in personam,* cum revera sit error substantialis de ipsa persona, pariter iure naturae ob defectum mutui consensus dirimit matrimonium [16].

469. *Error* antecedens vel concomitans circa *qualitatem* mere accidentalem *personae,* quamvis ex iure naturae *licitae* matrimonii celebrationi obstet, si alteri parti iniuria vel damnum inferatur, tamen *valorem* matrimonii neque *ex lege naturae* neque ex iure canonico impedit, sive vincibilis est sive invincibilis, etiam dolo et fraude inductus (c. 1083 § 2). Nam error de sola qualitate personae, quae non redundat in personam, *consensum voluntatis* quoad *substantiam* non tollit, sed tantum secundum quid. Porro gravissima sequerentur incommoda, si matrimonium, quo status vitae *irrevocabiliter* suscipitur, propter accidentales errores faciles et frequentes nullum et irritum existeret [17]. Denique voluntas eo modo fertur in obiectum, prout ipsi ab intellectu proponitur; sed intellectus proponit obiectum absolute, non condicionate, ut supponitur; ergo eadem ratione absoluta etiam vo-

---

[15] *Huguccio* impedimentum erroris iuri naturali tribuit; ad C. 29, q. 2, princ. « Sed quid de errore personae? Numquid impediret matrimonium cessante Ecclesiae constitutione, i. e. si Ecclesia hoc non constituisset? Utique; quia iste error consensum coniugii (« non » quod cod. Vatican. 2280, omittit) excludit; sed consensus facti est: unde ipso cessante nihil agitur. Unde dico praecise, quod si Ecclesia statueret in contrarium, sc. ut talis error non impediret matrimonium, non tamen ibi esset matrimonium ». (*Gillmann* textum contulit), *Tancred.,* l. c., 18. « *Quod* (imped. error) *ex sui natura, non ex constitutione Ecclesiae ... matrimonialem consensum excludit* »; *Sánchez,* l. c., n. 11 sq.; *Schmalzgr.,* n. 439 sq.; *Gasparri,* II, n. 890; *Rosset,* n. 1251 sq.; *Schulte,* § 19; *Scherer,* 183, not. 82; *Pesch,* VII, n. 851; *Ballerini-Palmieri,* VI, n. 602; aliter *Freisen,* 302 sq., qui innixus divisione erroris in proprium et improprium, in casu erroris proprii impedimentum dirimens matrimonii putat ex sola constitutione Ecclesiae esse repetendum, ut falso iam tenuit Gloss. v. Quod autem C. XXIX, q. 1.

[16] *S. Thom.,* l. c., Suppl. q. 51, art. 2, ad 5; *Sánchez,* lib. VII, disp. 18, n. 23 sq.; Instr. Card. Rauscher, l. c.; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 161; Concil. prov. Alba-Iul. (a. 1872) 96; cfr. supra h. cap. not. 3

[17] Cfr. C. XXIX, q. 1; cap. 18, X, de sponsal. IV, 1; S. C. C. in c. Rom., 9 aug. 1817 et 27 maii 1820, in c. Frising., 7 et 28 aug. 1745, in c. Novar., 24 febr. 1720, in c. Valachien, 29 dec. 1862, 11 sept. 1880, 29 sept. 1893; ASS. I, 257 sq., 371 sq., XIV, 148 sq., XXV, 335 sq., ed. *Richt.* C. Tr., 244 sq., n. 83, 84, 87; *S. Thom.,* l. c., art. 2; *Lugo,* De iust. et iure,d. 22, n. 67, 88; *Rosset,* n. 1261; *Gasparri,* II, n. 895.

luntas illud appetit. Quae lex generalis *ex iure canonico* solummodo exceptionem habet, si error versatur circa condicionem *servilem alterius partis*. Praeterea ex *iure naturae* is casus est excipiendus, quo qualitas tanquam *condicio sine qua non* contractui matrimoniali esset apposita; etenim deficiente condicione, deficit ipse consensus substantialis condicioni alligatus [18].

470. Scholion. In foro *externo*, nisi apertissime constet personae qualitatem fuisse principaliter intentam, locus non datur solutioni matrimonii. Quare in controversia inter Pignatelli atque Pitonium ea sententia videtur praeferenda, quae (cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 22, n. 10), tenet saltem in foro *externo valorem* matrimonii praesumendum esse, **nisi** *condicio* — non verificata — *expresse* fuerit addita *in ipsa matrimonii* celebratione, *aut* licet *antea* sit addita nec in actu celebrationis nuptiarum expressa et iterata, tamen omnibus *praecedentibus* et *subsequentibus* simul iunctis nullus sit locus suspicandi coniuges a condicione praevie apposita recessisse sive revocasse consensum condicionatum. Cfr. vot. canonist. in c. Bugellen., S. C. C., 19 sept. 1893, in ASS. XXVI, 339 sq. Immo etiam in foro *interno non facile* videtur iudicandum pro matrimonii *nullitate*, si quis praetendat se *ante* matrimonii celebrationem apposuisse condicionem.

Profecto *Pignatelli* omnino adstipulandum est, si quatuor rationes principales pro contraria sententia allatas non admittit. Nam nullibi in iure cautum est ad *valorem* requiri ut condiciones *per scripturam* apponantur. Nec vim probandi habent duae ulteriores rationes, quae in eo conveniunt quod quis censeatur *recessisse* a condicione, nisi condicio in *ipsa celebratione* matrimonii exprimatur. Etenim ut tandem fatetur ipse *Pitonius*, adversarius *Pignatelli*, in causa a se defensa et a Benedicto XIV, l. c. allegata, eae possunt esse circumstantiae antecedentes et consequentes, ut etiam in foro externo de condicione antea apposita et in celebratione nuptiarum perdurante certo constet. Cfr. ASS. IV, 75. Porro nequit in casu simpliciter applicari principium: *In dubio standum pro valore matrimonii.* Id enim verissimum est, si inquisitione facta *dubium maneat;* at gratis omnino supponitur *in omnibus casibus* rem manere *dubiam*, *nisi* in ipso actu celebrationis condicio exprimatur. Denique non obstat forma ecclesiastica; nam etiamsi condicio ipsi formae non apponatur, tamen

[18] Cfr. l. IV, t. 5, de cond. app. X; S. C. C., 9 febr. 1723, et *Rosset*, l. c., n. 1248, 1266; S. C.C., 11 sept. 1880, in ASS. XIV, 141 sq.; *Pirhing*, l. IV, t. 1, n. 143.

ex circumstantiis antecedentibus et subsequentibus certo probari potest praevia appositio condicionis et perseverantia voluntatis, ut evidenter demonstratur ex causa illa per Pitonium propugnata, ubi in ipsa celebratione matrimonii, iuxta formam Tridentinam facta, condicio antea apposita non fuit repetita et denuo expressa. At illud omnino ei est concedendum in foro externo probationem esse difficilem, nisi condicio in celebratione nuptiarum coram parocho et testibus exprimatur. Inde fit ut huiusmodi causae in foro externo saepe naufragium patiantur. Cuius assertionis clarum exemplum est allegata causa Bugellen., 9 sept. 1893 (ASS. XXVI, 339), ubi cancnista *theoriam Piton.* de exprimenda condicione in contractu matrimoniali non admisit, sed *probationem* actoris in causa de condicione apposita ut plane insufficientem reprobavit. Quam sententiam S. C. C. in cit. causa ratam habuit. Neque quidquam mirum est, quod etiam in foro *interno* ob condiciones appositas *non facile* sit standum pro *nullitate* matrimonii. Etenim, postquam nuptiae infelicem exitum habuerunt, sponsi facile sibi faciunt fucum atque confundentes *errorem* de qualitate *accidentali* et *spem delusam* cum *vera condicione* apposita sub praetextu nullitatis quaerunt excussionem legitimi oneris. Quibus ex animadversionibus videtur posse deduci, quod inter sententiam *Pignatelli* et theoriam *Piton.* rite explicatam saltem in praxi vix ulla sit differentia. Cfr. S. C. C. in cit. c. Frising., 7, 28 aug. 1745; Instr. C. Rauscher § 55; ASS. IV, 75, XIV, 148 sq., XXVI, 335 sq.; *Rosset*, n. 1248; *Aichner*, § 167, not. 5; *Scherer*, 191, not. 120 sq.; *Schnitzer*, 308, not. 2, 322 sq., 316 not. 4.

471. Vitii erroris purgatio. Vitium consensus ob errorem substantialem de persona, cum *ex natura* rei etiam sine ulla Ecclesiae constitutione matrimonium dirimat, dispensatione Romani Pontificis tolli non potest. Nam sicut Ecclesia nequit ferre legem generalem, vi cuius error substantialis non amplius dirimat matrimonium, ita in casibus particularibus efficere non potest, ut matrimonium subsistat *sine consensu* per errorem substantialem penitus ablato.

472. Quare hoc vitium tantum sanari potest per consensum partis errantis expressum vel tacitum, sive per copulam cum affectu maritali sive per diuturniorem cohabitationem [19] denuo *legitime* datum, *postquam illa errorem suum* certo *detexit*. Quodsi error fuerit *publicus*, convalidatio coram parocho proprio et duobus testibus fieri *debet*. Quae sollemnitas non requiritur, si

[19] Dict. Grat. C. XXIX, q. 1, § 3; S. C. C. in cit. c. Frising., Rom., Valach.; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 1, n. 455 sq.

impedimentum fuerit *occultum*, neque pars errans ante suam consensus renovationem cum *altero* coniuge debet *communicare* nullitatem matrimonii prius contracti (c. 1136 § 2). At permanente errore, si coniuges *confirmant* consensum in matrimonium, quod falso validum esse existimant, matrimonii convalidationem non efficiunt. Nam *dispositio* ad consensum non sufficit, sed *verus* consensus requiritur de praesenti. At qui *ratum habet* matrimonium, quod putat esse validum, is non vult *denuo* contrahere matrimonium; ratihabitio autem cum versetur circa potestatem *nulliter* traditam, nihil plane efficit (c. 1134). Multo minus, stante errore, matrimonium *tractu temporis* convalidatur. Etenim ex reg. iur. 18 in Sext.: « *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit* », atque iura coniugalia *praescriptione* et absque *mutuo consensu* obtineri non possunt.

Quamdiu coniux, qui errori fuerat obnoxius, consensum non renovat, utraque pars, utpote vinculo matrimoniali nondum ligata, *valide* ad novas nuptias transire potest. Aliter *Freisen*, 276. Pars vero errans ad renovandum consensum ex iuris obligatione certe non tenetur, neque altera pars, si a culpa doloque est immunis, iure resiliendi caret. Quae facultas resiliendi eidem est neganda, si pars errans malitia alterius partis fuerit inducta in errorem, ipsa convalidationem matrimonii exigat, neque alia supersit via gravem iniuriam parti innocenti illatam *totaliter* reparandi. Nam pars dolosa sane non tenetur ex contractu matrimonii absolute *invalido* neque ex nuptiis celebratis ad instar contractus *claudicantis*, in quo uni parti incumbit obligatio, alteri manet potestas rescindendi; nam ex natura matrimonii *indissolubilis par* in *utraque* parte debet esse obligatio; at ratione *iniuriae illatae* in suppositione facta resilire prohibetur. Etenim per dissolutionem matrimonii nulliter contracti *pars iniuriae* tollitur; at *tota* iniuria cum suis damnis et pravis effectibus compensari non *solet*. Cfr. cap. 1, X, de eo qui dux. IV, 7; *Lugo*, De iust. et iure, disp. 22, n. 79, 80, 116; *Rosset*, n. 1339 sq.; *Scherer*, 181, 178, not. 61; paulo aliter *Schmalzgr.*, l. IV, t. 1, n. 422 sq., aliique.

473. Accusatio matrimonii propter errorem. Vitium erroris est res iuris *privati* ad favorem errantis partis pertinent. Hinc *is* coniux matrimonium accusare et nullitatis declarationem postulare potest, qui de persona alterius erravit[20]; at etiam alter coniux ab accusatione matrimonii invalidi non est repellendus, dummo-

[20] Cfr. lib. IV, tit. 18, qui matrim. accusare; tit. 19, de divortiis; Instr. Card. Rauscher, §§ 93, 166, 205; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 18, n. 15; *Feije*, n. 118, 578 sq., 584 sq.; *Scherer*, 528 sq.; *Gasparri*, II, n. 1260.

do ipse non fuerit *causa culpabilis* erroris in comparte, vel *dolose* non sit usus errore in altera parte a *tertia* persona excitato (c. 1971 § 1, n. 1).

Cui iuri accusandi adnexum est *onus probandi*. Quodsi actor probationem iudicialem — satis difficilem — afferre non possit, in foro externo sententia est ferenda in favorem vinculi matrimonialis.

Iure suo accusandi pars errans excidit, si errore detecto debitum coniugale scienter atque libere praestitit, vel etiamsi consummatio matrimonii probari non possit, coniugale vitae consortium per aliquod tempus *scienter* et *libere* continuavit. At etiam in his casibus qui *erravit* ab accusatione non repellitur, si convalidatio matrimonii fieri non possit nisi in renovatione consensus servetur forma ecclesiastica. Quamdiu illa cohabitatio libera post detectum errorem durare debeat, ut inde tacita matrimonii ratihabitio praesumi possit, iure communi non reperitur definitum; prudenti igitur arbitrio iudicis ecclesiastici in singulis casibus, attento etiam modo cohabitationis est determinandum. V. g. Instruct. Card. Rauscher § 116, cum Glossa ad cap. 21, X, de sponsal. IV, 1 requirit tantum cohabitationem per *sex menses*. Quodsi cit. cap. 21, X, de sponsal. coniuges *per annum et dimidium* dicuntur cohabitasse, istud *exemplum* in *specie* facti non constituit *ius* sive *normam generalem*. *Péries*, Cod. de proc. can., 154 sq., 164 sq.

Art. 2. — De errore circa condicionem servilem compartis

474. Est casus peculiaris erroris circa *qualitatem* accidentalem personae cum qua contrahitur, quae tantam inducit inaequalitatem inter nupturientes, ut semper speciali consideratione digna visa sit[21].

[21] Cfr. C. XXIX, q. 1, 2; c. 11, 12, C. XXXII, q. 2. — Decret. Greg. IX, l. IV, tit. 9, de coniug. servor. l. I, t. 18 de servis non ordin. et eor. manum. — Collect. S. C. de P. F. n. 2100 sq.; Litt. pastor. Conc. prov. Baltimor. (a. 1858) in Collect. Lac. III, 1202; Synod. dioec. Bahiens. (a. 1707), in Coll. Lac. I, 852; ASS. XIII, 444.

Iur. Rom. Inst. I, tit. 2, de iure natur., gentium et civili, tit. 3, de iure personar., tit. 4, de ingenuis, tit. 5, de libertinis, tit. 10, de nuptiis, Novell. 22, cap. 10 sq.; Comment. iuris Decr. h. t.; *Devoti*, l. c., § 143; *Scherer*, 183 sq., *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 611 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 19; *Rosset*, n. 1515 sq.; *Feije*, n. 119 sq.; *Gasparri*, II, n. 800 sq.; *Schnitzer*, 310 sq. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11, n. 3; *Moy*, 53 sq., 153 sq., 316 sq.; *Freisen*, 229 sq.; *Esmein*, I, 317 sq.; *Zhishman*, 637 sq.;

Definitio. *Servus* hoc loco non intelligitur *generice* de famulo domestico vel operario, qui ut homo *liber* praestat operas suas honestas ex pacta mercede in *utilitatem* alterius, sed sumitur *specifice* de servo *perfecto*. Is dicitur homo, qui contra naturalem libertatem alteri ex dominio proprietatis quoad omnes suas operas honestas pro sola sustentatione in perpetuum praestandas ita subicitur, ut etiam vendi aliisque modis *alienari* possit. Quae perfecta servitus, etiam inter christianos olim recepta, (cfr. cap. 2, 4, X, h. t. Decret.) ad impedimentum condicionis servilis sufficit, neque requiritur illa apud romanos aliosque populos *paganos contra ius naturae* vigens, qua servus non fuit *persona* vel *subiectum iuris*, sed potius *mera res*, de qua dominus, etiam posthabitis iuribus et obligationibus *essentialibus, pleno arbitrio* potuit disponere [22].

Condicio servilis non est *inhabilitas* quaedam *personalis* ipsius servi, qua a contrahendo valido matrimonio sive cum alio servo sive cum parte ingenua prohibeatur, sed vitium consensus potius consistit in *errore* partis *ingenuae* de perfecta servitute alterius sponsi, ob quem matrimonium irritatur.

475. Divisio. In imperio romano praeter servos proprie dictos, sive publicos sive privatos sive poenae addictos, exstiterunt *adscriptitii* sive *coloni* [23], qui glebae vel fundo in perpetuum ita fuerunt addicti, ut invito domino possessiones derelinquere non potuerint atque annuo canone domino soluto colere debuerunt. *Originarii* dicebantur, qui ex adscriptitiis sive colonis originem duxerunt. Singularis quaedam species colonorum fuerunt « *laeti* » in Gallia, qui in Italia superiore dicebantur « *gentiles* ». Pariter apud populos germanicos inter liberos — ingenuos, rachimburgos, bonos viros — et servos vero dominio subiectos exstitit media

Chelodi, n. 112; *Cappello*, II, n. 587; *De Smet*, n. 526, 531; *Vlaming.*, II, n. 527; *Vering*, Gesch. u. Pand. §§ 43 sq.; *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 466 sq., 217 sq.; *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 68 sq., *Accarias*, « Précis de droit romain » I, 82 sq.; *Mañaricua*, El matrimonio de los esclavos, Analecta Gregoriana, v. XXIII.

[22] *S. Thom.*, Summa theol. P. I, q. 96, a. 4; *Schiffini*, Disput. phil. mor. n. 309 sq., 399 sq., 405 sq.; *Meyer*, Inst. iur. nat., II, n. 119 sq.; *Cathrein*, Philosophia moral. n. 461 sq.; *Schmalzgr.*, IV, 9, n. 1; *Sánchez*, l. VII, disp. 19, n. 1; *Lugo*, De iust. et iure, disp. 2, n. 1 sq. Cfr. quoque § 3 Inst. de iure personar. I, 3. « *Servitus autem est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur* »; *Maschat*, Praecursus iur. canon. l. I, t. 3 sq.; *Arndts-Serafini*, l. c., § 28; *Hinschius*, V, 117, 561, iunct. *Schmalzgr.*, l. c., de longo usu servitutis etiam inter christianos atque in ipso foro ecclesiastico; *Leitner*, 120, not. 2.

[23] Cod. XI, 47, de agricolis, 50, de colonis palaestinis, tit., aliis sq.; *Vering*, l. c., § 49; *Walter*, Gesch. d. r. R., n. 351 sq.; *Maschat*, l. I, t. 3, n. 7, 8, de divisione servorum et liberorum.

illa classis « *litorum* », qui pro varietate regionum et populorum etiam laeti vel lazzi sive lassi vel aldii et aldiones [24] audiebant. A communibus hominibus liberis (« *frilingis* ») distinguebantur nobiles sive « *edlingi* ».

476. Notae historicae. Populus hebraeorum ut singulari Dei favore in Vetere Testamento veram religionem coluit, cum reliquae nationes in idololatriam delapsae essent, ita inter omnes populos antiquos de matrimoniis servorum optimas habuit leges pro dignitate hominis latas [25]. Quare ex iure hebraeorum vera matrimonia servis erant permissa.

Durior fuit condicio servorum apud romanos. Etenim *ex iure Romano* iustae legitimaeque nuptiae cum omnibus effectibus iuris civilis solummodo exstiterunt inter *cives romanos*. Ipsi quoque *latini* et *peregrini* « *connubium* » non habuerunt, quamvis naturales contractus matrimoniales inter se atque cum civibus romanis inire possent. *Servis* vero, utpote incapacibus omnis iuris civilis, legitima matrimonia fuerunt sublata meraque « *contubernia* » permissa, prohibitis tamen illis coniunctionibus maritalibus, quarum vel ipsi ingenui propter pudorem erant incapaces [26]. Denique vel misera servorum contubernia arbitrio dominorum ita erant subiecta, ut sine illorum consensu haberentur irrita vel rescissioni obnoxia, nisi a benignioribus dominis mitius tractarentur [27]. Multo minus inter hominem *liberum* et *ancillam* vel adscriptitiam aut vicissim inter servum vel *adscriptitium* et ingenuam matrimonium sive connubium existere potuit, sed solummodo contubernium [28]. Quodsi ingenua cum servo alieno nuptias celebravit, usque ad Iustinianum in servitutem domini sui coniugis redacta est [29], atque unio maritalis servi vel adscriptitii cum ingenua invito domino facta potuit separari, nisi dominus dolose egisset [30].

[24] « *Aldiones vel aldianae ad ius publicum pertinentes ea lege vivunt in Italia in servitute dominorum suorum, qua fiscalini vel lites vivunt in Francia* » (Cap. Ticin. [a. 801], c. 6); *Walter*, D. Rechtsg. n. 419; *Ballerini-Palmieri*, n. 611 sq., ubi allegationes de adscriptis in Germania et Polonia *nunc* sunt penitus antiquatae. Cfr. quoque cod. civ. German. § 624; *Walter*, Deutsche Rechtsg., n. 406.

[25] Exod. XXI, 3 sq.; *Schegg*, Bibl. Archaeolog. 653 sq.; *Freisen*, 279 sq.

[26] *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 517, 521, 168; *Vering*, l. c., § 43; *Moy.* l. c.

[27] L. 35, D. de aedil. XXI, 1.

[28] L. 3. Cod. de incest. et inut. nupt. V, 5; L. 3, Cod. soluto matr. V, 18; L. un. C. de senat. VII, 24; Novell. 22, cap. 10, 11; *Scherer*, 183, 438 sq.; *Zhishman*, 637 sq.

[29] L. un. C. de senatuscons. VII, 24; *Walter*, l. c., n. 476.

[30] L. 24, C. de agric. censit. et *colonis*, XI, 47; Novell. 22, cap. 11, 12, 17.

Servi, licet secundum antiquum *ius populorum germanicorum* more ingenuorum matrimonium sollemne sive legitimum contrahere non possent, tamen matrimonium naturale inter se inire non fuerunt prohibiti. Quod matrimonium ut in suo valore consisteret, cum consensu domini vel utriusque domini fuit celebrandum et a domino denuo potuit solvi; nam servi etiam apud germanos animalibus et rebus, non personis iurium capacibus aequiparabantur. At summo cum rigore gravissimisque statutis poenis, v. g. mortis vel servitutis, leges francorum, saxonum, burgundionum, longobardorum, visigothorum aliorumque populorum germanicorum matrimonium partis *ingenuae* cum altera *servilis* vel etiam adscriptitiae condicionis interdixerunt [31].

Ecclesia catholica cum in imperio romano magis magisque propagaretur multosque servos Christo lucrifaceret, servitutem nequaquam damnavit ut rem *in se* malam, sed imprimis ad iustos limites reduxit atque paulatim abrogare studuit [32]. Minorem profecto nacta est difficultatem apud israelitas, cum numero essent pauci, qui religionem christianam amplecterentur, et ius ipsorum de servis constitutum aequitati naturali magis esset conforme.

Maior fuit necessitas et difficultas reformandi ius *Romanum* de contuberniis servorum. Qua in re Callixtus I (a. 218-222), qui ipse olim fuerat *servus*, ob gravissimam temporum necessitatem suum celeberrimum publicavit edictum, quo non obstantibus contrariis legibus romanis etiam matrimonia disparis condicionis *filiarum senatorum* cum *libertis* (cf. L. 16, D. de rit. nuptiar. XXIII, 2), atque cum ipsis *servis* vera validaque matrimonia (concubinatus legitimos) esse declaravit [33]. Hinc a fortiori Ecclesia matrimonia inter ipsos servos celebrata vera validaque et indissolubilia habuit, quamvis leges romanae illis denegarent *effectus civiles* matrimonii *legitimi* [34]. Verum quod leges civiles praesertim iuris germanici statuerunt de *necessitate consensus* domini, id non pauci Praelati in Ecclesia Orientali et Occidentali [35] ratum

---

[31] *Walter*, D. Rechtsg., n. 394 sq.; *Freisen*, 280 sq.

[32] S. Paul. ad Galat. III, 28; ad Philemon.; *S. Gregor. M.*, in ep. VI, 12, iunct. Leon. XIII Encycl. « *Catholicae Eccl.* », 20 nov. 1890; *Freisen*, 282 sq.; *Zhishman*, 637 sq.

[33] Cfr. Philosophumena l. IX, cap. 12; *Doellinger*, Hippolytus u. Kallistus, in quo libro ante lapsum scripto generatim bene disserit de controversia inter Callixtum et Hipp.; *Jungmann*, Dissert. select. in hist. Eccl. I, 179 sq.

[34] Cfr. c. 11, 12, C. XXXII, q. 2, (Leo M. ad Rust. Narbon. a. 458) iunct. c. 6, C. XXIX, q. 2, (Gregor. M. a. 596) et c. 1, 2, (Pseudo-Isidor.) ead. C. q. 2; *Scherer*, 184 sq.

[35] *S. Basil.* in canonica epist. II ad Amphilochium c. 40, 42. Cfr.

habuerunt summisque curis efficere studuerunt, ut saltem matrimonia servorum iam contracta, sive inter se sive cum ingenuis, non ignorantibus [36] condicionem servilem alterius partis valida et indissolubilia [37] existerent. Inde ex saeculo octavo paulatim mutata est disciplina, et tandem saeculo XII Hadrianus IV, intra a. 1154-1159, (cap. 1, X, h. t.) sollemniter declaravit *valorem* matrimoniorum servorum *non pendere a consensu* nutuque eorum, sub quorum *dominio* et *potestate* essent constituti. Denique Ecclesia ex omnibus antiquis legibus et consuetudinibus illam solam in suo foro adoptavit, ut nullum irritumque esset matrimonium inter partem ingenuam et servili condicioni deditam, *si* prior condicionem servilem alterius *ignoraret* [38]. Cfr. *Grat.*, l. c. et cap. 2, 3, 4, X, h. t. Quare Ecclesia nequaquam *ipsam* condicionem servilem ut *inhabilitatem personae* constituit impedimentum, sed tantum in favorem ingenui *errantis* de condicione servili — non servi errantis de statu libero alterius partis — directe denegavit *consensui* ingenui, ex natura rei sufficienti, veram *efficaciam* ad validum matrimonium contrahendum [39].

Inde a compilatione Gregorii IX non iam facta est ulla immutatio legum ecclesiasticarum de coniugio servorum. Quae, cum servitus sit nunc multum limitata, at nondum ubique abrogata, practica sua utilitate non carent. Cfr. *Feije*, n. 124; *Leitner*, 121, not. 1.

477. I. De coniugio servorum inter se. *Servi* proprie dicti multoque magis *adscriptitii* vel *coloni* cum persona paris condicionis, etiam contradicentibus et invitis dominis, matrimonia per verum mutuumque *consensum*, non mero mandato domini *valide* contrahunt [40], immo etiam *licite*, si absque notabili praeiudicio

---

Pitra, Iur. ecclesiast. graecor. hist. et monum. I, 592, 593; c. 24 Concil. Aurel. IV, (a. 541); c. 30 Conc. Cabilon. (a. 813); *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 11, n. 2 sq.; *Rosset*, n. 1539 sq.

[36] Synod. Vermer. (a. 753, vel 576), c. 6, 13; c. 7, 8 Conc. Comp. (a. 757-758); c. 10 Synod. Dingolfing. (a. 769-771); *Theodor. Cantuar.* (a. 668-690), Poenitent.; c. 4, 5, C. XXIX, q. 2. Cfr. *Schmitz*, 510 sq., 548, 277; *Freisen*, 283 sq.

[37] Cfr. c. 19 cit. Synod. Vermer.; c. 30 cit. Concil. Cabil.; c. 7, C. XXIX, q. 2; *Freisen*, 285.

[38] *Si servitus unius* partis *supervenit* matrimonio legitime contracto, solutio matrimonii ab Ecclesia universali constanter fuit reprobata. Cfr. c. 6, 7, C. XXIX, q. 2; c. 10 cit. Synod. Dingolfing.; *Grat.*, ad cit. c. 6, C. XXIX, q. 2; *Freisen*, 285; *Sánchez*, libr. VII; *Schmitz*, l. c., 285, 649.

[39] *Schmalzgr.*, IV, 9, n. 16, 19, 27; *Devoti*, l. c. contra arbitrarias assertiones *Van Espen*.

[40] S. C. Inq. 12 sept. 1855, in Collect. S. C. d. Pr. F. n. 1293; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11, n. 2 sq.; *Zallinger*, h. t. § 116;

domini et alterius partis et salvis consuetis servitiis nuptias celebrent. Nam servitus *ex sese* non totaliter adversatur bonis *substantialibus* matrimonii; secus inter servos etiam *cognita* utriusque partis servitute nullum omnino matrimonium existere posset. Id autem evidenter nimium falsumque est. Etenim in contractu matrimoniali non agitur de tradendo iure in corpus semper et ubique exercendo, sed solummodo quoties legitimum impedimentum non obstat. Praeterea ius domini in consueta et debita *servitia* sive *operas personales* servorum nequaquam etiam importat *potestatem* in servos quoad ea, quae spectant *ad prolis generationem* sive ad matrimonium, quod vel ab ipso *consensu domini* independens est. Nam matrimonium iure naturali concessum est homini ad *propagandum genus humanum* mutuumque adiutorium et in remedium concupiscentiae. At huiusmodi ius *privata potestate* dominorum auferri vel impediri nequit; etenim in his rebus servi domino non subiciuntur, neque si iure suo usi sunt, coniuges perperam a dominis separari possunt[41].

478. Scholion. Hinc facile colligitur in foro ecclesiastico omnino reiciendam esse illam praxim legibus quibusdam civilibus innixam, *pauperibus militibus* coactis non permittendi matrimonia sine consensu quodam *politico* a syndico vel simili magistratu

---

Rosset, n. 1533 sq.; Synod. dioec. Bahiensis in Brasilia, a.1707 celebr., in Collect. Lac., ubi declaratur: Matrimonium servorum iure divino et humano validum esse, neque herum aut illud aut eius usum *impedire* ullo modo posse; quod si fecerint vel iniqua tractatione vel coniugum separatione, peccare mortaliter suasque conscientias peccatis servorum onerare; quare ne tale quid audeant precibus obsecrantur. Sacerdotes autem admonentur, ut servos matrimonium inire cupientes diligenter et sollicite instituant in doctrina et vita christiana et in huius condicionis officiis. Servos porro recenter ad fidem conversos, quamvis suspicio sit eos in patria iam matrimonio fuisse ligatos, secundum bullam Gregor. XIII, datam 25 ianuarii 1585, a prioris matrimonii vinculo solvi posse declaratur.

[41] Cfr. cap. 1, X, h. t.; S. C. Inq., 20 mart. 1686, ad 9, 20 iun. 1886; Leon. XIII Litt. Apost., 2 maii 1888, ad Ep. Bras. et Encycl. «*Rerum Novarum*», 15 maii 1891: «*Ius coniugii naturale ac primigenium homini adimere ... quoquo modo circumscribere, lex hominum nulla potest*»; *Bernard. Pap.*, Summa Decretal., 153 sq.; *S. Thomas*, Supplem. q. 52, art. 2; *Sánchez*, lib. VII, disp. 21 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 6 sq.; c. 1, 8, C. XXIX, q. 2; cap 1, X. h. t.; *Ballerini-Palmieri*, n. 613 sq., ubi recte matrimonium servi cum serva non solum *probabilius*, (cum S. Alphonso), sed *certo* (cum *Schmalzgr.*), dicit esse *validum*, non irritum, ut *Busembaum* falso putavit; *Schnitzer*, 314, not. 2; *Scherer*, 185, not. 93, 439 sq. Quare, v. g. *Hollweck*, D. Civileher. 119 sq., not. 5, aliique, v. g. *Schulte*, nimium asserunt, si putant *individuam vitae consuetudinem* esse *impossibilem*, si vel unus ex coniugibus sit servus, ideoque *errorem* hac in re de facto attingere *essentiam* matrimonii et esse *substantialem*.

ante celebrationem nuptiarum dato. Quod ius *ipsis servis* Ecclesia vindicavit, ut sine consensu dominorum suorum matrimonia contrahere possent, id nostra aetate pauperibus et liberis civibus non denegat; immo paupertas partium contrahentium potest esse motivum facilius concedendi dispensationem. Cfr. L. 7, C. de incest. V, 5, (de pauperibus ingenuis). Quare leges illae civiles de necessitate consensus cuiusdam politici statuentes *novum quoddam impedimentum matrimonii christiani, ab Ecclesia nequaquam approbatum*, iam propter incompetentiam potestatis civilis sunt *nullae* atque *irritae*, et praeterea legitimam *libertatem* matrimonii iure divino et canonico concessam graviter laedunt. Cfr. quoque Concil. Trident. Sess. XXIV, cap. 9, de ref. matr.; Leo XIII, l. c. in praeced. nota; *Aichner*, § 185; *Scherer*, 440 sq., not. 50 sq.

479. II. **De coniugio personae servilis cum parte ingenua.** Condicio servilis *proprie dicta*, non adscriptio glebae vel colonatus neque condemnatio ad carcerem perpetuum[42] *unius* ex contrahentibus, si circa illam ab *altera* parte ingenua *tempore celebrationis* matrimonii actu *erretur*[43], sive vincibili sive invincibili,

---

[42] Gloss. v. Secunda C. XXIX, q. 2; *Bernard. Pap.*, Summa de matr. 293 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 19, n. 9; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 11, n. 5; *Feije*, n. 120 sq.; *Scherer*, 185, not. 93; *Freisen*, 294; aliter *Walter*, Kirchenr. § 305, not. 11, qui ob *quandam paritatem* inter *servos* et *colonos* tempore medii aevi (cfr. *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 384 sq.) praeeunte iam *Paludano* impedimentum condicionis *servilis* ad adscriptitios extendit; immo *Clericatus*, Decis. 20, de sacram. matr. n. 12, cum Mastrio etiam damnatos in perpetuum ad carcerem comprehensos esse voluit. Quare hac in re *Ecclesia* rigorem antiquorum romanorum et germanorum quoad *colonos* vel *adscriptitios* non admisit. Quodsi *dubium* sit de condicione servili *vel* adscriptitia vel libera unius ex coniugibus, in huiusmodi quaestione praeiudiciali ius civile est attendendum; nam v. g. quilibet servus per accessum ad imperium Austriae fiebat eo ipso liber. Cfr. Arch. f. k. K. I, 242; cod. civ. Austr. § 16; *Aichner*, § 167, not. 3; *Scherer*, 230, 186; *Bernard. Pap.*, l. c., 155 sq., si ex lege provinciae, v. g. longobardorum, proles nata ex patre servo et matre libera secuta est *peiorem manum*, i. e. mansit in condicione servili; *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 407 sq. et Gesch. d. d. R. n. 476 sq.

[43] *Sánchez*, l. VII, disp. 19, n. 4, aliique, v. g. *Schmalzgr.*, h. t. n. 21, 38, putarunt saltem probabile matrimonium partis liberae cum parte servilis condicionis, non obstante errore, *statim a momento celebrationis* valere, si pars servilis intra *breve tempus*, i. e. saltem intra sex menses, libertatem consequatur. Quare ex eadem sententia pars ingenua post detectum errorem prorsus caret iure accusandi matrimonium a se contractum; nam evidenter matrimonium *validum* nequit impugnari. Cui sententiae saltem eatenus calculum adicit *Scherer*, l. c., 185 sq., not. 96, quatenus «*ex evolutione historica*» huius impedimenti deducit non requiri *convalidationem* talis matrimonii, si interim status servitutis in altera parte *cessarit*, atque adeo optimo iure parti liberae

culpabili vel inculpabili vel fraudulenter inducto errore,[44] *ex sola constitutione Ecclesiae*[45], non ex iure naturae[46], etiamnunc dirimit matrimonium.

---

ius accusandi negari, si condicio servilis compartis brevi tempore tollatur. At neutra sententia solidis innititur rationibus canonicis, ut recte tenent: *Schulte*, Eher., 117, not. 25; *Feije*, n. 123; *Zitelli*, Appar. iur. eccl., 375; *Schnitzer*, 313, not. 5; *Rosset*, n. 1530 sq. Etenim consensui praestito ob errorem condicionis servilis *in iure ecclesiastico* efficacia denegatur *absolute*; ergo privata industria nequit arbitrarie apponi clausula: «*Nisi intra sex menses servitus cesset*». Frustra quoque provocatur ad evolutionem *historicam*. Parum enim refert num ex iure antiquo romanorum et germanorum condicio servilis fuerit *inhabilitas* personae, cum potius quaeratur quid *Ecclesia suo iure* statuerit. At ius ecclesiasticum non admittit condicionem servilem ut impedimentum matrimonii propter *inhabilitatem personae*, sed *solummodo* ratione *erroris* in parte *libera*, cuius *consensus* ab Ecclesia directe redditur *iuridice inefficax*. Vi quoque caret argumentum ex *analogia* impotentiae petitum, quae ut impedimentum allegari non possit, si actu quidem adsit, post aliquod vero tempus certo cesset. Nam huiusmodi probatio iam propter meram analogiam est debilis. Praeterea est manifesta disparitas, quoniam impotentia est impedimentum ob *inhabilitatem personae*, non propter *errorem* in intellectu unius ex contrahentibus. Denique in casu allegato, v. g. pueri quindecim annorum actu nondum potentis ad generandum, ex clara iuris interpretatione nullo modo habetur impedimentum impotentiae; ergo valor matrimonii ex obvia ratione accusari nequit. Si illa quoque «*analogia*» adducitur, quod servitus *superveniens* unius coniugis non sit ratio matrimonium iam contractum annullandi vel dissolvendi, haec sunt adeo *disparata*, ut omnino non faciant ad rem.

Recte quoque *Zitelli*, l. c., aliique docent non *ipso facto* matrimonium convalidari, si post matrimonium invalide contractum pars servilis fiat libera, *antequam* pars libera suum cognoverit errorem. Nam prior consensus partis liberae propter errorem manet iuridice inefficax; *novus* igitur consensus partis errantis requiritur, qui haberi non potest, nisi postquam illa errorem suum cognovit. Cfr. *Feije*, n. 761; *Chelodi*, n. 112.

At valor matrimonii in dubium vocari nequit, si sponsus hucusque condicionis servilis per ipsam matrimonii celebrationem sive ex iuris dispositione sive ex concessione domini consequatur libertatem. Nam in casu error non habet *obiectum rationabile*, et prioritas illa *naturae* in iure non videtur attendi, si eodem *temporis momento* habetur libertas et matrimonium. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, n. 616; *Schmalzgr.*, n. 21, 36 sq.; *Gasparri* II, n. 894; *Sánchez*, l. VII, disp. 20, n. 12 sq.; *Schnitzer*, 313; *Chelodi*, l. c. Si pars libera *scienter* contrahat cum parte serva vel cum parte libera, quam servam esse putat aut vicissim pars serva cum serva putans illam esse liberam vel sine consensu domini, illa matrimonia indubitanter valent, nisi aliud obstet impedimentum canonicum. Cfr. *Feije*, n. 123.

[44] *Schmalzgr.*, h. t. n. 15 sq.; *Rosset*, n. 1523 sq.

[45] Cfr. c. 4, 5, 6, 7, C. XXIX, q. 2; cap. 2, 3, 4, X. h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 29 sq.

[46] Profecto, si a parte *libera* immunitas a condicione servili in altera parte apponatur ut *condicio* sine qua non contractui matrimoniali, ex iure naturali nullum et irritum est matrimonium, si condicio apposita non verificetur; at eo in casu nullitas matrimonii non oritur *ex errore*, sed ex absoluto *defectu consensus*. Quodsi status liber alterius partis ab ingenuo non apponatur ut condicio sine qua non, error de condicione servili, cum sit solummodo error *accidentalis* de qualitate personae, ex natura rei sive solo iure naturae matrimonium non irritat. Quare nullitas ista matrimonii inter *fideles* unice ab Ecclesiae constitutione est repetenda. Ita iam *Huguccio*, ad c. 29, q. 2, princ.: «Error et Ecclesiae constitutio, quae vigorem dedit impedimento, faciunt ne sit ibi matrimonium, i. e. constitutio Ecclesiae facta de tali errore propter praedictam causam (sc. in favorem liberorum). Quid ergo si Ecclesia hoc non constituisset? Credo, quod talis error non impediret matrimonium plus quam error fortunae vel qualitatis non impedit. (Textum *Gillmann* ad fidem codicis contulit). *S. Thomas*, Supplem. q. 52, art. 1, ad 2; *Sánchez*, lib. VII, disp. 19, n. 11 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 25 sq.; *Giraldi*, Exposit. iur. pont. P. I, sect 700; *Van de Burgt*, 98 sq.; *Rosset*, n. 1516 sq.; *Gasparri*, II, n. 800; *Feije*, n. 121 sq. Si antiquiores quidam doctores — v. g. *Reiffenstuel*, h. t. n. 3, aliique — atque recentiores — v. g. *Santi*, h. t. n. 10; *Schulte*, § 19, i. f. — hoc impedimentum potius *ex iure divino* derivant, confundunt *rationem* naturalem legis cum *lege* naturali, errorem *substantialem* cum errore *accidentali*, defectum *substantialis* consensus cum defectu consensus *secundum quid*, impedimentum erroris condicionis servilis cum impedimento ex absoluto consensus defectu vel cum impedimento erroris substantialis de persona vel redundantis in personam.

Impedimentum *erroris* condicionis servilis cum non nitatur iure naturali, *infideles* in matrimoniis inter se contrahendis non ligat, nisi forte *iure civili* eadem inhabilitas pro hominibus non baptizatis sit statuta. Si *fidelis liber* ducat partem *infidelem*, cuius condicionem servilem ignorat, certe matrimonium invalidum est *etiam* propter impedimentum erroris condicionis servilis. At si *infidelis liber* ignoranter celebret nuptias cum *fideli servo*, a compluribus auctoribus dicitur *praecisione facta ab impedimento disparitatis cultus* — et a fortiori per *dispensationem* sublato, ut indicatur supra, n. 37, V — saltem impedimentum erroris condicionis servilis valori matrimonii non obstare, eo quod latum sit in *favorem partis liberae*, et *infideles* impedimentis *iuris ecclesiastici* non ligentur. Cfr. *Gasparri*, l. c., n. 804; *Rosset*, n. 1522. Quae argumentatio non est omnino persuasiva. Cfr. supra n. 57. Nam Ecclesia, licet *directe* suis legibus matrimonialibus ligare non possit *infideles*, tamen id efficere valet *indirecte* ratione partis *fidelis*. Porro si lex ista irritans dicitur *lata* in *favorem partis liberae*, in ipso iuris textu talis distinctio quoad partem *errantem* non reperitur (cfr. c. 1083 § 2, 2°). Neque ulla videtur esse solida ratio, ob quam Ecclesia legem suam irritantem vere tollat *in favorem fidelium* (cfr. cap. 2, 3, 4, X, h. t.) *servorum fraudulentorum*, ut isti etiam *dolo* et *malis artibus* cum *infideli ignorante validum* matrimonium inire possint. Id multo magis valet, si

480. Cum irritatio ob errorem condicionis servilis sit iuris tantum ecclesiastici, per se etiam Ecclesiae *dispensatione* vel sanatione in radice tolli potest. Cfr. *Van de Burgt*, De dispens. matr.

n. 3. At ex communiter contingentibus huiusmodi matrimonium invalide contractum convalescit, si pars ingenua *postquam* certo intellexit condicionem servilem alterius partis, in forma legitima consensum expressum vel tacitum in matrimonium, v. g. per copulam maritalem vel longiorem cohabitationem denuo praestet. Quae renovatio consensus eo facilior est, si coniux servili condicioni addictus interim libertatem adeptus est; at etiam eo in casu omnino requiritur, nec sola liberatione partis servilis matrimonium convalescit, nisi obtineatur sanatio in radice. Praeterea de renovatione consensus saltem per partem errantem, de servanda forma ecclesiastica si impedimentum fuerit *publicum*, de *obligatione* partis condicionis servilis in casu *doli* consentiendi in matrimonii convalidationem, eadem valent quae supra de errore personae fuerunt exposita. Quae obligatio parti servili, quae *bona fide* et *absque dolo* nuptias celebravit cum parte libera, non videtur esse imponenda. Nam matrimonium certe pro utraque parte est *invalidum* neque ob *iniuriam* reparandam in suppositione data iniri debet; ergo ius valide et licite resiliendi etiam parti servili in casu non est negandum [47].

481. Pars *ingenua*, si post detectum errorem consensum renovare detrectet, ius habet accusandi matrimonium et implorandi coram *solo* iudice ecclesiastico competente declarationem nullitatis matrimonii invalide ab initio contracti [48]; interim vero privata auctoritate potest separationem efficere *a toro;* at non nisi interveniente auctoritate ecclesiastica a *cohabitatione* coniugali publice suscepta [49]. Quae nullitatis declaratio ab Ecclesia pronuntiatur, si *factum* duplex, sc. *condicionis servilis in uno coniuge* atque *ignorantiae illius in altero coniuge* libero, legitime fue-

---

quis teneat potestatem *civilem* in ordine ad matrimonia *fidelium* cum *infidelibus* non posse statuere impedimenta dirimentia, uniceque in hisce matrimoniis potestatem legiferam et iudicialem Ecclesiae esse attendendam. Cfr. supra n. 52. Quodsi praeferatur sententia a *D'Annibale* propugnata, pars infidelis, quae intuitu istius erroris *iure civili* facta esset inhabilis, pariter validum matrimonium cum parte fideli contrahere non posset; etenim ad valorem nuptiarum requiritur habilitas *utriusque* partis.

[47] *Feije*, n. 123; *Ballerini-Palmieri*, n. 617.

[48] Cfr. infra disp. de privilegio Paulino, unde constat partem *fidelem* non posse uti privilegio, si cum *infideli* ex dispensatione Ecclesiae celebravit matrimonium, et infidelis postea discedat. Cfr. de causa praeiudiciali et incidente, si v. g. *reus* contra actorem excipiat se ex iuris *civilis* dispositione tempore contracti matrimonii non amplius fuisse servum; *Bernard. Pap.*, l. c., 155 sq.; *Walter*, l. c.; *Scherer*, 186, not. 97, iunct. c. 6, C. XXIX, q. 2, de actione contra clericum.

[49] Cfr. cap. 3, X, de divortiis IV, 19; *Schmalzgr.*, h. t. n. 39 sq.

rit probatum. *Onus probandi* allegatam condicionem *servilem* compartis incumbit *libero actori;* idem tenetur etiam demonstrare *ignorantiam propriam* condicionis servilis alterius coniugis, si ea loco et tempore celebrationis matrimonii *communiter* fuisset nota; secus *servus* debet probare scientiam partis liberae [50].

482. Scholion I. *De prole nata ex matrimonio cum persona condicionis servilis* [51]. In iure Decretalium ponitur de hac re titulus (IV, 10) per modum appendicis ad titulum praecedentem de coniugio servorum, cum oporteat scire quis liber sit vel servus. Dubium non fuit quin *proles* nata ex matrimonio, in quo *uterque* coniux condicione servili fuit ligatus, eandem sequeretur condicionem [52], nisi speciali iure contrarium cautum esset [53]; unica igitur difficultas exstitit de prole nata ex matrimonio *disparis* condicionis. *Legitimi* sane fuerunt *natales* filiorum, qui a parentibus disparis condicionis ex valido matrimonio geniti sunt. At condicio *libera* vel *servilis prolis* natae potius *effectibus temporalibus* et *civilibus* matrimonii est adnumeranda. Hinc Ecclesia, salvo iure proprio de servis *ecclesiasticis* disponendi [54] pro sua potestate perfecta, leges atque consuetudines legitimas de hac re in foro saeculari a competente auctoritate civili constitu-

---

[50] Cfr. c. 6, C. XXIX, q. 2, (S. Gregor.); cap. 3, X, h. t.; R. I. 47, in Sext. « *Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur* »; at ista ignorantia facilius probatur in facto alieno quam in facto proprio; *Bernard. Papiens.*, l. c., 155 sq., 295; *Schmalzgr.*, h. t. n. 42 sq.; *Sánchez*, lib. VII, disp. 19, n. 8; *Pirhing* et *Reiffenstuel*, in cit. R. I. 47; *Freisen*, 295; *Scherer*, 186; *Rosset*, n. 1561 sq.

[51] Cfr. c. 15, C. XXXII, q. 4; Decret. Greg. IX, l. IV, tit. 10, de natis ex libero ventre. Comment. in hunc tit.; *Bernard. Pap.*, Summa Decret., 156 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 24; *Freisen*, 291 sq.; *Scherer*, 186, 438 sq.; *Zhishman*, 642 sq.

[52] § 4, Inst. I, 3, de iure personar.: « *Servi autem nascuntur aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris* »; *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 407 sq. et Gesch. d. r. R. n. 476 sq.

[53] *Sánchez*, lib. VII, disp. 20, n. 12; *Walter*, l. c.

[54] *Hefele*, II, 652, 658; c. 7, 46 Concil. Agath. (a. 506); c. 11 sq. Concil. Tolet. IX (a. 655); c. 67 sq. Concil. Tolet. IV (a. 633); cap. unic. h. t.; *Walter*, D. Rechtsg., n. 402 sq. Benedict. VIII, in Conc. Ticin. (a. 1018) c. 1, sub poena depositionis presbyteris, diaconis, subdiaconis *omnibusque clericis* uxores vel concubinas habere prohibuit. Quodsi c. 3 eiusdem Concilii decrevit *omnes* filios vel filias *clericorum* sive cum liberis vel ancillis sive cum uxoribus vel concubinis genitos esse *servos Ecclesiae* nec posse manumitti, evidenter condidit legem *specialem* de *clericis* atque adeo constituit *sanctionem poenalem*, quae ad alia matrimonia extendi non potuit. Cfr. *Laurin*, D. Caelibat. d. G., 121 sq., 82; *Hinschius*, V, 117, not. 18, 561, not. 10.

tas, etiam a sanctionibus iuris Romani diversas, omnino ratas habuit [55].

483. In iure Romano receptum fuit principium: « *Partus sequitur ventrem* ». Quare si *mater* in dispari matrimonio fuit *ingenua, libera* quoque fuit *proles*, quamvis *pater* esset *servus*, et non obstante libero statu *patris* proles sequebatur condicionem servilem matris. Quod ius Ecclesia in suo foro adoptavit [56].

484. Apud populos *germanicos* vigebat iuris adagium, prolem natam ex dispari coniugio semper sequi « *manum peiorem* » i. e. partem *servilem*, sive pater sit sive mater [57]. Hinc postquam Gratianus c. 15, C. XXXII, q. 4, secutus Isidorum statuit: « *Nam filii ex libero et ancilla servilis condicionis sunt. Semper enim qui nascitur deteriorem partem sumit*, in Glossa ad v. deter. part. subiungitur: « *Hoc verum est secundum legem longobardorum et theutonicorum; nam secundum leges romanorum secus* »; sed nullum existit vestigium Ecclesiam istud adagium de manu peiore reprobasse [58].

485. Multo facilius Ecclesia in controversiis definiendis de condicione servili unius coniugis admisit illas *leges provinciae vel consuetudines particulares*, secundum quas natus ex patre libero atque ancilla condicionem *patris* sequebatur [59].

486. Antiquae leges civiles non raro matrimonia inter solas personas aequales, v. g. ingenuas, permittentes etiam gravissimis poenis proscripserunt nuptias hominum disparis condicionis, veluti diversae nationis, tribus vel gentis, inferioris vel superioris gradus socialis. Qua ratione leges romanae [60] severe vetuerunt civibus imperii connubia cum barbaris, senatoribus cum libertis, ingenuis cum libertis. Nostra aetate cum in plerisque regionibus *servitus* sit sublata et perfecta vigeat aequalitas civium quoad ius connubii [61], sanctiones iuris antiqui non amplius solent habere practicam utilitatem. Nihilominus vestigia quaedam veteris iuris de manu peiore remanserunt in matrimoniis *morganaticis* nondum ubique abrogatis, cum usque ad nostra tempora viri

---

[55] *Bernard. Pap.*, l. c., 155 sq.

[56] Inst. I, 4, de ingenuis; eap. unic. X, h. t.; cap. 8, X, de serv. non ordin. I, 18.

[57] *Walter*, D. Rechtsg., n. 407 sq.

[58] *Bernard. Pap.*, Summa Decretal., 155 sq.; *S. Thom.*, Suppl. q. 52, art. 4; *Freisen*, 291 sq.

[59] Cap. 3, X, de coniug. serv. IV, 9; *Walter*, D. Rechtsg., n. 407.

[60] L. un. Cod. Theod. de nupt. gentil. III, 14; Dig. XXIII, 2 de rit. nupt.; *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 521 u. D. Rechtsg. n. 465; *Scherer*, 438 sq.

[61] Arch. f. k. K. XXIX, 314; cfr. codices civ. Stat. foeder. Amer. sept. de prohibitis matrimoniis inter homines *albos* et *nigros!*

ex certis familiis superioris nobilitatis atque praesertim principum regnantium matrimonia *plene* legitima inire non possint, nisi cum personis ex iure singulari paris condicionis. Quare licet mater et proles in ordinariis matrimoniis sequantur nomen et dignitatem *mariti* et *patris*, id in matrimonio *morganatico* sive in *disparagio* non obtinet, sed proles nata potius *matris* nomen et dignitatem consequitur [62]. Ecclesia *validae* et *licitae* celebrationi matrimonii inter personas liberas propter istam disparitatem nationis vel nobilitatis etc. sese non opposuit [63], neque proli inde natae denegavit *legitimitatem*. Nam etiamsi aliqua aequalitas condicionis regulariter in coniugibus summopere expediat, tamen nimia cura vitandi omnem disparitatem a mente *Ecclesiae* catholicae est aliena, quae potius universos homines quasi in unam familiam Patris caelestis coadunare studet.

487. Scholion II. In Decretalibus sub speciali rubrica (l. IV, tit. 8) agebatur « de coniugio leprosorum » [64], et quaeri potest, num sicut error de *condicione servili* alterius partis dirimit matrimonium, ita *error de lepra* vel simili morbo *irritet matrimonium contrahendum*, vel *causa* legitima existat rescindendi *sponsalia* vel *matrimonium* iam *contractum*, saltem quoad torum et cohabitationem.

488. *Lepra* hoc titulo, in quo *nigrum* latius patet quam *rubrum*, non tantum intelligitur vera et proprie dicta lepra et omnis morbus horridus et contagiosus velut epilepsia, syphilis, sed etiam (cfr. cap. 2, X, h. t.) quaelibet gravis infirmitas — non transiens — *perpetua* et *vix curabilis*, qua saltem una pars est detenta. Pariter vocabulum *coniugii* in rubrica, quamvis per se verum tantum *matrimonium* significet, tamen attento cap. 3, X, h. t. etiam ad *sponsalia* applicatur.

489. Lepra, sensu illo lato accepta, potest esse *antecedens* vel *superveniens* sponsalibus et matrimonio, *ignorata* vel *non ignorata* ante sponsalia vel matrimonium.

Interdum unus ex coniugibus morbo afficitur *ante* matrimonii celebrationem plane ignoto, quod matrimonium alteri parti paene inutile reddit; similis quoque morbus matrimonio contracto

---

[62] *Schmalzgr.*, l. IV, t. 1, n. 237 sq.; *Walter*, l. c., n. 452 sq., 502, 465.

[63] Cfr. c. 12, C. XXXII, q. 2, (S. Leo a. 458); cap. 1, X, de sponsal. IV, 1 = c. 39 Conc. Tribur. (a. 895).

[64] Cfr. c. 18, 25, C. XXXII, q. 7; c. 17, 18 ead. C. q. 5; Decret. Greg. IX, l. IV, tit. 8, de coniugio leprosorum — Comment. in hunc tit.; *Bernard. Pap.*, Summa Decret., 152 sq.; *Goffred. de Trano*, Summa h. t.; *Schulte*, 518 sq.

supervenire potest[65]. Hinc orta est difficultas, num huiusmodi error *antecedens* vel calamitas *superveniens* irritet vel rescindibilem efficiat contractum matrimonialem. Et sane, si unus ex coniugibus repertus est *impotens*, non directe propter *errorem* de persona, sed ob absolutam vel relativam *inhabilitatem personae* antecedentem et perpetuam, nullum atque irritum est matrimonium, non propter supervenientem infirmitatem. At si propter lepram unius coniugis, c. 17 Synod. Comp. (a. 757, 758), parti non infectae conceduntur novae nuptiae, Ecclesia *universalis* huiusmodi statutum particulare nunquam probavit, atque etiam nostra aetate leges civiles, quae ob detectum *horridum morbum post* matrimonium contractum illius rescissionem concedunt, omnino reicit. Cfr. *Schulte*, 519.

Quare *lepra* vel quaelibet gravis infirmitas, ei aequiparata, etiam *antecedens* et *ignorata* matrimonium contrahendum neque *impedit* neque *dirimit*[66]. Quodsi *superveniat* matrimonii celebrationi, vinculum matrimonii contracti, etsi rati tantum, *ipso iure non* dissolvit[67]. At quoad *cohabitationem* et multo magis quoad *torum* est ratio sufficiens, ob quam separatio institui *possit, quamdiu* lepra illa vel infirmitas *contagiosa* perdurat, et dummodo uterque, altero vivente, continentiam servet. Aliter iudicandum est, praesertim quoad dissolvendam *cohabitationem*, si neque contagium sit timendum, neque magnum horrorem iniciat infirmitas[68]. Quodsi pars sana, etiam in casu quo *possit* divertere, ex amore coniugali in diuturno morbo *velit* cohabitare, id sane licet atque est insigne opus caritatis.

490. Scholion III. Error *personae* cum ipso iure naturali evidenter lumine rationis manifesto constituat impedimentum matrimonii, etiam in codicibus modernis inter impedimenta matrimonii civilis recensetur; at error condicionis *servilis* ibidem omitti solet; nam servitus nunc plerumque est abrogata. Praeterea iidem codices aliqua de impedimento erroris quandoque expresse addunt, quae in iure canonico non reprobantur, sed tanquam

[65] S. C. Inq., 12 febr. 1815, in Collect. (Paris.) Const. S. Sedis, n. 1002.

[66] Cap. 2, X, h. t. iunct. cap. 23, X, de sponsal. IV, 1; Instr. *Card. Rauscher* § 12; *Schmalzgr.*, h. t. n. 5 sq.; *Scherer*, 258, not. 1.

[67] Cfr. c. 25, C. XXXII, q. 7; cap. 1, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 6 sq.; *Giovine*, l. c., I, 472, ubi cum *Sánchez* aliisque inter causas, ob quas R. Pontifex posset dissolvere matrimonium *ratum* certoque non consummatum, recte recensent etiam lepram.

[68] Cap. 1, 2, X, h. t.; *Cappellmann*, Medicina pastoralis, 155; *Maschat*, h. t. n. 4 sq.; *Schmalzgr.*, h. tit. n. 11 sq.; *Ph. Hergenroether*, Lehrb. d. k. K., 480; *Aichner*, § 199, n. 15.

luce meridiana clariora supponuntur[69]. Profecto liquet v. g. matrimonium non valere, si saltem unus ex coniugibus loco *matrimonii* voluit celebrare contractum *locationis* operarum vel per errorem manifestavit consensum in matrimonium, quem omnino *noluit* manifestare. Penitus vero discrepant non pauci codices civiles a iure canonico latamque viam aperiunt *divortiis*, si propter errores de qualitatibus *accidentalibus* et *personalibus* alterius partis statuunt matrimonia esse *invalida* vel saltem *rescindibilia;* praesertim vero si *dolum*, quo in uno ex coniugibus sive ab altera parte sive a tertia persona introductus est error de qualitatibus personalibus aliisque circumstantiis — at non de bonis temporalibus — *causam contractui matrimoniali* dantibus, tanquam proprium impedimentum introducunt[70].

Denique quoad *convalidationem* matrimonii atque *ius accusandi*, licet aliquot quidem codices magis accedant ad ius canonicum, alii partim rigidiores sunt, v. g. in terminis exigendis, partim laxiores; concedunt enim accusationem vel convalidationem in casibus ab Ecclesia reprobatis[71].

[69] Cfr. v. g. cod. civ. German. §§ 1332, 116, 177, iunct. *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. in cit. paragr.; *Hollweck*, D. Civileher., 117, ubi recte reicit iuris dispositionem, quod matrimonio simulate vel iocose contracto §§ 116, 117, non possint applicari.

[70] Cfr. cod. civ. Germ. §§ 1333 sq.; *Lehmkuhl*, l. c.; *Hollweck*, l. c.; *Friedberg-Ruffini*, § 142, n. 13 sq. Quae ampliationes impedimenti erroris aliis in codicibus civilibus sapienter fuerunt omissae, atque unice retinetur error de *persona*, v. g. in cod. civ. *Ital.* art. 122, *Gall.* art. 180, *Hispan.* art. 101. Cfr. *Allègre*, op. c. ad art. 180; *Friedberg-Ruffini*, l. c. not. 16.

[71] Cfr. cod. civ. *Ital.* art. 122: « *Il matrimonio puó essere impugnato da quello degli sposi il cui consenso è stato storto con violenza o è escluso per effetto di errore. L'errore sulle qualità dell'altro coniuge non è causa di nullità del matrimonio se non quando si risolve in errore sull'identità della persona. L'azione non può essere proposta se vi è stata coabitazione per* un mese *dopo che lo sposo ha riacquistata la sua piena libertà o conosciuto l'errore* ». At actio nullitatis in cod. civ. Galliae, art. 181, et Germ. § 1330, post *sex* menses, in Helvetia iam *tribus* mensibus elapsis non amplius admittitur. Porro ex § 58 cod. civ. Austr. accusatio matrimonii sponso est concessa, si is reperiat sponsam tempore celebrationis nuptiarum fuisse gravidam ab alio viro, nisi viduam duxerit ante lapsum legitimi temporis. Codex civilis Germaniae §§ 1323 sq., secundum principia laxa de errore et dolo adoptata in permittenda quoque actione *nullitatis* vel *impugnationis* sive rescissionis laxiores continet normas. Cfr. *Lehmkuhl*, l. c. ad §§ 1323 sq., ubi iusto iudicio perstringit exorbitantes theorias iuridicas ibidem applicatas; *Hollweck*, 117, 122 sq., qui pariter cit. paragraph. severum legitimumque agit censorem;

Art. 3. De vitio ob errorem iuris

491. Canon 1084. « *Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem* ».

Agitur de *simplici errore*, non de casu in quo ex illo errore habeatur positivus actus voluntatis, bonis substantialibus matrimonii contrarius seu aliquam matrimonii proprietatem essentialem positive et actu excludens.

492. Talis *simplex error theoreticus sive iuris* etiam de bonis et proprietatibus substantialibus matrimonii, i. e. de unitate, indissolubilitate et sacramentalitate, non ut *error*, sed tantum ut *condicio* sine qua non, in pactum deducta, propter defectum consensus irritat matrimonium. Nam partes nupturientes solent habere *intentionem* contrahendi matrimonium *iuxta Dei* et *Christi institutionem*, et non obstantibus suis *erroribus theoreticis positiva* sua *voluntate* non necessario *excludunt* proprietatem essentialem matrimonii. Certe in illo errore, qui in intellectu terminatur, illa voluntas exclusiva non continetur, sed potius in generali intentione, quae censenda est conformis verbis et signis in celebrando matrimonio adhibitis, quasi absorbetur intentio magis particularis, quae forte haberetur si expresse cogitaretur. Profecto infideles aut acatholici haud raro proprietatem essentialem *excluderent*, si explicite de illis proprietatibus *cogitarent* vel *interrogarentur*; at in celebratione matrimonii non quaeritur quid sponsi *facerent*, si interrogarentur, sed quam intentionem voluntatis *de facto* habeant. Quare matrimonia infidelium, haereticorum, schismaticorum, qui erroneas tenent doctrinas, v. g. de libello repudii, de permissa infidelitate et polygamia, de contractu matrimonii etiam inter fideles, sacramentalitate destituto, dicenda sunt valida, nisi *positivam* illam voluntatem in contrarium habeant et extrinsecus manifestent. Quae voluntas positiva excludendi proprietatem essentialem matrimonii, cum consistat *in facto*, non tantum asserenda, sed in causa *favorabili* matrimonii concludenter probanda est. Quod profecto fit, si revera talis condicio expresse vel tacite contractui matrimoniali fuerit apposita, ut quandoque accidit atque ex *formula* celebrandi nuptias aliisque *adiunctis* proximis et remotis colligi potest [72].

Scherer, § 112, not. 80, 286 sq., ubi etiam refertur mirabile postulatum de approbando impedimento erroris iuxta cit. § 58 cod. civ. Austriae.

[72] Cap. 7, X, de divort. IV, 19; Pii VI Epist. ad Arch. Pragens.,

An autem in singulari casu interfuerit *simplex error* intellectus aut etiam efficax propositum voluntatis res est *facti*, in qua diiudicanda gravissimae occurrunt difficultates, cum iudicium proferendum sit non solum de actu interno voluntatis, sed de praevalentia inter duas intentiones. Cfr. causam ter in S. R. Rota agitatam et contrariis sententiis decisam, 9 dec. 1911, AAS, IV, 146, 1 mart. 1913, V, 312, 9 mart. 1915, VII, 292.

Quodsi quis *errat* de *natura* contractus matrimonialis, ut patet ex his quae de ignorantia dicta sunt, et ex tali errore vult inire *societatem* mere *amicalem*, neque quidquam cogitat et intendit de potestate tradenda in *corpus ad generandam prolem*, is profecto invalidum contraheret matrimonium, quemadmodum accideret in eo, qui velit inire contractum *locationis* vel *concubinatum*, non matrimonium. Nam prorsus deficit consensus in obiectum essentiale contractus matrimonialis. At de facto talis error post pubertatem saltem in foro externo non admittitur; nam natura ipsa homines de his rebus instruit et in intentione celebrandi matrimonium pro more aliorum atque filios procreandi implicite etiam continetur intentio tradendi ius ad medium, i. e. ad copulam carnalem [73].

Art. 4. De vitio consensus ob errorem circa validitatem matrimonii

493. Canon 1085. « *Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit* ».

Circa *validitatem* matrimonii dupliciter a contrahente errari potest, vel quia putat se *valide* contrahere cum tamen contractui obstet impedimentum ei ignotum quo contractus redditur obiective nullus, vel quia putat aliquid obstare valori sui matrimonii, cum tamen re vera nihil obstet. Porro subiectiva opinio potest versari circa *ius* aut circa *factum*, prout contrahens opinetur erronee ob factum certum, v. gr. consanguinitatis quarti gradus in

---

11 iul., 1789, apud *Ballerini-Palmieri*, n. 292; Gregor. XVI Epist. ad Praesules Hungariae d. 30 apr. 1841; Instr. S. C. Inq., 28 mart. 1860, aliaeque in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1297, 1299 sq.; S. Congr. Inq., 18 maii 1892, 25 maii 1898; *Kugler*, n. 394 sq. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 22, n. 1 sq.; *Leitner*, 105 sq.; *Gasparri*, II, 807 sq.; *D'Annibale*, III, n. 444.

[73] S. C. C., 18 dec. 1869, 28 maii 1870, 16 aug. 1881; ASS., V, 551 sq.; *Hollwek*, l. c., 119; *Leitner*, 108 sq.

linea collaterali, suum matrimonium esse nullum, aut cognito iure erronee putat inter se et compartem intercedere consanguinitatem tertii gradus, quae revera non est nisi quarti gradus.

Certe in quolibet casu independenter a scientia vel opinione contrahentis matrimonium ex capite habilitatis personae erit validum vel invalidum prout ipsi non obstet aut obstet lex irritans, quae suum effectum iuridicum producit independenter a cognitione vel ignorantia contrahentis. Quodsi contrahens falso, sed in bona fide, putat validum suum matrimonium, hoc in casu habetur matrimonium putativum.

At in c. 1085 est quaestio potius de influxu quem habeat in consensum scientia vel opinio, qua contrahens hic et nunc scit vel opinatur matrimonium quod contrahit esse nullum, et ponitur principium quod talis scientia vel opinio *de se* et *necessario* non excludit matrimonialem consensum, ita ut, si nullum impedimentum existat, tale matrimonium *possit* esse validum, et si existit impedimentum quod facit matrimonium nullum, invaliditas non proveniet *necessario ex defectu consensus.*

Posse cum illa opinione existere consensum non vitiatum in casu *bonae fidei* res est manifesta; nihil enim impedit quominus contrahens consensum praestare velit, quantum potest et toto animo tendat in obiectum contractus, ita ut, impedimento non existente, matrimonium sit ex omni parte validum; existente vero impedimento sit quidem invalidum, sed ex *inhabilitate* contrahentis, *non* ex consensus defectu. Ceterum hoc aperte docet praxis Ecclesiae in tali casu sanantis in radice matrimonium, quin exigatur renovatio consensus.

Quodsi intervenit *mala fides* propter certam cognitionem impedimenti, etiam accidere potest quod contrahens ita sit animo dispositus ut, contempta lege, quantum in se est tradat et acceptat ius coniugale vero actu voluntatis, cum lex reddens ipsum inhabilem non afficiat voluntatem eiusque consensum directe, sed personam, quae potest nolle attendere ad suam inhabilitatem.

At si contrahens sub praepotenti influxu suae persuasionis aut opinionis, reputans matrimonium sibi prorsus impossibile et ad eam impossibilitatem de industria advertens, non vult reapse nisi aut *meram caeremoniam civilem* peragere aut simplicem *concubinatum* inire, tunc consensus matrimonialis vere deficit [74]. Num in casu particulari huiusmodi influxus erroris aut opinionis

---

[74] Cfr. ex una parte *Sánchez*, l. II, disp. 33, 35; ex alia parte *Gasparri*, II, n. 809 sq., iunct. cap. unic. de sponsalibus in 6°; Instr. S. C. de P. F., 1 octobr. 1875, in Collect. n. 1517.

revera adfuit, est quaestio meri *facti*, quae solvenda est ex concretis adiunctis prudenti consideratione libratis, nec pro illo influxu admittendo datur ulla iuris praesumptio [75].

Quae doctrina non solum applicatur ad casum in quo matrimonio obstat impedimentum iuris ecclesiastici, sed consensus voluntatis est pariter compossibilis cum impedimento iuris divini sive naturali sive positivo, cum rationes allegatae etiam pro hisce impedimentis valent, quae pariter reddunt inhabilem personam, consensum vero voluntatis directe non afficiunt [76]. Ceterum c. 1085 nullam facit distinctionem inter diversas causas nullitatis.

---

[75] Cfr. caus. *Colonien.*, apud S. R. Rotam, 27 aug. 1910, (AAS., II, 917) et iterum 10 iun. 1912 (AAS., IV, 629). Sententiam favorabilem cfr. in caus. *Argentinen.* ter agitatam (AAS, IV, 377; V, 164; XI, 359).

Haec quaestio est valde practica relate ad celebrationem matrimonii civilis, ubi coniuges tenentur ad formam ecclesiasticam celebrationis et praesertim ubi ad illam formam non tenentur. Cfr. *Heiner*, A. f. k. K. LXXXIX, 471 sq., ubi varias tuetur praesumptiones. At in resp. S. Offic., 2 iul. 1892, ad Arch. Colon. potius continetur praesumptio *facti*, videlicet in conflictu inter ius divinum et humanum, Ecclesia praefert credere fideles potius consentire voluisse in matrimonium quam inire concubinatum. *Chelodi*, n. 114. Infra ubi de matrimonio civili.

[76] Cfr. *Gasparri*, II, n. 813; *Leitner*, 487 sq.; *Gennari*, « Consultazioni », I, 721, ubi insistitur in responso S. Paenitentiariae, 25 april. 1890, de sanatione in radice; *Vlaming*, II, n. 531, ubi cum Chelodi defendit non obstare decr. S. Offic. 2 mart. 1904, quod ab Ecclesia non sanetur in radice « matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis », quia ad negandam sanationem movetur ex ratione decentiae non ex defectu potestatis, quando iam impedimentum cessavit. Praecise ex doctrina c. 1085, praeter alias rationes idem persuadentes, infertur non deesse in Ecclesia potestatem ad sanandum in radice matrimonium nullum ob impedimentum iuris naturalis aut divini, quae tamen non pertingat nisi ad momentum cessati impedimenti, quamvis profiteatur Ecclesia hanc sanationem non dari ob allegatam rationem indecentiae.

CAPUT III

De consensu vitiato ob vim et metum

494. Fontes: C. XXXI, q. 2[1]. Proprius titul. de imped. vis et met. in collect. authent. non existit. Quare potissimum sunt consulendi: Lib. I, tit. 40, de his, quae vi metusve causa fiunt in Decretal. Greg. IX; cap. 14, 15, 21, 28, X, de spons. IV, I; cap. 9, X, de despons. imp. IV, 2; cap. 2, X, de eo, qui duxit... IV, 7; cap. 4, X, qui matr. accus. IV, 18. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 9, de ref. matr. — Instr. S. C. Inquis., 20 iun. 1883, et S. C. de Prop. F. a. 1883, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1572 sq.; Instr. *Card. Rauscher*, §§ 18, 116. — Decis. S. C. C. in ASS., II, 19; III, 227, 513; VII, 66; XI, 142, 347; XX, 441, 442, et in ed. *Richt.* C. Trid. 238 sq.; cit. Collect. n. 1416 sq., et *Analect. eccl.* v. Matrimon. — Decision. S. R. Rotae passim.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in lib. IV, tit. 1, v. *Schmalzgr.*, n. 384 sq.; *Santi*, n. 141 sq.; *Fagnan.*, Comment. in cap. 28, 30, X, IV, 1. — *Devoti*, l. c. § 144; *Zech*, l. c. § 324; *Scherer*, 173 sq.; *Aichner*, § 168. — *S. Raym.*, Summa lib. IV, tit. 11, de imped. violentiae sive metus; *Bernard. Pap.*, Summa de matr. in ed. cit., 303; *S. Thomas*, Supplem. q. 47, de consensu coacto et condicionato; *Lugo*, De iustit. et iure, disp. 22, n. 110 sq., 120; *Van de Burgt*, 99 sq.; *Sánchez*, lib. IV, de consensu coacto; *Bened. XIV*, Inst. eccles, 87; *Mansella*, 12 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Matrimon. art. 5, n. 118 sq.; *Feije*, n. 125 sq.; *Schulte*, § 20; *Gasparri*, II, n. 832 sq.; *Rosset*, n. 1267 sq.; *Schnitzer*, 325 sq.; *Leitner*, 137 sq.; *Moy*, 57 sq., 324 sq.; *Freisen*, 257 sq.; *Esmein*, I, 342 sq. — *Allègre*, l. c. I, 97 sq.; *Hollweck*, l. c., 125 sq.; *Zhishman*, 607 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 142. — *Cappello*, II, n. 605 sq.; *Chelodi*, n. 118 sq.; *Vlaming*, II, n. 538 sq.; *De Smet.* n. 534 sq.; *Dossetti*, La violenza nel matrimonio in diritto canonico.

Canon 1087. § 1. *Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.*

§ 2. *Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secum fert.*

Praenotiones

495. Definitio. Vis et metus sunt termini conexi. *Vis* enim tanquam *causa efficiens* existit in eo, qui per *impulsum externum*

[1] L. 22, D. de ritu nuptiar. XXII. 2; L. 14, Cod. de nupt. V, 4; cod. civil. Ital. art. 122; cod. civ. Gall. 180, 181; cod. civil. Austr. § 55; cod. civil. Germ. § 1335; cod. civil. Hisp. art. 83, 101, 102. Cfr. *Arndts-Serafini*, l. c. § 61; *Vering*, l. c. § 80.

incutit *metum* atque definitur: *Maioris rei impetus* (exterior), *qui repelli non potest*[2] (cfr. L. 1, 2, D. quod metus causa IV, 2); *metus* vero est *effectus* in eo, qui vim patitur et dicitur: *Mentis trepidatio instantis vel futuri periculi* vel damni *causa.* Cfr. cit. L. 1. Quae trepidatio mentis diversos potest habere *gradus.*

496. Divisio. I. *Vis* dividitur in *absolutam* sive physicam et in *condicionalem* (cfr. cap. 1, X, de his, quae vi... I, 40 « *sub tali condicione* ») sive *causativam* sive *compulsivam* sive *moralem.* Prior liberum consensum omnino *tollit*, et est coactio tantum *corpori* reluctantis illata, quae cadit in actus *externos* repellique nequit et cum *pleno* voluntatis *dissensu* in actum externum est coniuncta, vel *eum gradum* trepidationis in animo producit, ut *usus rationis* tollatur, atque omnino actus vere humanus fiat impossibilis. Altera liberum consensum tantum *minuit* et sive minis aliisque modis in hominem reluctantem ita exercetur, ut *proxime* et *directe metus* sive trepidatio in animo agentis excitetur, qua mediante *verus* consensus *internus liberae voluntatis* in actum externum *quoad substantiam* obtinetur, quamvis secundum quid libertas consensus minuatur. Quae vis intentato mali periculo cadit *in voluntatem.* De vi absoluta et physica vel de ea trepidatione animi, quae usum rationis penitus tollit, hic non est multum disserendum. Nam aut consensus *deest*, aut vices perfecti consensus tenet *plenus dissensus;* at matrimonium sine *ullo positivo* consensu voluntatis valide celebrari nequit[3]. Restat igitur sola inquisitio de *vi causativa* metus, qui liberum consensum

[2] A theologis vis definitur: « *Motio, cuius principium est extra, in contrarium nitente eo, qui vim patitur* ». Cfr. *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 737 sq. Utraque definitio *sensu stricto* convenit soli vi *absolutae* et tantum *sensu latiore* vi *condicionali*. Cfr. *Schmalzgr.*, l. VI, t. 1, n. 384; *Rosset*, n. 1267; *Arndts-Serafini*, l. c.; *Vering*, l. c.

[3] Cap. 5, X, de his, quae vi...I, 40. Quae *vis absoluta* difficulter locum habere potest in celebratione matrimonii *christiani*, saltem si servetur forma ecclesiastica et ritus consuetus Ecclesiae, quo consensus *regulariter* exprimitur per *verba* de praesenti extrinsecae extorsioni non obnoxia. Nihilominus extrinseca violentia non est penitus exclusa, si concurrat *raptus*, vel matrimonium per *signa* vel *procuratorem* cum mandato contrahatur. At etiam hisce in casibus, v. g. muti, cui ab alio in signum consensus caput inclinatur, circumstantiae sedulo sunt expendendae. Certe S. C. de Prop. F. cum in caus. Constantinopol. haec species facti proposita fuisset: « *Nel celebrare i matrimonii dopo la triplicata interrogazione sopra il consenso, la sposa non risponde, ma standole una donna dietro, le mette la mano in capo e glielo fa chinare, quasi che consenta violentemente* », 4 febr. 1664, respondit: « *Quoad abusum de consensu in matrimoniis* (de quo agitur), *videtur tolerandum, cum non valeat inde inferri defectus consensus.* Collect. S. C. de Pr. F. n. 1416. Cfr. dec. S. R. Rotae, 16 ian. 1913 (AAS. V, 253).

quoad substantiam non tollit, sed tantum minuit, quoniam relinquit optionem sive *electionem* inter malum intentatum et actum vi exactum. Qua *restricta* significatione vis et metus non raro ut verba synonyma confunduntur, at apte quoque *distinguuntur* ut termini *correlativi*, cum inter illos sit habitudo causae et effectus [4].

II. *Metus* distinguitur [5] *a*) *ratione causae* efficientis in metum *ab extrinseco* aut *ab intrinseco*, quatenus originem ducit a causa externa sive *libera* i. e. ab alio homine, sive necessaria v. g. a naufragio, aut a causa interna et necessaria v. g. a morbo; *b*) *ratione modi* in *iustum* et *iniustum*, prout stricto *iure* aut vera *iniuria* incutitur ab eo, qui vim infert; *c*) ratione *gradus* sive *qualitatis* in metum *perturbantem usum rationis*, in metum *gravem*, qui relicto usu rationis cadit in virum constantem, sive qui absolute vel *relative* aptus est *vehementer* perturbare hominem *constantem*, in metum *levem*, qui tantum conturbare potest hominem inconstantem. Gravis censetur si concurrant hae condiciones: 1°) malum instans aut futurum *grave* sit sive *absolute* pro quacumque persona sive saltem *relative* pro persona quae metum patitur attentis eius animo, aetate, sexu, adiunctis; 2°) persona persuasum habeat periculum vel malum *imminere* seu proximum esse (non mere possibile), quin ipsa possit illud avertere alio modo quam eligendo id quod nollet. Mali gravis exempla adduci solita: mors, mutilatio, verbera, infamia, exilium, exheredatio, privatio libertatis etc.

497. *Metus* sic dictus *reverentialis* est ille quem auctoritate sua excitat is, in cuius potestate sumus et quem reverentia et honore prosequimur. Quae reverentia et observantia de se et ex natura rei facit ut verecundemur et erubescamus illis non annuere aut resistere, etiam quando ex resistentia nullum malum sit nobis timendum; ad hanc erubescentiam vitandam saepe inducimur ad obsequendum ipsorum desideriis, repugnante voluntate. Haec erubescentia malum nostrum est, sed de se leve ut per se

---

[4] Cfr. rubricam l. I, t. 40, X, de his, quae *vi metusve* causa fiunt iunct. cap. 2, 3, eiusdem tituli; *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 1, n. 384; *Bernard. Pap.*, l. c., 303, ubi distinguit coactionem *violentam* sive corporalem « *puta per verbera, per captionem...* » et *non violentam* « *puta per minas verborum* »; illi tribuit *vim dirimentem* matrimonii, huic negat; at prior illa coactio non est vis *absoluta*, ut patet ex allatis exemplis, sed mere *compulsiva;* ergo Bernardus coactionem *non violentam* videtur intelligere illam, quae non sufficiat ad *gravem* metum incutiendum, ut fit cap. 6, X, de his, quae vi...I, 40; *Scherer*, 173, not. 41, qui ex parte paulo aliter disserit.

[5] *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 135; *Schmalzgr.*, n. 355; *Rosset*, n. 1268 sq-

patet. At praeter propriam erubescentiam plerumque in resistendo voluntati et desiderio eius, in cuius potestate sumus miscetur timor ipsius *offensae contristationis* aut *indignationis*. Et si quidem eius tantum *offensam* et *contristationem* veremur *metus* nullus est, quia non nostrum malum hoc est; si timemus *indignationem*, metus *levis* est, quando ex illa non imminet grave periculum. At si *indignatio gravis et diuturna* futura sit et iurgia et importunae preces accedant, iam malum quod timetur *grave* est et metus inde conceptus *gravis* existimari potest, si indoles illius qui alterius, cui subest, indignationem veretur sit animi debilis. Quodsi demum ex alterius indignatione timeatur notabile damnum v. gr. exheredatio, expulsio, aut minae, verberationes similesque vexationes adsint, iam metus est *simpliciter gravis*.

Inde patet metum reverentialem de se esse levem et talem in foro externo praesumi; nihilominus ex variis adiunctis posse fieri gravem, quod praesertim obtinet in puellis [6].

498. Notae historicae. De vi et metu primis saeculis canones non reperiuntur, nisi excipias leges poenales ab Ecclesia latas contra *raptores* mulierum atque puellarum [7]. Quo tempore non tanta fuit necessitas condendi canones speciales de vi et metu, cum Ecclesia quasi contineretur finibus imperii romani. Etenim iure Romano statutum fuerat: « *Libera matrimonia esse antiquitus placuit* » ut dicitur L. 2, Cod. de inutil. stipul. VIII, 39 [8]. Quae leges romanae licet vim et metum inter impedimenta *dirimentia* matrimonii non recensuerint, tamen admissa actione vel exceptione « *quod metus causa* » rescissionem contractus matrimonialis coacte initi permiserunt [9]. Quae rescissio iuri Romano omnino fuit conformis, cum moribus legibusque ipsorum *indissolubilitas* matrimonii non esset statuta. At in foro ecclesias-

---

[6] Cfr. *Sánchez*, l. IV, d. 6, n. 4 sq.; *Rosset*, n. 1278 sq.; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 748; *Chelodi*, n. 118; *Cappello*, II, n. 605. Cfr. criterium adhibitum a S. R. Rota in AAS. III, 166 sq., 651 sq., IV, 108 sq.; 474 sq., 503 sq., IX, 574.

[7] Cfr. c. 67 Apostol.; c. 11 Conc. Ancyr. (a. 314); *S. Basil.* in cit. secunda epist. canonic. ad Amphiloch. c. 22, 30; c. 27 Concil. Chalced. (a. 451).

[8] L. 4, 6, 8, 11, 12, 13, D. de spons. XXIII, 1; L. 2, de ritu nuptiar. XXIII, 2; R. I. 30 D. L. 17; *Vering*, l. c. § 80; *Arndts-Serafini*, l. c. § 61.

[9] L. 22, De ritu nupt. XXIII, 2. « *Si patre cogente ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium; quod inter invitos non contrahitur, maluisse hoc videtur* ». Cui legi non obstat L. 14, C. de nupt. V. 4, ut recte tenent *Freisen*, 259, et *Schnitzer*, 326, not. 2, contra *Dernburg*. Cfr. quoque *Scherer*, 174 sq., not. 45, 54.

tico ista iuris Romani doctrina adoptari non potuit [10]. Nam matrimonium christianum valide contractum *rescissioni* ad instar aliorum contractuum non est obnoxium. Quare contractus matrimonialis propter vim et metum celebratus *aut* ipso iure ab Ecclesia declarandus fuit irritus, *aut* si valide esset initus, rescissioni non amplius potuit esse locus. Deficientibus igitur canonibus nullitas matrimonii propter metum incussum aut ex iure *naturali* aut ex iure *consuetudinario* primis saeculis esset explicanda. Cfr. c. 22, C. XXII, q. 4.

Graves exstiterunt abusus iam in ipso imperio romano, ubi ab imperatoribus per rescripta obreptione obtenta nuptiae cum certis puellis expetebantur [11]. Multo gravior fuit similis corruptela apud populos germanicos; etenim optimates ipsique reges sibi per summam iniustitiam vindicarunt potestatem proprios subditos etiam invitos et contra voluntatem parentum matrimonio coniungendi [12]. Qui abusus ex ipsis legibus civilibus, quibus medela fuit afferenda, luculenter comprobatur. Etenim denegata *inferioribus dominis* et optimatibus ista facultate ipsis *regibus* apud visigothos et francos non adimitur, sed potius reservatur [13].

Ecclesia catholica contra illas iniurias optimatum et regum omni vi libertatem matrimonii defendit. Id imprimis factum est a Patribus Concil. Aurelian. IV (a. 541), c. 22, quos mox secuti sunt Episcopi in Concil. Parisiensi III congregati a. 557, c. 6 = c. 6, C. XXXVI, q. 2. Quae prohibitio postquam interim etiam legibus regum francorum, v. g. edicto Clotarii II (a. 614), fuit corroborata, a Concilio Turonensi II (a. 567), c. 26, et Conc. Remensi (a. 625) c. 23, denuo innovata est; impudentia enim eo processerat ut sub praetextu licentiae regis etiam virgines et viduae Deo consecratae cogerentur ad nuptias.

In *Hispania* quoque Concilium Toletanum III (a. 589), c. 10, libertatem matrimonii et virginitatis contra iniustam coactionem eadem constantia inter *visigothos* custodivit [14] atque Episcopi in regno francorum. Vim et metum matrimonii valorem excludere

[10] Act Sanct. Febr., II, 874, de vi, qua Eulesius filiam suam Iulianam coegit ad nuptias.
[11] L. 1, C. Theod. si nupt. III, 10 (Honor. a. 409); L. 1, Cod. si nuptiae V. 8; c. 18, Concil. Carthag. a. 418.
[12] *Freisen*, p. 253 sq.; *Esmein*, II, 286 sq.
[13] *Moy*, 328 sq.
[14] Cfr. de vestigiis veteris usurpationis regiae in cap. 7, X, qui cler. vel vov. IV, 6 = epist. Innoc. III ad Ep. Ulisbon. et Colimbr. (a. 1199).

satis insinuatur in responsione Nicolai M. Lothario regi a. 863, data, verum clare aperteque id rescripsit et decrevit *Urbanus II*, (a. 1088-1099). Qui nequaquam sese rem *novam* statuere hisce verbis declaravit: « *Canonum ac legum scita sequentes deinceps non prohibemus, quin alii viro, si voluerit, praedicta filia eius* (i. e. quae ad matrim. coacta fuerat) *nubat: tantum in Domino* » [15].

Inde a Gratiano et Alexandro III (a. 1159-1181), ut patet ex cap. 15, X, de sponsal. aliisque capitibus in fontibus citatis, dirimens impedimentum vis et metus accurate definitum et circumscriptum in iure Decretalium exhibetur, quamvis S. Raymundus in collectione authentica Gregorii IX huic impedimento non assignavit proprium titulum. Apud *scriptores* medii aevi est sane diversitas *terminologiae* [16], et controversia de *origine* huius impedimenti ne nostra quidem aetate perfecta concordia a doctoribus catholicis est soluta.

At si *Freisen*, 173, 276, antiquos et recentiores doctores etiam scholasticos theologos passim « *confusionis et contradictionum* » accusat in disputationibus de impedimento vis et metus, solidis argumentis gravem accusationem non probat.

Ius antiquum usque ad Concilium Tridentinum hac in re mutationem non subiit; sed in Sess. XXIV, cap. 6, de ref. matr. eiusdem Concilii impedimentum *raptus*, antea ab impedimento vis non distinctum, denuo institutum est, tamdiu duraturum quamdiu pars rapta in loco tuto et libero non sit collocata. Cui decreto accessit novum statutum contra abusum antiquum, quo *domini temporales* et *magistratus libertatem* matrimonii violarunt [17].

499. I. Quando metus matrimonium irritat. *Metus levis* etiamsi iniuste in ordine ad extorquendum consensum coniugalem fuerit incussus, matrimonium *non* dirimit: nam censetur provenire a vi exigua, quae *facile* superari potest neque bonis substantialibus matrimonii obstat. Deinde ille metus non sufficit ad declarandum matrimonii *nullitatem*, qui non potuit cadere in *virum constantem;* at iste metus est levis, consequenter etiam ab initio matrimonium non potuit irritare. Praeterea si metus levis, qui *saepe* in nuptiis celebrandis intervenire potest, *irritaret* matrimonium, cum gravissimo damno honestatis publicae et pacis

[15] Cfr. c. 1, C. XXXI, q. 2; c. 3 ibid.
[16] *Bernard. Papien.* l. c., 135 sq., 25, 303; *S. Thomas*, l. c. q. 47, art. 1.
[17] Cap. 9 eiusdem Sess.; cfr. quoque *Esmein*, II, 286 sq., de abusibus dominorum temporalium etiam post Concilium Tridentinum in Gallia usque ad revolutionem (a. 1789) perdurantibus.

familiarum *facile* et *frequens* esset *divortium*. Quare ipsum ius naturae exigit, ne ob metum *levem* dissolvantur matrimonia eique consonat ius positivum (c. 1087 § 2) [18].

Praeterea cum in c. 1087 § 2 agatur de quolibet alio metu, praeter iniustum et gravem, nullitatem matrimonii non infert metus *iustus* etiam gravis nec metus ab *intrinseco* aut ex causa *necessaria* proveniens quantumvis gravis, quia tali in casu iniustitia non adest.

500. *Metus* quoque *reverentialis* matrimonii valorem non impedit [19], nisi *aliis* concurrentibus circumstantiis *fiat gravis*, et *reliquae* condiciones adsint, ob quas metus gravis irritat matrimonium. Nam metus reverentialis aut omnino non est metus aut per se est tantum levis, qui matrimonium non irritat. Quodsi *accedant* aliae minae, timor perpetuae indignationis, preces importunae et constantes atque similes circumstantiae, metus reverentialis ex natura rei fit qualificatus vereque *gravis* atque idcirco dirimit matrimonium [20]. Quae sententia *directe* quoque comprobatur ex frequentibus declarationibus in foro ecclesiastico [21],

---

[18] Cap. 6, 15, 28, X, de sponsal. IV, 1; cap. 6, X, de his, quae vi I, 40; *Sánchez*, l. IV, disp. 17; *Schmalzgr.*, n. 387; *Rosset*, n. 1275 sq. Fuerunt scriptores, qui ultro quidem *concederent* per metum levem iniuste incussum non dirimi matrimonium *in foro externo*, quia Ecclesia *praesumit* consensum datum ex *levi* metu esse *spontaneum;* at simul contendebant metum levem *dirimere* matrimonium *in foro interno*, si iste metus *reapse causa* fuit contractus matrimonialis, et absque illo nuptiae non fuissent celebratae. Et revera *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 141, haec docet: «*Nos autem addimus votum esse irritum ex metu levi iniusto, quoties sine tali metu votum non fieret, quod etiam* de matrimonio *concedimus cum aliis multis, quos refert Sànchez... lib.* 4, *de matrim. disp.* 17, *num.* 2, (et) *quorum sententiam probabilem esse fatetur ipse et Lessius... Ratio autem in nostris principiis est, quia tunc vere fiunt ex metu, cum potuerit, qui metum incussit, impedire ne fierent, siquidem ablato metu et iniuria vere non fuissent facta*». Quae sententia praeter *Sánchez* et *Lessium* etiam ab aliis antiquioribus, v. g. *Pirhing*, l. IV, t. 1, n. 117, 118, habita est probabilis; at merito alii huic sententiae, iure Codicis penitus reiciendae, solidam probabilitatem negabant et potius sententiam contrariam defendebant ut *certam*.

[19] S. C. C., 16 iun. 1888, 5 mart. 1892, in ASS. XXI, 226 sq; *Sánchez*, l. c. l. IV, disp. 6, n. 4 sq., 7; *Santi*, Votum in caus. Tolentinat. dec. a S. C. C. 17 apr. 1869; ASS. XXII, 93; *Rosset*, n. 1278 sq., *Schnitzer*, 330; aliter complures auctores antiqui, v. g. *Navarrus*, *Pontius*, aliique, qui metum reverentialem falso aequipararunt metui *gravi*.

[20] *Sánchez*, disp. 6, n. 7, 9 sq. 20 sq., disp. 7, n. 1 sq., 7 sq.; *Pirhing*, l. IV, t. 1, n. 119; *Santi*, l. IV, t. 1, n. 144; *Rosset*, n. 1285 sq.; *Schnitzer*, 330 sq.; ASS. passim in disceptat. caus. S. C. C., v. g. XIX, 489, XXII, 93, XXVII, 678 sq.; paulo aliter *Scherer*, 177 not. 54.

[21] Cap. 21, X, de sponsal. IV, 1; cap. 9, 11, X, de desp. IV, 2 iunct.

v. g. S. C. C., 8 iun. 1720, 17 iul. 1745, 26 mart. 1768, 22 iun. 1833, 22 maii 1875, *indirecte* vero confirmatur *ex paritate cum professione religiosa*, quae iterum iterumque declarata est nulla, si de gravi metu a *parentibus* incusso fides facta est iudici ecclesiastico [22].

501. *Metus*, qui sufficientem quidem relinquit usum rationis ad actum vere deliberatum et quoad substantiam voluntarium, ad hoc ut matrimonium ex metu contractum reddat invalidum, oportet ut sit: I. *Gravis* [23] sive absolute sive relative; nihil autem refert utrum grave malum, ad quod vitandum contrahens impellitur ad matrimonium, immineat ipsi contrahenti aut eius consanguineis, affinibus, utrum inferatur ab altero contrahente aut a tertia persona. II. *Iniuste* incussus ex parte personae vim inferentis sive publicae sive privatae, sive quoad substantiam [24] sive saltem

---

decis, rel. in ASS. v. g. XII, 403 sq., et in *Anal. eccl.*, v. g, VII, 16 sq.; *Scherer*, l. c. not. 55.

[22] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 19, de reg.; S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr., 423 sq.

[23] Quae gravitas metus iuxta dicta pendet tum ab ipsa *natura minarum* tum a *qualitate* eorum, a quibus *procedunt*, vel illorum, qui *eas patiuntur*. Cap. 6, 15, 28, X, h. t.; Instruct. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 35 sq. et S. C. de Prop. F. eiusdem anni n. 36 sq.; Instr. C. Rauscher § 18; ASS. ubi quamplurima exempla afferuntur de verberationibus, de periculis amittendi hereditatem paternam etc., v. g. VIII, 581 sq.; XVIII, 379 sq.; *Analect. eccl.* v. Matrimonium v. g. VII, 16 sq.; *Sánchez*, lib. IV, disp. I sq.; *Feije*, n. 129 sq.; *Rosset*, n. 1292 sq.; *Gasparri*, II, n. 852; *Scherer*, 175.

[24] Qui *iure suo recte utitur*, non infert iniuriam neque iniuriam patitur qui *stricto iure* omnino *caret*. Hinc Superior ecclesiasticus, si ad normam iuris ante Codicem vigentis coegisset pro suo iure sponsum infidelem ad celebrandas nuptias (cfr. cap. 10, P. de sponsal. IV, 1), non *incussisset* metum iniustum; neque sponsus patitur vim iniustam, qui non accipit donum liberale *nullo iuris titulo* sibi debitum, v. gr. liberationem a poena ad quam iuste fuerat damnatus. Cfr. S. C. C., 26 iul. 1879 et 16 dec. 1882, in ASS. XIII, 206 sq. Quibus principiis stabilitis facile iam casus particulares solvi possunt, praesertim si attendatur non quamlibet actionem *inhonestam*, v. g. contra caritatem, esse simul veram *iniustitiam*, v. g. in aliquo medico, qui ex titulo *iustitiae* ad operam suam praestandam non tenetur, item si avunculus nepti denegat pecuniam quam statuerat dare pro matrimonio, nisi tali iuveni nubat, quia ex iustitia illam dare non tenetur. Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Tr., 239, n. 73 sq.; *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 152 sq., 158 sq., 163, 164. Porro haberetur iniustitia quoad *modum*, v. g. si *competens* iudex absque probationibus et forma canonica non servata vel per poenas exorbitantes sine ulla *moderatione* vel si iudex *incompetens* iuxta allegata et probata sponsum *infidelem* coegisset ad servandam promissionem sponsalitiam vere valideque datam nec legitime ablatam. Quibus in casibus *obiectum substantiale* coactionis est *iustum*, at *modus*

quoad modum. III. *Incussus ab extrinseco* per causam liberam [25], secus enim contrahens metum *iniuste* pati non potest. Tunc autem metus praedictis condicionibus praeditus irritat matrimonium, cum quis ut se liberet a malo quod timet cogitur eligere matrimonium, i. e. sive cum determinata persona sive cum una ex compluribus eligenda, cum ius non distinguat [26].

Utrum requiratur metus *consultus*, i. e. *directe in ordine ad matrimonium extorquendum adhibitus*, an sufficiat metus alio prorsus fine incussus, qui fuerit solummodo *occasio* arripiendi matrimonium tanquam medium *electum* ad evadendum malum aliunde imminens, videtur asserendum cum fere communi sententia ante Codicem illam condicionem exigente [27]; nam qui ad matrimonium directe non coactus, illud, *non postulatum* a minitante, sibi eligit ut remedium contra maius malum, is tandem potius sponte quam coacte agit et potius contrahit matrimonium ex metu ab intrinseco quam ab extrinseco. Profecto, qui occasione arrepta vitandi malum per matrimonium a minitante non postulatum, matrimonium eligit, non ab alio ponitur in alterna-

---

et *forma* sunt *contra iustitiam*. Porro si iudex *competens* servato iuris ordine secundum allegata et probata cogat sponsum innocentem et liberum, vis quoad *modum* est *iusta*, at quoad *substantiam* manet iniusta ideoque irritat matrimonium. Nam dicitur iniuste agere tum ille qui per metum gravem id *exigit*, ad quod ius non habet, v. g. matrimonium, tum is, qui, licet habeat ius exigendi aliquam rem, tamen *mediis iniustis* utitur, v. g. minis ad quas *ius* non habet, sententia obiective iniusta etc. Sufficit ergo iniustitia sive *in substantia* sive *in modo*. Cfr. S. C. C., 26 iun. et 14 dec. 1869, in AAS. V, 348 sq., 354, not. 1; *Sánchez*, disp. 12, 13; *Van de Burgt*, 106 sq.; *Feije*, n. 133; *Rosset*, n. 1293 sq.

[25] Cap. 15, X, de sponsal.; *Sánchez*, disp. 12, n. 2 sq.; *Schulte*, § 20, not. 13; *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 117 sq.; *Gasparri*, II, n. 854.

[26] *Sánchez*, disp. 12, n. 20; *Schmalzgr.*, l. c. n. 396 sq.; *Schnitzer*, 239; in discept. caus Mutin. S. C. C. 9 iun. 1725, in ed. *Richt*. C. Tr., 241, § Fundamento.

[27] Cfr. v. g. *Sànchez*, disp. 12, n. 4, 5; *Feije*, n. 134; *Van de Burgt*, 108 sq.; *Rosset*, n. 1304 sq.; *Santi*, lib. IV, tit. 1, n. 148; *Aichner*, § 168; aliter *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 1, n. 398, 399; *Lugo*, l. c., n. 174 sq. iunct. *Ballerini-Palmieri*, n. 750 sq.; *Gasparri*, II, n. 856. *Wernz* hoc loco sententiae non requirenti metum consultum solidam probabilitatem denegavit, atque provocabat ad S. C. C. in ed. *Richt*. C. Trid., 242, n. 77 et ad caus. *Bononien.*, 10 maii 1890, in ASS. 23, 140 sq., addebatque ab adversariis nullam posse allegari causam in qua SS. CC., ipsorum sententiam adoptarint. Post Codicem eidem sententiae de necessitate metus consulti adhaeserunt: *De Smet*, n. 537; *Vlaming*, II, n. 539: *Ferreres*, n. 658; *Tanquerey*, *Noldin*, *Aertnys*, etc. Aliter *Chelodi*, n. 119, qui tradit timentis intentionem, non metum inferentis, esse attendendam: at unde hoc probatur?, cui quoad partem videtur consentire *Cappello*, II, n. 607.

tiva « aut matrimonium aut grave malum », sed ipse se in alternativam conicit nec proinde verificatur quod ut a metu se liberet cogatur (*ab alio*) ad matrimonium eligendum.

Irritatio matrimonii est pro utroque foro [28] tum interno conscientiae tum externo et contentioso et comprehendit *saltem* matrimonia christianorum [29].

---

[28] Cfr. cap. 2, X, de eo, qui dux. IV, 7; *Sánchez*, disp. 12, n. 18; *Schmalzgrueber*, l. c. n. 408 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 739 cum *S. Thom.* qui reticitis nominibus tradit quosdam docuisse matrimonium metu contractum in foro *interno* coram Deo esse validum, at non in foro *externo* Ecclesiae. Quae sententia fingit aliquam oppositionem inter forum externum et internum iam ex *natura rei* prorsus improbabilem, praesertim in sententia illorum, qui tenent originem *divinam* huius impedimenti. Deinde falso supponit impedimentum hoc in foro externo niti *praesumptione* Ecclesiae, quod pars metuens *nullum* omnino dederit consensum; Ecclesia enim non *praesumit* rem malam, i. e. externam fictionem et simulationem consensus, *potius declarat* aut *decernit* consensum *vere existentem* esse *iuridice inefficacem*. Tandem cit. cap. 2, X, de eo qui dux., Alexander III permittit secundum matrimonium, non obstante primo matrimonio ex metu contracto et etiam per iuramentum confirmato. Quae facultas a R. Pontifice dari non potuisset, nisi primum matrimonium prorsus fuisset invalidum.

[29] Infideles impedimento dirimente vis et metus ligantur, *si* illud saltem iure *civili* fuerit statutum, et a fortiori *absolute* atque *universaliter* obstringuntur in sententia virorum doctorum, qui originem huius impedimenti repetunt *ex iure naturali*. Quodsi quis istam sententiam neget, consequenter deficientibus legibus *civilibus* concedere debet matrimonia infidelium *inter se* non obstante vi et metu esse valida. At fideles cum directe subiciantur legibus *ecclesiasticis*, in *eadem* opinione a *valido* matrimonio cum infideli celebrando ob consensum iuridice inefficacem impediuntur *etiam* ex capite vis et metus, si in partem *christianam* cadat metus. Vicissim si vis inferatur *parti infideli et* impedimentum disparitatis cultus per dispensationem iam sublatum sit, *Gasparri*, II, n. 842 aliique putarunt matrimonium esse validum, eo quod potestas ecclesiastica sese non extendat ad *infidelium consensum irritandum*. Quae opinio certe non potest admitti ab iis, qui impedimentum vis et metus dicunt niti *iure naturali*, cui fideles et infideles pari ratione subiciantur; immo etiam in contraria suppositione non liquet. Nam Ecclesia licet *directe* infideles suis legibus ligare non possit, tamen id valet *indirecte* per vinculum fidelibus impositum, quo a valido contractu matrimoniali arcentur; *is enim requirit habilitatem in utraque parte*. Praeterea impedimentum vis et metus non solum institutum est in *odium alterius partis metum incutientis*, sed potissimum *in favorem libertatis* matrimonii, cum gravissimis damnis pro utroque coniuge a *tertia* quadam persona in discrimen vocatae. At leges ecclesiasticae *parti fideli*, quae forte iniuste coegit partem infidelem ad nuptias, in praemium nequitiae non videtur posse concedere *valorem* matrimonii malitiose contracti, neque propter nequissimam coactionem a *tertia* persona in *infidelem* exercitam obicere utrumque coniugem etiam *fidelem* gravissimis damnis et periculis matrimonii sine *plena libertate* celebrati.

502. Scholion. Inter theologos et canonistas iam inde ex medio aevo agitatur controversia de origine *divina* vel *humana* impedimenti matrimonialis vis et metus. Qua in re nemo unquam in dubium vocavit laudatum impedimentum propter *rationes congruas* ex *natura rei* petitas *iuri naturali* esse omnino conveniens atque *conforme*. Universa quoque disputatio limitanda est ad *substantiam* talis impedimenti neque agit de ipsius *extensione*, forte ab Ecclesia facta, ad perfectiorem quendam *gradum libertatis* solo iure naturali *non* requisitum, quemadmodum impedimentum iuris naturalis ex errore substantiali personae *extensum* fuit ad errorem accidentalem de condicione *servili*. Quare unice quaeritur, num *lex quaedam irritans in iure naturali* contineatur, qua *independenter a lege civili* vel *ecclesiastica* omnia matrimonia sive *infidelium* sive *fidelium* sint *invalida*, si iisdem obstet impedimentum vis et metus supra definitum.

Non desunt multi et graves auctores [30], qui huic quaestioni ob rationes haud spernendas, sed non peremptorias, dant *negativum* responsum. Nam si arguunt ex *generica* illa ratione quod metus etiam gravis et iniustus non irritet *reliquos contractus*, non videntur uti efficaci argumentatione. Nam quod statutum est *de genere*, nequit applicari *speciei plane singulari;* at matrimonium non est contractus qualiscumque reliquis aequiparatus, sed *sui generis, plane singularis* et *indissolubilis*.

Porro si provocant ad *paritatem* cum *dolo* non dirimente matrimonium, dummodo error substantialis non introducatur, allegant paritatem imperfectam. Nam *dolus* directe afficit *intellectum, metus* vero immediate et intrinsece movet *voluntatem*. Ipse *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 173, candide fatetur quod *metus* magis immediate et intrinsece opponatur consensui quam dolus: « *Nam dolus, qui non versatur circa substantiam rei, videtur esse aliquid antecedens et occasio, qua deceptione posita contrahens plane vult rem, cui consentit, ita ut in ipsomet consensu nulla debilitas vel infirmitas appareat, sed totum vitium sit in errore antecedente dante causam consensui. Metus autem non solum se habet extrinsece impellens ad consensum, sed postea etiam refundit defectum intrinsecum in ipsum consensum; qui enim ex metu consentit, praestat consensum non omnino plenum, sed debilem et infirmum, quippe qui repugnans et quasi nolens consentit, ex quo*

[30] V. g. *Sánchez*, l. IV, disp. 14, n. 1; *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 115, 120, 121; *Schmalzgr.*, n. 405 sq.; *Feije*, n. 136 sq.; *Gasparri*, II, n. 841; *Schnitzer*, 331, cum *Pirhing*, *Billuart*, *Pichler* aliisque, v. gr. *De Smet*, n. 535; *Chelodi*, n. 120.

capite magis deficit a ratione voluntarii et liberi; ideoque quando metus iniuste incutitur, voluit lex subvenire magis metum patienti quam dolum ».

Deinde nequaquam *inextricabilem* proponunt difficultatem, quod secus etiam metui *iuste* et ab *intrinseco eadem* vis irritandi tribui debeat. Nam cum *duplex* illa *species* metus ab ea, de qua agitur, omnino *differat*, perperam *idem* effectus iuridicus per falsam quandam paritatem asseritur. Neque firmior est ultima ratio, quam repetunt ex *paritate* cum *baptismo* et *iuramento*, nam, ut iam exposuit S. Thomas, illi actus manifeste et multipliciter *discrepant a matrimonio* [31].

At alii auctores duce S. Thoma [32] responso *affirmativo* calculum adiciunt. Quae sententia quamvis interdum defendatur nonnullis argumentis minus firmis [33], tamen generatim melius fundata esse videtur. Etenim *RR. Pontifices*, si in capitibus iuris Decretalium, v. g. cap. 14, X, de sponsal., matrimonia metu contracta declarant invalida, non supponunt positivum ius quoddam antiquum sive scriptum sive consuetudinarium, ut arbitrantur *Sánchez* aliique, sed potius ad rationes ex defectu consensus et ex natura rei petitas recurrunt. *Deinde* aequitas naturalis exigit, ut pars, quae ab altero coniuge vel a tertia persona vim passa est, *in integrum restituatur*. Quae restitutio fieri nequit, si matrimonium fuerit validum; obstat enim *indissolubilitas* vinculi contracti; ergo ut consulatur parti laesae, *ab initio* nuptiae invalidae sint oportet. *Tandem* lex quaedam *naturalis* est irri-

[31] *Rosset*, n. 1318.

[32] *S. Thom.*, l. c. Suppl. q. 47, a. 3; cfr. *Tancred.* l. c. 46; *Reiffenstuel*, l. I, t. 40, n. 47 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 745; *Aichner*, l. c. § 168, i. f.; *Rosset*, n. 1313 sq.; *Scherer*, 174, not. 45; *Schiffini*, Disput. philos. mor. n. 383; *Cathrein*, Moralphil. II, 408. Post Codicem huic sententiae adhaerent: *Vlaming*, II, n. 540; *Cappello*, II, n. 609, ubi scite monet nihil in favorem sententiae negantis erui posse ex c. 103, § 2, quia verba « *nisi aliud iure caveatur* » intelligi debent tum de iure positivo tum de iure naturali, ut est manifestum.

[33] Cfr. *Reiffenstuel* et *Rosset*, l. c. Quae v. g. allegantur ex unione *Christi* et *Ecclesiae* vel ex textibus quibusdam Sacrae Scripturae, certe non probant *naturalem* quandam legem irritantem matrimonii. Alia *nimium* probant, v. g. si *Ballerini-Palmieri*, l. c. et *Zallinger*, l. IV, t. 1, § 46, eodem argumento volunt probare *etiam sponsalia* ipso iure naturae esse invalida, si ex metu gravi et iniusto contrahuntur. Nec cum *Scherer* sufficit recurrere ad *defectum* consensus; nam *consensus* propter metum *simpliciter non deficit*, et utrum *imminutio* voluntarii, per metum facta, sit defectus quidam *substantialis*, an mere accidentalis in celebratione matrimonii, id, a quo solutio pendet, *aliunde* demonstrandum est.

tans [34], si versetur circa actus, qui non tantum transeuntem, sed perpetuam turpitudinem continent. At si matrimonium ex metu isto gravi contrahatur, non solum in actu transeunte celebrationis, sed postea quoque perdurante metu suam turpitudinem *radicalem* non amittit. Mala enim, quae contra triplex bonum matrimonii ex metu proveniunt, suum fontem habent in ipso consensu ab initio dato [35]. Quae doctrina a S. C. Inq., 15 febr. 1901, in Instr. ad Episc. Alban. (*Anal. eccl.*, IX, 98 sq.) hisce verbis insinuatur: « Quod impedimentum vis et metus) *in ipso iure naturali fundamentum habet*... super quo, « *quoties adsit, nullus dispensationi sit locus* ».

503. Cessatio vitii post purgationem metus. Impedimentum vis et metus, si propter violentam *absolutam* vel *perfectam* perturbationem *usus rationis* desit consensus substantialis, ne Romani quidem Pontificis dispensatione tolli potest. Nam ex ipso iure naturali ad valorem matrimonii evidenter requiritur verus et substantialis consensus a partibus contrahentibus libere datus; at Romanus Pontifex sua dispensatione non potest supplere consensum contrahentium coniugum, qui in suppositione facta plane deest (c. 1081 § 1). Quodsi metus eum solummodo gradum attingat, ut non obstante sua gravitate et iniustitia consensum substantialiter liberum non impediat, in sententia doctorum repetentium originem etiam huius impedimenti ex iure *naturali* manifeste omnem dispensationem vel ipsius Rom. Pontificis excludit; nulla enim auctoritas humana in iure naturali valet dispensare. At in altera quoque sententia de origine huius impedimenti facile patet, cur Ecclesia super vi et metu nunquam dispenset etiam *post* contractum matrimonium christianum. Nam cum controversia nondum sit dirempta, Romanus Pontifex sese exponeret periculo violandi ius naturale, in quo dispensare nequit. Praeterea si metus incussus fuit ab altero coniuge, is per dispensationem obtineret praemium suae iniquitatis. At nemo ex iniquitate sua debet reportare commodum, et metum comprobare est contra bonos mores. Quodsi vis originem ducat a *tertia* persona, profecto alter coniux est innocens, sed data dispensa-

[34] *Suarez*, De leg. l. II, cap. 12, n. 5; *Schmalzgr.*, in dissert. prooem. a. 71 sq.

[35] *Rosset*, n. 1318. Hic auctor, n. 1319 sq., exponit quaestionem potius moralem, sc. quomodo peccent ii, qui in contrahendo matrimonio metum *incutiunt*, vel *patiuntur*, atque n. 1321 sq., tradit discrimen inter consensum *fictum* vel *simulatum* et verum consensum metu extortum, sed invalidum in matrimonii celebratione, in quo contractus *validus* est materia et forma sacramenti. Cfr. quoque *Cappello*, II, n. 613.

tione violaretur *libertas* matrimonii partis quae metum passa est, in cuius favorem impedimentum est constitutum [36].

504. Pars, quae metum passa est, matrimonium per consensum *novum*, vel expressum vel tacitum per copulam cum affectu maritali vel diuturniorem cohabitationem legitime datum, potest convalidare, *dummodo cessante metu certo sciat primum matrimonium fuisse nullum*, et altera pars suum consensum interim de facto non revocarit (c. 1134) [37]. Quodsi matrimonium cum impedimento *publico* vis et metus celebratum formae ab Ecclesia praescriptae subest, etiam purgato metu per liberam cohabitationem vel per carnalem copulam sponte et affectu maritali admissam convalidatio matrimonii fieri non potest, nisi *coniuges denuo in forma ecclesiastica* celebrent matrimonium (c. 1135 § 1 [38]). Quae forma ecclesiastica in convalidando matrimonio non est servanda, quotiescumque impedimentum vis et metus est *occultum*, aut nupturientes ad formam servandam non adstringuntur; at impedimentum non censetur occultum, si parocho et duobus testibus notum est, aut saltem per duos testes omni exceptione maiores in foro externo potest probari (c. 1037) [39].

Impedimentum nullo modo cessat, neque matrimonium convalidatur, si contractus matrimonialis *iuramento* adiecto confirmetur [40]. Id aperte deducitur ex cap. 2, X, de eo, qui dux. IV, 7, ubi, non obstante primo matrimonio ex metu contracto et iuramento firmato, secundum matrimonium declaratur validum. Porro iuramentum sequitur naturam actus, cui apponitur; at matrimonia coacta sunt invalida, non propter meram utilitatem *pri-*

[36] Instr. S. C. Inq., 15 febr. 1901, in *Anal. eccles.*, IX, 98 sq.; *De Angelis*, lib. IV, tit. 1, n. 20, i. f.; *Zitelli*, De disp. matrim., 51; *Rosset*, n. 1333.

[37] Cap. 21, 28, X, de sponsal. IV, 1; cap. 4, X, qui matr. IV, 18; S. C. C., 10 maii 1890 in ASS., XXIII, 140 sq.; Instr. cit. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 35; S. C. C., 10 maii 1884, in ASS., XVII, 271 sq.; *Bernard. Pap.*, l. c., 139 de matrimonio *claudicante; Sánchez*, l. IV, disp. 18; *Schmalzgr.*, n. 414 sq.; *Rosset*, n. 1334 sq.; *Scherer*, 178 sq.; *De Smet*, n. 539; aliter *Freisen*, 273 sq. in nonnullis quaestionibus incidentibus.

[38] Declaratio S. Paenit. ex auctorit. S. Pii V data et indubitanter authentica, quam refert Bened. XIV, Quaest. can. 317, et Inst. eccl. 87, n. 62 sq., iunct. *Fagnan*. Comment. in cap. 30, X, de sponsal. IV, 1, n. 14; S. C. C. in iteratis decis. v. g. in c. Hispal. 20 iun. 1609. in c. Constantinop. aliisque in ed. *Richt.* C. Tr. 243, n. 80 sq.; ASS. I, 23, II, 52 sq., 56, XX, 442, XXI, 235, 231 sq.; *Sánchez*, l. IV, disp. 18, n. 11 sq.; *Schmalzgr.* l. IV, t. 1, n. 430 sq.; *Rosset*, n. 1334.

[39] *Schmalzgr.*, IV, 1, n. 420; *Feije*, n. 143, 144; ASS., XII, 422, XX, 442.

[40] *Sánchez*, l. IV, disp. 20, n. 11 sq.; *Schmalzgr.*, n. 411 sq.; *Scherer*, 174, not. 45, aliique communiter contra aliquos scriptores antiquiores.

vatam, sed etiam ob bonum *publicum*, privatis vero pactis et iuramentis ius *publicum* mutari nequit; (c. 1318 § 2). Quae conclusio a fortiori admitti debet, si impedimentum metus ex iure *naturae* repetatur. Denique qui cogere potest ad matrimonium contrahendum, is facile etiam valet compellere ad iuramentum *adiciendum;* hinc universa illa lex irritans sive a Deo sive ab Ecclesia lata facile fieret illusoria neque ullum remedium afferret parti quae metum passa est. Qua in libertate tuenda consistit finis principalis huius impedimenti.

Cum fieri possit, ut per gravem metum praeter celebrationem nuptiarum etiam *copula carnalis* extorqueatur, inde nequaquam matrimonium convalidatur. Nam cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti, ut traditur in R. I. 84 in Sext.; at si matrimonium convalesceret per copulam vi extortam, lex Ecclesiae de impedimento metus, indiscriminatim et sine exceptione data, fieret plane inefficax, sicut in praecedente casu expositum est. Deinde praesumptio non potest plus operari quam veritas; sed consensus per verba de praesenti expressus et vi extortus nequit efficere validum matrimonium; hinc consensus mere praesumptus in copula carnali, ad quam quis metu gravi compellitur eundem effectum producere non potest. Tandem, quemadmodum iuramentum adiectum non convalidat matrimonium ex metu celebratum, ita perdurante priore metu etiam copula carnalis metu extorta vim convalidandi nequit habere [41].

Consequenter hoc impedimentum in casibus particularibus non cessat, si valde onerosum et potius damnosum sit *parti contrahenti*, quod illa, v. g. ad mortem evitandam, non possit *licite* et valide *contrahere* et *consummare* matrimonium [42]. Nam lex ir-

---

[41] *Sánchez*, disp. 18, n. 13 sq.; *Reiffenstuel*, l. IV, t. 1, n. 334 sq.; *Schmalzgr.*, n. 416; *Rosset*, n. 1325 sq.

[42] Cfr. scriptores alleg. in not. praec. iunct. *Chelodi*, n. 120, not. 3; aliter *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 445; *Lehmkuhl*, Theolog. mor. II, n. 968 sq. cum aliis scriptoribus. Cuius sententiae probabilitatem admittit etiam *Schmalzgr.*, n. 417, cum *Sánchez*, aliisque. Fatendum quoque est *Rosset*, n. 1328, contra adversarios suos saltem ex parte uti argumentatione inefficaci. Illi enim tenent propter rationes a se allatas in casu saltem extremae necessitatis *impedimentum metus cessare* (non comprehendi); ergo ratio ex peccato per *consummationem* invalidi matrimonii commisso urgeri solummodo potest, si *aliunde* probetur impedimentum vis et metus in suppositione facta *non* cessare, ideoque matrimonium *valide contrahi* non posse; secus ipse *Rosset* posset accusari de petitione principii. Cfr. *Lehmkuhl*, Casus consc. II, n. 940; *Schmalzgr.*, l. c. At ipsi doctores benigniores concedunt certo revalidationem matrimonii in casu allegato fieri non posse, si *praeter* metum *aliud* impedimentum iuris publici obstet. Cfr. quoque *Rosset*, n. 1332.

ritans contra matrimonia coacta principaliter est lata propter favorem *publicum*, non ob solam utilitatem *privatam* contrahentium sponsorum. Cui favori *publico* pactis privatorum renuntiari non potest. Neque quidquam in contrarium probant capita iuris Decretalium ab adversariis allata, quippe quae agunt de copula *libere* admissa. Multo minus matrimonia ex metu nulliter contracta solo *lapsu temporis* sive per *praescriptionem* convalidantur; nam absque consensu valido matrimonium consistere nequit. Cfr. supra h. tom. V, P. III, cap. II, de errore. Denique pars, quae ipsa comparti metum iniuste incussit, certe a matrimonio resilire non potest, saltem si aliter damnum reparari nequit et altera pars matrimonii convalidationem exigit. Quodsi pars iniusta nihilominus de facto resiliat suumque revocet consensum, *antequam* pars laesa per novum consensum legitimum convalidavit matrimonium, prior contractus matrimonialis manet irritus, atque secundus cum tertia persona forte initus valet, nisi aliud obstet impedimentum canonicum [43].

505. Ius matrimonium accusandi. Matrimonium, cui obstat impedimentum vis et metus, non solum *invalide contrahitur*, sed etiam tandiu *irritum manet* quandiu metus perdurat, **aut** coniux, cui vis illata est, propter *ignorantiam* sui iuris atque nullitatis matrimonii forte per multos annos declarationem postulare omittit [44]. Quod ius accusandi matrimonium illi coniugi competit, cui per gravem et iniustam vim consensus matrimonialis extortus est, non *alteri* coniugi qui vim et metum intulit [45]. Si metus a *tertia persona* fuerit incussus, compars prorsus *inculpabilis* et *doli* expers ut actor potest admitti ad postulandam nullitatem matrimonii, v. g. si mulier inscio viro a parentibus ad matrimonium vi compulsa discedat et ex ignorantia vel malitia matrimonii valorem non impugnet (c. 1971) [46].

---

[43] *Rosset*, n. 1339 sq.; *Scherer*, 178, not. 61; paulo aliter *Sánchez*, l. c. l. IV, disp. 15, n. 5 sq.; *Schmalzgr.*, n. 422 sq.

[44] Congr. spec. Cardinalium in caus. matrim. ducissae Mariae Hamilton decisa 17 maii 1879 et 3 febr. 1880, in ASS., XII, 403 sq.; S. C. C. in c. Trid., 14 maii 1746, in ed. *Richt.* C. Trid. 242, n. 79; S. C. C., 4 maii 1889, in ASS., XXII, 85 seq., iunct. decis. eiusdem S. C. C. II, 6 sq., XI, 336 sq.; S. R. Rota in c. *Vesprimien.* (AAS., IV, 115 sq.); *Sánchez*, l. IV, disp. 18, n. 7 sq., 15 sq.; *Scherer*, 179, not. 66.

[45] Cfr. cap. 4, X, qui matr. accus. IV, 18; Instr. cit. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 35 sq.; Instr. Card. Rauscher, § 116; *Schmalzgr.*, n. 429 sq.; *Feije*, n. 143; *Schulte*, § 20, i. f.; *Scherer*, 178; *Schnitzer*, 331 sq.; *Périès*, 177 sq.; Comm. Cod. 17 iul. 1933 ad I.

[46] *Sánchez*, l. IV, disp. 15, n. 3. Maritus quidam inculpabilis, cum ipsius uxor ad matrimonium *per parentes* coacta aufugisset et derelicto

Qui iure accusandi pollet, is etiam habet *onus probandi* [47]. Qua in probatione existentiae et qualitatis metus si deficiat, in *favorem vinculi* matrimonialis sententia est ferenda [48]. Nam ut dicitur in cap. 47, X, de testib. II, 20: *Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare.* Quae regula communiter admittitur etiam in impedimento vis et metus, si *dubium* manserit factum, num metus fuerit *gravis* aut *iniustus* aut in *ordine* ad matrimonium *extortus*. Neque ab illa cum nonnullis [49] videtur esse recedendum, si *post* matrimonium contractum moveatur *dubium iuris*, v. g. num requiratur metus incussus *in ordine* ad matrimonium; etenim *de illo requisito* attentis iuris textibus dubium existere nequit.

506. Ipsa quoque pars, quae metum passa est, iure suo accusandi matrimonium excidit, si *post* cessationem metus consecuta sit libertatem et opportunitatem reclamandi, *et* nihilominus conscia nullitatis matrimonii *sponte* aut in coniugali domo saltem cohabitationem continuet *aut* debitum coniugale praestet [50].

---

matrimonio lascivam duceret vitam, tanquam actor contra valorem matrimonii non fuit admissus a proprio Ordinario provocante ad cit. Instr. S. C. de Prop. F. (a. 1883). At supplici libello ad SS. Dom. transmisso obtinuit ut acta in Curia Ordinarii essent conficienda et tandem a. S.C.C., 1. sept. 1894, corroboratis primis probationibus in secunda causae propositione sententia nullitatis pronuntiaretur. Cf. quoque S. C. C., 28 iul. 1892, 1 sept. 1894, 25 iun, 1895, in ASS., XXV, 194 sq.; XXVII, 522 sq., XXVIII, 353 sq.; *Scherer*, l. c., 529, not. 58.

[47] Cit. Inst. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 35 sq.; *Schmalzgr.*, n. 429 sq.; *Sánchez*, l. IV, disp. 27; *Schnitzer*, l. c.; *Rosset*, n. 1337. Quae probatio potissimum fieri debet per *testes idoneos*. Qua in re duo testes omni exceptione maiores, qui de vi et coactione, i. e. de facto sensibili deponunt, plus valent quam complures testes de spontanea voluntate, i. e. de facto in animo recondito testimonium ferentes. Porro sedulo examinandae sunt *natura* minarum, *qualitas* personarum, quae metum incutiunt vel patiuntur, *circumstantiae* matrimonii *praecedentes, concomitantes, subsequentes*. Cfr. Benedict. XIV Const. «*Nimiam licentiam*» 18 maii 1753, de examine sponsorum per parochum; exempla declar. nullit. S. C. C. ex capite vis et metus in ASS. vel *Anal. Eccles.* v. Matrimonium.

[48] *Schmalzgr.*, l. c. n. 432, ubi agit de dubia gravitate metus iniusti; *Rosset*, n. 1337; cfr. ASS., XXI, 226 sq., XXIV, 595 sq.

[49] V. g. *Schmalzgr.*, l. c. n. 401, a *regula generali simpliciter* excipit matrimonium *dubie validum* propter *metum, contra* quod putat esse pronuntiandum. Quae assertio adeo generalis non est conexa cum doctrina eiusdem auctoris l. c. n. 432, propugnata; rationes vero allatae *nimium* probant, i. e. etiam in dubio *facti* de metu valorem matrimonii *non* esse sustinendum, quod omnes reiciunt.

[50] Cfr. cap. 4, X, qui matr. accus. IV, 18; cap. 21, X, de sponsal. IV, 1; cit. Instr. S. C. Inq., 20 iun. 1883, n. 35; *Schmalzgr.*, n. 414 sq., 419 sq.

Quam *longa* debeat esse illa *spontanea* continuatio cohabitationis et consortii coniugalis ut ius accusandi cesset, in foro *externo* prudenti iudicis arbitrio est definiendum [51]. Quod enim cap. 21, X, de sponsal. dicitur *de anno et dimidio* pertinet potius ad *narrationem* facti et *praesumptionem* in causa particulari, non ad *generalem* et absolutam iuris dispositionem [52]. Certe in foro *interno* determinatum tempus ad convalidandum matrimonium non requiritur, sed quamprimum consensus fuit legitime renovatus, matrimonium statim valet. At in foro *externo* continuatio cohabitationis *sine copula* non *praesumitur* facta ex affectu maritali, nisi fuerit *diuturna*. Quae cohabitatio etiam diuturna in foro *interno* nihil operatur, si vere defuit animus convalidandi matrimonium [53].

507. Qui *iniuste* coegit alterum ad matrimonium, tenetur *reparare damnum* iniuste illatum. Quodsi is, qui vim iniuste intulit, non sit tertia quaedam persona, sed *unus* ex coniugibus, et pars altera matrimonium inire sive convalidare cupiat, ut patet ex praecedentibus, matrimonium inire tenetur, dummodo alia ratione damnum illatum reparare non possit. Cf. *Sánchez*, l. c. l. IV, disp. 15, iunct. *Lehmkuhl*, D. b. Gestzb. d. d. R. ad §§ 1345 sq.

---

[51] *Rosset*, n. 1338, 1334 sq.; *Schmalzgr.*, n. 421; *Reiffenstuel*, l. IV, t. 1, n. 339.

[52] Quod caput aliter ab aliis explicatum fuit. Profecto in allegato capite R. Pontifex statuit: «*Quia* (puella undecim annorum) *postmodum per annum et dimidium* (i. e. *post* pubertatem per sex menses) *sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire, nec de caetero recipiendi sunt testes..., cum mora tanti temporis huiusmodi probationem excludat*». Nihil igitur mirum, quod complures scriptores cum Glossa (cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 49) laudata verba intellexerint de praesumptione iuris et de iure, quae probationem in contrarium non admittit, nisi res sit evidens. Porro *Tancredus*, l. c., 48, *absolute* docet: «*Si stetit mulier cum marito per annum et dimidium vel si consentit in carnalem copulam, non debet postea audiri, si alleget metum vel violentiam*». Denique alii (cfr. *Scherer*, 178, not. 63) putarunt R. Pontificem cit. cap. solummodo dedisse iudici delegato instructionem in causa particulari. Certe in praxi nunc ea sententia est recepta, quae nequaquam *ex solo lapsu temporis praesumit* convalidationem matrimonii (cfr S. C. C., 2 iun. 1720, in ed. *Richt.*, C. Trid. 229, n. 72) neque tenet tempus etiam unius anni cum dimidio *ex sese et neglectis* aliis circumstantiis constituere praesumptionem *iuris et de iure*, exclusa qualibet probatione in contrarium. Qua ratione videtur etiam intelligenda Instr. C. Rauscher, § 116, si post cohabitationem *per sex menses voluntarie* etiam *sine copulo* continuatam statuit ius accusandi cessare dummodo etiam aliae condiciones verificentur. Cfr. *Sánchez*, l. IV, disp. 18, n. 6; *Reiffenstuel*, l. c. n. 339 sq.; *Schmalzgr.*, n. 421; *Freisen*, 269 sq., 275, not. 49.

[53] *Sánchez*, l. c.; *Reiffenstuel*, l. c.; *Schmalzgr.*, l. c.

508. Scholion. Impedimentum vis et metus, quod ex ipsa natura rei suadetur, immo secundum sententiam magis fundatam nititur naturali lege irritante, etiam in modernis codicibus civilibus quoad matrimonium civile passim eodem fere ambitu et modo retinetur atque in foro ecclesiastico. Cfr. supra h. c. not. 1.

At in nonnullis dispositionibus particularibus interdum non levis est discrepantia utriusque iuris. V. g. in codice civili Austriae § 55, expresse non distinguitur inter vim *iustam* et *iniustam*; idcirco ibidem impedimentum civile saltem in theoria latius pateret quam impedimentum canonicum, et licet huiusmodi extensio impedimenti forte theoretice non sustineatur, tamen in praxi fori civilis illa distinctio non semper videtur attendi [54].

Praeterea codex civilis Germaniae, § 1335, statuit matrimonium vi contractum non esse *ipso iure* irritum, sed esse ita *impugnabile*, ut sententia iudicis cum mira quadam vi retroactiva reddat matrimonium tanquam ab initio invalide celebratum [55].

Alii codices civiles, v. g. Italiae, Galliae, Hispaniae, matrimonium ex metu gravi et iniusto contractum ipso facto declarant esse invalidum, nec singulares istas continent distinctiones codicis civilis Germaniae [56].

Denique leges civiles quoad *cessationem et dispensabilitatem* huius impedimenti cum legibus ecclesiasticis generatim conveniunt. Quodsi agatur de *convalidatione* vel *accusatione* matrimonii ex metu invalide contracti, saltem in aliquibus notanda est differentia utriusque fori. V. g. cod. civ. German. § 1325, admittit convalidationem matrimonii ex ipsa iuris dispositione tanquam *ab initio valide* contracti sine nova *sollemnitate* civili [57]. Deinde quandoque in determinando *tempore*, intra quod *post* sublatam vim et continuatum vitae coniugalis consortium nullitas matrimonii in foro civili sit postulanda, diversae sunt legum civilium sanctiones [58]. V. g. *olim* in Borussia *tantum* intra sex hebdomadas, in Saxonia intra annum, in Hollandia et in Helvetia intra tres menses, in Gallia et in Germania intra *sex menses*, in Hispania intra sex hebdomadas, in Italia intra mensem ex capite vis et

---

[54] *Schnitzer*, 333 sq.; *Scherer*, 229, not. 285; *Aichner*, § 168, not. 7.

[55] *Lehmkuhl* D. b. Gesetzb. d. d. R., 351 sq. et ad §§ 1328, 1335 sq.; *Hollweck*, D. Civileher., 125.

[56] *Allègre*, l. c. ad art. 146, 180, 181.

[57] *Lehmkuhl*, l. c. §§ 1325, 1337, 1339; *Hollweck*, l. c., 183 sq.. 187 sq.

[58] Cfr. v. g. cod. civ. Gall. art. 181, Italiae art. 122, German. § 1339, Hispan. art. 102; *Lehmkuhl*, l. c. §§ 1339 sq.; *Hollweck*, l. c. 188 sq., 199 sq.; *Allègre*, l. c.; *Friedberg-Ruffini*, § 142, not. 7 sq., ubi tamen falso asserit in iure canonico stabilitum esse terminum *legitimum unius anni cum dimidio*.

metus impugnatio matrimonii regulariter *soli* parti vi coactae est permissa; at in Austria pars non laesa ab accusatione non excluditur, si ipsa inscia alter coniux a *tertia* persona iniuste ad matrimonium fuit compulsus. Quo tempore elapso, cum ex iuris civilis praesumptione ratihabitio matrimonii facta esse censeatur, actio iudicialis repellitur, nisi actor per *legitimam exceptionem* elidere valeat *iuris praesumptionem*. Quare etiam in foro civili tempus illud assignatum non inducit absolutam quandam *praescriptionem* actionis nullitatis vel praesumptionem *iuris* et *de iure*.

CAPUT IV

De condicione consensum vitiante vel deficiente

509. **Fontes**: Decr. Grat. C. XXVII, q. 2 (c. 7, 8), C. XXXII, q. 2 [1] — Cpl. I, lib. IV, tit. 5 de cond. app. in desp. vel al. contr.; cpl. III, lib. IV, tit. 4, de cond. app. in desp. — Decretal. Greg. IX, lib. IV, tit. 5, d. c. app. i. d. vel in al. contr. — Instr. Card. Rauscher, §§ 51 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 1290, 1299, 1302.

Scriptores: Glossa in c. 6, C. XXXII, q. 2; Comment. iur. Decret. in h. tit. praesert. *Fagnan.*, Comment. in cap. h. t. — *Leitner*, 127 sq.; *Aichner*, § 169; *Devoti*, l. n. § 146; *Scherer*, § 110, IV, § 112, VIII; *Sánchez*, lib. V, de consensu condicionato; *Van de Burgt*, 65 sq.; *Schulte*, § 21; *Gasparri*, II, 878 sq.; *Rosset*, n. 170 sq.; *Schnitzer*, 314 sq.; *Freisen*, 232 sq.; *Moy*, 60, 166, 329; *Esmein*, I, 191 sq., II, 244 sq.; *Max von Hussarek*, Die bedingte Eheschliessung, 1892; *Vlaming*, II, n. 541 sq.; *Chelodi*, n. 123 sq.; *Cappello*, II, n. 625 s.; *De Smet*, n. 151 sq.; *Timlin*, Conditional matrimonial consent.

Praenotiones

510. Definitio. Condicio [2] late sumpta est circumstantia (« si ») actui legitimo — v. g. contractui, testamento — adiecta, ex qua

---

[1] Dig. XXXV, 1. de condicionib.; Inst. III. 5, de verb. oblig.; *Arndts-Serafini*, l. c. §§ 66, sq.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 86; *Odoard. Ruggieri*, De obligationib., 146, sq.; cap. 2, 4, X, h. t.; R. l. 50, in Sext, et L. 77. De R. I, L. 17, iunct. *Arndts-Serafini*, l. c. § 68, not. 1; *Scherer*, l. c. § 117, n. 109. Cod. civ. Austr. § 59, aliaque iura moderna v. g. cod. civ. German, § 1317 (cfr. *Hollweck*, D. Civileher., 152) condicionatam celebrationem matrimonii omnino non admittunt. Cfr. cod. civil. Hisp. art. 93, 94 de matrimonio condicionato; *Schulte*, l. c., 516 sq.; *Freisen*, 257; *Scherer*, § 112, i. f. et not. 122, ubi refert gubernium Austriae frustra a Sede Apostolica petiisse ut *generatim* condicionata matrimonii celebratio non amplius admitteretur.

[2] « *Modus* » qui insinuatur particula « *ut* », est onus actui legitimo

consensus pendet, i. e. valor actus legitimi suspenditur aut rescinditur; sensu stricto est circumstantia actui legitimo adiecta, quae illius valorem in tempus futurum et incertum *suspendit*. Hic *sensu lato* accipitur de condicione *suspensiva* et *resolutiva* sive de qualibet circumstantia actui legitimo adiecta, quae illius valorem aut in eventum *futurum* et *incertum suspendit* aut dependenter ab eo *resolvit*.

511. Divisio. Condicio dividitur: I. In condicionem *de praeterito, de praesenti*[3], *de futuro*, quatenus circumstantia, a qua pendet *valor* et *obligatio* actus legitimi, est aut praeterita aut praesens aut futura.

II. In *possibilem* et *impossibilem*. Illa est circumstantia, quae secundum rerum naturalem ordinem aut necessario existit aut contingenter existere potest; haec vero est circumstantia, quae, secundum naturalem rerum ordinem, vires agentis aut absolute aut saltem physice vel moraliter superat. Hinc *possibilis* condicio denuo subdividitur in condicionem *necessariam*[4] et *contingentem*. Ipsa vero condicio *contingens* alia est *potestativa* sive arbitraria, quae pendet a *sola voluntate* libera, alia dicitur *casualis*,

---

adiectum ad quod una pars alteram obligat *ex iustitia post perfectum* actum legitimum. *Condicio* igitur et *modus* in hoc differunt, quod *illa* ut plurimum *valorem* dispositionis *suspendit*, *hic* actum legitimum nec suspendit nec revocat, sed ad illum *accedit* eumque iam *perfectum* esse *supponit*. Quare ut in praxi discrimen cognoscatur, attendendum est utrum partes *statim* voluerint actum esse *validum*, an non nisi *onere impleto*. In priore casu potius habetur modus, in altero condicio suspensiva. Si res maneat dubia, magis standum est pro modo quam pro condicione. Condicio igitur est in *genere* **adiectionis** (Zusatz, Nebenbestimmung); at non omnis adiectio imponit *obligationem*, v. g. *causa;* nec omnis *adiectio obligatoria* — v. g. modus — est vera condicio; nec condicio solis *contractibus* apponitur, sed generatim actibus legitimis, v. g. etiam testamentis, quae non sunt contractus. « *Causa* » apponitur actui legitimo, quando verbo « *quia* » exprimitur *ratio* sive *motivum* consensus. « *Demonstratione* » vero sive voce « *quae* » determinatur *persona* vel *qualitas personae* alterius contrahentis. Cfr. *Schmalzg.*, h. t. n. 1 sq.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 2 sq.; et lib. III, tit. 26 de testam. n. 656; *Rosset*, n. 170 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 265 sq.

[3] Quae condiciones cum valorem actus non suspendant, sensu stricto et proprio condiciones non sunt (cfr. § 6 Inst. de obl. verbor. III, 15); at *improprie* ratione *ignorantiae* vel *dubii* num *obiective* sint verificatae, condicionibus suspensivis vel resolutivis adnumerari possunt. Nam licet *existentia* sive *valor* actus non suspendatur, tamen *certa cognitio* de valore actus interim non habetur.

[4] L. 9, § 1 D. novat. et deleg. XLVI, 2. « *Qui sub condicione stipulatur, quae omnimodo exstitura est, pure videtur stipulari* ».

si pendet a futuro et incerto eventu, alia est *mixta*, quae partim ab incerto futuro eventu, partim a libera voluntate pendet[5].

III. In *honestam*, quae conformis est legibus divinis et humanis, atque in *turpem*, quae eisdem legibus adversatur.

IV. In condicionem — sive honesta sit sive turpis — quae aut repugnat *substantiae* actus legitimi aut illam non afficit.

V. In *suspensivam* quae *valorem* actus usque ad eventum *futurum* et *incertum* suspendit, et in *resolutoriam*, quae, non suspenso valore actus, efficit ut actus in sese validus postea verificato eventu futuro et incerto rescindatur.

VI. In *affirmativam*, si positivus quidam eventus est exspectandus, et in *negativam*, qua a facto *non futuro* negotium pendet; et tandem in *expressam* vel *tacitam*.

512. Notae historicae. Appositio condicionis in celebrando contractu matrimoniali, cum ex natura rei matrimonio et sponsalibus tanquam veris contractibus non repugnet iurisque Romani generalibus principiis[6] fuerit conformis, primis saeculis religionis christianae disertis expressisque Ecclesiae legibus neque reprobata neque approbata reperitur[7].

Prima vice de matrimonio condicionato in duabus paleis[8], postea decreto Gratiani insertis fit mentio. Prior simpliciter decernit: « *Quod condicio interposita non valeat, ex Concilio Africano probatur* »; altera refert canonem, qui in nullo Concilio Africano reperitur et propter suam obscuritatem varias interpretationes, interdum potius divinationibus similes, nactus est[9].

---

[5] L. II, § 1, D. de cond. XXXV, 1.

[6] LL. cit. in not. 1, h. tit. Apud romanos *antiquitus* condiciones solummodo *ultimis voluntatibus* videntur fuisse appositae. Quae praxis non nisi postea ad actus legitimos inter vivos fuit extensa; at textus quidam expressus de *matrimonio condicionate* celebrando in antiquo iure Romano non habetur. Cfr. *Zhishman*, 612; *Freisen*, 247 sq.

[7] *Moy*, l. c. Illud silentium facile explicatur ex eo quod condicio in matrimonio contrahendo parum convenienter apponatur, quippe qui optimo iure potius iis videatur esse adnumerandus actibus legitimis, « *qui non recipiunt... condicionem* ». Cfr. L. 77, D. de R. I. L. 17, iunct. *Arndts-Serafini*, l. c. § 68, not. 1; *Pirhing*, in R. I, 50, in Sext.

[8] Cfr. cc. 7, 8, C. XXVII, q. 2; *Freisen*, 232 sq.; *Scherer*, § 110, not. 99.

[9] *Gonzalez Tellez*, Commentaria in cap. 1, X, h. t. n. 8; *Freisen*, 234, 241. Sane voci « *condicionis* » non arbitraria ratione substituendum est verbum « *modi* » neque sine solido fundamento in textu adiciendum vocabulum « *turpis* » vel « *inhonestae* » (ut fit in summario h. c.) vel « *resolutoriae* », postquam iure contractum est ». Quare iste canon, prout reperitur in Decretalibus Gregorii IX, duobus modis videtur posse explicari. Nam *aut* cum Instr. Card. Rauscher, § 54, *valor* matrimonii condicio-

Etsi nonnulli glossatores et iuris interpretes de condicione consensui sive contractui matrimoniali apposita aut silent aut illam nullam habere videntur, tamen nequaquam haec fuit doctrina passim recepta, ut opinatur *Freisen*, 232 sq.[10]. In ipso vero iure Decretalium prima vice cap. 5, X, h. t. Urbanus III (a. 1185-1187), tradit expresse « *condicionem ipsam canonica non* (improbare) *instituta* »; at illo capite, ut evidenter patet ex contextu et ex summario, agitur de condicione *contractui matrimoniali*, non contractui sponsalitio addita[11]. Mirum igitur esset, si R. Pontifex allegaret « *canonica instituta* » ad comprobandam doc-

---

nate celebrati est omnino sustinendus, si quis « *postea* » i. e. post vitam coniugalem incohatam matrimonium impugnare ausus fuerit, quoniam matrimonii consummatione censetur *recessisse* a condicione apposita, aut si quis aliquam mulierem condicione desponsatam arbitrarie relinquere voluit, id saltem *illicite fecisse* dicendus est ob *violationem* condicionis appositae. Idcirco desponsatio facta omnino observanda et sustinenda est. Quae secunda interpretatio videtur minus recedere a verbis atque rationabilem exhibere sensum. Neque cum *Scherer*, l. c. not. 112, cap. 1, X, h. t., in eum sensum videtur esse accipiendum, quasi non solum *licitam*, sed etiam *validam* revocationem consensus excludat.

[10] *Vincentius Hispanus*, (init. saec. 13), atque Glossa in Summam Stephani Tornacensis composita circa fin. saec. 12. Cfr. *Freisen*, 233 sq. Silentium in re per se rara est ex natura sua argumentum debile, neque ex paucissimis illis scriptoribus, qui pro contraria sententia allegantur, tam generales conclusiones deducere fas est. *Bernardus Pap.*, l. c. 140 sq., et *Roland.*, l. c., 146, sane adhibent *generalem* vocem « *desponsationis* », expresse agunt de sponsalibus *de futuro*, sed nullibi disertis verbis condicionatam matrimonii celebrationem excludunt. Glossae vero si bene expendantur, v. g. Glossae ab ipso *Freisen*, 234, 239, 244, allegatae, condicionatum matrimonii consensum omnino admittunt. Immo Gloss. v. Nolint ad c. 6, C. XXXII, q. 2, doctrinam de matrimonio condicionato succincte tradit, quam *Freisen*, 240, non nisi per erroneam interpretationem, ut *Scherer*, quoque l. c. not. 99 fatetur, ita explicat, quasi iuxta illam Glossam condicio honesta nullam vim in matrimonium exserat. *Goffredus de Trano*, qui fuit unus ex primis commentatoribus Decretal. Gregorii IX, et cuius Summa ut liber textus in scholis catholicis multum fuit divulgata, h. t. n. 2, haec scribit: « *Est itaque in sponsalibus* **vel matrimonio** *condicio honesta vel inhonesta* » et n. 3 « *Ut igitur ex praemissis apparet, contrahitur* **matrimonium sub condicione** *maxime honesta* ».

[11] Quare solido fundamento videtur carere, si *Scherer*, l. c. not. 99, docet Urbanum III, cit. cap. 5, X, h. t. *tantum* pro sponsalibus de futuro admittere possibilitatem condicionum; nam etiamsi illo capite de sponsalibus de futuro ageretur, certe *limitatio* appositionis condicionis ad *sola* sponsalia de futuro inde colligi non posset. Cfr. de interpretatione cap. 5, X, h. t.: *Sánchez*, l. V, disp. 8, n. 5; *Schmalzgrueber*, h. t. n. 38, a quorum interpretatione differt illa, quam *Lugo*, De iust. et iure disp. 22, n. 393, proponit, sed tandem in eandem thesim confirmandam conspirat. Cfr. *Gasparri*, II, n. 914.

trinam antea *ignotam* atque adeo *reiectam*. Idem efficitur ex cap. 6, X, h. t. iuncto parti decisae, ubi Innocentius III appositionem condicionis in contractu matrimoniali sive in sponsalibus de praesenti non reprehendit, quamvis supponat sponsos per subsecutam copulam carnalem a condicione *recessisse*. Neque aliam doctrinam adoptavit Glossa ordinaria in cap. 6, X, h. t.; recte vero tenet celebrationem condicionatam matrimonii non eum habere valorem perfectum, ut secundum matrimonium *pendente condicione* initum sit invalidum.

Theologi scholastici, ducibus *S. Thoma* atque *S. Bonaventura*[12], claris conceptisque verbis genuina principia de condicione contractui matrimoniali apposita tenuerunt, neque dici potest doctrinam de matrimoniis condicionate initis usque ad saeculum decimum quintum fuisse rem maximae confusionis[13]. Concilium Tridentinum ius Decretalium quoad matrimonia condicionata non immutavit, quamvis concedendum sit huius-

---

[12] Summa theol. P. III, Suppl. q. 47, art. 5, ubi profecto rectissime docet consensum matrimonialem pendente condicione futura et contingente « *non facere matrimonium* », neque hac in re quidquam est mirum aut falsum, ut videtur insinuare *Scherer*, l. c. n. 99. Cfr. quoque *Schulte*, l. c. not. 2, contra falsas assertiones a Stahl propugnatas; *S. Bonav.* Comm. in l. IV sent., dist. 28, q. 3.

[13] Ita opinatur *Freisen*, 254, qui insuper putat *nostram aetatem in antiquam confusionem recidisse*. Quae assertio generalis solidis argumentis non probatur; v. g. ex confusione reperta in libris duorum iuristarum protestantium saltem quoad doctores catholicos nihil inferre licet. Quodsi idem auctor iterum iterumque monet non exsistere *matrimonia condicionata* (quoad vinculum), sed *condicionatam matrimoniorum celebrationem*, distinctionem scite urget, quam ante tria fere saecula *Sánchez*, l. V, disp. 1, n. 5, his verbis planis et indubiis enuntiat. « *Matrimonium ipsum condicionem non recipit, bene tamen eius consensus. Hoc est, consensus praestitus ad matrimonium potest ex condicione pendere,* **at matrimonium ipsum** *minime. Quia quamdiu condicio pendet,* **matrimonium** (quoad vinculum) **non est** ». Immo ipse *S. Thomas*, l. c. ante sex circiter saecula eodem modo loquitur. Cfr. quoque Instr. Card. *Rauscher*, § 51; *Schnitzer*, 315, not. 3; *Reiffenstuel*, h. t. n. 15, docet: « *Contractus condicionatus nec valet nec obligat* », cum *Pichler*, h. t. n. 3, teneat: « *Matrimonium sub condicione honesta, extrinseca, de futuro contingente* ... **valet quidem,** *sed ante eventum condicionis non* **absolute** ». Quae diversitas terminologiae videtur posse conciliari, si quis distinguat consensum *verum* et *revocabilem* a consensu *efficaci* et *irrevocabili*. *Profecto* consensus condicionatus est consensus *verus*, sed nondum *irrevocabilis* et *efficax* ad producendum effectum *principalem*, i. e. *vinculum* matrimonii, *ante* verificatum eventum; at inde non sequitur quod ab initio careat *omni efficacia*; etenim ilico producit saltem *veram obligationem*, non solum *quasi obligationem, expectandi* eventum. Cfr. *Pichler*, l. c. n. 5, ad 3; *Gasparri*, l. c. n. 915; *Leitner*, 131.

modi condicionatam matrimoniorum celebrationem ex disciplina vigente non esse usitatam, immo ordinarie sine gravi causa ne licitam quidem existere. Quare optimo iure Episcopi iam diu sibi reservant iudicium authenticum, num condicionata matrimonii celebratio sit permittenda. In Ecclesia vero Orientali catholica et schismatica, item apud protestantes condicionata matrimonii celebratio usu non est recepta [14].

§ I. De condicione honesta et possibili

513. Condicio de praeterito vel de praesenti (*duco te, si es virgo, si frater tuus mortuus est*). Condiciones *honestae* et *possibiles* de *praesenti* et de *praeterito* contractui matrimoniali appositae, *valorem* illius *non suspendunt* nec ipsae vitiantur, sed matrimonium *ilico* validum aut invalidum est, prout condicio *obiective* est impleta aut deficit, licet partes contrahentes *cognitionem* illius eventus aut defectus nondum habeant [15]. Hinc sponsi, qui tali condicione apposita *matrimonium* contraxerunt, tamdiu ab usu matrimonii abstinere debent, quamdiu de purificata condicione *certam notitiam* non habent [16]. Porro matrimonium, utpote *absolute nullum*, non convalescit condicione de *praesenti vel praeterito* **non** *impleta*, si ante istam notitiam subsequatur copula carnalis, sive matrimonium sit a forma ecclesiastica exemptum sive eidem subiectum [17].

Si condicio de *praesenti* vel *praeterito* est *impossibilis*, ex natura rei matrimonium est nullum, si tamen condicio *serio* apposita fuit.

Si condicio de praeterito aut praesenti sit *turpis*, tenet principium generale; valet vel non valet matrimonium, prout condicio est impleta aut deficit, nec ipsa condicio *vitiatur;* quod

[14] *Papp-Szilagyi*, Enchiridion, 449; *Zhishman*, 612; *Hollweck*, 152, not. 6.

[15] Cfr. § 6 Inst. de V. O. III, 15; L. 37 D. de reb. creditis XII, 1; S. C. C. in c. Bugell. 9 sept. 1893, in ASS. XVI, 335 sq.; S. C. C. in ed, *Richt.* C. Tr., 245, n. 85 sq; R. I. 85, in Sext.; Instr. C. Rauscher §§ 51, 52; *S. Thom.*, Comment. in 4 l. dist. 29, q. unic. art. 3, quaestiunc. 3; *Sánchez*, l. V, disp. 6, n 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 19 sq.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 10 sq.; *Rosset*, n. 177.

[16] *Fagnan.*, l. c. in cap. 7, X, h. t. n. 13, 24 sq.

[17] *Schulte*, § 21, p. 140 sq.; S. C. C. in c. Messin. a. 1573, mart. 1587, in c. Gerac. 1589, 8 mart. 1595, 15 iul. 1593. Cfr. ed. *Richt.* C. Tr. 222, 226; *Bened. XIV*, Instit. eccl. 46, n. 23; *Fagnan.*, l. c.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 14; *Schmalzgr.*, h. t. n. 21 sq., 54 sq.; *Schnitzer*, 319, not. 2; *Gasparri*, l. c. n. 921 sq.

enim c. 1092, 1° statuit de condicione de futuro — turpi et non contra substantiam — non est extendendum ad condicionem de praeterito vel de praesenti [18].

Condicio de futuro resolutoria — *donec aliam ditiorem invenero* — ex natura rei contractui matrimoniali repugnat, et si efficaciter adiciatur matrimonium irritat, utpote excludens proprietatem essentialem indissolubilitatis [19], nisi sit de iis condicionibus resolutoriis, quae ex iuris dispositione contractui matrimoniali insunt, v. g. matrimonium ratum sollemni professione religiosa vel R. P. dispensatione solvi potest.

514. Condicio honesta et possibilis de futuro contingente, quae contractum matrimonialem suspendat, valide consensui matrimoniali apponi potest, modo non sit substantiae matrimonii contraria. Ea autem apposita, consensus valore destituitur, si quavis de causa culpabili vel inculpabili condicio non verificatur; verificata condicione, matrimonium a *momento verificationis* valet fitque sacramentum, modo res manserit in eodem statu, sc. nec consensus revocatus fuerit nec supervenerit impedimentum dirimens.

Nihil autem refert quoad effectum iuridicum, utrum condicio apposita fuerit in actu celebrationis, an antea nec revocata; utrum in pactum deducta vel non; utrum ab una tantum parte an ab utraque; utrum apposita fuerit publice an occulte, ita ut in foro externo probari non possit; utrum quae ab una dumtaxat parte fuit apposita alteri parti fuerit cognita vel non. At condicionis occulte appositae et in foro externo non probatae in hoc foro nulla habenda est ratio. Qui vero, inscia altera parte, condicioni suum consensum alligat, graviter peccat, cum insig-

[18] Iure praecedente condicio de praesenti aut de praeterito *impossibilis* habebatur pro non adiecta (*Schmalzgr.*, h. t. n. 72; *Reiffenst.*, h. t. n. 46, 47; *Sánchez*, l. V, disp. 4 n. 3); eodem modo a multis etiam condicio *turpis*. Cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 300, not. 31.

[19] Cfr. cap. 7, X, h. t.; relatio in caus. Conimbric. a S. C. C., 3 apr. 1734, decisa; *Scherer*, § 112 not. 100, ubi recte reicit sententiam *Schulte* et *Meurer*, qui putarunt matrimonio posse apponi condicionem *resolutoriam*, quae vim suam exsequi posset usque ad consummationem matrimonii. Qui viri docti non attenderunt matrimonium etiam *ratum mutuo privatoque* coniugum consensu — interne — non esse solubile, sed solummodo auctoritate publica R. Pontificis ex causa canonica. *Freisen* quoque, 256, nimis subtiliter philosophatur de *futura possibilitate* et *antiquo iure* coniugum, ex mutuo consensu et cum licentia R. Pontificis, matrimonio rato apponendi condicionem vere resolutoriam; similiter a vero alienus est, si generaliter asserit « *etiam ex iure vigente* » appositionem condicionis *resolutoriae* in celebrandis nuptiis *non* esse contra *substantiam* matrimonii.

niter compartem decipiat, quae et putat et vult contrahere verum validumque matrimonium ab ipso celebrationis momento.

Condicio ex mutuo consensu apposita ex natura rei utramque partem obligat ad expectandum eventum condicionis, ad curandam eius verificationem vel eam saltem non impediendi. Quae obligatio si violata fuerit, v. gr. per revocationem consensus ab una parte, altera inscia aut invita, factam, actus illicitus ponitur, sed nihilominus validus, ideoque, verificata postea condicione, matrimonium non subsistit; item si una pars, altera inscia aut invita, matrimonium cum tertia persona ante eventum condicionis init, validum est quamvis illicitum.

515. Condicio *suspendens* valorem contractui matrimoniali *licite* apponi nequit, nisi gravis adsit causa, quae saltem ordinarie ab Episcopo est approbanda[20]; etenim forma condicionata celebrationis matrimonii aliena est a Rituali Romano et consueta praxi Ecclesiae. Quodsi revera condicionate celebratur matrimonium, condicio aut in ipsa celebratione matrimonii coram parocho et testibus aut *ante* illam certo modo, qui permittat plenam probationem in foro *externo*, est *exprimenda* et ab utraque parte acceptanda nec revocanda[21]. Condicione vero impleta, ex natura rei[22] matrimonialis consensus *renovatio*

[20] Instr. *Card. Rauscher*, § 55; *Reiffenstuel*, l. c. n. 22; *Schmalzgr.*, h. t. n. 59; *Aichner*, § 169; relatio Secretarii S. C. C. (*Prosp. Lambertini*, qui postea fuit Bened. XIV) in caus. Ulyssobon. 18 iul. 1724; *De Angelis*, h. t. n. 3; *Santi*, h. t. n. 8; *Scherer*, § 112; *Schulte*, § 21, i. f.; *Rosset*, n. 179.

[21] Glossa ad cap. 26, X, de sponsal. IV, 1, v. Mulierem; cap. 3, 5, 6, X, h. t.; *Sánchez*, lib. II, disp. 45, n. 21; relatio in cit. caus. Ulyssobon., relatio in causa Brachinon. a S. C. C., 23 apr. 1735, decisa; S. C. C. in caus. Novariensi, 24 febr. 1720, in caus. Rom. 23 ian. 1669, in caus. 17 nov. 1708, in caus. Bugellen. 9 sept. 1893, in ASS. XXVI, 335 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. XIII, cap. 22, n. 10; C. Trid. ed *Richt.*, 245 sq.; *Schulte*, § 24, V. Quibus ex allegationibus patet sponsos in *probanda* condicione asserta facile deficere in foro externo, neque unicum ipsorum testimonium ob periculum collusionis haberi sufficiens argumentum. At ad valorem matrimonii non requiritur, ut parochus et testes intersint *impletioni* condicionis, vel *ipsis intimetur* eventus condicionis. Summopere vero expedit ut de purificatione vel deficientia condicionis authentica notitia detur parocho, qui illam libro matrimoniorum inserere possit ad vitandas lites de valore contracti matrimonii. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 42 sq.; *Fagnan.*, in cap. 5, X, h. t.; *Sánchez*, lib. V, disp. 8, n. 23 sq., disp. 13, n. 3, 5; *Scherer*, § 112, not. 120; AAS. VI, 75; *Rosset*, n. 184 sq.

[22] Non pauci theologi et canonistae contra multos alios, item theologos et canonistas, sine solido fundamento etiam ordinarie a personis *habilibus* requirunt consensus renovationem: nam consensus sub con-

non requiritur, si antea a neutro coniuge prior consensus fuit revocatus. Multoque minus celebrato condicionate matrimonio in forma ecclesiastica, *post*[23] impletam condicionem coram parocho et testibus renovandus est consensus, nisi in casibus a iure exceptis. Cfr. *Fagnan.*, l. c. in cap. 5, X, h. t. et in cap. 7, X, h. t. n. 24, 25, 26; *Scherer*, l. c. § 112, not. 113; *Rosset*, n. 184 sq.

516. Iure praecedente, qui *ante* condicionem de futuro *impletam* matrimonium per copulam libere admissam consummabant condicioni eo ipso renuntiasse praesumebantur praesumptione iuris et de iure. Cfr. cap. 3, 5, 6, X, h. t.; *Fagnan.*, l. c. in cap. 7, X, h. t. n. 21; *Scherer*, § 112, p. 190. Quae praesumptio iuxta communiorem sententiam valebat etiam post Leonis

dicione datus *virtualiter perseverat*, et adveniente condicione *purus* evadit ideoque ipso facto manet perfectum matrimonium. Cfr. *Sánchez*, lib. V, disp. 8, n. 5; *Lugo*, l. c. disp. 22, n. 387; *Schmalzgr.*, h. t. n. 36; *Reiffenstuel*, h. t. n. 17; *Fagnan*, l. c., qui allegat declar. S. C. C.; *Van de Burgt*, 77 sq.; *Rosset*, n. 180 sq.; *Scherer*, § 112, p. 189. Quod consensus sit renovandus, si personae inhabiles contraxerunt sub condicione « *si Papa dispensaverit* » asserunt *Chelodi*, n. 126; *Vlaming*, II, n. 549; *De Smet*, n. 153; *Gasparri*, II, n. 918; at *Cappello*, II, n. 631, merito asserit talem necessitatem non esse certam, cum pro ea nullum allegetur positivum fundamentum, et certo illam necessitatem non inferat allegatio c. 1133.

[23] Si coniuges, qui publice *condicionatum* celebraverant matrimonium, *non expectata* purificatione condicionis velint pure et absolute contrahere, omnino curandum est ut *publice certoque* constet coniuges, saltem mutuo consensu, *expresse* vel *tacite* a condicione recessisse et absolute consensisse in matrimonium: nova vero matrimonii celebratio non requiritur; nam *ab initio verus* datus est consensus *maritalis*, cuius *efficaciae* tantum obstat *condicio* apposita. Quae condicio cum per *revocationem* sicuti per *impletionem* cesset, consensus primus suam plenariam consequitur efficaciam nec *novus* requiritur. Eius enim *valor* ab initio fuit *suspensus*, non absolute *nullus*. Porro si forma ecclesiastica est servanda in *declarando* consensu condicionato matrimonii, post *recessum* a condicione videtur sufficere ut de illo facto certo constet, et parocho conveniens detur notitia; at forma ecclesiastica non videtur iterum adhibenda. Matrimonium enim *contrahitur*, quando coram parocho et testibus consensus condicionatus *declaratur*, non quando *condicio verificatur*. Quare licet matrimonium condicionatum eo demum momento sit vere *validum*, quo condicio *purificatur*, tamen per fictionem iuris censetur esse contractum a momento celebrationis coram parocho et testibus. Quae doctrina est etiam applicanda ad *recessum* a condicione *ante* illius purificationem; matrimonium enim fit validum *ipso momento recessus*, sed deinde censetur esse iure celebratum ab initio. Cfr. *Pichler*, h. t. n. 5, ad 5; *Gasparri*, II, n. 919; *Schnitzer*, 361. not. 10; *Leitner*, Arch. f. k. K., LXXVI, 260 sq.; *Cappello*, II, n. 639; *Vlaming*, II, n. 550; *Chelodi*, n. 126; *De Smet*, n. 153.

XIII Const. « *Consensus mutuus* », quae de sponsalibus condicionatis, non de condicionato matrimonio fuit data. Cum talis dispositio positiva in iure Codicis non commemoretur, copulae, pendente condicione habitae, specialis vis iuridica non videtur esse tribuenda. Ea ergo debet considerari ut merum factum, quod utrum contineat necne *tacitam* revocationem condicionis ex variis adiunctis aestimandum est [24].

Si matrimonium cum condicione suspensiva celebretur, fieri potest ut unus coniux ante verificatam condicionem incidat *in perpetuam amentiam* et postea condicio verificetur, quin altera pars suum consensum retractarit, quia de amentia prioris nihil scivit. Num tale matrimonium factum est validum ipso momento verificatae condicionis? Videtur negandum, quia in amente consensus est exstinctus, licet altera pars consensum non retractarit; ergo non habetur consensus ex utraque parte.

Quamvis coniuges, pendente condicione matrimonio apposita, *licite* pro suo arbitrio ante condicionis eventum recedere non possint (cfr. *Sánchez*, lib. V, disp. 6, n. 8), tamen *valide* ante purificatam condicionem consensum ita revocare valent, ut, eveniente postea condicione, *matrimonium* condicionate celebratum nequaquam verum validumque fiat (cfr. *Sánchez*, lib. V, disp. 8, n. 1). Quare errat *Scherer*, § 112, not. 112, si putat *Sánchez* duobus locis allegatis contradictoria asserere. Inde praeterea efficitur, *pendente* condicione, coniuges nondum actu veros esse coniuges vinculo matrimoniali ligatos, et ipsos ante purificatam condicionem cum *tertia* persona saltem *validum* inire posse matrimonium, nisi aliud obstet impedimentum canonicum. Quodsi v. g. maritus post unum matrimonium condicionatum celebret secundum pariter cum condicione apposita, illud matrimonium prius absolute valet, cuius condicio prius est verificata; si simul utraque condicio verificaretur, neutrum matrimonium valeret, cum nemo simul valide duabus uxoribus ligatus esse possit. Cfr. *Sánchez*, l. c. disp. 8, n. 12.

§ II. De condicione turpi et impossibili

517. Condicio de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra substantiam matrimonii [25], si matrimonio

---

[24] *Chelodi*, n. 126; *Cappello*, II, n. 640.

[25] Quod de condicione turpi et impossibili de futuro iure praecedente, eodem modo ac in Codice, statutum fuerat, a pluribus doctoribus dicebatur valere etiam de condicione *de praeterito* aut *praesenti*. (*Wernz*,

apponatur, habenda est *pro non adiecta*, ita ut consensus habendus sit purus et matrimonium statim valeat. Condicio, ut dicitur, *vitiatur* et *non vitiat*.

At haec est mera iuris praesumptio, non praesumptio iuris et de iure, quae proinde admittit probationem in contrarium [26]. Et prima quidem condicio de futuro necessaria facile ex intentione contrahentium potest esse *suspensiva*, si eorum mens fuit se non obligandi donec reapse eventus, qui necessario futurus iudicatur, fuerit verificatus. Altera condicio de futuro impossibilis vel turpis pro non adiecta habetur, quia Ecclesia ob singularem favorem, quo contractum matrimonialem custodit et protegit, voluntatem contrahentium ita *interpretatur*, quod isti non *serio* voluerint sacramenti valorem a re turpi atque negotium gravissimum ab eventu impossibili vel verius ridiculo dependere, sed potius *ioci causa* vel ad instar meri *modi* — utique non obligantis — apposuerint condiciones [27].

Quae praesumptio Ecclesiae cessat, si sponsi vel saltem unus ex eis in matrimonii celebratione attentis omnibus circumstantiis *serio* et *ex animo* impossibilem vel turpem circumstantiam apponant ut condicionem *sine qua non*, in signum sive firmioris dissensus sive displicentiae matrimonii, quasi quis diceret: quam parum haec condicio est possibilis, tam parum volo contrahere matrimonium cum hac persona, v. g. cum paupere puella, nisi mihi afferat dotem centum millium aureorum. Qua in hypothesi, cum frequenter *condicio* non videatur esse ioci causa apposita, sed potius *totus contractus matrimonialis* habeatur simulatus vel *nugatorius*, matrimonium ob *defectum consensus* est invalidum [28].

Si complures doctores [29] *duos casus* ab illa generali iuris praesumptione excipiunt, sc. si uterque vel unus ex contrahentibus per errorem putavit condicionem de se impossibilem vel

---

Ius Decret. IV, n. 300, not. 31): at fundamentum pro tali sententia ius Codicis non suppeditat.

[26] L. 9, D. de novation. 46, 2. Quae praesumptio iuris *mere positivi* (cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 66 sq.;*Sánchez*, lib. V, disp. 3, n. 19), *et specialis* quo contractus matrimonialis et testamenta reguntur, *aliis contractibus* in genere nequit applicari. Cfr. *Reiffenstuel*, h. t. n. 51.

[27] Cfr. *Lugo*, De iust. et iure, disp. 22, n. 340 sq.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 42 sq.; *Rosset*, n. 174; *Schnitzer*, 319, not. 2, 3.

[28] *Pichler*, h. t. n. 8, 10; *Gasparri*, II, n. 887 sq.; paulo aliter magis verbis quam re: *Schulte*, 148; *Scherer*, not. 104; *Chelodi*, n. 124; *Cappello*, II, n. 629.

[29] *Sánchez*, l. V, disp. 3, n. 8 sq.; *Schmalzgr.*, n. 60, 62 sq., 92 sq.; *Rosset*, n. 174.

turpem esse possibilem vel honestam, aut si partes contrahentes ignorant ius c. 1092 constitutum, neutra limitatio sive exceptio videtur esse satis fundata [30]. Nam ius loquitur *universaliter* nec commemorat *distinctionem* inter impossibilitatem et turpitudinem cognitam vel ignoratam. Praeterea ex generali iuris regula ignorantia *iuris* non excusat, neque ulla est ratio in subiecta materia ab illo principio recedendi; quin immo hoc ius ob eius ignorantiam, passim existentem, fieret illusorium. At interpretatio, quae legem practice tollit et superfluam reddit, non potest sustineri. Facilius quidem, qui condicionem honestam vel possibilem putavit aut iuris praesumptionem ignoravit, potuit condicioni suum consensum alligare; at qui hoc affirmet, debet probare.

Sublata praesumptione, contractus matrimonialis, si condicio apposita esset *impossibilis*, ob defectum consensus in *utroque* foro haberetur nullus atque irritus: nam Ecclesia defectum consensus supplere nequit. At si condicio de futuro esset *turpis*, valor contractus matrimonialis saltem *suspenderetur* usque ad *eventum* condicionis, quem exspectandi nulla esset *obligatio*. Cfr. *Reiffenstuel*, h. t. n. 44.

§ III. De condicionibus contra substantiam matrimonii

518. Condicio de futuro contra substantiam matrimonii. Si condicio *de futuro* [31] contra substantiam matrimonii — i. e. contra *ius* mutuum et maritale coniugum in corpus vel *proprietatem essentialem* matrimonii, ut contra bonum physicum [32] prolis [33],

---

[30] Cfr. *Lugo*, l. c. n. 343 sq., 355 sq., 374; *Pichler*, l. c. n, 8, 9, 10, 11, cum *Krimer* aliisque; *Scherer*, l. c. not. 104, saltem quoad ignorantiam iuris; aliter *Rosset*, n. 174, qui putat hac in re applicandum esse *Lugo* adagium: *Quandoque dormitat bonus Homerus*, sed argumenta efficacia in suum favorem non affert, nec omnia et singula argumenta a Lugo adducta solvit.

[31] Ad veras condiciones de *praeterito* et de *praesenti*, quae non attingunt matrimonium in *futurum* nec resolvuntur in condicionem obligatoriam *de futuro*, haec c. 1092, 2°, praescriptio non est *extendenda*, ut recte iam docuit *Sánchez*, l. V, disp. 9, n. 6, 7; *Schmalzgr.*, h. t. n. 115 sq., 134; *Pirhing*, h. t. n. 14; *Reiffens.*, h. t. n. 40; aliique, quos frustra impugnarunt *Schulte*, § 21, not. 22, et *Schnitzer*, 317, not. 4, cum *Riedler*, eo quod etiam in istis casibus desit necessarius consensus in matrimonium. Nam turpes condiciones praeteritae vel praesentes matrimonio appositae, quae *ante* celebrationem nuptiarum *supponuntur* ut *factum* iam *completum* et *praecedens*, non *inducunt* ad peccatum, neque imponunt *vinculum* quoddam *iniquitatis*, v. g. si sponsus dicat: « *Contraho tecum, si* sumpsisti *venena sterilitatis* vel passa es *extirpationem utriusque ovarii aut operationem Porro* ». A qua formula evidenter differt altera, « *dummodo venena sterilitatis sumas vel patiaris unam ex duabus illis operationibus chirurgicis* ». At condiciones, quae non inducunt ad peccatum neque imponunt *obligationem* bonis *substantialibus* matrimonii repugnantem, non adversantur substantiae contractus matrimonialis; nihil enim in consensu dato excluditur *ab obiecto substantiali* matrimonii, sed forte tantum intenditur *executio* contra obligationem. Cfr. *Lugo*, l. c. n. 361, 377; *Pichler*, l. c. n. 10, 12.

[32] Quamvis omnes doctores conveniant *pactum*, quod adversetur bono *physico* sive naturali prolis, v. g. de occisione vel abiectione prolis, irritum efficere matrimonium, tamen dissentiunt num condicio apposita, quae repugnet *spirituali* educationi prolis, dirimat matrimonium. Cfr. *Van de Burgt*, l. c., 66 sq. Qua in controversia nequit teneri illa distinctio, quam *Haringer, Weber, Steyart, Dens* defenderunt, sc. quod condicio in pactum deducta educandi filios in *infidelitate*, v. g. in *iudaismo* ipso iure naturali irritet matrimonium, et eadem condicio educandi prolem in *haeresi* — vel schismate vel aliis delictis — matrimonium *non reddat* invalidum. Nam utraque condicio est *turpis* atque maior *gradus* turpitudinis, si proles in infidelitate sit educanda, non constituit differentiam essentialem; ergo etiam in altero casu educationis in haeresi matrimonium dicendum est aut cum *Schmier* aliisque paucis *invalidum* aut in utroque casu cum aliis *validum*. At cum *neutra* condicio sit *contra substantiam matrimonii*, ideo in foro *externo* tanquam *simpliciter turpis* non obligat et habetur pro non adiecta, quae *valorem* matrimonii *non* impedit, nisi ponatur ut condicio sine qua non. Qui valor multo magis est sustinendus, si huiusmodi pacta de educanda prole in haeresi, sane in se impia et irrita, ex communiter contingentibus adiciantur ad instar *modorum;* sed veri *modi* etiam contra substantiam adiecti, cum supponant matrimonium iam valide celebratum, eius valorem non destruunt. *Sánchez*, l. VII, disp. 72, n. 6; *Pichler*, l. IV, t. I, n. 131, qui novam sententiam *Schmier* solide impugnavit; *Reiffenstuel*, l. IV, t. 1, n. 371; *Maschat*, l. IV, t. 1, n. 76; *Feije*, Dissert. de matr. mixt. 163 sq.; Act. theol. Oenip. IX, 170, XIV, 385; *Lehmkuhl*, II, n. 689, not. 1; *Scherer*, § 116, not. 101, 108; *Schnitzer*, 319, not. 1; *Van de Burgt*, 67 sq.; *Gasparri*, II, n. 905; aliter *Schmier*, De spons. et matr. tr. III, cap. 5, n. 52, aliique scriptores supra citati, qui potissimum insistunt illi rationi, quod *finis* principalis matrimonii non solum sit generatio prolis, sed eius educatio in vera religione ad cultum divinum.

At contraria sententia non solum comprobatur auctoritate communis opinionis doctorum, sed etiam constanti *praxi Ecclesiae*, quae ista pacta de totali vel partiali educatione *in haeresi vel infidelitate* semper reprobavit, at nullibi statuit propterea nuptias viribus carere. Denique adversarii logica necessitate compellerentur, ut etiam ob pacta educandi prolem *in aliis delictis* matrimonia haberent invalida; sed si excipias *Boeckhn*, omnes id reiciunt.

[33] V. gr. si conveniatur de impedienda conceptione, de abortu procurando, de natis interficiendis (S. R. Rota, 10 maii 1916: AAS. IX, 32 sq.). Quodsi contractus matrimonialis ita celebratur, ut ne ipsum quidem *ius* mutuum in corpus in ordine ad generandam prolem concedatur, aut condicio nunquam consummandi matrimonium ad instar cuiusdam condicionis *suspensivae* vel *resolutoriae* principali contractui matrimoniali apponatur, huiusmodi matrimonium certissime non est validum. Nam si

contra bonum fidei coniugalis [34], contra bonum indissolubilitatis [35] matrimonii, — contractui matrimoniali saltem ab uno [36]

---

agatur de primo casu non concessi mutui iuris, nullitas matrimonii ab omnibus conceditur, ut patet ex natura contractus matrimonialis. In secundo casu condicionis *suspensivae*: « *Dummodo ab usu matrimonii abstineas* », matrimonium, *pendente* illa condicione negativa et potestativa usque ad horam mortis, nunquam fieret *validum* cum perpetua occasione proxima peccandi, et si copula haberetur, propter verificatam condicionem ipso facto deficeret consensus et nullum existeret matrimonium. Cfr. defens. matr. in c. S. C. C., 20 mart. 1880, in ASS. XIII, 454 sq. Denique, si quis in tertio casu vere vellet contrahere matrimonium statim validum, sed cum condicione *resolutoria*, quamprimum consummatio matrimonii attentaretur, evidenter invalidas celebraret nuptias; nam conditio apposita esset contra substantiale bonum indissolubilitatis matrimonii. Cfr. S. C. C. in caus. Ulyssobon., 18 iul. 1724, una cum relat. Secret.; *Bened. XIV*, Quaest. can. 386, De Synod. dioec. lib. XII, cap. 22, n. 10 sq.; *Pichler*, l. IV, t. 1, n. 80 ad 3; *Rosset*, l. c. n. 212.

[34] S. C. C., 2 maii et 29 aug. 1868, in ASS. IV, 65 sq.; Instr. C. Rauscher § 53; *Sánchez*, l. V, disp. 12, de polygamia in pactum deducta.

[35] S. C. C., 21 iun. 1732; S. C. Inq., 1 aug. 1748; Instr. S. C. Inq., 18 dec. 1872, 9 dec. 1874, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1300 sq., iunct. n. 1290 sq., 1525, 2184, 2185; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 22, n. 4 sq.; *Rosset*, n. 204 sq., de facultate repudii a iudaeo ut condicio apposita.

[36] S. C. Inquisit., 29 maii 1754, 25 iul. 1840 et 6 apr. 1843, in cit. Collect. n. 1290 sq.; *Van de Burgt*, 74; *Gasparri*, II, n. 908; *Sánchez*, l. V, disp. 13; *Fagnan.*, l. c. in cap. 7, X, h. t. n. 34; *Schmalzgr.*, n, 116 sq. Quare si *una* pars talem condicionem apponat, et altera pars *expresse contradicat* vel *taceat*, per se ob *dissensum* utriusque partis matrimonium ex natura rei est invalidum, ut recte tenent *Sánchez*, l. c. n. 3, 5, 6, et *Scherer*, l. c. not. 120, nisi ex circumstantiis colligi possit priorem partem ob contradictionem vel taciturnitatem alterius a sua condicione *recessisse*. Id autem in casu *dubii* ob favorem matrimonii *praesumendum* est, si *postea* utraque pars *absolute* in matrimonium consensit. Quodsi *quis* cum *intentione* virtuali aut implicita contra substantialia matrimonii celebret nuptias, licet talem intentionem *ut condicionem non deducat in pactum*, v. g. prolem impediendi, complures auctores tale matrimonium *indiscriminatim* dixerunt esse invalidum. At alii melius distinguunt *intentionem* a *condicione* in pactum deducta, seu intentionem contra bonum *prolis* et *fidei* ab intentione contra bonum *sacramenti* sive indissolubilitatis, denique intentionem sese *vere obligandi* ab animo *non implendi* sive exequendi obligationem susceptam. Inde facile patet matrimonium esse validum, si v. g. unus ex sponsis habeat *intentionem non implendi* obligationem quoad bonum *prolis* vel *fidei*. At cum *intentione* vel unius partis celebrandi solummodo matrimonium ad *tempus* sive separabile contra bonum sacramenti etiam sinè pacto valor nuptiarum non consistit. Cfr. S. C. C., 21 ian. 1891, in ASS. XXIII, 711 sq.; cum *S. Thoma*: *Sánchez*, l. II, disp. 29, n. 11, 12. 13, l. V, disp. 9, n. 1, 14; *Rosset*, n. 206 sq.; *Schnitzer*, 193; ASS. XVIII, 27 sq., 31 sq. Num ista intentio adfuerit, *praesertim* cognosci potest ex *formulis ritus moribusque* receptis, quibus ad tempus matrimonia solubilia iniri

contrahentibus ita apponatur, ut deducatur in *pactum* tanquam pars constitutiva contractus, v. g. [37] contraho tecum, *si generationem evites*, vel *donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem*, aut *si pro quaestu adulterandam te tradas*, matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu ipsoque iure naturali et divino est nullus et irritus. Nam consensus voluntatis, qui continet manifestam contradictionem circa obiectum substantiale contractus matrimonialis, non est consensus validus; at qui per *condicionem* appositam *tollit* consensum in obiectum substantiale matrimonii, in quod consentire videbatur, is ponit evidentem contradictionem, qua idem obiectum substantiale simul vult et non vult [38]. Quodsi coniuges versentur in *errore theoretico* de substantialibus bonis matrimonii, v. g. de indissolubilitate, sed *neuter* det consensum voluntatis *dependenter ab illo errore theoretico*, matrimonium est validum, nisi aliud obstet impedimentum canonicum [39]. Quae doctrina cum nitatur iure *naturali*, etiam *infidelibus* non baptizatis est applicanda [40].

519. Scholion I. Cum disputatione de *condicione* contractui matrimoniali apposita affinis est inquisitio de *modo, demonstratione, causa, die certa* vel *incerta*. Et *modus* quidem honestus et possibilis, si matrimoniali contractui adiciatur, illum non vitiat vel suspendit [41], sed servandus est. Modus turpis vel impossibilis pro non adiecto habetur [42]. Si modus sit contrarius *substantiae* contractus, compluribus scriptoribus videtur irritare matrimonium [43]. Cui sententiae facile *in praxi* standum est, quoniam onus in forma modi contractui matrimoniali adiectum, re et intentione contrahentium saepe potest nihil aliud esse quam *simulata con-*

---

satis indicatur: Cfr. cit. Instr. S. C. Inq., 6 apr. 1843, 9 dec. 1874, 18 maii 1892.

[37] Gregor. IX, cap. 7, X, h. t. *tres* illas condiciones *exempli causa* sive indicative, non *taxative* refert. Cfr. *Bened. XIV*, l. c. n. 6; *Schmalzgr.*, l. c. n. 123 sq.; *Gasparri*, II, n. 913 sq.; *Rosset*, n. 199 sq.; *Cappello*, II, n. 631 sq., ubi alia exempla referunt, v. g. si duo sponsi baptizati contrahant matrimonium cum *condicione* nullo modo conficiendi *sacramentum*.

[38] S. C. Inq. l. c. in not. praecedente; *Sánchez*, l. V, disp. 9 sq.

[39] Cfr. c. 1084, S. C. C. 15 ian., 13 apr. 1724, apud *Bened. XIV*, l. c. n, 4; S. C. Inq., 6 apr. 1843, l. c. not. praeced. ASS., XXIII, 723 sq., 736.

[40] Cit. Instr. S. C. Inq. v. g. 9 dec. 1874; S. C. Inq., 18 maii 1892, in cit. Collect. n. 2185; *Sánchez*, l. V, disp. 9, n. 4; *Rosset*, n. 204 sq.

[41] *Sánchez*, lib. V, disp. 19, n. 9; *Pirhing*, h. t. n. 18; *Schmalzgr.*, h. t. n. 140, 149; *Reiffenstuel*, h. t. n. 63.

[42] *Pirhing*, h. t. n. 31; *Schmalzgr.*, h. t. n. 141, 142.

[43] Ita *Sánchez*, l. c. n. 5, aliique *velut Pirhing*, h. t. n. 2; *Santi*, h. t. n. 39; *De Angelis*, h. t. n. 7.

dicio in pactum deducta. At *theoretice verus modus*, pro natura sua oneris *adiecti* ad contractum *iam perfectum*, non irritat contractum matrimonialem, quamvis sit contra substantiam matrimonii [44].

Causa vel *demonstratio* qualiscumque, sive vera sive falsa, honesta vel turpis et substantiae matrimonii contraria vel non contraria, non vitiat vel suspendit matrimonium, nisi reducatur ad *errorem* personae et condicionis servilis aut transeat in veram *condicionem*. Nam consensus matrimonialis non datur *dependenter* a causa vel demonstratione, sed sese habet concomitanter ad illas. Denique *dies certa* vel *incerta*, si apponatur matrimonio ut terminus *a quo*, habet vim condicionis *suspensivae*, si ut terminus *ad quem*, aequiparatur condicioni resolutivae, quae matrimonio apponi non potest [45].

520. Scholion II. Cum iuxta modernos codices civiles matrimonium *civile* ne *valide* quidem in forma *condicionata* celebrari possit, ordinationes civiles de condicionato matrimonio civili non possunt ex professo tractari. Cfr. cod. civ. Austr. § 59, German. §§ 1319, 1324. At inde quoque consequitur, quod ex *defectu condicionis appositae*, v. g. formae religiosae postea servandae, in foro *civili valor* matrimonii civilis non ubique felici cum exitu impugnari potest. Cfr. *Hollweck*, D. Civileher., 152, 124, 222, 262; *Scherer*, l. c., 230, not. 287, 573, not. 96.

521. Scholion III. Contra substantiam ideoque contra valorem matrimonii non est **condicio servandi continentiam** per reciprocam promissionem consensui apposita, sive virtualiter ex pacto praecedente celebrationem et ante actum contrahendi non revocato, sive formaliter in ipso actu contrahendi expressa, v. gr. volo esse uxor tua, si te obligas ad servandam continentiam et vicissim volo esse maritus tuus sub eadem condicione. Quae condicio, ut per se patet, est obligatio nunc de praesenti suscepta, sed in futurum implenda, per quam una pars obligatur erga aliam ad non petendum seu exigendum debitum, quae obligatio etiam potest esse voto firmata, quo in casu praeter obligationem resultantem ex promissione adiungitur obligatio religionis orta ex voto.

Per quam condicionem de se honestam optimo modo explicatur sanctissimum verumque coniugium, quod intercessit inter B. Virginem, voto perfectae castitatis Deo consecratam, et S. Ioseph, itemque matrimonium contractum ab aliis sanctis feminis, pariter voto castitatis ligatis, v. gr. a S. Pulcheria, quae ut in Breviario legitur « salva quam Deo voverat virginitate, coniugem — Marcianum Augustum — sibi delegit ».

[44] *Reiffenstuel*, h. t. n. 64; *Schmalzgr.*, l. c. n. 143, 144; *Scherer*, § 112.

[45] *Rosset*, n. 173.

Illam condicionem non esse contra substantiam matrimonii exinde patet, quod ius mutuum in corpus in ordine ad actus generationi inservientes separari potest ab usu seu exercitio ipsius iuris, quod multis modis, manente iure, potest esse impeditum sive dependenter sive independenter a voluntate coniugum; immo non solum separatim a contractu matrimoniali potest impediri exercitium iuris, sed potest nasci impeditum ab ipso momento contractus, ut evenit si matrimonium contrahatur illicite a duobus ligatis voto simplici castitatis, cuius matrimonii valor a nemine negari potest, nec ex matrimonio contracto cessat vinculum voti, quo neutra pars petere aut reddere debitum potest. Item si coniuges statim post contractum matrimonium mutua promissione se obligant ad servandam continentiam, manet matrimonium simul cum obligatione servandi continentiam; ergo illa mutua promissio nihil excludit quod sit essentiale matrimonio; si enim aliquid substantiale matrimonio excluderet, ipsa esset nulla atque irrita, cum coniuges valido matrimonio iuncti non possint suis pactionibus derogare quidquam de substantialibus matrimonii. Si ergo illa pactio nihil continet quod sit contra substantiam matrimonii, contrahentes qui suum consensum matrimonialem faciunt dependentem ab illa mutua promissione, non faciunt consensum dependentem a condicione, quae sit contra substantiam matrimonii; id enim excludunt a suo consensu quod excludi potest salva pactione et vinculo ex ipsa resultante.

Quin immo iure praecedente, in quo dabatur coniugibus bimestre ad deliberandum de religione, in quolibet contractu matrimoniali erat implicita illa condicio: contraho tecum, ita tamen ut possim ante consummationem adhuc ingredi religionem. Porro pactum de castitate contractui matrimonii adiectum nulli bono matrimonii repugnat: *a*) non bono fidei, nam coniux non potest adulterando ulli suum corpus commodare; *b*) non bono sacramenti, quia matrimonii vinculum adhuc erit perpetuum; *c*) non bono prolis, quia coniuges non obligantur ad copulam nisi in quantum altera pars petat, quae iuri petendi renuntiare potest se obligando ad non petendum, nec obligantur coniuges ad prolis generationem, modo eam positive non impediant aut prolem enecent [46].

[46] Multi et graves doctores illam appositionem condicionis de prae-

Nec qui ita in contractu matrimoniali accipit ius ad usum matrimonii, *per proprium consensum* impeditum quoad exercitium, init contractum qui careat omni effectu iuridico; nam:

---

senti, quantumvis de re in se honesta factam, repugnare substantiae matrimonii opinantur, velut *Sánchez*, l. V, disp. 10; *Schmalzgr.*, h. t. n. 119 sq., cum *Pirhing*, *Reiffenstuel* aliisque antiquioribus doctoribus; *Van de Burgt*, 69 sq.; *Rosset*, n. 192 sq.; *Scherer*, l. c. not. 102; *Schnitzer*, 317 sq. *D'Annibale*, Summ. P. III, n. 443, not. 4. At contraria sententia, quam non pauci ex doctoribus recensitis saltem probabilem esse putant, et cui « *multum probabilitatis* » inesse fatetur *Benedict. XIV*, l. c. cap. 22, n. 12, ab aliis doctis sustinetur, v. g. *Pichler*, l. IV, t. 1, n. 79 sq. cum compluribus antiquis doctoribus, v. g. *Kugler*, De matrim. n. 519 sq.; *Krimer*, *Schmier*, *Lehmkuhl*, Theolog. mor. II, n. 690; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 225 sq. Cfr. quoque *Gasparri*, II, n. 901; *Nilles*, Act. theol. Oenip. XXV, 763 sq. (de matrimonio, quod vulgo a S. Iosepho nuncupatur).

Qua in controversia haud levis est momenti ut ea seponantur, quae sunt indubitata, et ut status quaestionis accurate circumscribatur, ne in aequivoca suppositione universa innitatur disputatio. Itaque *valor* matrimonii a nemine in dubium vocatur, si *utraque pars* habeat *propositum* vel *votum* iam emissum perpetuo servandi continentiam in matrimonio contracto. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 22, n. 11; *Rosset*, n. 192. Quare universa disputatio reducitur ad quaestionem, num *condicio* de servanda castitate a coniugibus *in pactum* deducta, *promissio* rite data et acceptata adversetur substantiae matrimonii. Recte igitur monet *Ballerini-Palmieri*, n. 231, quaestionem a scriptoribus quibusdam forte bene fuisse intellectam, sed hisce verbis minus accurate *expressam*: « *Utrum condicio contraria bonis matrimonii, si honesta sit, illud vitiet* ». Nam nullus contractus potest esse validus, si desit *substantiale* requisitum, sive honesta sive turpis sit *causa*, ex qua defectus iste proveniat.

Reducta quoque universa disputatione ad *pactionem*, non diffitendum est pactionem duplici ratione posse fieri, aut per adiectionem *condicionis* aut *stipulationem secundariam veri modi*. Qua distinctione insinuata, iterum liquet ex praecedentibus condicionem appositam non esse intelligendam de condicione *de futuro*, sive *resolutoria*, sed unice *de condicione de praesenti*, qua de praesenti suscipitur obligatio, cuius *executio* pertinet ad tempus futurum. Cfr. *Pichler*, l. c. n. 80 ad 3. At etiam hisce distinctionibus et limitationibus admissis non levis restat aequivocationis causa. Etenim non raro viri docti penitus confundunt *modum* cum *condicione*. Quam praxim recte reprehendit *Scherer*, § 112, not. 106, quia inter veram *condicionem* et *modum*, i. e. stipulationem distinctam et ad *perfectum* contractum adiectam, est *essentiale* discrimen. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, n. 265, 267; *Schnitzer*, 320, not. 2; *Schmalzgr.*, h. t. n. 143 sq.

Inde fit ut doctores quidam *absque discrimine* facto dent solutionem quaestionis, immo potius in sola suppositione *adiecti modi*. At nemo non videt ita difficultatem potius vitari quam solvi. Qua ratione, v. g. *Pichler*, l. c. n. 79, ita ad dubium respondet, « *Probabilius valet matrimonium sub condicione* vel potius sub modo *servandi perpetuam castitatem vel ingrediendi religionem ante consummationem vel nunquam petendi vel red-*

1°) si sola conventio mutua intercessit sine voto, haec mutuo consensu auferri potest; unde si contra suam conventionem matrimonio partes utantur nullatenus peccant; 2°) si vero voto in-

---

dendi debitum coniugale ». Deinde idem auctor, l. c. n. 80 ad 3, de formula: si castitatem perpetuam mecum servaveris, scribit: « *Condicio* (est) *improprie dicta et de praesenti, scilicet habet hunc sensum: si velis et te obliges ad servandam castitatem perpetuam, vel potius est modus quam condicio, quod insinuavi in assertione. Immo in tali matrimonio reperitur* et *condicio* et *modus; condicio in contractus initio, quatenus neutra pars vult se alteri obligare, nisi sub condicione castitatis servandae; modus vero post contractum iam completum, quatenus utraque pars adstringitur ad onus castitatis servandae adiectum* ». Quae ultima animadversio insignis canonistae, de condicione *et* modo in *eodem* contractu matrimoniali magis videtur esse subtilis quam vera. Nam condicio et modus sunt res plane distinctae, cum consensus a condicione praevia dependeat, modus vero *sequatur post* contractum iam completum. Porro si condicio *ab initio* valide contractui fuit adiecta, modus accedens est plane superfluus, nisi quis *obligationem* ab initio in condicione susceptam cum eius *executione* confundere velit. Denique si adiecta condicio ab initio irritaret contractum, modus subsequens accederet ad contractum *invalidum* ideoque pariter esset invalidus, quia supponit validum matrimonium. Hinc ista praxis uniendi *modum cum condicione*, quamdiu viget controversia de *valore* matrimonii ob *condicionem* illam appositam, certe etiam ob rationes prudentiae non est commendanda.

Quodsi iam universa disputatio restringatur ad appositionem *veri* strictique *modi* iuxta formulam *promissionis, de valore* talis matrimonii solidum quoddam dubium non videtur posse moveri. Nam omnes auctores concedunt coniuges *post* matrimonium valide contractum posse inire pactum, quo mutuo renuntiant suo iuri ad usum matrimonii. Cfr. *Rosset*, n. 193, 198; *Ballerini-Palmieri*, l. c. At *modus* ex natura sua apponitur *post* contractum *valide* initum; ergo eius adiectio nullam habet difficultatem nec obstat valori matrimonii. Porro etiamsi iste modus vere esset contra substantiam contractus matrimonialis, nuptiae non essent *invalidae*, quia modus oppositus contra substantiam matrimonii vere non impedit ipsius valorem, sed potius nulla datur obligatio talem modum observandi. At inde rursus non intelligitur quod possit defendi obligationem servandae continentiae esse contra substantiam matrimonii et posse apponi ut *modum*, a quo illa obligatio vere induceretur; nam non concipitur quod in coniugibus valido matrimonio iunctis possit dari vera obligatio iustitiae ad aliquid faciendum vel omittendum contra substantiam matrimonii. Quare si clausula de continentia servanda apponatur sicut in similibus casibus de cohabitatione, de educanda universa prole matrimonii mixti in religione catholica, quae clausulae solent habere vim *modorum, non condicionum*, certissimum est eam matrimonii valori non obstare in communi sententia de vi modi, tametsi ius mutuum in tali casu statim ac per matrimonium enascitur maneat ligatum quoad exercitium in vim modi adiecti.

Quibus animadversionibus praemissis, cardo difficultatis ponitur in hoc, num in *unico contractu matrimoniali*, qui consistit in *traditione*, apponi possit *condicio de praesenti* ab utraque parte: Contraho tecum, si te ad continentiam obligas; qua ratione quaestio proposita est in textu.

super adstricti sunt, licet contra votum peccent, non sunt fornicarii; 3°) si quis contrahentium cum tertia persona peccet, adulter veri nominis est ac reus violatae fidei coniugalis; 4°) si unus contrahentium alterum vi metuve ad copulam cogat, fornicationem non committit, sed solum contra fidem datam peccat vel etiam sacrilegium committit, si adest votum; 5°) adest verum matrimonium ratum verumque sacramentum, et inde impedimentum ligaminis et bonum positivum mutui adiutorii in vita domestica ducenda, perinde ac adest in coniugio sterili [47].

Si admissa distinctione inter *ius* et *usum* iuris P. Wernz visa est dari contradictio si in matrimonio contrahendo *in uno eodemque consensu* tradatur *ius ad usum* matrimonii et simul imponatur alteri parti *obligatio* ex iustitia non utendi *iure tradito*, imprimis non is qui tradit ius alteri imponit obligationem iustitiae ad non usum, sed qui accipit ius illud acceptat imponendo sibi obligationem iustitiae ad non utendum iure accepto intuitu similis obligationis ab altera parte sibi impositae. Quodsi insistitur in hoc quod fiat *simul* — separatim omnes concedunt fieri posse — etiam *modi* apponi solent in ipsa celebratione contractus, atque ita simul ac quis accipit ius manet ligatus vinculo obligationis iure non utendi per *modum* impositae, quod vinculum rursus non ab altera parte imponitur sed per proprium consensum. Sicut autem non est contradictio accipere ius iam in ipsa acceptione impeditum quoad usum, ut evenit quando duo voto castitatis ligati contrahunt matrimonium, ita non est contradictio tradere ius quoad usum impeditum ex consensu alterius partis in tale impedimentum.

[47] Quod attinet ad exempla allata, fatendum est peremptorio modo non probari *factum*, revera intervenisse *pactionem* cum stricta *condicione de praesenti*, v. g. in matrimonio B. Mariae Virginis vel S. Pulcheriae, vel S. Cunigundae. Cfr. *Kreutzwald* in Kirchenlex. v. Iosephsehe; *Schnitzer*, l. c. Nec est absolute negandum facta illa aliam quoque admittere explicationem, et praesertim in matrimonio B. V. M. ad salvandum *valorem* veri matrimonii cum S. Iosepho celebrati ad istam *pactionem* non esse *necessario* recurrendum. Cfr. *Rosset*, n. 256 sq. de matrimonio B. V. M. Qua in re, si *Leitner*, 136, matrimonium B. V. Mariae et S. Ioseph appellavit «*matrimonium putativum*» sive «*matrimonium verum in foro externo*» i. e. tantum in foro externo, videtur per calami lapsum usus esse *verbis* obscuris et a communi modo loquendi *alienis*, aut secundum sensum obvium asseruisse doctrinam, cui theologi communiter calculum merito non adiciunt. Nam matrimonium *putativum* vere et obiective coram Deo est *invalidum;* at matrimonium B. V. M. et S. Ioseph fuit *verum validumque* matrimonium *ratum*, sed utique nunquam consummatum. Cfr. *Pesch*, n. 732 sq. Quidquid autem sit de alia explicatione possibili, non potest negari quin doctrina proposita sit aptissima ad explicandum sive matrimonium B. Virginis, sive aliarum sanctarum feminarum, quae ad B. Virginis imitationem sese voto castitatis obstrinxerunt et nihilominus sancte contraxerunt matrimonium. Illum alium modum explicandi relate ad matrimonium B. Virginis theologis relinquimus. Cfr. *Kugler*, l. c. n. 521. At quoad alias sanctas feminas, vix

CAPUT V

De forma celebrationis matrimonii

522. Fontes: C. XXX, q. 5. — Cpl. I et II, l. IV, tit. 3 de clandest. despons.; cpl. IV, l. IV, tit. 2 de cl. d. — Decret. Gregor. IX, l. IV, tit. 3, ead. rubr. — Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr. cum decl. S. C. C. in ed. *Richt*. Conc. Trid., 224 sq. — Decreta et responsa Sed. Ap. exhibentur in Clem. Pap. VIII Decret., ed. *Sentis*, 134 sq. et in Collect. P. F. n. 1217 sq., 1386 sq., 1511 sq. — Decretum «Ne temere» 2 aug. 1907 iussu Pii Papae X editum.

Scriptores: *Devoti*, l. c. § 147; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 192 sq.; *Scherer*, § 111-113; *Sánchez*, l. III; *Rosset*, n. 2069 sq.; *Feije*, n. 188 sq.; *Gasparri*, II, n. 1027 sq.; *Moy*, 94 sq., 215 sq., 372 sq.; *Freisen*, 91 sq.; *Esmein*, I, 185 sq., II, 176 sq.; *Chelodi*, n. 128 sq.; *Vlaming*, II, n. 553 sq.; *Cappello*, II, n. 648 sq.; *De Smet*, n. 107 sq.; *Ferreres*, Derecho sacramental, n. 671 sq. Sunt quoque conferendi libri theologiae moralis post Codicem publicati.

Praenotiones

523. Cum matrimonium ex natura rei perficiatur per consensum maritalem inter nupturientes exterius sufficienter manifestatum, independenter a speciali forma manifestationis, ideoque ex iure naturae matrimonium omnino clandestinum sit validum, ex lege positiva possunt in eius celebratione certae sollemnitates requiri, quemadmodum accidit in aliis contractibus.

524. Notio. Sollemnitates in matrimonio contrahendo ex iure Ecclesiae adhibendae recte dicuntur matrimonii *forma*.

Pro duplici respectu, qui matrimonio inest, distinguitur *forma iuridica* quae directe respicit matrimonium ut contractum, et *forma liturgica* quae matrimonium respicit ut rem sacram et sacramentum.

Forma iuridica, saltem inde a Conc. Trident., distinguitur in *substantialem*, qua non observata invalide contrahitur, et in *accidentalem*, qua neglecta illicite sed valide contrahitur. Forma liturgica, qua talis, i. e. quatenus formae iuridicae non coniuncta, tota est accidentalis.

Cum forma iuridica pro celebratione matrimonii eum in finem constituta sit ut de eo publice seu *coram Ecclesia* cons-

---

earum matrimonium accipit congruam explicationem citra doctrinam in textu propositam.

tare possit, si ea observata fuerit, matrimonium reddit iuridice publicum; si fuerit neglecta, matrimonium est clandestinum seu clam contractum.

525. Notae historicae. Est quaestio historica num Ecclesia *de facto* usa sit sua potestate statuendi, ut ultra formam externam ex natura rei requisitam, aliae sollemnitates in celebrando matrimonio adhiberentur, sive ut *forma accidentalis* ad *honestatem* et *probationem*, sive ut forma substantialis ipsarum nuptiarum, qua non servata ipse contractus immediate privaretur iuridica efficacia ad vinculum matrimoniale producendum.

In iure Romano [1], si excipias antiquum ius patricium, certa forma matrimonii ineundi non reperitur statuta [2]. Cum enim leges romanae sancirent *consensu* contrahentium vinculum matrimoniale effici, matrimonium existere praesumpserunt, ubicumque sive ex verbis sive ex factis consensus ille potuit probari. Huiusmodi signa consensus reputabantur v. g. traditio rei domesticae, traductio mulieris in domum mariti [3], sed iam ante

---

[1] Apud hebraeos celebrationi nuptiarum praeiverunt *tractatus parentum, pacta dotalia, sponsalia* cum consensu quoque *sponsae* inita et summo rigore servanda. Deinde secuta est sollemnis *traductio* sponsae in domum mariti. Qua occasione etiam cum sacris ritibus et precibus ex more recepto ipsum matrimonium est contractum. Cfr. *Flunk*, Act. theol. Oenipont. XII, 656 sq.; ubi simul falsae quaedam assertiones refutantur; *Schegg*, Bibl. Archaelog. 635 sq.; *Schnitzer*, 145 sq. Pariter apud antiquos graecos parentes per praevios tractatus pro suis filiis quaesiverunt sponsas et cum earum parentibus de dote pacti sunt. Quibus sollemnitatibus praemissis, tandem cum sacrificiis et precibus sacerdotum facta est traductio sponsae veraque celebratio nuptiarum. Cfr. *Zhishman*, 137. De iure populorum *germanicorum* in hac re disserunt: *Walter*, Deutsche Rechtsg., n. 478 sq.; *Schnitzer*, 150 sq.; *Sehling*, D. Untersch. d. V., 29 sq.; *Freisen*, 103 sq., ubi tamen suam theoriam de vi copulae carnalis ad contrahendum matrimonium etiam inter illos populos non amplius sustinuit. Hinc etiam apud germanos *post desponsationem*, et pacta de *mundio* aliisque rebus temporalibus, coram consanguineis cum certis *symbolis* nuptiae celebratae sunt, atque sollemnis secuta est traductio sponsae in domum mariti.

[2] *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 517 sq.; *Scherer*, § 113; *Freisen*, 101 sq.; *Duchesne*, Origines du culte chrét., 418 sq. Soli patricii celebrarunt nuptias per *confarreationem*, quae sollemniter facta est coram pontifice maximo aliisque sacerdotibus in stricta forma religiosa, ad valorem matrimonii, ut videtur, necessario requisita. Quae sollemnis interventio pontificis maximi et sacerdotum certe non habuit locum, si in celebrando matrimonio ad consensum maritalem accessit *coemptio* vel *usus*, sed alii ritus religiosi non defuerunt. Cfr. *Rossel*, n. 2489; *Sehling*, 7 sq.

[3] L. 30, D. de div. R. I. L. 17; L. 5, 6, 7, D. de rit. nupt. XXIII, 2; L. 32, § 13, L. 66, § 1, D. de donat. XXIV, 1; L. 15, D. de condit. XXXV, 1; L. 22, 4, Cod. de nupt. V. 4; Novell. 74, cap. 4, 5, Novell. 117, cap. 3 sq.

deductionem mulieris in domum viri potuit exsistere verum matrimonium, v. g. in eo qui, « *absentem accepit uxorem, deinde rediens a coena iuxta Tiberim periisset* ».

526. Quod iure naturali et Romano [4] constitutum fuerat *de solo consensu* contrahentium sponsorum ad validitatem matrimonii requisito, facile conciliari potuit cum elevatione matrimonii ad dignitatem sacramenti a Christo facta. Nam Christus Dominus generatim *legitimum contractum matrimonialem* fidelium sive contractum canonicum instituit sacramentum novae legis, neque per se immediate designavit *specialem* quandam *formam sollemnitatis* ad *validam* celebrationem matrimonii christiani necessariam. Ecclesia quoque catholica per multa saecula usque ad Concilium Tridentinum lege quadam universali formam *substantialem* validae celebrationis matrimonii non constituit [5]. Hinc sollemnitates quaedam accidentales et secundariae, pro diversitate regionum secundum mores populorum legesque civiles receptae, v. g. dexterarum iunctio, velamen sponsae, licet ab Ecclesia non reprobarentur, tamen tanquam formalitates *substantiales* contractus matrimonialis in foro ecclesiastico non fuerunt admissae [6].

527. Verum inde ab exordio religionis christianae ad *licitam* matrimonii celebrationem publica illius professio et interventio Ecclesiae fuit praescripta, optimoque iure docet Concilium Tri-

---

Cfr. *Scherer*, § 112, not. 19, § 113, not. 4; *Friedberg-Ruffini*, § 153, not. 2 sq.; *Sehling*, 3 sq.

[4] Quemadmodum Ecclésia non serviliter imitata est ius romanorum vel germanorum in legibus suis condendis de celebratione matrimonii, ita multo minus statuenda est exaggerata receptio iuris *hebraici* in foro ecclesiastico. Cfr. *Freisen*, 151 sq., 205 sq. iunct. *Moy*, 94 sq., 215 sq., 372 sq.; *Sehling*, D. Untersch. d. V., 24 sq., 1 sq.

[5] Profecto Concilium Tridentinum cap. « *Tametsi* » hanc quaestionem *historicam* scite non diremit; utitur enim verbis: « *Quamdiu Ecclesia irrita non fecit* ». Cfr. *Gasparri*, II, n. 929. At canones allati ex Gratiano pro contraria sententia iam exinde nihil efficiunt quod non pauci, v. g. can. *Evaristi*, sint plane spurii; verum etsi genuini essent, etiam collati cum aliis canonibus certo authenticis probabile quoddam argumentum contra valorem matrimoniorum clandestinorum ex disciplina antiqua non subministrant, sed potius validitatem illorum adstruunt. Cfr. C. XXX, q. 6; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 12; *Freisen*, 138 sq.; *Ponsius*, 296 sq.; *Rossel*, n. 2069 sq., 2850, ubi de nonnullis canonibus *indubitanter spuriis*, v. g. de canonibus arabicis Concilii Nicaeni (a. 325), videtur saltem anceps haerere. Cfr. *Hefele*, I, 356 sq.

[6] Cfr. cc. 1-6, C. XXVII, q. 2; cap. 39 Concil. Tribur. (a. 895), cap. 1, X, de spons. IV, 1; *Freisen*, 122 sq., 138 sq., *Bernard. Papiens.*, Summa Decretal., Summula de matrim., 141, 287, 304; *Zhishman*, 156 sq.; *Sehling*, 34 sq.

dentinum[7]: «*Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa — matrimonia clandestina — semper detestata est atque prohibuit*». Etenim iam *S. Ignatius*[8] monet: «*Decet vero ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant*», et *Tertullianus*[9] testatur: «*Apud nos occultae quoque coniunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur*»; canone vero 13 statutorum Ecclesiae antiq., qui una cum aliis falso adscribitur Concilio cuidam Carthaginiensi IV (a. 398), legitur: «*Sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus vel a paranymphis offerantur in ecclesia sacerdoti*»[10]. Quam praxim comprobat *S. Ambrosius*, cum docet: «*Ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari* (oportet)»[11]. Cum praeter-

---

[7] Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matrim.; *Kraus*, l. c. v. Eheschliessung.

[8] In cit. epist. ad Polycarp. cap. 5.

[9] De pudic. cap. 4, (*Migne*, P. L. II, 987). Ad uxorem l. II, cap. 9: «*Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet*». (*Migne*, l. c. I, 1302).

[10] Cfr. c. 5, C. XXX, q. 5. *Friedberg*, D. Recht d. Eheschliessung, 8 sq., opinatur antiquitus matrimonia inter christianos *independenter* ab Ecclesia coram testibus fuisse celebrata *fortasse* etiam coram sacerdote per professiones, atque solummodo ex praxi posterioris aetatis Chrysostomi et Basilii factum esse, ut super novos coniuges preces speciales dicerentur; immo contendit declarationem consensus sponsorum mansisse a sollemnitatibus ecclesiasticis *separatam* et demum ex Ritualibus saeculi undecimi et duodecimi fieri coram sacerdote; unde concludit nonnisi saeculo decimo tertio et decimo quarto *formam ecclesiasticam* celebrandi nuptias communi persuasione populorum fuisse receptam. At haec quidem sunt audacter asserta, sed solide non probata, ita ut etiam a scriptoribus acatholicis, v. g. *Sohm*, non admittantur. Quodsi *Friedberg* provocat ad antiquitatis vestigia in vigente praxi Ecclesiae Orientalis, ubi secundum Rituale non occurrit declaratio consensus sponsorum, petit argumentum ex re iuridice absurda et impossibili, i. e. ex nuptiis *sine consensu celebratis*, vel ex suppositione plane falsa; nam matrimonia *clandestina* in Ecclesia Orientali iam pridem censentur esse invalida. Praeterea haec mira sententia etiam refutatur positivis documentis iam allatis et mox afferendis. Quae speciminis causa sint dicta, ut pateat disquisitiones historicas de celebratione matrimonii, a viris praesertim acatholicis assidue factas, haud raro laborare gravissimo illo vitio, quod *non sint historicae*, sed praeiudiciis protestanticis innitantur. Cfr. *Hollweck*, l. c., 4 sq., 10, 141 sq., *Schnitzer*, 157, not. 8.

[11] S. Ambros. in epistol. 19, ad Vigilium cap. 7, (*Migne* XVI, 984). Cfr. quoque de benedict. nuptiar. c. 50, C. XXVII, q. 2 = cap. 4, epist. Siricii Papae ad Himer. (a. 385); Innoc. I, in ep. ad Victric. cap. 6, Sacramentaria Leon., Gelas. Gregor.; S. Leo in c. 4, C. XXX, q. 5; *Freisen*, 129 sq.; *Duchesne*, «Origines du culte chrét.», 413 sq.; *Schnitzer*, 150.

ea celebratio matrimonii coniuncta esset cum sacrificio eucharistico, et sacerdos sollemni ritu «*coniungeret*»[12] sponsos — dexterarum iunctio — facile patet Ecclesiam exceptis superstitiosis ritibus et sacrificiis falsis numinibus oblatis, quibus veros praeclarosque ritus sacros ipsumque augustissimum sacrificium Missae substituit, omnes laudabiles honestasque consuetudines romanorum in celebrandis nuptiis retinuisse atque sanctificasse.

528. Neque minus ab Ecclesia Orientali reprobata est matrimonii clandestinitas, ut iam insinuat Concil. Laodic. c. 1, (a. 343-381); Sanctus Chrysostomus vero (Homil. I in Matth., cap. 4), notat matrimonia clandestina tanquam morem sectarum philosophicarum. Postquam imperator Iustinianus suis Novellis 22, 74, 117, efficere studuit, ut matrimonia publice et in forma legitima contraherentur, inde ex saeculo XI publica nuptiarum celebratio etiam cum benedictione et coronatione sacerdotali ex universali consuetudine apud orientales fuit recepta et sub gravibus poenis ab imperatore Basilio macedone praescripta. Deinde imperator Leo philosophus iam eo processit ut, a. 893, matrimonia citra sacram benedictionem celebrata *nulla et irrita* declararet[13]. At iam Nicolaus M., quae graeci bulgaris de omnibus sollemnitatibus adstruxerunt, ad iustos limites redegit[14] itemque nostra aetate a S. C. de Prop. Fide genuina doctrina dogmatica et canonica in hac re catholicis orientalibus in memoriam est revocata. Cfr. Instr. eiusd. S. C. a. 1858, ad Arch. Fogar. relat. in Conc. Alb.-Iul. (a. 1872), p. 224 sq., 326.

529. Populi quoque *germanici* postquam religionem christianam amplexi sunt, ab honestis consuetudinibus patriis in contrahendo matrimonio non recesserunt. Immo RR. Pontifices, ut eo certius constaret de *vera* et *publica* nuptiarum celebratione,

---

[12] Quae coniunctio inde a medio aevo non raro expressa est sollemni formula: «*Ego coniungo vos in matrimonium*» etiam in Concilio Tridentino commemorata et in Rituali Romano retenta. Verba illa formulae, si nimis litteraliter intelligantur, ut recte animadvertit *Duchesne*, l. c., 415, not. 1, continent sensum excessivum et theologis quibusdam suppeditarunt argumentum, quo demonstrare conati sunt sacerdotes, non coniuges, esse *ministros* sacramenti matrimonii. Quare mirum non est quod aliae dioeceses retinuerint suas antiquas formulas pariter a Concilio Tridentino permissas, quae doctrinam dogmaticam de veris ministris sacramenti matrimonii, i. e. coniugibus, atque functionem liturgicam et auctoritativam sacerdotis clarius exprimunt. Cfr. *Schnitzer*, 215, not. 1.

[13] Coll. S. C. de Prop. Fide, n. 1429; *Rosset*, n. 2851; *Scherer*, 233; *Zhishman*, 158 sq., 670 sq.

[14] Nicol. M. in resp. ad consulta bulgar. (a. 866) n. 3 = c. 3, C. XXX, q. 3; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 12, n. 6; *Schnitzer*, 150 sq.

salvis legibus divinis et canonicis (cfr. cap. 1, X, de sponsal. IV, 1), sedulo investigandum praescripserunt in causis matrimonialibus, num « *praemissis dotibus, coram testibus, secundum legem et ritum quo nuptiae celebrari solent* » (cfr. Nicol. M. ad suos Legatos in causa Lotharii regis a. 863, = c. 4, C. XXXI, q. 2), matrimonium fuerit contractum. Quare cum apud germanos fuerit mos per *desponsationem* et per redemptionem mundii — v. g. 40 solidis apud alamannos, 50 solidis apud francos ripuarios, 300 solidis apud saxones — vel per dotationem sponsae et publicas nuptias coram testibus sibi copulandi uxores, eadem praxis apud christianos retenta est, cui tamen accesserunt sacri ritus atque imprimis *benedictio sacerdotis*. Cfr. c. 17, C. XXVIII, q. 1, cum dict. Grat.; c. 6, D. XXX, q. 5. At quoniam complures sollemnitates germanorum minus convenienter in ipsa ecclesia paroeciali fieri potuerunt, v. g. traditio gladii per mundualdum sponsae, lectio pactorum dotalium, germani pro suo more negotia publica in publicis campis transigendi, etiam nuptias celebrarunt publice *ante portas ecclesiae*, i. e. litteraliter « *in conspectu* sive *facie ecclesiae* », in quam postea ingressi sunt, ut assisterent sacrificio Missae et reciperent sacram communionem. Quae disciplina celebrandi nuptias ante portas ecclesiae in Gallia et Anglia usque ad saeculum decimum sextum fuit in vigore.

At non omnibus placuerunt publicae illae nuptiae; hinc clandestina matrimonia absque testibus neque « *in facie ecclesiae* » contracta haud raro fuerunt prohibenda [15]. Quod potissimum factum est per Capitularia Caroli M. [16] et non pauca Concilia provincialia [17]. Toto vero saeculo nono et subsequentibus temporibus publicas nuptias fuisse praeceptas et damnata matrimonia clandestina patet ex celeberrimis responsis Nicolai M. [18] ad consulta bulgarorum, ubi refert praxim Ecclesiae romanae, atque ex collectionibus canonum Pseudo-Isidori, Burchardi Wormatiensis et praesertim Gratiani. Qui licet ad comprobandam prohibitionem matrimoniorum clandestinorum complures canones falsificatos alleget, tamen recte explicat praxim suae aeta-

[15] Cfr. c. 15 Synod. in Verno palatio (a. 755), quo praescribitur, « *ut omnes homines laici publicas nuptias faciant tam nobiles quam ignobiles* ». Cfr. *Hefele*, III, 587 sq.

[16] Cap. 35, in capitul. a. 802; Synod. Ratisb. capit. (?) 21. Cfr. *Hefele*, l. c., 735.

[17] Capitul. 8 Synod. Trosliens. (a. 909); can. 14 Synod. Rothomag. (a. 1072); can. 18 Synod. Londin. (a. 1175); can. 11 Synod. Londin. (a. 1200).

[18] Cfr. c. 3, C. XXX, q. 5.

tis et *validitatem* matrimoniorum clandestine et sine sacerdote celebratorum [19].

Alexander III, propter matrimonia clandestina saepissime in Archiepiscopatu quodam contracta, mandat illi Archiepiscopo ut generaliter in ecclesia sub anathematis poena prohibeat, ne de cetero inter aliquos in occulto, sed publice coram idoneis testibus sponsalia contrahantur. Cfr. cpl. I, l. IV, tit. 4, de spons. duor. cap. 4. In cpl. II, l. IV, tit. 3, de cland. desp. cap. 1, 2, idem Alexander III matrimoniorum clandestinorum valorem sustinet, nisi aliud obstet impedimentum; at *sponsis* ita occulte contrahentibus *paenitentia* potuit indici, et *sacerdos* clandestine benedicens nuptiis iubetur *suspendi* ab officio per *triennium* [20].

530. Tandem Innocentius III, ut eliminaret graves abusus matrimoniorum occultorum, in Concilio Lateranensi IV (a. 1215), capitul. 51, proclamationes instituit, unde nova quaedam species clandestinitatis orta est [21]. Quod vero non raro sapientissimae illae leges de celebratione matrimonii « *in facie Ecclesiae* » coram testibus et praemissis bannis penitus fuerint neglectae abunde

[19] In dicto post c. 8, C. XXX, q. 5, Gratianus suam sententiam proponit et probat. Quae acatholici quidam iuristae in Germania de theoriis Gratiani, Scholasticorum etc. disputant, haud raro magis erudita quam vera sunt. Hinc fit ut res valde simplices confundantur; v. g. *Sohm*, Recht. d. Eheschl., 76 sq., *desponsationem* de futuro iuris germanici quoad rem confundit cum *celebratione matrimonii*, et id deducit ex *aequiparatis poenis adulterii* et violationis sponsae. Cfr. *Scherer*, § 110, not. 13, 112; *Hollweck*, D. Civileher., 141 sq.; *Schnitzer*, 151, not. 6, p. 155; *Sehling*, 157 sq.

[20] *Schnitzer*, 155 sq.; *Sehling*, 124 sq.

[21] Cap. 3, X, h. t. = cit. capitul. 51. Pro diversitate temporum vocabulum *clandestini* matrimonii diversam habuit significationem. Iure enim antiquo nuptiae dicebantur clandestinae, quae sine *sollemnitatibus* fuerunt celebratae (cfr. c. 3, C. XXX, q. 5; *Bernard. Pap.* l. c., 141; *Roland.*, Summa, 151, 153, 154), aut non *publice in facie Ecclesiae* coram populo et testibus (cfr. *Bern. Pap.*, l. c. « *De illa vera clandestina* (desponsatione) *quae testibus caret, agitur in titulo isto* », i. e. de cland. desp., *suae* Summae ». Inde a Conc. Lat. IV et Decretal. Gregorii IX, accessit *tertia* species clandestinitatis ex omissis *bannis*. Tres illas species clandestinitatis optime recenset Synod. dioec. Burdigal. c. 5 (a. 1267). Denique a Concilio Tridentino *quarta* quaedam species clandestinitatis introducta est propter non servatam formam *substantialem* coram proprio parocho et testibus cap. « *Tametsi* », celebrationi nuptiarum praescriptam et a Pio X, decreto « *Ne temere* » mutatam. Qua forma substantiali non servata, nostra aetate nuptiae simpliciter et proprie dicuntur clandestinae, licet *proclamationes* fuerint peractae. Cfr. S. C. C. in casu Hieracen. a. 1587; at quoad omissas « *sollemnitates* » cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr.; *Sánchez*, l. III, disp. 1, n. 5 sq.; *Feije*, n. 188, 195.

demonstraretur ex frequentibus statutis contra occulta matrimonia [22]. Quare cum solis proclamationibus non satis provisum esset *publicae* matrimonii *celebrationi* et *probationi* in foro *externo*, complures Synodi provinciales et dioecesanae etiam *certam formam* et imprimis praesentiam *proprii parochi*, exclusis *laicis* et praesertim *feminis* a copulatione peragenda, determinatique numeri *testium* certis qualitatibus instructorum [23] in celebratione matrimonii statuerunt. Quibus statutis praeparata est reformatio Concilii Tridentini, qua confirmata et ampliata lege Concilii Lateranensis IV (a. 1215), prima vice in Ecclesia saltem Occidentali, rogante rege Galliae, post longas disputationes et deliberationes [24] singularis quaedam forma sollemnitatis pro matrimoniali contractu ita fuit determinata, ut illa *non servata* Synodus Tridentina « *huiusmodi contractus nullos et irritos esse* » decreverit. Quod « *saluberrimum decretum* » Concilii Tridentini usque ad nostram aetatem sine substantiali immutatione ab Ecclesia sapienti consilio retentum fuit; neque ulla videtur esse spes fore ut postulata [25] quorundam Episcoporum in Concilio Vaticano, quae huius decreti *abrogationem* non modificationem continebant, Romanos Pontifices ad abrogandam in substantialibus illam disciplinam inducant.

In accidentalibus immutatum fuit, ex speciali mandato Pii PP. X, a S. Congregatione Concilii per decretum « *Ne temere* » 2 augusti 1907 « de sponsalibus et matrimonio ». Hanc immutationem suaserunt duo potissimum incommoda ex legislatione Tridentina paulatim suborta. Ob promulgationem cap. « *Tametsi* » in singulis paroeciis faciendam ut lex obligaret, disciplina alia aliis in locis orta est. Aut caput Tridentinum « *Tametsi* » legitime promulgatum observabatur, aut non promulgatum valorem matrimonii non afficiebat, aut dubitabatur num promul-

[22] *Hefele*, V, 948, 1012, 1014, 1028, VI, VIII, IX, in ind. v. Ehe.; *Schulte*, Eher., § 8.

[23] *Schulte*, l. c.; Concil. prov. Arand. in Hisp. (a. 1473), quod requirit praesentiam saltem *quinque testium; Schnitzer*, 155 sq.; *Scherer*, § 112, not. 132 sq.; *Leitner*, 375, 539 sq.

[24] *Pallavic.*, Hist. Conc. Trid. l. XVI, cap. 1, l. XXII, cap. 4, 8, 9, l. XXIII, cap. 5, 9; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 12; *Theiner*, Act. Conc. Trid., II, 316, 334 sq.; 461 sq.; *Schnitzer*, 157 sq.; *Hollweck*, 137 sq., ubi de abusibus ex matrimoniis clandestinis *ante* Concilium Tridentinum ortis mitius iudicat et perperam « *artificiali agitationi* » ex parte Galliae tribuit, quod in Concilio Tridentino forma quaedam ad *valorem* matrimonii necessaria fuerit praescripta. Cfr. cap. *Tametsi; Scherer*, § 112, p. 106, sq.

[25] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic., 163.

gatio facta esset vel eius vis fuisset abrogata. Unde plurimae ambiguitates de valore matrimoniorum oriebantur. Aliud incommodum ex praescripto Tridentino celebrandi matrimonium coram proprio contrahentium parocho creabatur. Is enim proprius parochus intellegebatur, cuius in paroecia domicilium aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis esset. Quia nonnunquam difficile erat iudicare, num certo constaret de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia erant obiecta periculo nullitatis; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima et irrita deprehensa erant. Matrimoniorum incertorum numerus per facilem commeatum inter omnes orbis partes, a medio saeculo XIX potissimum crescentem, multum auctus fuerat. Quam ob causam a compluribus Episcopis, maxime e celebrioribus civitatibus ubi gravior apparebat necessitas, preces Apostolicae Sedi admotae sunt, ut mutatio aliqua induceretur circa formam celebrandi connubii.

Quae incommoda evitata sunt, dum in memorato decreto S. C. C. accurate definita sunt matrimonia, quae subessent illi substantiali formae, extendendo legem ad omnes catholicos, et parochis pro assistentia assignavit competentiam *territorialem*, qua fiebant habiles ad validam assistentiam praestandam cuilibet matrimonio etiam non subditorum, quod celebraretur intra ambitum proprii territorii paroecialis.

Quae nova lex, qua inter validam et licitam assistentiam accurate distinguebatur et validae nuptiarum celebrationi in casibus extraordinariis per claras et simplices normas prospiciebatur, fere immutata in Codice recepta est et hoc capite est explicanda.

531. Legitima praescriptio formae substantialis. I. Cum haec forma fuerit introducta per concilium oecumenicum a R. Pontifice confirmatum, Ecclesia indubitanter iure illam praescribendi gaudet, secus in re, maxime ad fidem et mores pro universo orbe christiano spectante, turpiter errasset. Id autem admitti nequit. Etenim licet caput « *Tametsi* » sit lex disciplinaris, non definitio dogmatica, tamen Ecclesia etiam in universalibus legibus *disciplinaribus condendis* — et ex intentione Concilii Tridentini caput « *Tametsi* » in universa Ecclesia catholica fuit introducendum — ita infallibilis est, ut nihil in iis statuere possit contra fidem et bonos mores. Quae infallibilitatis praerogativa sarta tectaque non mansisset, si Patres Tridentini in condendo capite « *Tametsi* » transgressi essent *limites* potestatis ecclesiasticae a se ignoratos, et aliquid decrevissent contra doctrinam Christi de *valore* sacramenti matrimonii. Quare potestas illa Ecclesiae sane

ante Sessionem sollemnem XXIV Conc. Trid. de ref. a non paucis Praelatis et viris doctis multis argumentis fuit impugnata, sed *post* Concilium Tridentinum inter catholicos haec controversia est finita, atque falsa argumenta in contrarium allata et iam in ipso Concilio Tridentino atque deinde a *Sánchez* aliisque viris doctis refutata per frequentem repetitionem non facta sunt vera.

Porro Christus Dominus matrimonium elevavit ad dignitatem sacramenti sub *generali* ratione *contractus legitimi;* at quaenam *forma* requiratur ut contractus matrimonialis sit legitimus, ipse *speciali* quadam ordinatione non constituit, sed Ecclesiae determinationi reliquit. Quare Ecclesia, cum irritat matrimonia clandestina, tantum efficit ut contractus antea legitimi postea non amplius sint legitimi et careant qualitate ex ipsa Christi institutione requisita, i. e. conformitate cum legibus divinis et *canonicis*. Denique potestas publica, cui ordinatio contractus est commissa, non restringitur ad solam inhabilitationem personarum, sed ex natura rei sese etiam extendit ad reddendum *inefficacem* consensum naturalem et ad praescribendum pro valore contractus formam quandam sollemnitatis. At Ecclesia, ut supra demonstratum est, a Christo Domino obtinuit *generalem* potestatem statuendi impedimenta etiam dirimentia matrimonii, cui neque ex natura rei neque iure positivo limitationes quoad directam irritationem actus vel formam sollemnitatis sunt appositae. Hinc Ecclesia, capite « *Tametsi* » *materiam* et *formam* huius sacramenti non mutavit neque contra definitionem, ab ipso Concilio Tridentino, Sess. XXI, doctr. de comm. cap. 2, datam, sibi vindicavit potestatem disponendi de sacramentorum *substantia*, sed formam *sollemnitatis* contractus matrimonialis constituit, propter cuius *defectum* matrimonium efficeretur nullum et irritum.

Multo minus urgeri potest illa ratio, quod homo habeat plenum dominium suorum actuum, in quos Ecclesia careat potestate directa et immediata. Inde enim tantum sequitur, quod Ecclesiae non competat potestas in *substantiam* sive in *naturalem valorem* actuum humanorum intellectus et voluntatis, quem neque destruere vult nec tollere potest, sed potius *supponit*, ut patet ex sanatione matrimonii *in radice*, quae secus explicari omnino non posset. At nequaquam legitime infertur idcirco Ecclesiam carere potestate reddendi ex iustis causis actus humanos in contractu matrimoniali intervenientes *iuridice inefficaces* sive *invalidos*.

Qua nova forma substantiali non obstante, *consensus* sponsorum manet vera et unica *causa efficiens* vinculi matrimonialis, nequaquam vero *parochus sua declaratione* sponsos nomine

et auctoritate Ecclesiae *coniungit*. Illa enim forma est solummodo sollemnitas extrinseca, ut *condicio* essentialiter requisita, sine qua *consensus sponsorum* non est iuridice efficax ad producendum vinculum matrimonii. Quare sicuti ex voluntate *privata*, per appositam condicionem, consensus vere iam datus *suspendi* potest usque ad eventum futurum, quo verificato sine ulla innovatione fit *efficax*, ita etiam auctoritas *publica* statuere potest ut consensus sponsorum naturalis in ordine iuridico sit inefficax, nisi omnibus impletis sollemnitatibus sive condicionibus essentialibus ab Ecclesia praescriptis. Profecto ex disciplina, usque ad annum 1908 vigente, ad *valorem* matrimonii *sufficiebat passiva* assistentia parochi servatis reliquis condicionibus; at Ecclesiae limites suae potestatis non transgressa est, cum ad vitandos dolos etiam *activum* quendam interventum parochi non solum ad *licitam*, sed etiam ad *validam* celebrationem nuptiarum necessarium esse decrevit, ut *condicionem* essentialem.

II. Gravia peccata ex clandestinis coniugiis ortum habent. Etenim deficiente legitima matrimonii probatione imprimis occasio datur repudiandi veram *uxorem et prolem* ex ea susceptam et committendi *polygamiae* crimen atque adeo ascendendi ad *ordines* sacros retenta uxore [26]. Quare plane opportuna et convenientissima fuit forma illa substantialis a Patribus Concilii Tridentini pro celebratione nuptiarum statuta, qua matrimonium solummodo coram *parocho et duobus saltem testibus valide* contrahi potest, atque illa convenientia etiam nostra aetate urget.

532. Forma iuridica celebrationis definitur c. 1094 his verbis: « *Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur et salvis exceptionibus de quibus in cc. 1098, 1099* ».

Ergo forma iuridica constituitur per assistentiam trium sal-

---

[26] Bened. XIV, Const. « *Satis vobis* » 17 nov. 1741, § 7; Const. « *Paucis abhinc* » 10 mart. 1758; Conc. Trid. cap. « *Tametsi* »; *Rosset*, n. 2072 sq., ubi n. 2073 cum *Sánchez*, l. III, disp. 3, n. 7 sq., aliisque tenet matrimonia clandestina iam ipso *iure naturae esse illicita*, sed communior magisque fundata est sententia negans, quae propugnatur a *Schmalzgr.*, h. t. n. 93 sq., praeeuntibus *Laynez, D. Soto, Pirhing*. Et revera ipse *Rosset* fatetur intrinsecam malitiam, ut in mendacio, non reperiri in matrimonio clandestino; quodsi nihilominus eius illiceitatem repetit ex iure naturae non satis distinguit legem ipsa natura constitutam *a ratione naturali*, quae nondum est *lex naturalis*, sed *legislatorem humanum* inducit ad condendam legem *positivam*.

tem personarum, quarum una — parochus, Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus — assistit ut *testis qualificatus*, i. e. speciali qualitate ab ipso iure designata praeditus et est minister sacer, qui partium consensum nomine Ecclesiae excipit, alii duo assistunt ut testes ordinarii seu communes.

§ I. Formalitates pro valore requisitae

533. I. De assistentia parochi vel Ordinarii. *Ordinarius* loci intelligitur ad normam c. 198 § 2 [27].

Parochus. Sub hoc nomine venit: 1°) *parochus* simpliciter ita vocatus, i. e. sacerdos, cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda. C. 451 § 1.

2°) *quasi-parochus,* qui quasi paroeciam regit in vicariatu aut praefectura apostolica.

3°) *Vicarius paroecialis,* si plena potestate sit praeditus, qualis est: *a*) vicarius actualis ad normam c. 471 § 1, curam animarum gerens in paroecia pleno iure unita seu incorporata personae morali (capitulo, monasterio); *b*) vicarius oeconomus constitutus ad regendam paroeciam vacantem (c. 472, 1°); *c*) vicarius cooperator (unicus vel antiquior) aut parochus vicinior, qui ad normam c. 472, 2° ante oeconomi constitutionem interim assumit regimen paroeciae vacantis; *d*) vicarius substitutus parocho ultra hebdomadam absenti ad normam c. 465 § 4, *post* Ordinarii approbationem, non *ante* illam (Commiss. Codic., 14 iul. 1922, ad V), nisi ad normam § 5 eiusdem canonis in casu urgente officium obtineat independenter ab approbatione Ordinarii, quo in casu, nisi parochus facultatem limitaverit, valide et licite assistit ante approbationem Ordinarii, donec is aliter statuerit (AAS. XIV, 257); *e*) vicarius *adiutor,* qui parocho permanenter inhabili ita datus fuit, ut huius vicem in omnibus supplendam habeat (c. 475); *f*) qui ab Ordinario designatus paroeciam administrat, pendente recursu parochi eadem privati ad norm. c. 1923 § 2.

Spectato iure communi non habent competentiam ad vali-

[27] Ex c. 198 collato cum c. 267, fit manifestum Legatos Sedis Apostolicae — Nuntios, Internuntios, Delegatos Apostolicos — nunc non esse competentes ut in suis territoriis matrimoniis assistant, nec inter facultates ipsis concessas haec reperitur. *Cappello,* II, n. 651; *Ferreres,* n. 684. Pariter attento c. 266 illa competentia carent Legati a latere et Cardinales in suis titulis aut diaconiis iam inde a Const. Innocentii XII « *Romanus Pontifex* » 17 sept. 1692.

dam assistentiam: *a*) *vicarii cooperatores,* nisi in his constituendis dederit Episcopus facultatem generalem quoad sacramenta non excepto matrimonio [27*], quod haud raro fit cum vicariis qui praeponuntur coadiutoriae filiali cum territorio proprio et separato a territorio matricis, cum proprio fonte baptismali et forte etiam proprio coemeterio [28].

b) Rector domus religiosae vel piae, v. gr. hospitalis, nisi agatur de domo a cura parochi prorsus exempta, quoad omnes personas in ea commorantes ad normam c. 462 § 2, quo in casu competentia restricta est ad assistentiam in ipsa domo praestandam.

c) Rector Seminarii, cui cura animarum incumbit quoad personas ad Seminarium pertinentes, sed excepta materia matrimoniali (c. 1368).

Competentia parochi et Ordinarii est cumulativa, ita ut Ordinarius independenter a parocho quibuslibet subditorum suorum nuptiis per se vel per alium valide assistit, quamvis non

[27*] Fuerunt qui c. 476, § 6, ubi dicitur vicarium cooperatorem debere ratione *officii* vicem parochi supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, ita interpretabantur ut contenderent vicarium cooperatorem, parochi vicem *ratione officii* supplentem, eo ipso esse competentem ad valide assistendum matrimoniis suae paroeciae. Quae interpretatio falsa est dicenda, cum his verbis intendatur solummodo describere generali modo ad quid teneatur vicarius cooperator, qua talis, in paroecia cuius servitio est adscriptus. Itaque ratione muneris, quod acceptavit, tenebitur parochum adiuvare in universo paroeciali ministerio eiusque vicem supplere *eo modo* quo id ordinaverint vel statuta dioecesana vel litterae Ordinarii vel ipsius parochi commissio. Sed ex alia parte, ratione muneris quo fungitur, ex iure communi nulla ei competit potestas specialis; si qua forte indigeat ad adimplendas obligationes sibi impositas, illa potestas debet ei provenire vel ex statutis dioecesanis vel ex litteris Ordinarii vel, ut communius contingit, ex proprii parochi delegatione. Hinc est quod vicarius cooperator, licet suppleat parochum, et quidem *ratione officii,* non possit tamen valide assistere matrimoniis intra paroeciam, cuius servitio est addictus, nisi prius delegationem vel generalem vel saltem peculiarem obtinuerit; Comm. Codicis d. 31 ian. 1942; AAS. XXXIV, 50; Period., XXXI, 194.

Sane, canon 1094, in quo taxative enumerantur qui ratione officii valide assistunt matrimoniis in adiunctis ordinariis, mentionem facit solummodo parochi et loci Ordinarii, qui rursus nominantur soli in sequenti c. 1095 § 2, ubi agitur de iis, qui cum *matrimonio possint valide assistere* vi iuris communis, facultate etiam gaudeant *delegandi* alios sacerdotes; inter hos autem designatur expresse in sequenti c. 1096 veluti capax delegationis peculiari modo obtinendae vicarius cooperator; id autem sensum non haberet si posset iam ipse valide assistere matrimoniis vi canonis 476 § 6, quoties ratione officii suppleret parochum. Cfr. infra n. 538.

[28] *Vlaming,* II, n. 564.

expediat ut passim et absque iusta causa huiusmodi potestatis usu parochos praeveniat; vicissim parochus per se vel per alium nuptiis paroecianorum valide assistit independenter a licentia vel prohibitione Ordinarii, etsi contra Ordinarii prohibitionem illicite.

534. II. **Competentiae limites.** *a*) Tam Ordinarii quam parochi competentia restringitur intra limites *loci*, i. e. respectivae dioecesis vel paroeciae in qua matrimonium contrahitur, nec sub praesente disciplina requiritur ad valorem nuptiarum praesentia parochi vel Ordinarii *proprii*, quemadmodum ante Decret. « *Ne temere* », sed praesentia parochi vel Ordinarii *loci*, ubi matrimonium celebratur, adeo ut coram ipso — vel eiusdem delegato sacerdote — eoque solo valide contrahatur matrimonium sive subditorum sive non subditorum. Qua in re habetur *cardo mutationis* factae in lege clandestinitatis, eum in finem introductae, ut vitarentur intricatae difficultates, quae sub disciplina Tridentina frequenter exurgebant ex non observata qualitate parochi *proprii*. Inde autem sequitur parochum vel Ordinarium non posse, ut antea, ex propria competentia valide assistere matrimonio *sui subditi* extra limites paroeciae suae vel respective dioecesis.

Ecclesiae regulares exemptae, ad effectum assistentiae matrimonii, existimari possunt et valent tanquam territorium parochi seu Ordinarii. S. C. de d. Sacr., 12 mart. 1910, ad VIII.

535. Scholion. *Parochi personales* illi sunt quibus paroeciani non subiciuntur ratione loci, sed ex titulo *personali*, v. gr. quia pertinent ad certam familiam — paroecia *gentilitia* —, vel ad certum ritum — graecum, latinum, mozarabicum — vel ad determinatum coetum hominum — v. gr. ad militiam — paroecia castrensis — : quae fidelium dependentia a parocho personali vel est omnino independens a territorio, ita ut sine ulla finium distinctione parochi proprias ac distinctas oves agnoscant per solam distinctionem familiarum; vel personalis dependentia potest esse limitata etiam per limites territorii, v. gr. alicuius civitatis, si in aliqua civitate fiat divisio paroeciarum per ritus aut linguam seu nationalitatem, aut existentibus paroeciis territorialibus, certi fideles illius civitatis — v. gr. talis linguae aut ritus — subiciantur parocho personali independenter a loco domicilii in eadem civitate: nihilominus in hoc altero casu plerumque poterit dici parochum personalem habere etiam territorium, at non proprium et exclusivum sed cumulativum cum aliis parochis.

Cum per Decret. « *Ne temere* » cui consonat ius Codicis, competentia parochum, quoad assistentiam matrimoniis praestandam

reddita fuerit stricte et exclusive territorialis, eius dispositiones non habebant claram explicationem in paroeciis personalibus [29]; inde declaratum fuit: 1°) cappellanos castrenses et parochos nullum territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, sed iurisdictione directe in personas vel familias gaudentes, retinere eandem competentiam quam antea habebant et quoad ipsos nihil esse immutatum. Ergo hi sunt competentes quoad suos subditos ubique copulandos, non quoad alios. Codex vero in particulari de cappellanis militum sive maioribus sive minoribus standum esse decernit peculiaribus S. Sedis praescriptis (c. 451 § 3). Quare ex hisce S. Sedis praescriptis sciendum erit, utrum horum personalium parochorum competentia sit *exclusiva* an *cumulativa* cum parochis ordinariis. Praesumptio videtur esse pro competentia *cumulativa* relate ad validam assistentiam, cum competentia *exclusiva* esset derogatio valde notabilis et vere exorbitans a communi iure, si exceptio obtineret a generali principio per novum ius inducto, quo competentia parochi, ad validitatem matrimonii quod attinet, iam non amplius restricta est ad suos subditos [30].

2°) Parochi, qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, valide assistunt in territorio cumulative habito matrimoniis suorum subditorum (S. C. C. citata ad VIII). Datur hic casus, cum duo parochi habent curam incolarum eiusdem paroeciae, ita ut uni incumbat cura fidelium unius nationalitatis aut ritus, alteri fidelium nationalitatis aut ritus diversi. In hoc casu competentia parochi personalis relate ad valorem videtur sese extendere ad quaelibet matrimonia etiam non subditorum, dummodo celebrata in territorio cumulative habito [31].

3°) Si parochus praeter territorium proprium et fideles sibi ratione territorii subditos, etiam in territorio aliis paroeciis assignato nonnullas personas seu familias sibi subditas habeat, etiam in hoc alieno territorio potest suorum subditorum *tantum*, non aliorum, matrimoniis interesse (S. C. C. cit. ad XI). At, excepto casu de Indiis orientalibus [32], iidem subditi personales

---

[29] Iure Codicis paroeciae personales pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium sine speciali apostolico indulto constitui non possunt (c. 216, § 4).

[30] Cfr. *Vlaming*, II, n. 566 iunct. *Ferreres*, n. 761 sq., 774 sq., 788 sq. de peculiaribus difficultatibus applicandi principium de immutata competentia parochorum personalium quoad paroecias mozarabicas et castrenses in Hispania; *Cappello*, II, n. 669; *Chelodi*, n. 131.

[31] *De Smet*, n. 108; *Chelodi*, l. c.; *Ferreres*, 802 sq.

[32] Pro Indiis orientalibus S. C. de d. Sacr., 2 iun. 1910, (AAS., II,

videntur posse contrahere valide apud quemlibet parochum territorialem, si matrimonium in huius territorio celebrent.

536. *b*) Competentia in parocho vel Ordinario habetur a die tantummodo *adeptae possessionis* beneficii vel initi officii. Episcopus capit possessionem per exhibitionem litterarum apostolicarum; parochus beneficiarius per illum actum, qui iure peculiari suae dioecesis ad hoc praescriptus est; reliqui, qui officium obtinent sine beneficio, per actualem susceptionem muneris eo tempore quod eis in decreto nominationis praefinitur [33]. Competentia *desinit* statim ac beneficium vel officium quacumque ex causa amittitur. Competentia *suspenditur* durante munere, si parochus vel Ordinarius « per sententiam fuerint excommunicati, vel interdicti, vel suspensi ab officio aut tales declarati » [34]. Competentia non deest in parocho putativo, qui potest esse talis ob solum errorem communem aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, cum deficientem iurisdictionem in tali casu suppleat Ecclesia (c. 209) [35].

---

447) « attentis peculiaribus circumstantiis » declaravit subditos parochi personalis non posse nequidem valide contrahere coram parocho territorii.

[33] C. 334 § 3, c. 1444. Cfr. Arch. f. k. K. LXXXIX, 327 sq., ubi refertur resp. S. C. C. 4 iul. 1908, sc.: « nomine possessionis hic intelligi illum actum qui, sive institutio corporalis, sive inthronizatio, sive installatio, sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit ut institutus exinde adipiscatur liberum exercitium potestatis suo officio adnexae », qui actus diversus est in diversis dioecesibus et maxime expediret ut decreto episcopali definiretur, cuinam ex pluribus actibus, qui forte interveniunt, illa vis sit tribuenda.

[34] *Publicitas,* quae plerumque non deerit, non requiritur. In decr. « Ne temere » dicebatur « nisi *publico* decreto *nominatim* fuerint excommunicati vel ab officio suspensi » quae verba mutata sunt in c. 1095, § 1, 1°. At defectus publicitatis facile poterit efficere, ut adsit error communis. *Chelodi*, n. 132; *Cappello*, II, n. 662.

Non sufficit suspensio ab ordine, a divinis, a beneficio, neque etiam suspensio a iurisdictione se sola, i. e. independenter a suspensione ab officio, cum ius hanc praecise requirat, ut suspendatur competentia ad assistendum; quae suspensio ab officio continetur in suspensione *generaliter* lata.

Si episcopus parochum ab assistentia prohiberet, etiam sub poena suspensionis, et contra prohibitionem parochus assisteret, valida esset assistentia; poena namque praeceptum sanciens non incurreretur nisi post violatum praeceptum et assistentiam praestitam; insuper requireretur sententia de poena incursa.

[35] *Chelodi*, n. 131; *Cappello*, II, n. 663 sq.; *Ferreres*, n. 690 sq.; *Vermeersch*, Theol. mor. III, n. 795. Quae doctrina iam erat admissa in iure antiquo, quamvis a multis exigeretur titulus coloratus. Cfr. *Schmalzgr.*, IV, 3, n. 180; *Reiffenstuel*, eod. tit. n. 75; *Van de Burgt*, n. 222; *Feije*, n. 29; *Rosset*, n. 2195.

537. Modus assistentiae, ad valorem requisitus, est ut parochus — respective Ordinarius — « *neque vi neque metu gravi* constrictus *requirat excipiatque* contrahentium consensum ». Quae praescriptio eo pertinet ut ex una parte excludantur matrimonia ex inopinato inita et ex alia parte parochus libere ministerium suum praestet, prout exigit sacramenti reverentia. Modus ille assistentiae non necessario requirit ut parochus antecedenter explicite vel implicite sit rogatus, dummodo de facto liber a coactione positive a sponsis consensum exquirat; at matrimonium valore caret quoties ei gravis metus incussus fuerit, etiamsi causa movens ad inferendam vim fuerit iniusta recusatio assistentiae [36].

Activa illa assistentia consistens in exquisitione consensus etiam in *matrimoniis mixtis* est ad valorem necessaria (c. 1102 § 1); nec excipiendus est casus, in quo pervicaciter denegatis cautionibus requisitis, nihilominus parochi assistentia toleratur, sed etiam in hoc casu matrimonium valore caret, nisi a parocho nupturientium consensus fuerit requisitus per consuetas interrogationes [37*].

538. III. **Assistentia sacerdotis delegati.** « *Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii ma-*

---

[36] Ius non distinguit inter metum iustum et iniustum, qui defectus distinctionis satis explicatur ex hoc quod metus *iuste* incussus vix concipi potest in hac materia, nisi in quantum parocho iniuste recusanti assistentiam minae intentarentur eum deferendi ad Ordinarium invocando huius interventum: quae comminatio metum *gravem*, qui solus in iure attenditur, profecto non infert. *Vlaming*, II, n. 577; *Chelodi*, n. 132; *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 394; *De Smet*, n. 112.

[37*] Comm. Codicis d. 10 martii 1928 declaravit authentice hoc canone 1102 § 1 revocatam esse facultatem, alicubi a S. Sede concessam, *passive* assistendi matrimoniis mixtis illicitis; cfr. AAS. XX, 120; Period. XVII, 76. Iuxta Codicem invalidam esse in quibuslibet adiunctis assistentiam a sacerdote, etsi competenti, matrimonio praestitam, qua solum audiret consensum matrimonialem a contrahentibus mutuo datum non vero illum et exquireret et exciperet ad normam canonis 1095 § 1, 3°, patet cuilibet rem diligenter perpendenti. Si quid dubii reliquisset c. 1095 § 1, 3° quoad matrimonia mixta, in quibus pervicaciter denegarentur cautiones praescriptae, illud dissipatum esset praescripto canonis 1102 § 1, quo statuitur expresse *interrogationes de consensu debere fieri* in matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam, nulla distinctione facta inter matrimonia licite vel illicite ex hoc capite ineunda. Parochus ergo in funestis casibus cautionum denegatarum recurrat ad Ordinarium loci. Matrimonia vero, inita post Codicem promulgatum cum sola assistentia passiva sacerdotis competentis, invalida habenda sunt ob defectum legitimae formae.

trimonio valide assistat » (c. 1095 § 2). Qui actus concedendi licentiam in se nihil aliud est quam a iure permissa substitutio alterius in testem autorizabilem ab eo facta, cui talis qualitas a iure agnoscitur [38].

Quae concessio licentiae, seu ut etiam dicitur delegatio, ut valida sit requiritur:

1°) Ut qui eam concedit ipse competentiam non habeat suspensam, v. gr. per censuram [39].

[38] Sicut parochus assistens per talem assistentiam nullum ponit iurisdictionis actum, ita actus concedendi licentiam non est aliqua transmissio iurisdictionis: nihilominus ius promiscue adhibet verbum *delegatio* et *concessio licentiae*. Cfr. v. gr. cc. 1094, 1096. Inde autem efficitur quod, nisi contrarium probetur aut ex natura talis actus excludatur, principia generalia de delegatione etiam concessioni huiusmodi licentiae sunt applicanda, *Vlaming*, II, n. 571; *Cappello*, II, n. 672.

* Hanc sententiam authentice confirmavit Comm. Codicis. Sane, in c. 1095 § 2 agitur de iis qui possunt dare licentiam ad assistendum valide alicui matrimonio et in sequente c. 1096 § 1 statuitur soli vicario cooperatori posse dari delegationem generalem ad omnia matrimonia celebranda intra paroeciam cui addictus sit. Unde liquet in his locis agi de facultate concedendi delegationem sive generali sive peculiari modo quin tamen ulla mentio fiat, ne implicite quidem, de facultate subdelegandi in iis qui licentiam assistendi matrimonio acceperint a parocho vel loci Ordinario. Ideo videbatur nonnullis praescripta canonis 199 quoad facultatem subdelegandi non posse applicationem habere in celebratione matrimonii; aiebant enim ibi agi de potestate *iurisdictionis* quam proprie non exercet sacerdos assistens matrimonio. Id autem exinde confirmari videbatur quod in c. 1095 § 2 expresse indicaretur parochum et loci Ordinarium posse dare licentiam alii sacerdoti ad valide assistendum matrimoniis, quae praescriptio, aiebant, esset prorsus inutilis, si etiam in hac re valerent normae generales datae iam in c. 199 circa facultatem delegandi et subdelegandi potestatem iurisdictionis (cfr. Il Monitore eccl. XL, 107). Erant tamen validiores rationes, quae suadebant applicationem normarum canonis 199 quoad subdelegationem etiam in celebratione matrimonii, cui rei aditum praebebat tum modus loquendi adhibitus in cc. 1094, 1096, in quibus expresse mentio fiebat de sacerdote *delegato* et de generalibus *delegationibus*, tum ipsa similitudo qua fiebat communicatio praedictae potestatis. Commoda vero, quae ex hac obvia ampliatione a potestate delegandi ad potestatem subdelegandi in praxi obvenire possent, haud exigui momenti erant. Sic ergo Comm. Cod. d. 28 dec. 1927 declaravit vicarium cooperatorem, qui a parocho vel loci Ordinario generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis, posse alium determinatum sacerdotem subdelegare ad assistendum matrimonio determinato; parochum vero vel loci Ordinarium, qui sacerdotem determinatum delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, posse ei etiam licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio; cfr. AAS. XX, 61; Period. XVII, 37.

[39] Cfr. Reg. Iuris 79 in Sexto: S. Offic., 9 nov. 1898; S. C. C. in caus. Parisiens., 14 dec. 1889. Ceterum Codex, c. 1095 § 2, ita ius constituit: « qui matrimonio possunt valide assistere » possunt quoque alteri sacerdoti licentiam dare: at parochus vel Ordinarius, qui competentiam per censuram habet suspensam, non potest valide assistere.

2°) Ut potestas accepta exerceatur in territorio concedentis.

3°) Ut qui eam recipit sit *sacerdos determinatus* [40]. Excluditur proinde delegatio, quae cadat in determinatum sacerdotem per designationem a tertia persona factam aut per electionem ipsorum sponsorum, sive omnino liberam sive etiam restrictam ad plures sacerdotes certos [41]. Attamen necesse non est ut deleganti sit notus, cum determinatio optime fieri possit per officium, v. gr. paenitentiarius ecclesiae cathedralis, parochus talis paroeciae aut rector talis conventus. Potest autem dari sive immediate sive mediate, permittendo sc. sponsis ut *talem* sacerdotem *determinatum* assumant pro assistentia, nec est prohibitum ut designentur plures, v. gr. vicarii cooperatores sive simultanee sive successive, licet plurium designatio facile praebere potest occasionem dubiis de valore assistentiae praestitae, quae diligenter cavenda sunt.

4°) Delegatio debet dari *ad determinatum matrimonium*, sive unum sit sive plura, in specie tamen determinata, v. gr. ad matrimonium Titii, Caii et Sempronii. Quare exclusae sunt tamquam invalidae quaelibet delegationes generales ad plura matrimonia non in specie seu singulariter determinata, tametsi limitata ad certum temporis spatium, v. gr. ad matrimonia intra

[40] Mutationes in hac parte factae in iure praecedente per Decr. « *Ne temere* » reducebantur ad necessitatem delegandi sacerdotem *certum* et *determinatum* et ad restrictionem delegationis *ad territorium delegantis*, quae limitationes non obtinebant in iure Tridentino capitis « *Tametsi* ». Hanc duplicem limitationem firmavit Codex, additis aliis duabus, sc. de delegatione *expresse* danda et ad *matrimonium determinatum*.

[41] Ex tenore legis videtur excludi non solum *determinatio*, quae fiat per designationem nupturientium — delego quem eligatis — sed etiam per designationem alterius cuiusvis personae, qualis esset v. gr. delegatio data sacerdoti religioso « quem Superior cras missurus est, ut meas vices tali die agat », nam in utroque casu determinatio *delegati* non fit a *delegante*, prout tenor legis in sensu obvio exigit. *Vlaming*, II, n. 573; *Cappello*, II, n. 674. Quodsi in casu particulari parochus aut Ordinarius sacerdotem determinatum delegavit cum facultate subdelegandi — id fieri posse non est cur dubitetur — quae dicta sunt de delegante applicanda sunt *subdeleganti*, et consequenter is non poterit subdelegare nisi sacerdotem certum a se determinatum, non per designationem tertiae personae determinandum. Quo in casu is qui matrimonio assistit non fuit determinatus a parocho vel Ordinario delegante, sed ab eo qui eius vices in negotio gerit, ad quem est transferenda haec iuris dispositio, nisi quis velit negare possibilitatem concedendi facultatem subdelegandi.

mensem vel hebdomadam occurrentia, aut restricta ad determinatam categoriam matrimoniorum, ita ut talis delegatus possit dici delegatus ad universitatem causarum intra certos limites[42]. Concessio huiusmodi delegationis generalis seu ad universitatem causarum permittitur tantum[43*] relate ad *vicarios cooperatores*, qui, ut ex hoc ipso c. 1096 § 1 fit manifestum, nequaquam constituuntur delegati ad matrimonia hoc ipso, quod in tali munere vicarii cooperatoris constituuntur. Vicarius cooperator ita generaliter delegatus poterit licentiam sibi concessam, alteri, sed in singulis casibus tantum, concedere seu subdelegare (c. 199 § 3).

5°) Delegatio debet fieri *expresse*. Licentia conceditur expresse sive verbo sive scripto sive alio externo signo aequivalenti, quo significetur voluntas licentiam concedendi, non mero silentio.

Quare manet exclusa delegatio *praesumpta* vel *interpreta-*

---

[42] Cfr. Resp. S. C. C. 20 maii 1920 (AAS. XVI, 115). De delegationibus olim fieri solitis inter parochos maiorum civitatum ad vitandam nullitatem matrimoniorum propter frequentem domicilii mutationem, quae saltem *iuxta modum* fuerant approbatae a S. C. C. in caus. Colon., 18 mart. 1893, et a S. C. Inq., 9 nov. 1898, cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 180, not. 217. Illi fini evitandi matrimonii nullitatem propter domicilii mutationem satis consultum fuit iam inde a Decr. « *Ne temere* » per assignatam parochis competentiam territorialem.

[43*] Cum Ordinarii locorum vi canonis 199 § 1 possint pro tota dioecesi delegatum constituere, cui facultas concedatur ad universitatem negotiorum, visum est nonnullis in hac potestate delegata generali comprehendi vel saltem comprehendi posse facultatem generalem ad assistendum matrimoniis intra territorium cuiusque Ordinarii. Haec autem sententia haud sufficientem rationem habebat clausulae restrictivae in canone citato appositae, sc. « nisi aliud expresse iure caveatur ». Perpendenti vero c. 1096 § 1 ilico apparet ibi expresse excludi quaslibet delegationes generales ad assistendum matrimoniis, nisi agatur de *vicariis cooperatoribus pro paroecia cui ipsi addicti sunt*. Hoc autem praescriptum, quo prohibetur concessio delegationis generalis in re matrimoniali nisi agatur de vicario cooperatore, afficere non modo parochos sed etiam ipsos Ordinarios locorum patet ex eo quod respiciat licentiam concessam ad normam canonis 1095 § 2. Iam vero in hoc loco sermo est non modo de parocho sed etiam de Ordinario loci. Itaque ii omnes qui possunt dare delegationem assistendi matrimoniis, non exceptis ipsis Ordinariis locorum, debent eam concedere expresse sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, *exclusis quibuslibet delegationibus generalibus*, concessis aliis ac vicariis cooperatoribus pro paroecia cui ii addicti sunt. In facultate ergo concessa Delegato episcopali ad universitatem negotiorum non intelligitur inclusa *nec potest unquam includi delegatio generalis ad assistendum matrimoniis* intra dioecesim celebrandis. Sic declaravit authentice Comm. Codicis d. 25 ian. 1943; AAS. XXXV, 58; Period. XXXII, 291; proinde unicum subiectum capax delegationis generalis ad assistendum matrimoniis manet vicarius cooperator pro paroecia cuius servitio est adscriptus.

tiva aut *mera tolerantia* exhibita erga assistentem, cui concessio expresse non fuit facta[44]. Nec etiam sufficit licentia *tacita*, qua voce in communi usu significatur modus concedendi licentiam, qui contraponitur licentiae *expressae*, nunc primum iure Codicis certo modo requisitae[45].

6°) Delegatio inscio delegato petita validum effectum non habet antequam a delegato *cognoscatur* et expresse vel tacite acceptetur[46]: quodsi delegato *conscio* fuerit petita, valida sed

---

[44] Licentiam interpretativam vel praesumptam aut ratihabitionem de futuro non sufficere iam passim tradebant doctores de iure Tridentino, in quo *expressa* licentia non fuerat requisita. Cfr. *Sánchez*, l. III, disp. 35, n. 15 sq.; *Rosset*, n. 2231.

[45] Iure praecedente praesertim Tridentino, illam licentiam tacitam esse sufficientem passim tradebant doctores, velut *Sánchez*, l. III, disp. 35, n. 20; *Rosset*, n. 2232; *Benedict. XIV*, Inst. ecc. 33, n. 12; *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 180, IV et not. 221. Iure Codicis non videtur esse dubium licentiam *tacitam* non sufficere; ita *Chelodi*, n. 133; *Cappello*, II, n. 675; *Ferreres*, n. 712; *De Smet*, n. 117. — Si *Vlaming*, II, n. 574, 2°, not. 3, putat, saltem probabiliter, haberi debere ut validam licentiam, quae eruatur ex parochi agendi ratione aliisque adiunctis, ex facto quod videat assistere sacerdotem, quem certo sciat incompetentem, et taceat, huic opinioni non ausim subscribere, cum talis licentia vere dicenda sit *tacita* quae ex iure Codicis ob rationem in textu allegatam non est habenda ut valida.

[46] S. C. C., 9 dec. 1626, 15 apr. 1628, ubi declaratum est: « *Posita ignorantia licentiae matrimonium non esse validum* »; item in relat. ad caus. Neapol. 3 iul. 1734, apud *Richt.*, 231 sq. § *Quoad tertium* requirebatur acceptatio licentiae sive delegationis. Cuius assertionis ratio intrinseca est, quod licentia illa sese habeat ad instar *donationis;* at donatio solummodo effectum sortitur a tempore *acceptationis;* (cfr. L. 10, D. de donat. XXXIX, 5) quae ne implicite quidem locum habet in sacerdote penitus ignorante licentiam datam. Cfr. *Sánchez*, l. III, disp. 36, n. 1 sq., 8 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 203 sq.; *Rosset*, n. 2238; *Vlaming*, II, n. 573; *Cappello*, II, n. 675; *Chelodi*, n. 133; *De Smet*, n. 117. Hodie, cum in assistentia requiratur positivus delegati actus, in hoc plerumque habebitur implicita delegationis acceptatio. Possibilis tamen est casus parochi delegationem a parocho competente obtinentis, qui eam recuset et non curet, eo quod erronee putet se illa non indigere. Cfr. Th. Prakt. Quartalschr. 1911, p. 127; caus. *Divionien.* 20 ian. 1911 (AAS. III, 284); *Nouv. Rev. Théol.* XLIII, 664. Aliter quoad necessitatem acceptationis: *Engel*, h. t. n. 17; *Scherer*, 208, not. 193, aliique, qui non satis videntur attendere in delegato, qui delegantis subditus *non* est, requiri *cognitionem* delegationis propter necessitatem *acceptationis*, quae sine cognitione ne fingi quidem potest. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 201.

Si vero delegatio concedatur *lege*, quae etiam *invitis* dari potest, eius valor non pendet *ab acceptatione* subditorum. Porro talis licentia iure impertita iam spectat ad praerogativas *officii*, quae a parocho per *non acceptationem* non possunt impediri neque per *renuntiationem privatam amitti*. Deinde delegatio per modum statuti concessa etiam cum facultate

non licita erit assistentia delegati, si fiat post licentiam iam *datam* et nondum intimatam et cognitam, sed etiam non revocatam; multo magis tacita seu implicita acceptatio habetur, si data fuerit *ad petitionem delegati* et adhibita fuerit ante concessionis intimationem [47]. At omnino imprudenter adhibetur licentia ante intimationem concessionis, praesertim cum in casu *necessitatis* non sit exclusa petitio et concessio *per telegraphum* [48].

Ceterum in genere illicita est assistentia, quae a sacerdote incompetente praestatur, nisi sit *certus* de licentia sibi facta [49].

7°) Licentia assistendi *per metum extorta* valida est, quamvis illicita; quod enim de ipsa assistentia statutum est, et valet tum pro assistente iure proprio tum pro assistente iure delegato, non potest transferri arbitrarie ad obtentionem licentiae [50]. Quodsi per *errorem* fuerit obtenta, tunc solum licentia concessa est invalida, cum error fuit *substantialis*, i. e. cum erratum fuit circa personam delegandi aut nupturientium, vel circa *qualitatem* aut *causam*, quae intenta fuerit tanquam *condicio sine qua non* delegationis [51].

---

subdelegandi est *privilegium* datum per modum *constitutionis*, non *rescripti;* at huiusmodi privilegia actu obtinentur independenter ab *acceptatione*. Cfr. *Sánchez*, l. c. n. 3.

[47] *Sánchez*, l. c. n. 8; *Schmalzgr.*, h. t. 206; *Rosset*, n. 2240.

[48] Quamvis in casu *necessitatis* delegatio etiam *per telegraphum* peti vel dari possit, tamen ad securam probationem regulariter omnino expedit ut *scriptura rite composita* adhibeatur, quemadmodum verbis Rit. Rom. tit. X, c. 5 (in formula): « *Quae penes me exstat* » evidenter insinuatur. Quodsi iure particulari prohibebatur forma telegraphica, v. g. in dioecesi Secoviensi, vel *exigebatur scriptura*, v. g. in Conc. prov. Prag. (a. 1860, in Collect. Lac. V, col. 518), saltem *valor* delegationis telegraphicae vel non scriptae in dubium vocari nequibat. Cfr. S. C. C. in c. Lubl., 10 sept. 1898, in Anal. eccl. VI, 544 sq.; *Gasparri*, II, n. 955; *Rosset*, n. 2940; *Scherer*, 204 sq.; *Schnitzer*, 185 sq.

[49] Quare si *dubia* sit delegatio, nequit praestari assistentia, nisi *praevie* et concludentibus argumentis de licentia data constet. Neque regulariter cuicumque etiam sacerdoti simpliciter asserenti se legitimam accepisse licentiam a proprio parocho est credendum (cfr. S. C. C., 30 iul. 1701, et 3 sept. 1707), sed ea adminicula accedant necesse est, quibus plene probetur talem personam esse fide dignam. Cfr. *Sánchez*, l. III, disp. 37, n. 1 sq. Post contractum matrimonium, si de facta delegatione dubia moveantur, etiam *praesumptionibus* data licentia ita probari potest, ut saltem de nullitate matrimonii certo non constet. Cfr. S. C. C. in c. Liman., 1 febr. 1868, et in c. Warsav., 14 dec. 1895, in ASS. III, 401 sq., et XXXVIII, 590 sq.

[50] Cfr. *Sánchez*, l. III, disp. 39, n. 13; *Schmalzgr.*, h. t. n. 208 sq.; *Feije*, n. 297; *Rosset*, n. 2244; *Wernz*, Ius Decret. IV n. 180, III; *Chelodi*, n. 133; *Cappello*, II, n. 675; *Ferreres*, n. 714.

[51] *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c.; *Wernz*, l. c.; *Rosset*, n. 2245; *De*

8°) Necesse est ut licentia seu potestas delegata ad assistendum non fuerit *extincta* uno ex illis modis, quibus ad normam c. 207 § 1 cessat potestas delegata.

539. Scholion. I. *Licite* a parocho vel loci Ordinario licentia ad assistendum non conceditur, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda (c. 1096 § 2).

II. Quae iure praecedente disputabantur de assistentia *morali*, non mere materiali parochi vel delegati, iam non sunt practici momenti, cum non amplius sufficiat assistentia mere passiva, sed requiratur ut testis qualificatus exquirat recipiatque contrahentium consensum.

III. At ex tenore legis ad valorem requiritur, ut assistentia *parochi* vel *delegati* et *testium* sit *simultanea*, non successiva, sponsis coram ipsis simul praesentibus ad testis qualificati interrogationem suum consensum declarantibus. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 233; *Rosset*, n. 2257.

540. Assistentia testium. Ad *valorem* contractus matrimonialis requiritur, ut non solum coram parocho vel eius delegato, tanquam teste *qualificato* sive *autorizabili*, sed *etiam coram duobus* saltem aliis *testibus*, non uno solo, praesentibus celebretur [52]. In hisce testibus a sponsis distinctis praeter qualitates ex natura rei requisitas, ut de matrimonii contractu testificari possint, neque iure Tridentino neque novo *aliae* speciales qualitates ad *validam* assistentiam sunt praescriptae. Quare impuberes, excommunicati, haeretici, schismatici atque adeo pagani habiles sunt ad validam assistentiam [53], dum v. g. amentes, infantes, ebrii ne-

---

Smet, n. 117, ubi casum practicum exhibet parochi nolentis determinato matrimonio assistere aut alteri licentiam delegare, qui tamen licentiam concessit falso nomine oblato deceptus. Cfr. quoque ASS. IV, 289 sq.; VIII, 667 sq.; *Analect. eccl.*, VII, 342.

[52] Convenienter quidem testes ordinarii seu communes invitandi sunt ut hoc munere in celebratione matrimonii fungantur, ideoque ut *formaliter* adhibeantur; at id esse necessarium ad valorem non probatur, modo testes non formaliter adhibiti atque adeo casu celebrationi praesentes eique attendentes — etiam nupturientibus ad id non advertentibus — de contracto coram se matrimonio certo testari possint, quod firmatur responso S. C. de P. F. 2 iul. 1827, in Collectanea (I, n. 794). Cfr. *Van de Burgt*, 236 sq.; *Rosset*, n. 2265. Paulo aliter magis verbis quam re *De Smet*, n. 123; *Verm.-Cr.*, II, n. 397. Cfr. quoque *Vlaming*, II, n. 577.

Inde etiam patet testes validam assistentiam praestare, tametsi dolo, vi aut metu iusto vel iniusto ad id adigantur.

[53] S. C. C., 14 ian. 1673, apud *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XII, cap. 5, n. 5; Instr. S. C. de Prop. F., 9 dec. 1822, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 904; *Sánchez*, l. III, disp. 41; *Schmalzgr.*, h. t. n. 225 sq., 236 sq.; *Rosset*, n. 2251 sq.; *Cappello*, II, n. 653 sq.; *Chelodi*, n. 131; *Vlaming*, II,

queunt valide assistere. In matrimoniis autem catholicorum *licite testes acatholici* adhiberi non possunt, nisi gravis causa excuset, atque scandalum vitetur [54]. Quos testes ex personis habilibus et permissis ipsi sponsi — non parochi — pro suo iure designare possunt, attentis etiam laudabilibus consuetudinibus et statutis dioecesanis.

§ II. Formalitates requisitae ad licitam assistentiam

541. I. **Iure proprio** parochus vel Ordinarius, qui semper *valide* quorumcumque fidelium matrimonio assistunt in proprio ipsorum territorio, ad hoc ut *licite* assistant, requiritur:

1°) ut constet de *statu libero* contrahentium, cuius investigatio est facienda servatis praescriptis in cc. 1020-1032 traditis;

2°) ut matrimonio assistant *suorum subditorum*, i. e. ut unus saltem ex nupturientibus sit parochi vel Ordinarii *subditus;* subditus autem *in hac materia* quisque est aut ratione domicilii aut ratione quasi-domicilii aut ratione actualis commorationis, si agitur de *vago* omni domicilio carente, aut saltem ratione commorationis *per integrum mensem* in proprio territorio protractae [55].

---

n. 576. Non probatur in testibus requiri qualitates, quas c.1757 exigit in testibus iudicialibus. Paulo aliter *De Smet*, n. 123. Cfr. quoque c. 2256, 2° ubi munus testis in matrimonio non numeratur inter « actus legitimos ecclesiasticos » a quibus excluduntur v. gr. excommunicati.

[54] S. C. Inq., 29 nov. 1672; cit. Instr. S. C. de Prop. F.; S. C. Inq., 19 aug. 1891, in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1855.

[55] In c. 94 § 3 relate ad parochum proprium *vagis* aequiparantur ii, qui tantum habent domicilium vel quasi-domicilium *dioecesanum*: ergo praeter eius Ordinarium, quilibet parochus unius e nupturientibus vagi, dum hic in paroecia commorando moram trahit est competens ad assistendum, quin alterius cuiusvis licentia egeat.

Aliunde autem, videlicet ex c. 1032, quilibet parochus competens matrimonio vagorum non debet assistere nisi obtenta Ordinarii licentia, excepto casu necessitatis: quo canone attento, videtur concludendum per duplicem formulam in c. 1097 adhibitam de *vago actualem commorationem habente* et de *vago actu itinerante nullibi commorationis sedem habente* nullum practice statui discrimen inter competentiam parochi ad licitam assistentiam in uno et altero casu praestandam, nisi quod ubi vagus sedem habet commorationis parochus loci commorationis sit solus parochus proprius; at relate ad vagum itinerantem, qui nullam habet sedem commorationis, quilibet parochus censetur proprius; in utroque tamen casu licentia assistendi petenda est ab Ordinario, non ratione competentiae quae quoad vagum iam habetur post menstruam commorationem, sed ratione probationis status liberi quae praesupponitur ad licitam assistentiam.

Qua in re attendendum est ad novum ius de domicilio paroeciali et dioecesano; porro pro subiectione sufficit domicilium *necessarium* (cfr. *Wernz-Vidal*, II, n. 9 sq.) [56].

Quoad menstruam commorationem, haec intelligenda moraliter continua usque ad diem celebrationis matrimonii, nec illi continuitati officiunt breves absentiae, v. gr. unius aut alterius diei.

542. II. **Ex alterius licentia.** Qui non est proprius parochus vel Ordinarius saltem unius e nupturientibus propter unum ex memoratis titulis, ut *licite* eorum matrimonio assistat, indiget licentia illius, cui aliquis ex dictis titulis suffragatur, i. e. aut domicilii aut quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentium.

Quae obligatio habendi licentiam cessat, ubi gravis necessitas ab ea petenda excuset; quae gravis necessitas certe datur ubi periculum adest ne partes interim civiliter contrahant, aut sponsos urgeat necessitas discedendi vel gravis ratio adsit non revelandi rem parocho proprio et in genere ubi grave seu notabile incommodum, moraliter aestimandum, verificetur ex parte parochi vel sponsorum.

Privilegium competit *parocho sponsae* ut in coniugii celebratione praeferatur; quae praelatio non ita urgetur, ut quaevis iusta causa non sufficiat ut apud parochum sponsi celebretur [57],

---

[56] Decretum « *Ne temere* » saltem in materia matrimoniali *quasi-domicilium* suppresserat, eique substituerat menstruam commorationem; at Codex, non abrogata concessione facta pro commoratione menstrua, sapienter restituit quasi-domicilium, quo adquisito iam *a prima die* adquisitionis parochus quasi-domicilii fit competens ad licitam assistentiam.

[57] Sufficit, v. g. si sponsorum desiderio accedat rationabile aliquod motivum, puta quod parochus sponsi sit alterutrius contrahentium cognatus, quod sollemnitates nuptiarum commodius peraguntur in sponsi paroecia, quod iter nuptiale in eo facilius sit aggrediendum. *Vlaming*, II, n. 581.

Quod textus Codicis « *pro regula habeatur ... nisi iusta causa excuset* » inducat *veram obligationem* ideoque parocho sponsae verum ius tribuat, non videtur posse negari; secus non requireretur causa excusans ut aliter fieret. Aliter *Chelodi*, n. 135. At cum *quaelibet* iusta causa excuset, illa obligatio ex tenore legis non videtur esse *gravis*. At inde haec iuris dispositio hoc modo intellecta potest esse fons molestarum contentionum inter parochos, praesertim cum legitima assistentia sit conexa cum iure emolumenta stolae percipiendi. Quare sicut non putamus per hanc dispositionem esse derogatum statutis iuris particularis, quibus illa regula urgebatur uti stricte praeceptiva, ita censemus posse novo particulari statuto, ad vitandas contentiones promulgato, constitui ut ita sit praeferendus parochus sponsae, ut quandocumque matri-

qua existente parochus sponsi non indiget licentia parochi sponsae. Inter varios qui ratione unius ex titulis memoratis sunt competentes, — et hic casus dari potest — nullus est qui habeat ius praevalens assistentiam praestandi, et omnibus aequo iure matrimonio assistere licet, et licentia, de qua c. 1097 § 1, 3°, a quolibet eorum requiri potest.

Unica exceptio habetur quoad sponsos *ritus diversi*, quorum matrimonia ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda, nisi aliud iure particulari cautum sit, velut de ruthenis (Collect. S. C. de P. F., n. 1243).

Parochus qui sine licentia requisita matrimonio assistit, in praeiudicium illius ad quem licita assistentia competebat, *emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittere* debet. Quae iuris dispositio non videtur habenda ut poenalis, sed ut mere urgens et explicans obligationem iustitiae relate ad parochum, cui verum detrimentum allatum est (cfr. c. 463 § 1, iunct. c. 462, n. 4°; *Vlaming*, I, n. 583)[58]. Ad quae stolae emolumenta id tantum pertinet, quod ex probata consuetudine vel ex legitima taxatione praecise ratione celebrationis matrimonii ipsi parocho qua tali debetur, non id quod aliis administris etiam sacris ad modum stipendii obvenisset. Inde patet missae stipendium sub stolae emolumentis non venire, nec dona extraordinaria a sponsis collata ex amicitia aut ex mera liberalitate.

---

monium celebretur apud alium parochum proprium, emolumenta tamen stolae vel integra vel ex analogia eorum quae pro funere sanciuntur c. 1236 determinata saltem portio paroecialis debeatur parocho sponsae. Vicissim statutum particulare deberet cavere ut parochus sponsae in assensu concedendo vel denegando alteri parocho proprio dirigeretur iis, quae in iure communi statuuntur. Cfr. *De Smet*, n. 125, not. 4; *Vlaming*, II, n. 581.

[58] Rursus hic occurrit difficultas pro casu quo plures sint parochi proprii nupturientium, cum a quolibet obtineri possit licentia requisita. In defectu maioris determinationis iure communi non factae, illa maior determinatio fieri deberet iure particulari; prae ceteris illa videretur aequior determinatio, secundum dicta in nota praecedente, si parochis sponsi nihil esset refundendum; quod si plures essent parochi sponsae iuxta analogam dispositionem c. 1236 § 2 emolumenta restituenda dividerentur inter omnes parochos proprios.

§ III. De forma iuridica in casibus extraordinariis

A. *De forma necessaria in mortis periculo*

543. Normae generales explicatae in matrimonii celebratione observandae tum pro valore tum pro liceitate matrimonii celebrandi exceptionem habent in duplici casu moralis necessitatis, quam iam per Decr. « *Ne temere* » inductam, sancivit Codex salvis nonnullis moderationibus.

C. 1098. « *Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam cc. 1095, 1096*:

1° *In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam;*

2° *In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus* ».

Exceptio pro duplici casu extraordinario substantialiter consistit in hoc, quod pro valore matrimonii non requiritur praesentia testis qualificati, sed satis est ad valorem matrimonii ut illud celebretur coram duobus testibus communibus.

Nihilominus pro *licita*[59] celebratione requiritur in utroque casu, ut si praesto sit alius sacerdos qui in tali imminentia periculi mortis adesse possit, is advocetur, ut una cum testibus expressioni consensus matrimonialis intersit. Qua sacerdotis, tametsi non competentis, praesentia melius consulitur dignitati et sanctitati matrimonii ac maior praestatur securitas matrimonii rite initi et securius obtinetur ut matrimonium in praescriptis libris quamprimum notetur. Porro ex assistentia sacerdotis etiam illud commodum habetur, quod si matrimonio obstat aliquod impedimentum, a sacerdote cum testibus assistente antecedenter auferri potest in casu periculi mortis ad normam c. 1044.

Quae obligatio adhibendi sacerdotem, qui praesto sit, cessat ex gravi causa excusante; at quacumque de causa, etiam malitiose, non advocetur, validum nihilominus est coniugium coram solis testibus initum.

---

[59] In decr. « *Ne temere* » art. VII, praesentia sacerdotis non competentis in defectu competentis requirebatur ad valorem; unde apparet maiori facilitati celebrationis matrimonii in mortis periculo per Codicem fuisse prospectum.

Condiciones quae debent verificari ad valorem matrimonii cum solis testibus initi uberiore indigent declaratione.

544. De periculo mortis. Ut in mortis periculo valeat matrimonium celebratum coram solis duobus testibus communibus sine praesentia testis autorizabilis, opus est ut verificetur: *a*) *mortis periculum; b*) *quod parochus* — vel Ordinarius aut sacerdos rite delegatus — *sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.*

a) *Periculum mortis* sufficit quod adsit in *uno* ex nupturientibus atque illud periculum — non articulus mortis — morali modo dimetiendum est iuxta communem aestimationem; in quo iudicio si *erratum* fuerit sequendo communem aestimationem, non ideo matrimonium, sine parocho initum, est invalidum, cum in hac re probabilitas secuturae mortis huius periculum inducat et probabilitas latitudinem quandam permittat aestimationis; nec si v. g. postea infirmus sat brevi tempore convaluerit idcirco habendus est scrupulus circa valorem matrimonii, modo non omnino imprudenter iudicatum fuerit adesse periculum et ex tali aestimatione in illo periculo non omnino imprudenti contractum fuerit matrimonium non solitum celebrari in talibus adiunctis [60]. Porro licet periculum mortis generatim proveniat ex gravi morbo, non videntur esse exclusae aliae causae, v. g. praelium imminens, tempestas in mari etc. Nec ad hoc ut casus verificetur refert causa motiva sociandi nuptias, cum lex de ea penitus siluerit [61].

b) *Testis qualificatus* censetur deesse, sive *absolute* haberi vel adiri [62] nequeat, sive *relative*, i. e. dumtaxat cum gravi incommodo. Absoluta impossibilitas datur, si tempus vel medium non suppetat, ut sponsi cum sacerdote competente conveniant aut per epistolam delegatio obtineatur, exclusis mediis extraordinariis v. g. per telegraphum [63]. *Relativa* impossibilitas datur

---

[60] *Chelodi*, n. 136; *Cappello*, II, n. 691; *Ferreres*, l. c., n. 730.

[61] *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c. Iure Codicem immediate praecedente requirebatur ut matrimonium esset necessarium ad consulendum conscientiae et — si casus ferret — legitimationi prolis; quod motivum celebrandi matrimonii in nova lege dicendum est consulto fuisse omissum ideoque non esse necessarium.

[62] In sensu obvio *haberi* vel *adiri* significant res diversas: *haberi* non potest sacerdos competens cum aut advocari non potest aut vocatus ad nupturientes venire in tempore non valet; *adiri* non potest cum nupturientes nequeunt ad ipsum se conferre ut coram eo contrahant, quae altera impossibilitas praesertim consideranda venit extra periculum mortis, ut per se patet.

[63] Ita passim interpretes decr. «*Ne temere*» et Codicis. Si *Vlaming*, II, n. 587, miratur quod passim connumeretur mediis extraordinariis usus

cum ad hoc ut habeatur vel adeatur sacerdos competens aut ut obtineatur sacerdoti incompetenti necessaria delegatio sit subeundum grave damnum physicum vel morale, v. gr. essent faciendae magnae expensae aut suscipiendum iter valde durum vel periculosum. Porro merito notant doctores etiam periculum famae paenitentis esse grave incommodum, quo verificatur impossibilitas relativa; v. g. si paenitens ut matrimonium sibi necessarium ineat, teneretur se infamare aut accersendo parochum aut petendo delegationem pro confessario [64].

Impossibilitas pensanda est cum respectu ad matrimonium tempestive contrahendum, i. e. antequam nupturiens aut moriatur aut alio impedimento — v. g. delirio — a contrahendo impediatur. Iste tamen titulus illi etiam suffragatur, qui forte antea occasionem sacerdotem competentem habendi culpabiliter neglexerit, cum a lege solum actuale periculum respiciatur.

B. De forma speciali extra mortis periculum

545. *Extra mortis periculum* ut valeat matrimonium coram solis testibus communibus, opus est: *a*) ut testis qualificatus *haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo; b*) *ut prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam.*

a) Opus est ut parochus haberi *vel* adiri non possit; ideo non verificatur casus, si absque gravi incommodo parochus absens advocari possit aut facile ipsi nupturientes eum adire valeant aut pergere sine gravi incommodo in aliam paroeciam vel locum, ubi inveniant sacerdotem competentem pro valida assistentia. Porro impossibilitas *absoluta* aut saltem *relativa* haben-

---

automobilis, telegraphi et telephoni, fatendum cum ipso est petitionem delegationis per telegraphum aut telephonium — finge casum frequentem quod servitium telephonicum habeatur in propria domo — in communi hominum aestimatione hodie non haberi ut medium extraordinarium, sed ut medium summae commoditatis, ad quod passim recurritur etiam in negotiis levissimi momenti, nec minus ipsi concedendum est quod in petenda simplici assistendi licentia per se non verificantur incommoda ad quae respexit S. Sedes in telegraphi usu improbando pro petendis dispensationibus; nihilominus modus et forma, qua S. Sedis declarationes datae sunt, videntur ostendere criterium generale S. Sedis, quae sese ostendit alienam ab usu illius duplicis medii in quibusvis negotiis iuridicis, qua in hypothesi, donec aliter S. Sedes statuat, videtur posse teneri possibilitatem recurrendi ad duplex illud medium non auferre existentiam casus urgentis.

[64] *Chelodi*, l. c.; *Cappello*, l. c.; *Vlaming*, II, n. 587.

di sacerdotem competentem iure Codicis non amplius requiritur ut sit generalis *regionis* vel *loci*, sed respicitur impotentia *personalis*, non localis [65]; quare quod attinet ad matrimonii valorem, ipsi non videtur obstare quod quis in fraudem legis egerit, se conferens in locum ubi sacerdos competens haberi non possit [66].

b) Praeterea opus est ut adsit prudens praevisio, quod illa impossibilitas personalis, non necessario communis, per mensem sit duratura; qua praevisione existente, collecta ex iis *quae fieri assolent* non ex inopinatis et extraordinariis, iam verificatur casus, quin habenda sit ratio utrum a longo an a brevi tempore testis qualificatus absit.

Casus huiusmodi impossibilitatis facile occurrere potest in dissitis missionum locis, ubi adest sacerdotum penuria et missionarius singula loca aut paroecias vel quasi-paroecias singulis mensibus invisere non potest; at etiam alibi occurrere potest, praesertim in peculiaribus circumstantiis, v. gr. persecutionis aut belli.

546. Scholion I. Non desunt doctores, qui sub c. 1098 censeant comprehendi casum, in quo parochus assistentiam nupturientibus recusat ex metu poenarum per legem civilem indictarum ministro assistenti, antequam praemissa sit caeremonia civilis quae expleri nequit. Quae impossibilitas formalitatis civilis e multiplici capite provenire potest: 1) ex impedimento civili ab Ecclesia non admisso; 2) habetur casus puellae seductae, quae cum amasio aufugit e domo sua quin possit obtinere consensum paternum usque ad maiorem aetatem; immo saepe solus defectus consensus paterni graves infert difficultates pro matrimonio; 3) adest casus in viro militari qui impeditur a matrimonio propterea quod sponsa non sit sufficienter dotata; 4) saepe adest difficultas obtinendi documenta necessaria lege civili requisita,

---

[65] Sub regimine decreti « *Tametsi* » Conc. Trid. iurisprudentia S. Sedis admiserat excusationem a praesentia parochi, quando impossibilitas erat communis in determinata regione. Cfr. v. gr. S. Inq., 1 iulii 1863. Etiam sub decreto « *Ne temere* » art. VII, impossibilitas respiciebatur *in aliqua regione*: in impossibilitate autem determinandi accurate quid veniret sub nomine *regionis*, semper tamen loquendo de impossibilitate generali, S. C. de d. Sacr., 12-13 mart. 1910, declaravit sine sollicitudine de qualitate regionis posse celebrari matrimonium coram solis testibus « semper ac elapso iam mense, sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat ». Haec autem erat alia immutatio inducta per memoratum decretum, quod praevisioni de impossibilitate per mensem duratura substituerat factum elapsi iam mensis illius impossibilitatis.

[66] Ita declaraverat S. C. de d. Sacr., 13 mart. 1910, ad III; (AAS. II, 193).

v. gr. ad stabiliendam identitatem personae ad aliam nationem pertinentis.

Haec quaestio praesertim agitata est post publicationem decreti « *Ne temere* » tum in commentariis illius decreti tum seorsim in multis ephemeridibus. Post publicatum Codicem eadem controversia perseverat, dum aliqui, v. gr. *Vermeersch*, Theol. mor. III, n. 742; *Vlaming*, II, n. 590; *Chelodi*, n. 136, sat clare proponunt ex novo iure Codicis favorem conciliari opinioni affirmanti; at alii potius minore fervore post Codicem illi sententiae patrocinati sunt, velut *De Smet*, n. 135 sq., qui antea illam vehementer propugnaverat, v. gr. apud Nouv. Rev. Théol. XLV, 133 sq.

547. Omnibus fatentibus praeter paucas mutationes clare factas et ad controversiam non pertinentes, Codex quoad substantiam retulit ius per decr. « *Ne temere* » constitutum; quare ex iure praecedente interpretationem accipit ad normam [67] c. 6. Iure autem praecedente: 1°) S. C. C. interrogata de applicatione iuris ad hunc casum controversum, respondit: « Non esse interloquendum » (27 iul. 1908 in ASS. XLI, 512), quo responso certe non praestitit favorem sententiae affirmanti, nec contulit securitatem ut quis ea uteretur in praxi, innixus ipsius probabilitate. 2°) S. C. de d. Sacr. de ea re speciatim proposita quaestione tum pro casu periculi mortis, tum extra illud periculum (31 ian. 1916), post maturam deliberationem in plenariis comitiis habitam respondit: « *Recurratur in singulis casibus*, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valet etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium cum solis testibus valide et licite contrahatur » [68].

---

[67] Si a nonnullis auctoribus, v. gr. a *De Smet*, l. c. in Nouv. Rev. Théol. et a *Vermeersch*, Theol. mor. l. c., facta est vis in responso dato a S. C. de d. Sacr., 12 mart. 1910, quasi S. C. declarasset art. VIII Decr. « *Ne temere* » esse intelligendum maiore amplitudine, illud responsum S. C. non esset seiungendum a dubio cui aptatur, in quo quaerebatur de significatione vocis *regionis*.

[68] Quo responso difficultati ex lege civili poenali provenienti providit pro casu matrimonii in articulo mortis celebrando, at cum S. Congregationi separatim et ex professo fuisset proposita quaestio decidenda et pro matrimonio in extremis et pro matrimonio extra mortis periculum celebrando, etiam separatam et distinctam dedit provisionem duplici casui diverso; pro periculo mortis dando cuilibet sacerdoti facultatem dispensandi a clandestinitate; pro casu matrimonii extra periculum mortis celebrandi, obligando ad recursum in singulis casibus; quae obligatio cum sit promulgata de speciali approbatione et mandato R. Pontificis, sine indicatione loci ex quo propositum fuerat dubium, omnino dicenda

3°) Brevi post hoc responsum eadem S. C. interrogata de valore matrimoniorum in dioecesi Paderbornensi sic contractorum vel contrahendorum, quamvis in petitione rationes pro valore essent allatae, nihilominus respondit: « Ordinarius recurrere non dedignetur in singulis casibus iuxta decretum editum ab hac S. C. 31 ian. 1916. Quod spectat ad praeteritum, eidem Ordinario *tribuitur facultas sanandi in radice* matrimonia, de quibus in praedictis litteris, *constito* tamen sibi in singulis casibus *de perseverantia consensus putatorum* coniugum ceterisque servatis de iure servandis ». Quod responsum clare continet nullitatem dictorum matrimoniorum coram solis testibus [69]; quod inde etiam firmatur quod S. C. instituto ab Ordinario Brugensi recursu pro casu particulari [70], ipsi facultatem dedit permittendi ut matrimonium sine praesentia parochi valide et licite iniri possit non sine multis cautionibus et limitationibus. Item cum Ordinarius Metensis eandem quaestionem proposuisset circa matrimonia exterorum, qui documenta civilia pro adimplendis formalitatibus matrimonii civilis necessaria obtinere non valebant, S. C. respondit: « Ordinarius provideat per opportuna media ad hoc ut opifices exterarum nationum in sua dioecesi commorantes sibi comparare valeant documenta pro explendis nuptiis etiam coram civili magistratu; *quatenus vero id obtineri nequeat, recurrendum est ad S. Congr. in singulis casibus* » [71].

548. De responsis nunc allatis rationem non habuerunt plerique doctores, qui post a. 1916 adhuc habebant ut probabile, quod impedimentum, ortum *pro parocho* ex poena civili subeunda, esset sufficiens ad hoc ut valide a sponsis posset celebrari matrimonium coram solis testibus: porro duo ultima responsa sunt data *post Codicem* et certe nulla sufficiens ratio allegari potest, qua efficaciter probetur ius illud praecedens fuisse per Codicem immutatum, nec id verisimile fit ex gravissimis animarum periculis [72], quibus obnoxium esset illud ius, sine limitatio-

---

est imposita omnibus pro quibus illa circumstantia impossibilitatis verificetur; inde post tale responsum non possum admittere quod probabilitatem retinuerit sententia quae aiebat posse matrimonium celebrari coram solis testibus sine recursu ad S. C. Atque ita *De Smet* suam sententiam multum temperavit in suo tractatu « De matr. » (ed. 3) propter illud responsum S. C.

[69] Merito *Vlaming*, II, n. 590, relato tali responso, addit: « Quo viso responso, infitiari non potest matrimonia de quibus agitur, omisso recursu ad S. Sedem coram solis testibus celebrata, a S. Congregatione pro invalidis habita fuisse ». Quodsi *De Smet*, in nova editione sui operis n. 137, relato responso dato Ordinario Paderbornensi, adhuc magis temperat suam sententiam et declarat quod non amplius auderet eam in praxim deducere etiam in urgente necessitate, sane in hoc videtur laudandus: quodsi praeterea addit se non audere eum damnare qui, *non obstantibus quibuscumque*, probabilitati benignioris sententiae inhaereat eamque in praxim deducat, talis assertio hoc benigniore modo videtur esse interpretanda, quod per eam intendat suum ostendere desiderium quod illa sententia, quae dicitur benignior quaeque ab ipso fuerat acriter propugnata, tandem admittatur a S. Sede, quia ipse sine dubio erit persuasus de ipsius utilitate et opportunitate, cum alii censeant eandem vehementer periculosam et expositam gravissimis animarum periculis, pro quibus evitandis legislator nullam proposuisset cautionem, nullam dedisset instructionem. Si praeterea idem auctor addit unico responso stilum Curiae non firmari, profecto hoc *in genere* est verum; at idem auctor plura affert responsa in idem conspirantia et nullum quod contrariae sententiae faveat. Si subiungitur quod sit responsum privatum et praeterea pontificia approbatione carens, est quidem responsum privatum in quantum a S. C. non fuit publicatum sicut non solent publicari dispensationes et facultates quae alicui Ordinario dantur; quod autem non habeat pontificiam approbationem potius est non leve signum quod sententia negativa habetur in S. Congregatione ut certa et res plane decisa: nos autem in tali hypothesi maluerimus adhaerere iudicio S. C. quam iudicio privatorum doctorum; atque idem responsum dandum videtur animadversioni factae quod legis dubiae interpretatio debeat promulgari.

[70] Refertur a *De Smet*, l. c. in praec. nota. Qua in re notandum est apud S. C. non solere poni tot cautiones et limitationes in dispensationibus et facultatibus traditis, nisi quando habetur certitudo de earum necessitate. Porro tale rescriptum, quod probe notandum est, datum est *sub iure Codicis*, i. e. 16 iun. 1922.

[71] Apud *De Smet*, l. c. not. 2; Nouvelle Rev. Théol. LII, 624.

[72] Illa incommoda et abusuum pericula cum gravissimo animorum damno videntur esse in se obvia. Si quis attendat Ecclesiam, quoties celebrationi matrimonii obsistunt leges civiles, iniungere parocho ut non procedat ad matrimonium, nisi prius de re consulat Ordinarium ad hoc ut is videat num oporteat ac ratio sufficiens sit ut procedatur ad matrimonium spreta lege civili (Instr. S. Paenit. 15 ian. 1866; S. Offic., 12 ian. 1881, Collectanea S. C. de P. F. n. 1280, 1545), facile intelliget hanc rem non posse relinqui arbitrio et passioni ipsorum nupturientium, praesertim in nostris regionibus ubi adsunt sufficientes ministri sacri, per quos recurri potest ad auctoritatem ecclesiasticam, quae det dispensationem cum sufficienti instructione et opportunis cautionibus ad impediendum ne quivis facile dissociare possit matrimonium, de quo iam pertaedet, et relinquere alteram partem, praesertim uxorem, in pessima condicione tum quoad pericula animae tum quoad media oeconomica vitae. Prono alveo nascerentur et multiplicarentur matrimonia contracta ex inopinato, i. e. absque approbatione Ecclesiae atque examine de requisitis necessariis cum incommodis multo maioribus quam sub disciplina Tridentina, quia nunc sufficeret cuilibet impedito ex lege civili post seductam aliquam puellam sese cum illa praesentare coram duobus testibus quibuscumque — v. g. duabus feminis, duabus meretricibus, duobus pueris — et dicere coram ipsis sese mutuo copulari in maritum

nibus et cautionibus quibus illis periculis efficaciter occurreretur. Si allegatur urgens necessitas quae nonnunquam haberi potest, non apparet quod in hac re possit dari *maior* quam in quolibet alio impedimento. Pro periculo vero mortis nunc abunde provisum est per facultates cc. 1043, 1044; pro aliis casibus urgentibus possunt peti et obtineri opportunae facultates, si iudicio S. Congregationis expediat eas concedere, et inde iniunctum onus recurrendi in singulis casibus [73].

Certe vix intelligitur ex communi sensu, qui non probatur esse contrarius sensui iuridico, quod verificetur « parochum vel Ordinarium vel sacerdotem delegatum *haberi vel adiri non posse* » in magna urbe, ubi adsunt 50 parochi competentes cum plurimis vicariis paroecialibus et tercenti vel quadringenti sacerdotes; quod a nupturientibus non possit haberi vel adiri *proprius* parochus, cum quo agunt cotidie de suo matrimonio, cuius missae cotidie forte intersunt etc.

---

et uxorem. Inde fieret ut ipsum factum inveniendi difficultates in lege civili — non semper in se irrationabili quamvis prorsus illegitima ex defectu competentiae — tribueret talibus nupturientibus *coram lege ecclesiastica* tam facilem pleneque expeditam facilitatem, quali plerumque non potiuntur ii, quibus impedimentum ex lege civili nullum obstat. Quodsi impossibilitas provenit ex difficultate obtinendi documenta a lege civili requisita aut ex impossibilitate solvendi quod lex civilis exigit, qua ratione poterit constare utrum existat necne illa impossibilitas? Hinc per se induceretur quod plurima matrimonia nutarent quoad valorem. Praeterea cum huiusmodi matrimonia plerumque carerent authentico instrumento celebrationis nec a lege civili essent recognita, facillime ita matrimonio coniuncti possent se separare et ad novas nuptias convolare, in conscientia quidem invalidas, quae tamen haberentur validae coram lege civili eiusque praesidium etiam cum vi coactiva obtinerent; nec Ecclesia illis sese opponere posset, cum sibi non constaret de prioris matrimonii celebratione. Quae incommoda adeo gravia videntur, ut facile quis miretur conatum adhibitum a nonnullis doctoribus efficiendi ut praevaleat eiusmodi ius, per se cum illis incommodis haud facile evitabilibus conexum, non obstantibus SS. CC. responsis.

Si Ecclesia iudicat opportunum permittere tale matrimonium, sine praesentia parochi coram solis testibus celebratum, extra loca missionum et illis aequiparata, hoc faciet in singulis casibus dando necessarias instructiones et exigendo opportunas cautiones, quae in normalibus circumstantiis in nostris regionibus exigi posunt. *Ferreres,* l. c. n. 734.

[73] Si quis obiciat quod incommoda et difficultates, in textu et in nota praecedente allegatae, etiam verificari possunt in regionibus *certo* comprehensis sub art. VIII, decr. « *Ne temere* » et sub c. 1098, 1°, facile respondetur quod apud gentes adhuc barbaras, in quibus recursus ad auctoritatem ecclesiasticam est summopere difficilis, necessitas obligat ad talem concessionem, cuius applicatio ex ipsa condicione rerum sponte sua cessabit simul cum incrementis Ecclesiae et numeri sacrorum ministrorum. *Ferreres,* l. c. n. 736.

Quare sententiae a pluribus ante et post Codicem propugnatae non audemus assentiri, nec salva reverentia illis doctoribus debita, *intrinsecam* ipsius probabilitatem admittere [73*]. Cfr.

[73*] Adsunt tamen posteriora Comm. Codicis responsa quibus videtur confirmari sententia in textu impugnata. Primum quidem Comm. Codicis d. 10 mart. 1928 (AAS. XX, 120) declaravit agi in hoc canone tantum de physica parochi vel Ordinarii loci absentia. Haec responsio primo aspectu videbatur ad usum can. 1098 requirere parochi vel Ordinarii loci physicam absentiam *a loco residentiae,* et de facto a plerisque in hoc sensu fuit intellecta; cfr. Period. XVII, 79; Apollin. I, 334. Sed deinde eadem Comm. Codicis d. 25 iul. 1931 declaravit rursus ad physicam parochi vel Ordinarii absentiam referendum esse etiam casum, quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat requirens et excipiens contrahentium consensum; AAS. XXIII, 388; Period. XXI, 43. Unde constat iam authentice materialem praesentiam in loco residentiae minime impedire usum canonis 1098, si parochus vel Ordinarius loci absque gravi incommodo *celebrationi matrimonii* physice assistere nequeunt; sufficit ergo sola absentia physica ab ipso actu celebrationis matrimonii.

Cuius generis debet esse incommodum quod testem qualificatum praesentem materialiter in loco residentiae impediat quominus assistat actui celebrationis matrimonii requirens et excipiens contrahentium consensum? Non defuerunt qui exigerent causas ordinis physici (cfr. Apollin. IV, 381), quibus contradicunt, et quidem recte, plerique doctores asserentes sufficere ad applicationem normae canonis 1098 ut testis qualificatus, etsi materialiter praesens in loco residentiae, non possit absque gravi incommodo etiam *morali* assistere actui celebrationis matrimonii (cfr. *Gasparri,* II, n. 1017; *Verm.-Cr.,* II, n. 404). Concordat cum hac sententia responsum datum d. 24 apr. 1935 a S. C. de d. Sacr. ad Episc. Meten.; ait enim S. Congregatio ad hunc canonem esse referendum casum « quo parochus vel Ordinarius loci celebrationi matrimonii religiosi assistere nequit, quia lege civili prohibetur, etiam sub poena, matrimonium coram Ecclesia celebrare, nisi praecesserit matrimonium sic dictum civile, et hoc ab auctoritate civili omnino recusatur, v. g. ob defectum instrumentorum quae lex civilis requirit ». Cfr. Period. XXVII, 45.

Sed hucusque considerabatur, saltem explicite, solus casus in quo nupturientes non admitterentur ad caeremoniam civilem ob defectum alicuius requisiti et consequenter exsurgeret grave incommodum morale pro teste qualificato ad assistentiam praestandam matrimonio canonico, quod illi legitime inire vellent non obstante impossibilitate perficiendae caeremoniae civilis lege praescriptae. Potest autem optime contingere ut nupturientes admittantur quidem ad caeremoniam civilem sed exinde grave damnum subituri sint, eo quod exstet v. g. lex civilis quae privet *iniuste* quibusdam iuribus et beneficiis eos qui matrimonium agnitum ab Statu contrahant in determinatis condicionibus. In hoc casu nupturientes, caeremoniam civilem ob grave incommodum proprium omittentes, efficerent ipsi ut testis qualificatus versaretur in condicionibus directe praevisis in responsione authentica d. 25 iulii 1931.

Ferreres, l. c. n. 733 sq.; *Linneborn*, Grundriss d. Eherechts nach dem Codex iur. can. Paderborn, (1933) p. 367, not. 7; *Standaert*,

---

Licetne in his adiunctis adhibere normam in c. 1098 stabilitam? Sine dubio habebitur causa sufficiens ad omittendam caeremoniam civilem quoties ob condiciones iniuste positas ab Statu obveniat nupturientibus grave damnum ex illo actu civili, qui habetur coram lege veluti matrimonium verum; consequenter prorsus legitime contenderent inire matrimonium canonicum omissa caeremonia civili; si vero parochus ex sua parte incommodum grave subire deberet ob assistentiam praestitam matrimonio, cui non praemissa fuerit caeremonia civilis, matrimonium canonicum celebrari poterit coram solis testibus ad normam c. 1098. Vere enim dicuntur in his adiunctis nequire nupturientes absque gravi incommodo habere parochum vel Ordinarium vel sacerdotem delegatum qui debeant fungi munere testis qualificati, cum ii ex sua parte vi responsionis d. 25 iulii 1931 excusentur ab assistentia praestanda ob vetitum legis civilis, cuius violatio inferret eis incommodum item grave.

Ideo Comm. Codicis declaravit authentice d. 3 maii 1945 non solum grave incommodum, quod immineat parocho vel Ordinario vel sacerdoti delegato qui matrimonio assistant, sed etiam quod immineat utrique vel alterutri matrimonium contrahenti valere ad usum legitimum praescripti canonis 1098; AAS. XXXVII, 149. Modus loquendi adhibitus in dubio proposito aperte indicat ea quae dicuntur in c. 1098 valere de gravi incommodo *cuiuscumque generis* etiam cum nupturientes et testis qualificatus versentur in eodem loco; aliis verbis, sufficere ad formam extraordinariam adhibendam in celebratione matrimonii quodlibet notabile damnum subeundum, vel a teste qualificato vel a partibus, si forma ordinaria in c. 1094 stabilita observetur. Nemo enim rationabiliter dubitare poterat de sufficientia gravis incommodi ordinis physici quod se haberet ex parte utriusque vel saltem alterutrius matrimonium contrahentis, cum c. 1098 directe et primario hanc rem clarissime dirimat. Praeterea in responso agitur non de incommodo gravi quod subiri debet *ad habendam* praesentiam testis qualificati in actu celebrationis matrimonii, sed de gravi incommodo quod *immineat* parocho vel Ordinario vel sacerdoti delegato qui *matrimonio assistant*, vel etiam utrique vel alterutri *matrimonium contrahenti*; supponitur ergo possibilitas praesentiae physicae testis qualificati et nupturientium, nullo superato gravi incommodo, in eodem loco ad celebrandum matrimonium destinato, immo, supponitur etiam possibilitas physica adimplendi ex parte nupturientium praescripta civilia, ita ut nullum damnum immineat parocho ob assistentiam praestitam, sed utique imminet pro *tempore futuro* grave incommodum utrique vel alterutri *matrimonium contrahenti*, praecise ex eo quod caeremoniam civilem perfecerint, v. g. quia sic constat iuridice eos qui pertinent ad diversas stirpes matrimonium agnitum ab Statu inter se contraxisse et simul adsit lex civilis quae puniat iniuste privatione aliquorum iurium communium eos qui contrahant matrimonium huius generis.

Concedendum est utique in his casibus adesse pericula non levia quae tamen communia sunt eis cum omnibus ceteris matrimoniis de quorum celebratione non constet in regestis civilibus; sed simul reicienda est hypothesis multiplicationis matrimoniorum absque approbatione Eccle-

in Collat. Gandav., VIII, 5 sq.; *Lehmkuhl*, Quaest. mor. novo iuri can. adaptatae, 55, et plures alii.

549. Scholion II. Ecclesia non omisit monere de modo quo, occurrente necessitate, matrimonium coram solis testibus communibus sit celebrandum, ut consulatur dignitati et venerationi sacramenti. Huc pertinet Instructio S. C. de P. F. ad Vic. Apost. Sinensem, 23 iun. 1830 [74].

§ IV. De iis qui tenentur ad iuridicam formam servandam

550. Principium generale est omnes valide baptizatos legibus ecclesiasticis ligari, nisi probetur exceptio. Quae exceptiones, ob singularem naturam huius legis, iam statim ab ipso primo tempore, quo forma substantialis coniugii celebrandi invecta est, reputatae sunt necessariae [75] atque etiam nunc ab ea servanda nonnulli expresse eximuntur.

551. Tenentur ad formam servandam:

I. « *Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem*

---

siae atque examine de requisitis necessariis initorum, cum plerumque nupturientes, qui procul dubio agent cum proprio parocho de negotio sui matrimonii, edocendi erunt ab eo de modo legitimo quo possint vitari incommoda ex iniusta lege civili imminentia. Sic ergo in tuto ponetur examen praevium sponsorum ut constare possit tum de absentia impedimentorum tum de aliis rebus iure requisitis, antequam celebretur matrimonium in forma extraordinaria; item secura reddetur annotatio matrimonii contracti in libris paroecialibus. Demum adest Ordinarius loci qui, si adiuncta id suadeant, poterit praecipere parochis ut in singulis huiusmodi casibus, qui haud cotidie evenient, ad eum recurrant.

[74] Ibi hic modus proponitur: « Parentes duos testes eligant qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, caritatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum recte se disponant. Post haec surgentes sponsi coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post gratias Deo actas domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur; postea vero, data opportunitate, et novi coniuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitime constet et ab eodem benedictionem accipiant ».

[75] In eum praecise finem Conc. Tridentinum *plane singularem* praescripsit *formam promulgationis* cap. « *Tametsi* » faciendam *in singulis paroecialibus ecclesiis*, ita ut suum robur non obtineret in qualibet determinata paroecia, nisi elapsis triginta diebus a prima promulgatione in ea facta; quo promulgationis modo, suadente *Laynez* electo, necessario debebat evenire ut multi subditi Ecclesiae ab illa lege manerent immunes.

postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt » [76]. Ergo legi subiacent in matrimoniis *inter se* contrahendis:

a) Baptizatus in Ecclesia catholica: talis autem habendus ille est, qui per baptismum intentionem habuerit sese catholicae Ecclesiae aggregandi, aut eadem intentione oblatus est ad baptismum ab iis, sub quorum potestate erat, et si in nullius potestate erat illa intentio habita est a ministro baptizante [77].

b) Conversi ad Ecclesiam catholicam. His accensendi sunt infantes, qui, licet acatholice baptizati, a parentibus conversis in vera religione deinde educati sunt; quod idem asserendum est de impubere, nisi is catholicae educationi datae contradicat.

c) Hi omnes huic legi manent obnoxii, licet postea ab Ecclesia catholica defecerint. Quare a lege non subducuntur infantes catholice baptizati, si parentes ab Ecclesia deficientes eos postea in haeresi vel atheismo educaverint.

II. *Iidem* subiciuntur legi, si contrahant *cum acatholicis*, etiam cum dispensatione super impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis. Quare novo iure principium *individuitatis contractus* producit, etiam quoad clandestinitatem, suum naturalem effectum reddendi invalidum actum, quando una pars est inhabilis, et manet abrogatum ius praecedens, quo ex dispositione legislatoris ecclesiastici pars immunis a forma celebrationis servanda suam immunitatem, ut dicebatur, parti obstrictae communicabat.

III. *Iidem* tenentur ad formam, si contrahant cum *catholicis orientalibus*. In hoc quoque casu individuitas contractus producit effectum *negativum* nullitatis propter unius partis inhabilitatem, non effectum *positivum* communicandi exemptionem [77*].

---

[76] Formula eadem adhibetur quae iam in decr. « *Ne temere* » fuerat adhibita.

[77] Licet proprie loquendo nemo baptismate fiat haereticus, nihilominus censetur *in haeresi* baptizatus qui ex ipsis baptismi adiunctis existimari debet in haeresi fore educandus. Quare attenditur in hac re finis operantis hoc ordine aut baptismum propria voluntate recipientis aut mandantis aut conferentis. Cfr. *Vermeersch*, in decr. « *Ne temere* » n. 87; *Vlaming*, I, n. 289, iunct. II, n. 598; *De Smet*, n. 140.

[77*] Sic Comm. Codicis declaravit d. 29 apr. 1940 mulierem latinam, quae vi canonis 98 § 4 declaret se velle transire *in matrimonio ineundo* ad ritum orientalem viri, adhuc teneri ad formam celebrationis matrimonii de qua in c. 1099 § 1, 3°; cfr. AAS. XXXII, 212; Period. XXIX, 387. Optimo iure ea interpretatio est data, quae dum formae absolutae canonis 1099 § 1, 3° apprime responderet pari tempore rationabilem permitteret explicationem canonis 98 § 4. Cum legislator enumerat ex professo eos omnes, qui tenentur in celebratione matrimonii forma canonica sta-

552. A forma servanda eximuntur:

a) Catholici rituum *orientalium*, sive inter se contrahant sive cum acatholico quocumque orientali vel latino (c. 1). At 1) *rutheni* tenentur ad formam decr. « *Ne temere* » in provincia Galiciae — i. e. in dioec. Leopolitana, Presmiliensi, Stanislaopolitana; in Statibus foederatis Americae septentr.; in dicione Canadensi; in America meridionali. 2) Apud *maronitas* viget cap. « *Tametsi* » [78]. — 3) Apud ceteros orientales generatim nequidem cap. « *Tametsi* » viget [79].

b) *Acatholici* sive baptizati sive non baptizati in quocumque loco *inter se* contrahant. Hoc nomine acatholici hic intelliguntur, qui nullo momento vitae suae ad Ecclesiam pertinuerunt neque per baptismum neque per conversionem. *Acatholicis accensentur*, in ordine ad hanc legem, « *ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt* » [80*]. C. 1099 § 2.

---

bilita in c. 1094, memorat orientales qui matrimonium contrahant cum latinis hac forma adstrictis. Nulla exceptio ne implicite quidem innuitur, nulla fit mentio praescripti canonis 98 § 4; hoc autem silentium rationabiliter explicari non posset, si mulieres ritus latini, contrahentes matrimonium cum orientalibus praevieque declarantes se velle in matrimonio ineundo ad ritum viri transire, immunes evaderent eo ipso ab obligatione observandi formam canonicam stabilitam in c. 1094. Ex una enim parte pateret hoc modo aditus haud paucis exceptionibus regulae stabilitae in c. 1099 § 1, 3° et ex alia parte retineretur ibidem modus loquendi quo quaelibet exceptio exclusa videtur. Oppositio autem quae adest in c. 98 § 4 inter duplicem locutionem « in matrimonio ineundo » vel « eo durante » salvatur optime, si dicantur eae aequivalere his duabus aliis, sc.: « iam inde a primo momento initi matrimonii » « vel quolibet alio momento durante eodem matrimonio »; transitus quidem fit in prima hypothesi eodem tempore ac matrimonium *in fieri*, sed adscriptio novo ritui sortitur exsistentiam iuridicam una cum matrimonio *in facto esse*, et consequenter nuptiae debent celebrari forma statuta pro ascriptis ritui latino.

[78] S. C. de P. F., 5 maii 1911 (Arch. f. k. K. XCII, 484); 18 aug. 1913 (AAS. V, 398); 17 aug. 1914 (AAS. VI, 463); 27 mart. 1916 (AAS. VIII, 105).

[79] Cfr. *Papp-Szilágyi*, Enchir. iuris eccl. orient. § 118, iunct. Votum Consultoris ad decr. S. C. C., 28 mart. 1908, in *Anal. eccl.* XVI, 115 sq.

[80*] Primo aspectu ab acatholicis nati viderentur dicendi illi, quorum uterque parens sit acatholicus; negari tamen nequit in canone 1099 § 2 verba « ab acatholicis nati » posse comprehendere, nulla eis violentia illata, eos omnes qui saltem ab alterutro parente acatholico ortum ducunt; ii enim *collective* sumpti vere dicuntur *ab acatholicis nati*, licet singuli non nisi unum parentem acatholicum habeant. Immo ipse modus generalis loquendi quo quaelibet distinctio evitabatur, cum tamen

553. Scholion I. Quoad dubie baptizatos, ad iudicandum de valore matrimonii sine forma iuridica celebrati, videtur esse applicandum principium c. 1014, ita ut matrimonium dubie baptizati cum parte infideli vel dubie baptizata, itemque cum parte acatholica vel catholica orientali habendum sit ut validum [81].

Scholion II. Praeter exceptiones in ipso c. 1099 contentas et eam quae pertinet ad orientales, nulla alia exceptio remansit post publicatum Codicem a lege communi de forma iuridica in matrimonii celebratione servanda [82], et nisi indultum magis generale fuerit postea obtentum, sola remanet *dispensatio* tanquam medium ab illa sese liberandi, salvis generalioribus iuris principiis de vi obligandi legis ecclesiasticae praesertim irritantis.

---

ea obvia occurreret rem attente consideranti, suadebat dare verbis praedictis maximam extensionem possibilem; commoda vero obvenientia ex deminutione matrimoniorum invalidorum ob defectum formae hanc interpretationem latam veluti exigere videbantur. Hinc nihil mirum quod Comm. Codicis d. 20 iulii 1929 declaraverit dicendos esse ab acatholicis natos, quoad effectus canonis 1099 § 2, etiam natos ab alterutro parente acatholico, cautionibus quoque praestitis ad normam canonum 1061 et 1071. Quae interpretatio, secundum id quod eadem Comm. Codicis declaravit d. 25 iulii 1931, habenda est veluti declarativa, non autem extensiva; cfr. AAS. XXI, 573; XXIII, 388; Period. XVIII, 249; XXI, 41. Videtur tamen dicendum hanc interpretationem, sane ex ipsis verbis canonis absque ulla violentia depromptam, verum dubium explicare quod existebat prius saltem ob diversitatem sententiarum. Ideo quoad matrimonia ante hanc responsionem contracta, non servata forma canonica, videtur posse applicari canonem 15 ob dubium iuris antehac exsistens, et sic sub aspectu formae quoad validitatem priora considerarentur eodem modo ac subsequentia matrimonia; cfr. Apollin. III, 615. Etiam nati ab apostatis, i. e. ab iis qui defecerunt a fide catholica quam professi erant, comprehenduntur sub verbis « ab acatholicis nati » de quibus in § 2 huius canonis, ut declaravit Comm. Codicis d. 17 febr. 1930; cfr. AAS. XXII, 195; Period. XIX, 266. Maxima ergo extensio data est in hoc canone verbis « ab acatholicis nati », ut restringatur, quantum fieri possit, numerus eorum qui innocenter exponerentur periculo contrahendi invalidum matrimonium ob solum defectum formae, cuius necessitatem vel prorsus ignorant vel haud sufficienter persentiunt.

Quid dicendum foret de filiis apostatarum, natis quidem antequam parentes ab Ecclesia defecissent sed de facto iam inde ab initio in falsa religione vel sine ulla religione educatis, quia parentes, antequam filii adipiscerentur usum rationis, iam ab Ecclesia defecerunt? Si solus finis legis respiceretur, dicendum esset etiam eos immunes esse a lege observandi formam canonicam matrimonii; sed in casu obstant clari termini legis. Ideo haud difficile poterit accidere ut inter filios apostatarum, prorsus eodem modo extra religionem catholicam educatos, quoad celebrationem matrimonii alii teneantur forma canonica, alii vero sint ab ea immunes, prout nati fuerint ante vel post defectionem parentum a religione catholica; licet enim omnes sint *filii* apostatarum, nequeunt tamen dici *nati* ab apostatis qui ante defectionem parentum in lucem editi sunt.

[81] *Cappello*, II, n. 700; *De Smet*, n. 140.

[82] Per decr. « *Ne temere* » omnes exemptiones, quae in lege de forma

CAPUT VI

De forma liturgica celebrationis matrimonii

§ I. De ritu nuptiarum in matrimoniis catholicorum

554. Quamvis ad *valorem* contractus matrimonialis sufficit sollemnitas substantialis in praecedentibus descripta, in qua munus parochi reducitur ad hoc quod requirat excipiatque contrahentium consensum, tamen ut *licite* fiant nuptiae, iam ex *antiquissima* Ecclesiae praxi [1], *activa* illa participatio parochi et

---

substantiali factae fuerant maxime pro catholicis mixta matrimonia celebrantibus — inter quas celeberrima erat « *Declaratio Benedictina* » pro Hollandia, cuius deinde factae fuerant extensiones ad alias regiones — manserunt prorsus abrogatae, excepta dumtaxat Const. « *Provida* », 18 ian. 1906, pro Germania: quae Constitutio deinde extensa fuit ad Hungariam ob rationes prorsus speciales (23 febr. 1909). Deinde vero illius Constitutionis data fuit interpretatio *restrictiva* duplex: nam S. C. C. (28 mart. 1908, ad 3), declaravit « exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus » (ASS. XLI, 288); deinde S. C. de d. Sacr. (8 iunii 1909 - AAS. I, 516) declaravit necesse esse ut ambo sponsi nati essent in Germania aut in Hungaria, neque valere coniugium sine forma inter personam natam in Germania et aliam natam in Hungaria. Porro attendendum esse *originem*, non *domicilium*, ex ipso tenore declarationis erat manifestum. Quod ius *particulare*, publicato Codice, inde a die 19 maii 1918, attento c. 6, mansit abrogatum: ceterum interrogata de hac re Commissione Codicis, eius E.mus Praeses (30 mart. 1918) declaravit illud particulare ius esse abrogatum. Cfr. *Ned Kath. Stemmen* a. 1918, p. 190; *Cappello*, II n. 703; *De Smet*, n. 143. Ceterum post Decret. « *Ne temere* », Const. « *Provida* » fuit praeservata modo *provisorio;* (cfr. *mentem* S. C. C. in responso 1 febr. 1908 ad V); item concessio facta pro Hungaria dicta est fieri *pro nunc* et Episcopi monebantur de disponendis fidelibus ad acceptandas normas iuris communis. Cfr. Canoniste Contemp. 1909, p. 581; *Ferreres*, « Los Esponsales y el Matrim. » n. 528, 638.

[1] Cfr. c. 1, 2, 3, 5, 7, C. XXX, q. 5; c. 19, C. XXXV, q. 2; c. 50, C. XXVII, q. 2; cpl. I, cap. 3, 4, de spon. duor. IV, 4; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, 10, de ref. matr.; S. C. de Prop. F. 14 ian. 1821; 29 febr. 1836, S. C. Inq. 6 iul. 1821; *Moy*, l. c., 94 sq., 215 sq., 372 sq.; *Freisen*, 120 sq.; *Duchesne*, « Origines du culte chrétien », 413 sq.; 185 sq.; *Scherer*, § 113.

publica sollemnisque matrimonii celebratio in facie *Ecclesiae*[2] est coniungenda cum caeremoniis sacris, quae *accidentalem* celebrationis sollemnitatem constituunt. Ex quo iure Ecclesiae extra casum necessitatis fideles nequeunt pro suo arbitrio celebrare nuptias *occultas* vel immutare ritus illos accidentales in contrahendo matrimonio praescriptos[3], atque vicissim parochi tenentur observare omnes ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis descriptos et laudabiles consuetudines.

Quae assistentia activa et ritualis parochi, ut iam in ipso cap. *Tametsi* (« *coniungere* **aut** *benedicere* ») et Rituali Romano aperte traditur, duobus actibus principalibus absolvitur, sc. 1) sponsorum *coniunctione* sive *copulatione*, atque 2) *sollemni benedictione post* contractum matrimonium in *Missa* nuptiali data[4].

555. *Coniunctio* sive copulatio — celebratio nuptiarum — sponsorum *debet* fieri secundum caeremonias Ritualis *Romani;* et sponsis catholicis est *obligatoria* atque *totaliter* absque gravi culpa omitti nequit etiam in secundis nuptiis, nisi agatur de casibus a iure exceptis[5]. At ex capite *Tametsi* et ex Rituali Romano non excluduntur in recipiendo consensu sponsorum *alia verba* in aliqua provincia ecclesiastica usitata, vel aliae laudabiles consuetudines et caeremoniae *ultra* illas in Rituali Romano expressas, immo *eas Sancta Tridentina Synodus optavit retineri*, dummodo vere sint laudabiles nec ab Episcopo vel forte ab ipsa S. R. C. reprobatae[6].

---

[2] *Rosset*, n. 2849 sq. At Ecclesia sollemnitates et consuetudines *fori saecularis* ad validitatem vel liceitatem matrimonii christiani absoluta necessitate non requisivit. Cfr. v. g. cap. 1, X, de sponsal. IV, 1, ex Conc. Tribur. a. 895; *Scherer*, 235 sq.; *Leitner*, 301, not. 3; ASS. XXVI, 254 sq.

[3] Rituale Rom., De sacram. matr., ritus celebr. matr. iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 11 et cap. 1, de ref. matr.; *Rosset*, 2852 n. 2895, sq.; Nouvelle Revue Theol. XXXIV, 28 sq.; *Leitner*, 539 sq.

[4] *Feije*, n. 554; *Gasparri*, II, n. 1041.

[5] S. C. de Prop. F., 20 febr. 1801, 27 ian. 1805, 29 febr. 1836, in cit. Collect. n. 1539, 1545; S. C. Inq. 6 iul. 1817; *Pirhing*, h. t. n. 22; *Gasparri*, l. c. *Rosset*, n. 2854; *Schnitzer*, 214, 217, 220; *Leitner*, n. 541.

[6] *Rosset*, n. 2917; S. R. C. in c. Rupellensi, 7 sept. 1850, prohibuit et reprobavit usum explicandi *velum album* super utrumque sponsum. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1039 (in nova collect auth. hoc decr. deest). At antiquitus Nicolaus I, c. 3, C. XXX, q. 5, (a. 866), commemorat *velamen* sponsae, et teste Rolando, Summa (Stroma) 153, ex consuetudine quarundam ecclesiarum sponsi ac sponsae *capita* in sacerdotali benedictione vincta *uno vinculo* fuerunt colligata. Conc. prov. Ultraject. (a. 1865), in Collect. Lac. V, col. 841, *normas* a Rituali Romano alienas abrogavit

Itaque « *parochus*[7] *matrimonium celebraturus* (sollemnizaturus) *publicationibus factis tribus diebus festis ... si nullum obstet legitimum impedimentum*[8] *in ecclesia* (ante *altare*[9] maius vel eo impedito, ante aliud altare, veste *talari* et) *superpelliceo et alba stola indutus adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto* (cfr. S. R. C., 31 aug. 1867, si immediate post co-

---

nec Romae ob excessivum rigorem correctum est. Cfr. S. R. C. in *de Guayana* (Coll. auth. n. 3531) et in *Mexic.* (ib. n. 3656).

[7] Cum iure praecedente proprius *parochus* poterat non esse sacerdos et nihilominus valide et licite matrimonio *assistere*, consensum sponsorum in *sollemni* illa *forma liturgica per se recipere* non potuit, sed alium *sacerdotem* ad illam functionem sacram cum *stola* et benedictione *sacerdotali sponsorum* et *annulorum* etc. sibi substituere debuit; id profecto a fortiori valet de celebranda *Missa* pro sponsis et *sollemni* benedictione nuptiali. Cfr. *Rosset*, n. 2194. Qui parochus ex *iure Tridentino* ad validam licitamque *receptionem consensus* sponsorum pro suo iure et officio erat indiscriminatim parochus *proprius unius* ex sponsis, neque parochus *sponsae* per se habebat praeferentiam legitimam ad *licitam* assistentiam; at quandoque iure *particulari uni* ex compluribus parochis competentibus data erat *exclusiva* facultas *licite assistendi* matrimonio et percipiendi *iura stolae*. Cfr. Instr. Card. Rauscher § 105; *Scherer*, l. c., 230; minus accurate *Schmitz*, Arch. f. k. K. LXIV, 233 sq. et *Schnitzer*, 216, not. 6, iam ex *iure communi* parocho *sponsae* vindicarunt praeferentiam ad *licitam* assistentiam, at solidis argumentis non demonstrarunt, neque quidquam deduci poterat in favorem *iuris communis* ex litteris Pii IX, 31 mart. 1857, de Cappellano Maiore domus imperialis tunc in Gallia regnantis. Cfr. Arch. f. k. K. l. c., 353 sq. Post decretum « *Ne temere* » iuris universalis facta est illa dispositio secundum modum supra explicatum. « In quolibet casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset ».

[8] Sacerdos, *antequam consensum recipiat*, nequaquam *sponsos* denuo publice *interrogare* potest vel debet num aliquod habeant impedimentum. Nam huiusmodi interrogatio neque in Conc. Trid. neque in Rit. Rom. praescribitur atque in se parum est opportuna, immo multum periculosa, ut recte tenent *Sánchez*, III, disp. 38, n. 10; *Rosset*, n. 2896; aliter *Veracrux*. Quodsi in nonnullis regionibus, v. g. in Germania, iuxta praxim sacrarum ordinationum *alii* fideles praesentes ultima vice interpellantur, ut impedimenta sibi nota manifestent, ista sollemnitas, pariter a Rituali Romano non statuta, retineri potest; at ubi non viget, nequaquam est introducenda. Si quis revera contra matrimonii celebrationem *legitime* intercedat, parochus copulationem suspendere debet. Cfr. *Schnitzer*, l. c., 214, iunct. *Aichner*, l. c. §§ 162, 193.

Porro si pro consuetudine loci *sermo* quidam ad sponsos habeatur — qua de re Rituale Rom. pariter tacet — id convenienter fit *ante* copulationem (cfr. *Schnitzer*, 214) vel post benedictionem sollemnem in Missa iuxta rubricam Missalis.

[9] De *candelis* in altari *accensis* nihil reperitur in Rituali Romano statutum; hinc standum est consuetudini particulari. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1039; *Rosset*, n. 2852.

pulationem Missa celebretur), *qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus* (*prope* sponsos adstantibus), *virum* (a dextris sponsae genuflectentem) *et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in matrimonium interrogat* [10] *utrumque singillatim in hunc modum* (vel aequipollentem) [11] *vulgari sermone*: *N.* (i. e. nomine proprio et usitato, non fictitio, fiat appellatio, nec nomen *gentilitium* necessario est addendum) *vis accipere N.* **hic praesentem** *in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae? Respondeat sponsus*: *Volo. Mox sacerdos sponsam interroget*: *N. vis accipere N.* **hic praesentem** *in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae? Respondeat sponsa*: *Volo* » [12].

---

[10] In sollemni illa *interrogatione* et responsione habetur publica et manifesta *expressio consensus sponsorum*, atque in hoc ritu principaliter consistit *copulatio*: sub illa enim forma sollemni vere et proprie contrahitur matrimonium et fit sacramentum. Quare sponsi, quamvis sub iure Tridentino *valide* potuerint mutuum suum consensum exprimere *antequam* a parocho interrogarentur, tamen id *licite* facere nequibant. Nam ex cap. *Tametsi* et Rituali Rom. (cfr. S. C. de Prop. F., 17 apr. 1820, in cit. Collect. S. C. de Prop. n. 1542), evidenter huiusmodi sollemnis interrogatio et responsio fieri *debebat;* sponsi igitur neglecta illa forma violabant *ritum* ab Ecclesia saltem sub peccato levi praescriptum (cfr. *Sánchez,* l. c. n. 2, 3, 7; *Rosset,* n. 2895), et speciatim *sponsa* sequebatur praxim a pudore alienam; *testes* vero non raro de illo consensu praepostere dato difficulter deponere potuissent. Immo ex natura rei nihil obstabat, quominus Ecclesia sollemnes illas interrogationes et responsiones, in Rituali Romano ad *licitam* celebrationem nuptiarum statutas, requireret ut *sollemnitates essentiales* ad instar antiquarum formularum sollemnium iuris Romani, v. g. Spondesne? Spondeo. Qua disciplina instituta parochi, qui usque nunc in ordine ad *valorem* matrimonii sola sua assistentia passiva intervenerunt, sed contra improvisas nuptias et sponsorum dolos fuerunt fere inermes, melius sunt protecti. Et in hunc praecise finem, praeter summam rei convenientiam, per decretum « *Ne temere* » prima vice ad valorem factum est necessarium ut parochi requirant excipiantque contrahentium consensum. Quod et praestandum est in matrimoniis mixtis, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis. S. C. C., 27 iulii 1908, ASS., XLI, 510. *Passiva* ergo assistentia quatenus opponitur *activae*, nunc ponenda est exclusive in omissione omnis ritus sacri et ecclesiastici in consensus mutua traditione et acceptatione coram parocho facta.

[11] S. C. de Prop. F., 17 apr. 1820; *Rosset,* n. 2895, ubi nimium rigorem *Baruffaldi,* quoad *nullitatem* matrimonii ob errorem nominum recte reiecit; *Schneider,* Manuale sacerd., 424 sq.

[12] Cum expresso consensu *etiam* ex parte sponsae *matrimonium* vere sit *contractum,* ex Ritualibus quibusdam dioecesanis — non ex Rituali Romano — a novis coniugibus per parochum sollemnes exiguntur *sponsiones* fideliter implendi *obligationes* coniugales. Quae praxis consuetudinibus laudabilibus a Concilio Tridentino non reiectis certe est adnumeranda. Cfr. *Schnitzer,* 214; *Scherer,* 237, not. 25. Si in regione quadam *obligatorium* matrimonium civile praemittitur religioso, sponsa in ritu ecclesiastico, non nomine gentilitio *mariti* sed *suo* nomine gentilitio est interpellanda; nam in praecedente caeremonia *civili* nondum matrimonium censetur rite celebratum, cum matrimonia valide celebrata iterari non debeant. Cfr. S. C. Inq., 6 sept. 1876.

Post haec verba in Rituali Rom. subiungitur: « *Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se sive per procuratorem. Mutuo igitur contrahentium consensu* **intellecto** — a parocho et testibus — *sacerdos iubeat invicem iungere dexteras* [13] *dicens*: **Ego coniungo** [14] *vos in matrimonium, in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Vel* **aliis** *utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum; postea eos aspergat aqua benedicta; mox benedicat annulum* [15]. Expleta caeremonia benedictionis et impositio-

---

[13] Cap. 1, X, de spons. duor. IV, 4, « *Stringit manum* »; *Rosset,* l. c. n. 2897. Iure particulari interdum praescribitur, ut coniunctio dexterarum, antiquissimum symbolum mutuae unionis, fiat manibus a *chirothecis* liberis; item additur ille a Rituali Romano alienus, in se vero laudabilis mos, quo sacerdos manus iunctas sponsorum dextera *stolae* parte circumdat. Cfr. S. Isidor. in c. 7, § 1, C. XXX, q. 5, « *Vitta invicem uno vinculo copulantur* »; *Rolandus,* l. c. in not. 6, h. cap.; *Schneider,* l. c., 214, not. 9. Cfr. S. C. Inq., 3 febr. 1892, in cit. Collect. n. 1562, de tolerata omissione iunctionis dexterarum apud sinenses, cum mente inducendi paulatim neophytos ad observantiam Ritualis romani.

[14] Quae verba non sunt *forma* sacramenti matrimonii multoque minus enuntiant *sacerdotem* esse *causam efficientem* vinculi matrimonialis (cfr. *Pesch,* Praelect. dogmat. VII, n. 718 sq., 731 sq., 754 sq.; *Rosset,* n. 2898; *Scherer,* 237), sed continent caeremoniam quandam *accidentalem* ex praecepto Ecclesiae saltem sub levi servandam (cfr. *Sánchez,* l. c., n. 7; *Schmalzgr.,* h. t. n. 244 sq.), qua parochus assistens 1) ut *testis autorizabilis et minister ecclesiasticus* matrimonium *mutuo consensu* sponsorum *iam contractum nomine Ecclesiae* publice et sollemniter approbat ratumque esse *declarat,* et 2) ut *sacerdos* per adiunctam *benedictionem* sacerdotalem et invocationem divini numinis gratias caelestes coniugibus apprecatur.

Hinc dubium existere nequit, quin alia Ritualia dioecesana doctrinam catholicam mentemque Ecclesiae de matrimonio clarius exprimant quam ipsum Rituale Romanum, v. g. in dioecesi Monasteriensi: « *Et ego matrimonium per vos contractum confirmo et ratifico in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » et in dioecesi Augustana (Vindelic.): « *Matrimonium inter vos contractum Deus confirmet et ego illud approbo et in facie Ecclesiae sollemnizo in nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* ». Cfr. *Gasparri,* II, n. 1040; *Schnitzer,* 215, not. 1.

[15] Rituale Romanum et Rit. Gall. commemorant *unicum* annulum, qui a *sponso* post benedictionem in digito annulari sinistrae manus *sponsae* imponitur *sacerdote dicente*: « *In nomine Patris, et F. et Sp. S. Amen* ».

nis annuli (vel annulorum) « *si* (sollemniter) *benedicendae sint nuptiae, parochus Missam pro* sponso et sponsa, *prout in Missali Romano celebret iuxta sequens Decretum* (i. e. S. R. C., 20 dec. 1783, confirmatum a Pio VI, 7 ian. 1784) *servatis omnibus, quae ibi praescribantur* [16].

556. Benedictio sollemnis nuptiarum, a *simplici* benedictione in copulatione iam data probe distinguenda [17], consistit in orationibus quae *intra Missam* [18] (votivam) pro sponso et sponsa primum post orationem dominicam, deinde post *Benedicamus Domino* vel *Ite Missa est*, super sponsos ante altare genuflectentes *a sacerdote celebrante* recitantur. Post ultimam illam orationem ex rubrica Missalis *idem sacerdos celebrans* sponsos gravi (et prudenti sermone admonet, ubi sibi invicem servent fidem [19] et factis monitis aspergit aqua benedicta [20].

Quae sollemnis benedictio nuptialis, in Missali Romano adnotata, ex iuris communis dispositione adeo arto nexu cum sacrificio eucharistico coniungitur, ut extra Missam [21] vel ecclesiam [22] absque *indulto apostolico* [23] dari non possit. Pariter Missam votivam pro sponsis dicere non licet, nec commemoratio in Missa diei fieri potest, nisi in eadem benedictio sponsorum fiat [24]; at benedictio sollemnis dari potest, licet sponsi intra Missam non recipiant sacram communionem [25].

Cfr. *Tertullian.*, Apologet. cp. 9; *S. Isidor.* et *Nicol. M.* in c. 7, 3, C. XXX, q. 5. Quae benedictio annuli non est omittenda in *secundis* nuptiis (cfr. S. R. C., 27 aug. 1836, in cit. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1546), etiamsi idem annulus iam fuisset adhibitus et benedictus in ordine ad *aliud* matrimonium. Si annulus nuptialis amittatur vel frangatur, novus eadem Ritualis Rom. forma benedici potest. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1042; *Rosset*, n. 2900 sq.; *Scher*, 236, 238.

In non paucis aliis dioecesibus, v. gr. in Germania et in Oriente, pro *unoquoque coniuge* annulus benedicitur. Interdum, v. g. in Gallia, accedit etiam benedictio *numismatis* vel *monetae*. Quae consuetudo — antiquissimae praxis vestigium — retineri potest. Cfr. *Schnitzer*, not. 2; *Scherer*, § 113, n. 9. Item S. C. Inq., 3 febr. 1892, in cit. Collect. n. 1782, permisit, ut in Pondichery benedictio « *taly* » substitueretur benedictioni *annuli*. Si complura matrimonia eodem tempore celebrantur, accepto primum singulorum consensu et rite celebratis singulis matrimoniis, « *nihil obstat, quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia* » ut resp. S. C. Inq. 1 sept. 1841, in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1552. In Ecclesia Occidentali *materia* annuli non reperitur praescripta; apud graecos usu receptum est ut annulus *mariti* sit *aureus*, *sponsae* vero *argenteus*. Cfr. *Rosset*, n. 2900.

[16] De aliis ritibus, forte accedentibus, consulenda sunt iura particularia. Cfr. *Rosset*, n. 2927 sq.

[17] S. C. de Prop. F., 21 iul. 1841 et 21 sept. 1843, in cit. Collect. n. 1551, 1553; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 80, n. 9; *Rosset*, n. 3852 sq.; *Leitner*, 543 sq.

[18] Celebratio nuptiarum ex antiquissima praxi Ecclesiae cum sacrificio *Missae* fuit coniuncta. Cfr. *Tertullian.*, Ad uxor. l. II, cap. 8; *Nicolaus M.*, (a. 866), c. 3, C. XXX, q. 5; Rituale Rom. cum cit. decr. Pii VI, 7 ian. 1784; Missale Roman. inter Miss. vot.; S. R. C. 25 (27) sept. 1860, ad dub. XVII (XIV) in Decr. auth. n. 3103. Qua in Missa celebranda praeter rubricas iam recensitas etiam servanda sunt alia decreta SS. CC. v. g. S. R. C., 28 febr. 3 mart. 1818, 20 april. 1822; S. C. Inq. 1 sept. 1841; S. R. C., 31 aug. 1839, 26 iun. 1853, 14 august. 1858, 28 iul. 1832; *Rossel*, n. 2905 sq.; *Schneider*, 66 sq. Cfr. quoque Collect. S. C. de Pr. F. n. 1536 sq.

[19] *Rosset*, n. 2915, ubi scite commendat prudentiam vel potius *silentium* de altera parte monitorum, quae in Missali de *usu* matrimonii insinuantur. Cfr. quoque Instr. S. C. de Pr. F., 19 aug. 1874, in cit. Collect. n. 1565. Similiter *osculum nuptiale*, quod commemorat *Tertullianus*, De virginib. cap. 11, sublata veterum temporum simplicitate commutatum est in osculum pacis, dicto *Agnus Dei* et recitata prima oratione cum consueto instrumento datum. Cfr. *Rosset*, n. 2912.

[20] S. C. Inq., 1 sept. 1841, in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1553; *Schneider*, 427 sq.

[21] S. C. C., 13 iul. 1630; S. R. C. in c. Limburg. 23 iun. 1853; epist. Card. Lambruschini 12 ian. 1854; S. R. C., 14 aug. 1858, 26 mart. 1859, ubi rescriptum S. R. C. dioecesi Eystettensi, 1 sept. 1838, datum, sc. nihil obstare, quominus benedictio sollemnis extra Missam detur, fuit *revocatum; Rosset*, n. 2892; *Schnitzer*, 219.

[22] Rituale Rom. l. c.; *Rosset*, n. 2891.

[23] Quod indultum interdum fuit concessum, v. g. a Pio IX, a. 1865, ad instantiam Patrum Conc. prov. Quebec. III, (a. 1863), in Collect. Lac. III, col. 687, et alias etiam negatum, v. g. Episcopo Rupell. a. S. R. C. 7 sept. 1850, 37 aug. 1874. Nec contraria praxis in mera *consuetudine* sufficiens habet fundamentum, etiamsi in Rituali dioecesano *ante* nova decreta S. R. C. et sine approbatione Sedis Apostolicae fuerit recepta; aliter *Scherer*, 242 sq. aliique. Cfr. quoque *Leitner*, 546.

[24] S. R. C., 23 iun. 1853, 14 aug. 1858; *Schneider*, l. c., 67.

[25] S. R. C., 21 mart. 1874; *Schneider*, l. c., 66.

Conc. Trid. cap. *Tametsi* et Rituale Rom. l. c. et Instr. C. Rauscher § 75, per modum consilii et exhortationis *suadent* sponsis, ut *sacram communionem* cum celebratione nuptiarum convenienter coniungant; strictum vero *praeceptum* ex iure *communi* nullibi imponitur. Idem valet de sacramento *confirmationis* ante matrimonium recipiendo. Cfr. Conc. prov. Viennen. (a. 1858), in Collect. Lac. V., col. 174. At iure particulari interdum maiore cum rigore *utriusque* sacramenti receptio urgetur.

Cum matrimonium sit sacramentum *vivorum*, quod in statu *gratiae* est recipiendum, facile patet, cur *exhortationi* Concilii Tridentini l. c. et Ritualis Rom. l. c. de diligenti peccatorum *confessione magis* sit insistendum. Quare mirum non est, quod iure *particulari* interdum absolute et simpliciter confessio ante matrimonium *praecipiatur*. Quae *obligatio* ex *iure communi* non existit, si quis nullius peccati mortalis sibi conscius sit; immo rigorose urgeri nequit, etiamsi quis versetur in statu peccati

Si sollemniter nuptiae sint benedicendae, Missa votiva pro sponsis est dicenda iis diebus, quibus est permissa, nec alia arbitrarie substitui potest [26]; at sacerdos Missam pro sponsis *applicare* non tenetur, nisi ad hunc finem stipendium accipiat. Quae Missa, post contractum coram parocho proprio matrimonium, de eius licentia etiam ab *alio sacerdote* celebrari potest, nec prohibetur quominus in eadem Missa complures sponsi benedicantur [27].

557. Benedictio sollemnis cum Missa ex contemptu et socordia certe non est negligenda; at stricta *gravisque obligatio* illam suscipiendi non habetur [28]. Quare Ecclesia magis suasionibus et monitis efficere studet, ut fideles *non prohibiti* in nuptiarum celebratione vel etiam postea sollemnem benedictionem sibi procurent [29]. Quare Codex c. 1101 § 1 potius parocho iniungit curam procurandi ut coniuges illam accipiant.

Cum benedictio sollemnis sit singularis quidam honor, omnibus illis sponsis *negatur*, quorum nuptiae a *plena perfectione* matrimonii christiani deficiunt, v. g. in matrimoniis excommunicatorum vel interdictorum vel cum acatholicis [30] vel cum vi-

---

mortalis; nam per se actus perfectae contritionis sufficit. Cfr. S. C. C. in caus. Mogunt., 28 aug. 1852, iunct. Arch. f. k. K., LX, 246 sq. Num saltem certis in casibus sit obligatio moralis ante nuptias faciendi confessionem peccatorum, doctoribus theologiae moralis et pastoralis relinquimus discutiendum. Cfr. *S. Alph.*, Theol. mor. l. VI, n. 54; *D'Annibale*, P. III, n. 464; *Van de Burgt*, n. 408, 324, sq.; *Rosset*, n. 2834 sq.

A qua quaestione omnino distinguenda est altera, num parochus matrimonio *indignorum*, qui forte peccata confiteri *recusant*, licite assistere valeat atque adeo sollemniter inter Missam benedicere. Qua in re ab extremo rigore est abstinendum, quo *omnis* assistentia absque *ulla exceptione*, licet graves causae urgeant, huiusmodi matrimoniis denegatur, ut manifeste consequitur ex allegata decisione S. C. C. in c. Mogunt. 28 aug. 1852. Cfr. *Schnitzer*, 231 sq. At ultra *passivam* assistentiam etiam in casibus gravis necessitatis non est progrediendum, nisi servatis condicionibus et limitibus a SS. CC. statutis, v. g. a S. C. de Prop. F., 14 apr. 1820 et S. C. Inq., 21 aug. 1861 et 21 februar. 1883. Cfr. *Rosset*, l. c. n. 2990, 2842 s.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 14, n. 5, aliique, v. g. *Suarez, S. Alphonsus, Lehmkuhl;* paulo aliter *Lugo, Scherer* aliique.

[26] *Rosset*, n. 2908 sq. Qua in re nunc standum est rubricis, prout prostant in novo Missali Romano. Cfr. AAS. III, 352; V, 43.

[27] S. C. Inq., 1 sept. 1841.

[28] S. C. de Prop. F., 21 sept. 1843, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1554, iunct. n. 1547; *Rosset*, n. 2867 sq.; *Gasparri*, II, n. 1049, cum *Sánchez, S. Alphonso* aliisque communiter.

[29] S. C. Inq., 31 aug. 1881; S. R. C. 9 maii 1885, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1560, sq.; *Gasparri*, l. c.; *Leitner*, l. c. 345 sq.

[30] Cap. 43, X, de sent. excom. V, 39, iunct. S. Paenit. 10 dec. 1865,

dua, quae in aliis nuptiis benedictionem iam accepit [31], vel in nuptiis cum condicione vel per procuratorem celebratis, at ex disciplina nunc vigente non cum corrupta [32].

Tempore clauso Missa votiva pro sponsis penitus prohibetur, nec *benedictio sollemnis* nec *commemorationes* in Missa diei fieri possunt [33]. Qua in re *Episcopus dispensare* iure praecedente non poterat sine speciali indulto apostolico [34]; at iure Codicis (c. 1108 § 3) etiam ad Missam votivam licentiam dare potest.

558. Quae benedictio sollemnis regulariter dari debet *eadem die*, qua matrimonium contrahitur nec *arbitrarie* in alium diem forte remotum est differenda, postquam coniuges iam diu in eadem domo cohabitarunt. At cum Concilium Trid. cit. cap. *Tametsi* et Rituale Rom. l. c. coniuges tantum *hortentur* et *moneant*, ut post contractum matrimonium, sed ante benedictionem sollemnem rite susceptam, in eadem domo non cohabitent et matrimonium consumment, haec ex *praecepto* nunc *obligatoria* non *sunt* [35]. Quare coniugibus etiam *post* diem celebratarum nuptiarum et cohabitationem et consummationem matrimonii benedictio sollemnis nuptialis cum Missa pro ipsorum *iure concedi potest* et *debet*, si petatur [36], atque omnino abstinendum est ab interrogationibus num interim continentiam servarint [37]. At *obligatio* in hisce circumstantiis petendi et supplendi benedictionem

---

ad 18, « *exclusa tamen semper Missae celebratione* » ASS. I, 563. Cfr. cap. 6, X, qui cler. IV, 7 iunct. *Hollweck*, D. k. Strafg., 116 sq. 127 sq.

[31] Cap. 1, 3, X, de secund. nupt. IV, 21; Rituale Rom. l. c.; S. R. C. 3 mart. 1761; S. C. Inq., 31 aug. 1881; *Rosset*, n. 2859 sq., 2869 sq.

[32] S. C. C., 2 oct. 1593; S. C. Inq., 1 febr. 1871, ad 1; *Rosset*, n. 2858.

[33] S. R. C., 31 aug. 1839; S. C. Inq., 31 aug. 1881.

[34] Cap. 4, X, de feriis II, 9; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 10, de ref. matr.; S. R. C., 23 iun. 1853, 14 aug. 1874; S. C. de Prop. F., 21 iul. 1841, ad 1, in cit. Collect., n. 1551; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 80, n. 10 sq.; *Rosset*, n. 2872 sq.

[35] S. R. C., 14 aug. 1858, ad 2; Instr. Card. Rauscher § 75; *Gasparri*, II, n. 1049 sq.; *Rosset*, n. 2858.

[36] S. C. de Prop. F., 21 iul. 1841, ad 3; S. C. Inq., 31 aug. 1881; *Gasparri*, II, n. 1050; *Rosset*, n. 2859..

[37] S. C. Inq., 1 febr. 1871, ad 2, in cit. Collect. n. 1559 et cit. decret. S. C. Inq., 31 aug. 1881, quo omnis difficultas de omittenda consummatione matrimonii *ante* benedictionem (cfr. cap. 28, X, de sponsal. IV, 1), penitus sublata fuerat. Insuper omnia decreta praecedentia, v. g. S. R. C. eidem contraria, fuerant abrogata et idcirco in nova collectione authentica omissa. Cfr. Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 598; *Leitner*, 547. Multo magis iam diu cessavit antiqua praxis, qua a novis coniugibus etiam *post* benedictionem, saltem per biduum vel triduum continentia fuit servata. Cfr. c. 1, 5, 7, C. XXX, q. 5, (noctes Tobiae). A quo onere continentiae ut sese liberarent, coniuges haud raro parocho vel Episcopo tempore medii

sollemnem iisdem coniugibus non est imposita, quoniam Ecclesia illos solummodo *hortatur* [38]. Cui iuri praecedenti consonat forma praescripti relati in iure Codicis c. 1101.

559. Solus *parochus* proprius sponsorum, i. e. ex sese competens ad validam et licitam assistentiam, vel alius sacerdos de ipsius parochi vel Ordinarii licentia *sollemnem* illam benedictionem nuptialem impertire *potest* atque coniugibus *legitime* petentibus etiam concedere *debet*, nisi ex rationabili gravique causa excusetur; illa benedictio est functio parocho reservata (c. 462, 4°). Quodsi alius *sacerdos* sive regularis sive saecularis sine debita licentia competentis parochi vel Ordinarii matrimonio *sollemniter benedicere ausus* fuerit, non amplius ipso iure *suspensus* manet; nihil tamen prohibet quominus iure particulari temeritas ea in re congrua poena multetur [39].

§ 2. De forma iuridica et de sacris ritibus in matrimoniis mixtis

560. I. Forma iuridica. Ut apparet ex praemissis in declaratione c. 1099, matrimonia mixta sunt obnoxia formae substantiali celebrationis, i. e. ineunda sunt coram parocho, *active* assistente per *interrogationes de consensu* sponsis propositas, et duobus testibus. Ceterum hoc expresse sancitur c. 1102, § 1: « *In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum c. 1095 § 1, n. 3* ».

Profecto S. Offic., facto verbo cum SS.mo (21 iun. 1912), declaravit assistentiam *mere passivam* esse praestandam in matrimoniis mixtis, quae sine debitis cautionibus ineuntur (AAS. IV, 443). Idem S. Offic. suum hoc praescriptum alio decreto, 2-5 aug.

---

aevi debuerunt solvere aliquam taxam, quae dicebatur « *ius primae noctis* ». Quare huiusmodi taxa, qua coniuges sibi compararunt liberum usum matrimonii inde a celebratis nuptiis, non habuit turpissimum illum sensum a Voltaire aliisque confictum, ut solide demonstravit *Schmidt*, in Arch. f. k. K. XL, 256 sq., ubi etiam alias significationes conexas refert. Cfr. quoque *Schmidt*, Ius primae noctis, 1881; Der Streit über das ius primae noctis, 1884. *Scherer*, 257, not. 57.

[38] S. C. pro neg. Gall., 22 apr. 1795; S. C. de Prop. F., 20 febr., 27 ian. 1805 et S. C. Inq., 31 aug. 1881, in cit. Collect. n. 1560.

[39] Non fuit relata in Codice poena, quae contra sacerdotes, qui sine debita licentia ausi fuerint sollemniter benedicere matrimonio, statuta fuerat in cap. *Tametsi* Conc. Tr. Cfr. S. C. de Prop. F. 21 sept. 1843; Collect., n. 971.

1916, declaravit habere locum in matrimoniis mixtis, quae ineuntur pertinaciter negatis cautionibus atque in eis adiunctis et regionibus pro quibus illa assistentia mere passiva speciali concessione fuerat indulta. Cetera matrimonia *in aliis locis* etiam cum assistentia mere passiva celebrata « esse non tantum illicita, sed etiam omnino *invalida* » (AAS. VIII, 316) [40]. Quibus decretis

---

[40] Quorum decretorum sensus ut rite intelligatur, sciendum est quod sub iure ante decr. « *Ne temere* » vigente, si matrimonium quoddam mixtum iniretur sine legitima *dispensatione vel omissis* necessariis *cautionibus*, parochus catholicus in rigore iuris a quocumque interventu *sive* per proclamationes *sive* per litteras dimissoriales *sive* per qualemcumque assistentiam *activam* vel passivam abstinere debebat. Quae omnimoda abstinentia singularem habebat difficultatem iis in regionibus, in quibus matrimonia quoque *mixta* absque forma ecclesiastica *valide* celebrari *non* poterant. Hinc RR. Pontifices ad vitandum gravissimum illud incommodum *nullitatis non paucorum matrimoniorum* mixtorum aliasque ob causas in compluribus regionibus, v. g. Germaniae, Austriae, Hungariae, *tolerarunt* ut etiam in hisce nuptiis consuetae proclamationes praemitterentur, litterae mere testimoniales concederentur, atque adeo parochus cum testibus *passive*, sed nullo modo *active* assisteret. Pii VIII Litt. encycl. « *Litteris* », 25 mart. 1830 et Instr. Card. Albani, 27 mart. 1830, ad Arch. Colon. eiusque Ep. suffrag., ubi in omnibus matrimoniis mixtis etiam non dispensatis non solum assistentia passiva fuit tolerata, sed Tridentina quoque forma ad *valorem* non amplius requiritur; Gregor. XVI Lit. encycl. « *Summo* », 27 maii 1832, ad Ep. Bavar., quae postea acceperunt *declarationem* (*extensivam*) in Instr. Card. Bernetti ad Ep. Bavar., 12 sept. 1834, et Gregor. XVI Litt. Ap. « *Non sine* » ad Arch. Friburg., 23 maii 1846, (ASS. II, 634 sq.); Instr. Card. Lambruschini, 22 maii 1841, pro provinciis Austr. olim ad confoederationem Germ. pertinentibus, et anno 1842 etiam in Galiciam — excepta republica Cracoviensi, non nisi a. 1846 cum Austria unita — sed non in Dalmatiam extensa, at in omnibus illis decretis pontificiis pro Bavaria, Badenia, Austria nequaquam *universim* forma Tridentina quoad valorem quorumcumque matrimoniorum mixtorum fuit sublata; Gregor. XVI, Litt. Ap « *Quas vestro* », 30 apr. 1841, et Instr. Card. Lambruschini, 30 apr. 1841, ad Episc. Hungar. (et Transylvaniae); Instr. S. C. de Prop. F., a. 1858, ad Arch. Fogar. i. e. unde patet in Hungaria et Transylvania formam Tridentinam in matrimoniis mixtis non iam necessariam fuisse ad valorem. In Dalmatia quoque ex decreto S. C. Inq., 10 febr. 1892, (cfr. Instr. Episc. Austr., 16 nov. 1901, in Arch. f. k. K. LXXXIII, 350 sq., 357 sq.), matrimonia mixta a parte catholica cum parte schismatica — non alia parte acatholica, ut additur in cit. Instr. Episc. Austr. — celebrata declarata sunt *valida*, si coram *parocho schismatico* ineantur. Cfr. *Feije*, n. 570; *Schnitzer*, 262 sq.; *Leitner*, 372 sq.; *Santi-Leitner*, l. IV, t. 1, n. 197.

Quae tolerantia singularis nequaquam inconsulta S. Sede ad alias regiones extendi poterat; *Feije*, n. 570; paulo aliter *Scherer*, 424 sq., ubi videtur putasse *Ordinarium* ex *iure proprio* in certis circumstantiis posse permittere passivam assistentiam in istis matrimoniis mixtis legitime non dispensatis, at efficaciter id non probavit. Nam *haec* assistentia passiva non erat tantum « *accidentalis modificatio iuris communis in celebratio-*

certe nihil derogatum fuit quoad assistentiam *activam* praestandam ceteris matrimoniis mixtis quae cum dispensatione et praestitis debitis cautionibus ineuntur, ut apparet ex declaratione modo citata S. Offic. 1916. Ergo illa decreta solummodo respiciebant assistentiam sacerdotis in matrimonio mixto, de se prohibitam, ubi illa tolerabatur, et efficiebant ut tolerantia non extenderetur nisi ad assistentiam mere passivam, etiam postquam *activa* vi decr. « *Ne temere* » erat necessaria ad valorem.

Quare particulares dispositiones dicendae sunt cessasse, postquam Codex sine ulla distinctione in matrimoniis mixtis iubet interrogationes a sacerdote fieri debere atque esse necessarias ad valorem [41]. Quare ubi *antea* tolerabatur assistentia passiva, nunc erit tolerata eadem assistentia, sed adhibitis interrogationibus de consensu; ideoque conceptus assistentiae mere passivae nunc importat exclusionem cuiusvis ritus sacri, sed includit exquisitionem consensus per consuetas interrogationes [42].

---

ne matrimonii » sed erat *contra* ius commune, ut patet ex textibus supra allegatis; at Episcopi iure proprio nihil possunt contra ius commune. Praeterea si Sedes Apostolica in certis circumstantiis particularibus a *vituperandis* Episcopis abstinuit, qui illam assistentiam passivam tolerarunt, inde *firmum* atque *generale* argumentum de iure proprio Ordinariorum deduci nequit. Denique Gregor. XVI, in cit. Litt. Ap. ad Arch. Friburg., a. 1846, declarat: « *Itaque etiamsi Litterae et Instructiones illae, in qua parte aliquid* novi *indulgent vel tolerant*, **ad ea tantum referantur loca, pro quibus datae sunt,** *nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus incommutabilem annuntiant Ecclesiae doctrinam* ». At certe aliquid plane novi continuerunt illae Litterae et Instructiones in concedenda *passiva* assistentia *etiam* in *his* matrimoniis mixtis, atque isti recursus ad Sedem Apostolicam pro concedenda vel extendenda illa tolerantia assistentiae passivae, v. g. a. 1842, pro Galicia nullum habuissent sensum, si Episcopi ex iure proprio gauderent ista facultate: At ubi assistentia sacerdotis non erat necessaria ad valorem, S. Sedes non solebat permittere passivam assistentiam in matrimoniis mixtis, quae sine dispensatione *vel* necessariis cautionibus inirentur; v. gr. in Anglia, Hibernia, Hollandia, Americae septentrionalis provinciis, ubi caput *Tametsi* in matrimoniis *mixtis valide* celebrandis non erat necessario observandum, nullum occurrebat vestigium assistentiae passivae in *talibus* matrimoniis mixtis. Cfr. n. sq.

[41] Ita tenebant *Chelodi*, n. 141; *De Smet*, n. 111. Ceterum ipsum S. Offic. 26 nov. 1919, declaravit derogationem factam decr. « *Ne temere* » per decreta S. Offic. in textu relata, per Codicem fuisse abrogatam. Cfr. tenorem responsi apud *Th. pr. Quartalschrift*, a. 1921, p. 249. Quod responsum, cum in AAS. non fuerit publicatum, passim ignorabatur. Cfr. supra n. 537, not. 37*.

[42] Etiam iure Tridentino iuxta plures doctores assistentia mere passiva non excludebat quod parochus per *simplices interrogationes* consensum utriusque sponsi exquireret et monitionem adderet de vinculo coniugali. Cfr. *Wernz*, IV, n. 588, not. 43.

561. Sacri ritus non permissi. I. Matrimonia *mixta*, quae cum *dispensatione* Sedis Apostolicae vel delegatorum ipsius ex causis canonicis et data triplici cautione licite contrahuntur, ex stricto iure nequeunt cohonestari ullo ritu sacro, atque parochus vel alius sacerdos legitime deputatus tantum *extra ecclesiam* absque stola vel superpelliceo, tanquam testis qualificatus huiusmodi matrimoniis assistere potest, factis, ut dictum est, solitis interrogationibus de consensu. Verum iam Pius IX [43], denuo stabilito iure stricto tanquam norma *ordinaria*, Episcoporum prudenti arbitrio indulsit, ut illi in casibus particularibus ad vitanda graviora mala permitterent celebrationem matrimonii mixti servatis tribus solitis cautionibus in ecclesia et cum parochi benedictione, *exclusa* tamen semper *Missae* celebratione et *sollemni* benedictione nuptiali [44], dummodo non celebrentur nuptiae aut antea aut postea religioso ritu acatholico coram ministello eiusdem confessionis, nisi, lege civili postulante, ad actum *mere civilem* implendum [45].

---

[43] Instr. ad omnes Ep., ex speciali mand. Pii IX, a Card. Antonelli, 15 nov. 1858, transmissa (cfr. ASS. VI, 456 sq., et in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1430); litt. S. C. de P. F. simul cum litteris S. C. Inq. ad Vic. Ap. Mayssur. 4 dec. 1862, in Collect. (Paris). Const. S. Sed., n. 908. Quibus in litteris S. C. Inq. dat utilissimam interpretationem ad non pauca dubia de Instr. Card. Antonelli orta, e quibus haec potissimum videntur alleganda: « *Et primo quidem, quid intelligendum sit sciscitaris per verba, quibus in laudata Instructione innititur et quasi ligatur facultas seu tolerantia benedicendi mixta matrimonia, sc. ad vitanda graviora mala et damna. Procul dubio graviora inde oriuntur mala et damna: 1. Quotiescumque ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem facile excitarentur haereticorum querimoniae et odia adversus fideles legesque ecclesiasticas. 2. Quotiescumque denegata a parocho catholico benedictione sponsi ante vel post matrimonium coram illo celebratum, ministellum adeant vel etiam heterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam benedictionem obtinendam, parocho catholico omnino posthabito. 3. Quotiescumque insuper timendum esset, quod recusata ab ipsis expetita benedictione aut non servarentur necessariae cautiones de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo et de universa prole in catholica religione educanda, aut, quod detestabilius foret, ne pars catholica ad haereticorum castra in sui et futurae prolis aeternam perniciem transiret. Evidenter haec et* similia *sunt gravia illa damna ac mala etc.* ».

[44] Quo iure non omnes Episcopi *conformi* quadam ratione etiam in regionibus mixtis usi sunt. Alii enim permiserunt *eundem simplicem* copulationis ritum in ipsis matrimoniis duorum catholicorum receptum, alii melius saltem aliquas differentias etiam in tolerato simplici copulationis ritu statuerunt. Cfr. cit. litteras S. C. de Prop. F., 4 dec. 1862, cum insertis litt. S. C. Inq.; Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. V, col. 844; *Feije*, l. c., n. 571 sq.; *Leitner*, l. c., 547.

[45] Benedict. XIV Const. « *Redditae* », 17 sept. 1746, et Const. « *Inter*

Quam mitiorem praxim sancivit Codex hoc canone 1102; qua de re iam nihil mirum quod etiam per Codicem c. 1026 concessum fuerit Ordinariis ut, remoto scandalo et omissa mentione religionis partis non catholicae, permitterent proclamationes bannorum et litteras mere testimoniales de factis denuntiationibus [46].

II. Si matrimonia mixta *sine triplici cautione* et *dispensatione* Sedis Apostolicae celebrentur, parochus illis stricto iure *ne passive quidem* assistere poterat, ideoque nunc non potest assistere nec minimo illo gradu assistentiae *activae* ad valorem requisitae; sed sicut ad maiora mala vitanda parocho in *nonnullis* regionibus, ubi matrimonia mixta formae ecclesiasticae erant obnoxia, praemissis bannis, suppressa tamen mentione religionis coniugum, mera passiva assistentia a Sede Apostolica fuerat tolerata, ita nunc in *iisdem* locis dicenda est tolerata illa assistentia passiva quae non excludit interrogationes consuetas, sed tantum quemlibet sacrum ritum [47].

---

omnigenas », 9 febr. 1744, § 10; Instr. S. C. Inq. 17 febr. 1864, in Arch. f. k. K. XV, 332 sq.; S. C. Inq., 17 febr. 1884, ASS., XVI, 207 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VI, cap. 5, n. 1 sq., cap. 7, n. 1 sq.; *Laurin*, Introd. in ius matr., 134 sq.

[46] Pius VI, quamvis in cit. epist. ad Card. Frankenb., 13 iul. 1782, proclamationes matrimoniorum mixtorum prohiberet, ne exinde fideles scandalum et admirationem haberent ac salutaris horror erga ista matrimonia minueretur, tamen iam in aliis Litteris Apostolicis ad eundem Cardinalem, 31 maii 1783 datis, toleravit ut huiusmodi denuntiationes fierent « *non solum extra ecclesiam ... sed etiam omnimode extra locum sacrum* ». At cum in quibusdam locis, ubi matrimonia mixta sunt frequentiora, scandalum populi facilius absit, et banna per se aptum sint medium ad impedimenta canonica melius cognoscenda, consuetae proclamationes matrimoniorum mixtorum a parocho (in ecclesia) fieri possunt, « *reticita tamen religione partis acatholicae* ». Cfr. Instr. Card. Bernetti ad Episc. Bavar., 12 sept. 1834; Instr. Card. Lambruschini ad Episc. Hungariae, 31 apr. 1841; Immo attentis novis decretis Sedis Apostolicae nunc proclamationes in mixtis matrimoniis, quae apostolica *dispensatione* contrahuntur, ubique licite possunt fieri, *at non absolute*, sed si ex iudicio Ordinarii ad detegenda impedimenta sint *necessariae vel opportunae*, « *nulla tamen facta mentione religionis illorum, qui nuptias sint contracturi* ». Cfr. S. C. Inq., 4 iul. 1874, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1223, aliaque resp. S. C. Inq. et S. C. de Prop.. F. apud *Feije*, n. 571, i. f. not. 3; Conc. prov. Smyrnense (a. 1869) in Collect. Lac. VI, col. 572.

[47] *Denzinger*, Enchiridion, n. 1484, 1485; *Feije*, n. 570; *Hollweck*, D. k. Strafg., 116 sq.; *Leitner*, 539, 547.

CAPUT VII

De descriptione matrimonii contracti in libro paroeciali

562. Notae historicae. Postquam [1] imperator Iustinianus [2] in Novell. 74, cap. 4, §§ 1, 2, decrevit, ut *charta* de celebrato matrimonio in archivo ecclesiae deponeretur, toto fere medio aevo non nisi vestigia quaedam et praeformationes reperiuntur librorum paroecialium, qui ex iuris canonici praescripto ad instar rerum publicorum in singulis ecclesiis essent retinendi. Huiusmodi vestigia inveniuntur apud *Bernardum Pap.*, Summa h. t. 141, ubi praeter testes etiam *instrumentum* refert inter probationes matrimonii. Porro *Rolandinus* in suo opere de arte notariatus (a. 1255) recenset formulam instrumenti, quod (utique raro) in civitate Bononiensi de matrimonio coram notario conficiebatur. Deinde *Hostiensis*, Summa l. IV, de secund. nuptiis docet: « *Pro hac autem benedictione nihil exigi debet obtentu etiam alicuius consuetudinis* **nec pro charta** ». Deinde « *libri ecclesiarum* » commemorantur ab Innoc. IV, in cap. I, X, de procur. I, 29, et a *Panormit.* in cap. 13, X, de probat. II, 18, n. 1; at magnam vim probandi illis non tribuunt, cum fuerint scripturae *privatae* potius quam *publica* regesta ab Ecclesia praescripta, ordinata, visitationi canonicae subiecta [3].

At ipsa necessitate cogente, partim privata industria partim iure particulari, ante Concilium Tridentinum saltem ex saeculo decimo quinto praeter alios libros paroeciales etiam regesta in ordine ad matrimonium fuerunt instituta et praescripta, v. g. in Synod. Constant. (a. 1463) et praesertim in Synod. Augustana (a. 1548) [4]. Denique in Concilio Tridentino cap. *Tametsi* (11 nov. 1563) iuxta petitiones Bartolomaei a Martyribus et praesertim Archiepiscopi Genuensis aliorumque Praelatorum *lege universali* statutum est, ut « *habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat* ».

---

[1] Cfr. de libris paroecialibus: *Sägmüller*, Act. theol. Tubing. (a. 1899) p. 206 sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 152, not. 32.

[2] In ecclesiis antiqui imperii Romanorum iam saeculo tertio regesta baptizatorum et mortuorum fuerunt in usu, atque matrimonia quoque videntur fuisse inserta in regestum quoddam penes ecclesias conservatum. Cfr. *Sägmüller*, l. c. 205 sq.

[3] *Esmein*, I, 214 sq.

[4] *Sägmüller*, l. c., 223 sq.

Quod ius Tridentinum postea Rituali Romano et decretis synodalibus magis magisque in praxim deductum est. Postquam reges Galliae iam ex a. 1539 de libris quibusdam ecclesiasticis leges dederunt, regesta ecclesiastica saeculo decimo octavo facta sunt *etiam* regesta *status civilis* sive mixta; unde principes saeculares sibi *quoque* vindicarunt ius decernendi de iisdem libris. Cum inde a revolutione gallica matrimonium civile divulgaretur, Status pro suo foro omnino separata constituit regesta matrimonialia [5].

563. Obligatio et modus descriptionis. Ex *disciplina vigènte* unusquisque parochus ex gravi obligatione debet habere *proprium librum matrimonialem* — non folia volantia vel chartas separatas [6], — in quem *manu sua,* licet alius sacerdos legitime deputatus matrimonio adstiterit, matrimonia contracta iuxta formulam in Rituali Romano et statutis dioecesanis [7] definitam omissis iniuriosis et diffamantibus verbis (S. C. Ep. et Reg. in c. Melit. a. 1780) prompte et accurate describat — v. g. statim post celebrationem matrimonii in sacristia — et postea ea suppleat, quae necessario sunt adnotanda, v. g. convalidatio vel sanatio matrimonii in foro *externo* forte ab initio invalide contracti, solutio matrimonii rati per professionem sollemnem vel dispensationem pontificiam. Cfr. Instr. C. Rauscher § 90. Inde a decreto « *Ne temere* » et iure Codicis non rigorose exigitur ut parochus *per se* matrimonium describat [8]. Qui liber si perierit, v. g. incendio, adnotationes a parocho, quantum memoria sinit, ilico in novum librum denuo inserendae sunt, vel ex decreto S. C. C., 14 sept. 1684, parochus accepto illorum testimonio, qui praesentes adfuerunt, cum matrimonium celebratum fuit, et elicito a

[5] *Theiner,* Act. gen. ss. oec. C. Tr. II, 223 sq., 314 sq.; *Sägmüller,* l. c., 227 sq., 240 sq., 247 sq.; *Esmein,* II, 223 sq.

[6] *Gasparri,* II, n. 1072 sq.; *Rosset,* n. 2936 sq.; *Feije,* n. 342, V. g. Conc. provinc. Australiense I, (a. 1844), sub *poena suspensionis* praescribit, ut unusquisque missionarius in sua missione servet librum, in quo notanda sunt nomina coniugum etc. Cfr. Collect. Lac. III, col. 1054, iunct. t. V, col. 563: « *Iubemus in virtute obedientiae* ».

[7] Instr. C. Rauscher §§ 76 sq.; Collect. Lac. v. Libri paroeciales; *Sägmüller,* l. c., 248 sq.; *Schulte,* Eher. § 56, ubi recte contra *Richter,* tenet libros *paroeciales Ecclesiae* non subiacere visitationi et ordinationibus potestatis *civilis.* Cfr. de regestis *mere ecclesiasticis* et *mixtis:* Collect. Lac. VI, col. 704; *Sägmüller,* l. c., 252 sq.

[8] S. C. de d. Sacr., 19 mart. 1910 ad IX, Episc. Mangalorensi petenti ut a parocho possit matrim. decribi per delegatum respondit « Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi ». Ubi etiam *in mente* declaratur quid sit faciendum in locis, ubi fideles non designantur in communi usu nomine in baptismo recepto (AAS. II, 195).

coniugibus iureiurando de matrimonii iam contracti veritate, idem praestare curet [9].

Quae pericula, ex destructione vel amissione libri matrimonialis timenda, ut avertantur, ipsi parochi pro suo officio librum matrimonialem bene *custodiant,* ne ab aliis ullo modo corrumpatur. Cfr. S. C. C. in c. Carpentoraten., 15 sept. 1781, et Collect. Lac. v. Paroeciales libri. Episcopi vero in visitationibus pastoralibus sedulo invigilent necesse est de libro matrimoniali a parocho rite confecto atque conservato; insuper pro suo iure et antiqua praxi postulare possunt, ut parochi *copiam* libri matrimonialis a se recognitam et subscriptam, etsi *ab alio* scriptam, *non librum originalem* ad Curiam episcopalem, v. g. singulis annis, transmittant [10].

Libri matrimoniales Ecclesiae, cum a *publica* auctoritate in *forma legitima* sint constituti eisque praesit parochus pro suo officio et ut *testis* autorizabilis, plenam *habent fidem* et vim instrumentorum publicorum idemque valet de attestationibus a parocho ex iisdem libris integre riteque extractis, nisi probetur falsificatio [11].

Pius X, decreto « *Ne temere* » num. IX, cui consonat ius Codicis, quaedam de inscribendis matrimoniis in libris magis determinavit vel extendendo ius vetus auxit. Praescribitur: 1) Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio astiterit. 2) Parochus in libro quoque baptizatorum annotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quodsi coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi, sive per se sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur. Liberationem ab hoc praescripto ob varias rationes petitam S. C. de d. Sacram. non indulsit: l. c., 12

[9] Cfr. Resp. S. C. de d. Sacr., 6 martii 1911, in AAS. III, 103.

[10] S. C. Ep. et Reg. in c. Ipporeg., 19 maii 1830, et in c. Eugub., 2 mart. 1860.; *Sägmüller,* l. c., 250; *Rosset,* n. 2939. Cfr. de libris *secretis* matrimoniorum conscientiae in capite sequenti.

[11] Can. 1813, § 1, n. 4. Cfr. Conc. Trid. cap. *Tametsi,* ubi in primo schemate post verbum « *custodiat* » expresse additum fuit: « *et ei* (libro) *fides probandis matrimoniis adhibeatur* »; *Gasparri,* II, n. 1080; *Sägmüller,* l. c., 250 sq.; *Schulte,* l. c.; cfr. quoque *Schmalzgr.,* l. II, t. 22, n. 47 sq.

mart. 1910. Eadem S. C., 6 mart. 1911, Instructionem dedit de denuntiatione initi matrimonii quae etiam nunc vim suam retinet (AAS. II, 102).

Tandem pro casu, in quo morte imminente sacerdos non delegatus astiterit, vel matrimonium coram solis testibus contractum fuerit, paragrapho tertia statuitur ut sacerdos in primo casu, testes in altero teneantur in solidum cum contrahentibus curare ut initum matrimonium quamprimum notetur.

564. Scholion. Iure antiquo (cfr. cap. 8, 9, X, de sim. V, 3) pro « *benedictionibus nubentium* » pecunia non potuit requiri vel exigi, sed iuxta Greg. M. (a. 594) omnia *gratis* erant praestanda. At cum cap. 42, X, de simon. V, 3, quoad benedictiones solummodo prohiberentur *pravae exactiones* sive *extorsiones*, laudabiles vero consuetudines fidelium aliquid offerendi iuberentur observari, certe iura stolae legitima consuetudine vel statutis dioecesanis pro celebratione nuptiarum determinata *competenti parocho*, v. g. sponsae, in casu praeferentiae sunt solvenda. Qua in re Concilium Tridentinum nihil immutavit, atque Pius X decreto « *Ne temere* » iura stolae in celebratione matrimonii a parocho competente legitime accipi supponit, statuendo num. X ut is qui contra ius alterius astiterit, emolumenta « stolae » sua non faciat, sed proprio contrahentium parocho remittat. S. C. C., 13 iun. 1594, 11 aug. 1595, tantum gravissimum abusum reprobavit, ne quis praeviam solutionem pecuniae exigeret ut condicionem sine qua non concedendae copulationis et benedictionis matrimonialis. Quam corruptelam Patres Synod. plenar. Hibern. (a. 1875) ob oculos habentes decr. XVII, n. 111, statuerunt: « *Si quis sacerdos cuius erit matrimonio assistere adeo fuerit sui sancti officii immemor, ut recuset matrimonium celebrare, nisi obtenta prius aut saltem promissa certa quadam pecuniae summa vel alia re pretio aestimabili, suspensionem suo Ordinario reservatam ipso facto incurrat* ». Quod decretum in plenaria Synodo Hiberniae apud Maynutiam, a. 1900 habita, c. 170 renovatum est. Ibidem, c. 161, insuper statuitur pro litteris testimonialibus « liberi status » nihil exigi posse praeter id quod ab unoquoque Episcopo in sua Synodo dioecesana solvendum statuatur. Similiter si in Conc. provinc. Westmonaster. II, (a. 1855), in Collect. Lac. III, col. 983, legitur: « *Prohibemus, ne aliquid petatur — multoque magis exigi — ante baptismatis vel matrimonii celebrationem aut etiam post celebrationem veluti de iure* », oblationes laudabiles ab Episcopis approbatae non prohibentur. Cfr. Collect. Lac. v. Oblationes; *Gasparri*, II, n. 1081 sq.; *Schnitzer*, 216.

CAPUT VIII

De matrimonio conscientiae

565. Notio [1]. Matrimonium *conscientiae* est matrimonium, quod initur quidem in forma iuridica iure communi praescripta ideoque non est *clandestinum*, tali tamen modo contrahitur ut, in quantum fieri possit, maneat omnino *secretum* et *ignotum* in populo: id autem obtinetur per omissas publicationes antenuptiales, per secretum parocho et testibus assistentibus impositum, per celebrationem in loco secreto et descriptionem matrimonii celebrati secretam in regesto speciali [2].

566. Principia. Ex natura rei maxime conveniens est, ut matrimonium non solum cum interventu auctoritatis publicae sed etiam modo publico celebretur, ita ut sit publice notus status ille novus susceptus a viro et femina, qui tam intimam inducit inter ipsos relationem tamque artam vitae consuetudinem, quae sine aliorum fidelium scandalo et publicae honestatis detrimento foveri non potest inter duas personas diversi sexus, vinculo matrimonii non unitas. Hinc nihil mirum quod leges canonicae circa nuptiarum sollemnitates etiam tanquam ad praecipuum finem tendant ad publicitatem coniugii. Quare omnino a mente iuris abhorret matrimonium *occultum* seu ita initum ut eius existentia penitus ignota maneat.

Porro ex occultis matrimoniis plurima damna sponte consequuntur, v. gr. periculum polygamiae et deceptionis mulierum, gravis scandali, occasio, mala prolis educatio, fraudes in rebus patrimonialibus aliaque multa, v. gr. quod occultandi matrimonii causa vir seorsim a muliere vivat ideoque cum gravibus periculis desit individua inter coniuges vitae consuetudo [3].

Quibus non obstantibus, casus occurrere possunt in quibus unicum fere medium ad consulendum conscientiae et peccata

---

[1] Cfr. Benedicti XIV Const. « *Satis vobis* », 27 nov. 1741, quae est classicus iuris textus in hac materia, unde etiam deducta sunt Codicis praescripta; Leonis XIII Litt. ad Episcopos prov. Venetae, 8 febr. 1893, ASS. XXV, 459 sq.; Instr. S. C. de P. F., a. 1785, in Collect. n. 571.

[2] *Benedict. XIV*, Quaest. can. 379, de Syn. dioec. l. XIII, cap. 23; *Rosset*, n. 1193 sq.; *Giovine*, I, § 361 sq., 666 sq.; *Gasparri*, II, n. 1052 sq., Alleg. VIII; *De Smet*, n. 159 sq.; *Chelodi*, n. 143 sq.; *Cappello*, II, n. 523 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 827 sq.; *Muniz*, « Procedimientos eclesiást. », I, n. 625 sq.; *Gennari*, « *Consultazioni* » II, 54 sq.

[3] Cfr. cit. Const. Benedicti XIV.

vitanda sit matrimonii inter duas personas, quae publice contrahere non possunt, occulta et secreto tecta celebratio, quae idcirco dicitur *matrimonium conscientiae*.

567. Causa hunc modum celebrationis cohonestans non admittitur nisi *gravissima* et *urgentissima*: inter quas ex stilo et praxi S. Paenitentiariae recensendus est casus in quo vir et mulier in figura matrimonii publice vivant, de quibus nulla viget criminis suspicio sed ut veri coniuges habentur, cum tamen versentur in occulto concubinatu [4]. Aliae tamen occurrere possunt causae simili modo urgentes, v. gr. hodie haud raro aderit necessitas pro officiali exercitus, quia iam ex muliere, quam vult habere in uxorem, liberos susceperit, matrimonium tamen cum ea contrahere nequit, quia caret dote a lege requisita; casus viduae, quae tutelam filiorum aut facultatem commercium sibi et suis necessarium exercendi amitteret, si desineret haberi ut vidua [5]; casus filiifamilias, qui ut suae conscientiae consulat vult ducere uxorem inferioris condicionis, ex qua iam plures liberos habuit, nec potest eam publice ducere quin incurrat gravissimam indignationem parentum et subeat certum periculum exheredationis, qua ipse et liberi in infelici condicione constituantur et aliae similes: quae causa facile poterit lapsu temporis cessare, ita ut publicatio matrimonii fieri deinde possit.

Causae cognitio et examen de eius gravitate et necessitate inde exorta occultandi matrimonium sunt reservata Ordinario loci, excluso Vicario Generali sine speciali mandato; insuper idem Ordinarius tenetur in singulis casibus diligentem instituere inquisitionem de qualitate, indole et condicione personarum, et praesertim exigere ut clara et indubia exhibeant documenta status liberi, hoc ipso quod proclamationes aliaeque publicae investigationes in casu matrimonii conscientiae sunt omittendae [6]. Demum ad ipsum Ordinarium loci, cuius successores debent ligari obligatione contracta a decessore, pertinet licentiam concedere ut matrimonium conscientiae celebretur.

568. Quid importat matrimonium conscientiae. Cum matrimonium conscientiae celebretur servata ordinaria forma iuridica

---

[4] Cfr. cit. Const. Benedict. XIV, § 6.

[5] *Chelodi*, n. 143; *Mazza*, De matrimonio conscientiae, 13 sq. — Matrimonium conscientiae dicitur fuisse celebratum a Ludovico XIV cum Domina de Maintenon. *De Smet*, l. c. Pariter Christina de Borbón, vidua Ferdinandi VII, quae regentiam regni habebat, matrimonium conscientiae iniit cum D. Ferdinando Muñoz, quod si publicum factum fuisset, regentiam amisisset et tutelam filiorum. *Ferreres*, l. c.

[6] Cit. Const. Benedicti XIV, § 7.

coram parocho et duobus testibus, hoc speciale importat, quod tum parochus tum testes promittunt secretum servare et ex tali promissione gravem obligationem secreti contrahunt; eandem obligationem contrahit Ordinarius, quae ex iuris dispositione eius successores tenet; etiam uterque coniux se obligat erga alterum coniugem, quamdiu ille divulgationi matrimonii contracti non consentiat [7].

569. Casus excepti ab obligatione secreti servandi. Ordinarius ab illa obligatione liberatur: *a*) si ex eius observantia immineret periculum gravis scandali aut gravis iniuriae contra matrimonii sanctitatem; *b*) si parentes negligant baptismum prolis ex tali matrimonio habitae; *c*) si prolem habitam baptizandam quidem curent, sed falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam praebeant prolis habitae et baptizatae cum sincera indicatione parentum; *d*) si a parentibus christiana filiorum educatio negligatur.

In omnibus hisce casibus Ecclesia sibi reservat ius matrimonium secreto celebratum publicandi, et idcirco antequam ad talem secretam celebrationem procedatur, coniuges debent *fidem interponere* se illas condiciones fideliter servaturos. Porro Ecclesia non nisi sub illis condicionibus occulta matrimonia permittit, quibus non impletis ipsa non iam adstringitur lege silentii, multoque minus coniugibus promissiones factas aperte violantibus fides data ulterius est servanda.

570. Adnotatio matrimonii. Matrimonium conscientiae non est adnotandum in communi libro matrimoniorum, quod cum secreto ex natura rei componi non posset, sed adnotari debet *in peculiari libro,* qui in secreto Curiae archivo caute custoditur, non aperiendus nisi quando aliud matrimonium simili ratione initum sit inscribendum; nec exemplar inscriptionis factae tradi licet nisi ei, qui probet se verum interesse habere et aliunde facti probationem sibi comparare non posse [8].

---

[7] Ex natura rei iureque divino coniuges ipsi obligantur ita in mutuis coniugalibus relationibus se gerere, ut omni meliore modo scandalum evitetur.

[8] Id autem intelligendum esse videtur de tuendo interesse et iure, quod a iudicibus ecclesiasticis pro ipsorum competentia sit decidendum, non si agatur de causa profana apud tribunalia civilia decidenda; nam iudici saeculari nullum est ius exigendi, ut Episcopus sibi monstret descriptionem matrimonii secreti in libro secreto Curiae factam aut exigendi ut authentica transcriptio descriptionis sibi tradatur. Cfr. monitum a S. C. C., a 1851, pro Italia superiore datum, ne secreta matrimoniorum regesta (Ecclesiae) *laicis potestatibus cuiusvis gradus* patefierent, ubi etiam additur ratio « ne forte conscientiarum arcana revelentur ». Collectio

Pariter filii non in communi libro cum vera ipsorum condicione, sed in peculiari libro in Curia asservando sunt inscribendi. Inde etiam patet praescriptum c. 1103 § 2 de adnotando matrimonio contracto in libro baptismorum in casu matrimonii conscientiae non esse observandum.

Quodsi lapsu temporis notitia celebrati matrimonii divulgata fuerit, tunc quidem descriptio matrimonii ex mandato Ordinarii poterit fieri in communi libro matrimoniorum; quo in casu inscriptio fiet post ultimum matrimonium ibi descriptum, sed addita marginali adnotatione in loco in quo describi debuisset, si non fuisset occulte seu secrete celebratum, et alia marginali adnotatione in libro baptismorum ad normam c. 1103 § 2. Cfr. *Ferreres*, l. c. [9].

Lacensis VI, col. 275; quae etiam nostra aetate suum plenum retinent vigorem.

[9] *Codices civiles* generatim matrimonia conscientiae ignorant, atque adeo non admittunt ubicumque a Statu non attenditur nisi matrimonium civile.

Codex *Austriacus* § 87 concedit ut pro coniugibus *putativis* dispensatio obtineri possit *reticitis nominibus* a tribus publicationibus, et auctoritati politicae imponitur obligatio ad secretum servandum. Cfr. Instr. Austriac. § 84.

Codex *Hispanicus* art. 79 admittit matrimonium secretum prout secundum leges Ecclesiae contrahitur, nec illud subicit ulli formalitati ordinis civilis; at effectus civiles non producit nisi a die publicationis factae per eius insertionem in *regestis municipalibus*.

Nihilominus effectus civiles producit a die celebrationis, si ambo coniuges communi consilio petunt ab Episcopo exemplar descriptionis factae in libro secreto Curiae et documentum secreto mittant ad Directionem Generalem « Registri » civilis. Porro apud illam directionem habetur speciale secretum « Registrum » in quo describuntur illa matrimonia secreta, quae proinde licet auctoritati civili denuntiata secreta manent donec coniuges postulent publicationem, quo casu publicitate donantur per inscriptionem in ordinario Registro municipali factam.

CAPUT IX

De tempore et loco celebrationis matrimonii

571. Fontes: C. XXXIII, q. 4. — Cpl. II, lib. II, tit. 5 de fer. (cap. 4). — Decretal. Greg. IX, lib. II, tit. 9 de fer. (cap. 4), lib. IV, tit. de matr. contr. contra interd. Eccl. — Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 10 de ref. matr. — Decretal. Clem. P. VIII ed. *Sentis*, 49. — Ritual. Rom., De sacram. matrim. — Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. II, col. 168 sq.; Concil. provinc. Alba-Iul. (a. 1872) p. 98; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 173; Instr. *Card. Rauscher*, §§ 56, 59.

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. in cit. lib. [1]. — *Devoti*, § 148; *Aichner*, l. c. 181; *Scherer*, § 127. — *S. Raym*. lib. IV, tit. 17 de imped. feriarum; *Roland.*, l. c. 195 sq.; *Bernard. Pap.*, l. c. 303 sq.; *Tancred.*, l. c., 68 sq., tit. 31 de matr. c. c. i. E. et tempore feriarum. — *Sánchez* [2], lib. VII, disp. 6 sq., lib. IX, disp. 12 sq.; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 13, 80; *Giovine*, I, 683 sq., 241 sq.; *Gasparri*, II, n. 1055 sq.; *Leitner*, 344 sq.; *Rosset*, n. 1206 sq., 1212 sq., 2880 sq.; *Schnitzer*, 229 sq.; *Feije*, n. 422 sq.; *Schulte*, § 36; *Van de Burgt*, 269 sq. *Moy*, 94 sq., 215 sq., 372 sq.; *Esmein*, I, 441 sq.; *Freisten*, 643 sq.; *Zhishman*, 681 sq. *Chelodi*, n. 145 sq.; *De Smet*, n. 199 sq.; *Cappello*, II, n. 726 sq.; *Vlaming*, II, n. 613 sq.; *Ferreres*, n. 834 sq.

Praenotiones

572. Definitio. Temporis feriati sive clausi nomine veniunt certa anni ecclesiastici sacrata tempora, quibus ex iure *communi* saltem *sollemnitates* nuptiarum vetantur atque ex iure *particulari* quandoque ipsa *matrimonii celebratio* in forma *non sollemni*, immo ipsae *proclamationes* fuerunt prohibitae.

Divisio. I. *Tempus feriatum* sive clausum *olim quadruplex* distinguebatur, sc. ab initio adventus usque ad epiphaniam; a septuagesima usque ad paschatis octavam; a feria secunda rogationum usque ad octavam pentecostes; denique tres hebdomadae festum nativitatis S. Ioannis Bapt. praecedentes [3]. Ex lege vero Tridentina, l. c., *duplex* tantum tempus clausum erat obser-

---

[1] De tempore clauso agunt: *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 16, n. 211 sq.; De Angelis, eod. loc. n. 2; *Santi*, lib. IV, tit. 1, n. 128, 126 sq. *S. Thomas*, in lib. IV, sent. dist. 32,

[2] Ex theologis consuli possunt: *S. Thomas*, in lib. IV, sent. dist. 32, q. 1, art. 5; *S. Alphonsus*, lib. VI, n. 982 sq.; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 540 sq.

[3] Cfr. c. 8, 9, 10, 11, C. XXXIII, q. 4; cap. 4, X, de fer. II, 9.

vandum, sc. ab adventu D. N. I. C. usque in diem epiphaniae et a feria quarta cinerum usque in *octavam* paschatis inclusive.

II. Distinguebatur *tempus feriatum* iuris *communis* et iuris *particularis*. Cfr. *Sánchez*, l. c. l. VII, disp. 7, n. 13.

573. Notae historicae. Primis tribus saeculis religionis christianae leges scriptae, quibus Ecclesia certis anni temporibus *nuptias* vel saltem illarum *sollemnem celebrationem* prohibuit, omnino non reperiuntur. Prima vice c. 52 Concil. Laodic. (a. 343-381) = c. 8, 9, C. XXXII, q. 4, statuitur quod non oporteat in *quadragesima* aut *nuptias* aut quaelibet natalitia celebrare. Canonem istum 52 una cum 51 eiusdem Concilii Laodicensis[4] Martinus Bracarensis saeculo sexto in suam recepit collectionem. Qui canon etiam translatus est in collectionem Burchardi Wormatiensis et denique in Decretum Gratiani, ubi = c. 8, 9, l. c. Iuxta c. 10, C. XXXIII, q. 4, falso adscriptum Concilio *Ilerdensi* a. 524-546 in Hispania celebrato[5], qui potius est *corruptus* c. 3 Conc. *Salegunstad.* (a. 1022), tempus sacrum sese extendit a *septuagesima* usque ad *octavam* paschae et *tribus* hebdomadibus ante festivitatem S. Ioannis et ab adventu Domini usque *post* epiphaniam, et si illo tempore nuptiae fuerunt celebratae, coniuges fuerunt *separandi*. Quae extensio temporis clausi certe ubique non fuit recepta; etenim Nicolaus M., a. 866, in responsione ad consult. bulgar., n. 48 = c. 11, C. XXXIII, q. 4, solummodo commemorat tempus *quadragesimale* et in aliis quoque Ecclesiis quoad computationem temporis clausi perfecta uniformitas non exstitit[6]. At postquam Urbanus II, c. 4 Concilii Beneventani a. 1091, tempus clausum accuratius definivit[7], sc. a septuagesima usque

[4] Cfr. quoque c. 53, 54 eiusdem Concilii de aliis *abusibus* in *sollemni* nuptiarum celebratione, *laicis* (saltation.), vel saltem *clericis* (spectac.) prohibitis, iunct. c. 24 Conc. Trull. (a. 692) = c. 24 D. V. de consecr.; *Hefele*, I, 772 sq.

[5] *Hefele*, II, 704 sq., 708; *Friedberg*, in ed. corp. iur. can. ad cit. c. 10, XXXIII, q. 4.

[6] *Herard. Turon.*, (a. 858) c. 112; Synod. Aenham. (a. 1009); c. 3, Synod. Salegunstad. (a. 1022), sc. ab adventu usque ad octavam epiphaniae, a septuagesima usque ad octavam paschatis, *duabus* hebdomadis ante festivitatem S. Ioannis Bapt., diebus ieiunii et vigiliis; *Freisen*, 645; *Zhishman*, 681 sq.

[7] *Hefele*, V, 202. Quamvis nonnullae locutiones canonum videantur insinuare *irrita* fuisse matrimonia *contra prohibitionem temporis clausi* celebrata (cfr. c. 10, C. XXXIII, q. 4; *Giovine*, l. c., 683; *Freisen*, 646 sq., 649 sq.), tamen ista « *quorundam* » rigidorum doctorum sententia iam a Glossa, v. Hinc etiam ad dict. Grat. c. 7, C. XXXIII, q. 4; *Rolando*, 196; *Bernardo Pap.*, 303, *Tancredo*, 68 sq. optimo iure non fuit admissa. Cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 7, n. 9 sq.; *Esmein*, I, 441 sq.

ad octavam pentecostes (paschatis?) et ab adventu usque ad octavam epiphaniae, tandem ex Decretali Clementis III (a. 1187-1191) in compilationem authenticam Gregorii IX, a. 1234, translata = cap. 4, X, de fer. II, 9 ius commune et magis uniforme constitutum est[8]. Quod ius Decretalium a Concilio Tridentino, Sess. XXIV, de matr. can. 11 contra pseudo-reformatores a *superstitione* vindicatum et cap. 10 denuo correctum et limitatum exhibet sanctiones iuris *communis* de tempore clauso secundum disciplinam in Ecclesia vigentem[9] usque ad Codicis publicationem.

§ I. De tempore clauso seu feriato

574. Origo et convenientia. Quamquam *ex iure divino* licitae validaeque *celebrationi* matrimonii *certi dies* anni ecclesiastici non sunt subducti, tamen Ecclesia catholica inde a primis saeculis *sollemnitates* nuptiarum sacris quibusdam temporibus sapienter interdixit. Pugnant enim nuptiae *sollemnes* cum operibus *paenitentiae* et *orationis, quibus* tempore adventus et quadragesimae est vacandum, et sancta laetitia et receptio sacramentorum non est perturbanda pompa saeculari. Praeterea ex *consilio* S. Apostoli Pauli (I Corinth. VII, 6), et SS. Patrum vel ipsis coniugatis ab usu matrimonii[10] ad tempus fuit abstinendum, ut iidem vacarent orationi; ergo a fortiori diebus orationi speciali ratione consecratis novi matrimonii *sollemnis* celebratio et consummatio menti Ecclesiae parum fuit conformis[11]. Denique in Ecclesia *Orientali*, ubi eadem viget prohibitio sollemnium nuptia-

[8] Cfr. *González*, in h. cap. 4, X, h. t. Ex ipsis verbis huius capitis patet Romanum Pontificem *authentice* definire controversiam de *computatione* trium hebdomadarum ante festum S. Ioann. Bapt. Cfr. *S. Raym.*, l. c.; at aeque manifestum est i. f. cap. 4, X, h. t. consuetudinem Ecclesiae romanae quoad computationem temporis clausi inter octavam paschatis et hebdomadam rogationum a R. Pontifice *non fuisse universaliter praescriptam*. Qua distinctione adhibita, controversia inter *Freisen*, 616, 650 et *Schulte*, l. c., videtur esse composita. Cfr. quoque *Tancred.*, l. c., 69; c. 51, 52 Synod. Benevent. (a. 1334); Synod. Senon. (a. 1461) art. 4, cap. 5; *Schulte*, l. c. not. 12.

[9] Decretum Legati Sed. Ap. in German. a. 1524, art. 22. Cfr. *Hefele-Hergenr.*, IX, 381 sq.; *Rosset*, n. 1213 (de superstitionibus ethnicorum et quandoque etiam christianorum, v. g. mense maio non ducendi uxorem).

[10] Cfr. c. 1, C. XXXIII, q. 4. Quin immo libri *paenitentiales* statuebant paenitentiam, si coniuges sacris quibusdam temporibus ab usu matrimonii contracti non abstinerent. Cfr. *Schmitz*, D. Bussbuecher, 287, 266, 413, 545..

[11] Synod. Arbogensis in Suecia (a. 1396) c. 1, 2.

rum, specialis illa existit ratio, quod exceptis sabbatis et dominicis tempore quadragesimae plena liturgia (Missae) non celebretur [12].

575. Ius vigens. Post reductionem factam per Codicem, *tempus clausum* nunc in Ecclesia *Occidentali* computandum est a *media* nocte — non a primis vesperis — primae dominicae in adventu usque ad mediam noctem Nativitatis Domini inclusive, item a media nocte feriae quartae sacrorum cinerum usque ad mediam noctem dominicae paschalis inclusive [13]. Cfr. de praxi Ecclesiae Orientalis: Synod. Mont. Liban. (a. 1736), l. c.; *Papp-Szilágyi,* Enchiridion P. II, § 122; *Zhishman,* 682 sq.

Matrimonium tempore clauso non prohibetur, sed potest contrahi quolibet anni tempore (c. 1108 § 1); sed parochis et sponsis sub *gravi* prohibetur *sollemnis* benedictio nuptiarum una cum *Missa* pro sponso et sponsa, intra quam *sollemnis* illa benedictio dari solet [14]. Praeterea commendandum est sponsis ut in nuptiis tempore clauso celebratis abstineant a nimia pompa et a specialibus laetitiae signis, v. g. a choreis et musica, ab immoderatis conviviis et strepitu quae illud tempus paenitentiae et ieiunio sacrum dedecent [15]. Quare sunt permissa *sponsalia, proclamationes* [16], *matrimonii celebratio* cum illis precibus et simplici benedictione in *Rituali Romano* descriptis [17], neque excluditur *privata* sponsae traductio omissis specialibus signis laetitiae, neque simplex quoddam convivium. Consummatio matrimonii tempore clauso valide celebrati iamdiu nullo amplius iure, ut olim, prohibetur [18].

---

[12] Benedict. XIV Const. « *Demandatam* », 24 dec. 1743, § 8; *Zhishman,* 681.

[13] Instr. *Card. Rauscher,* § 52; *Bened. XIV,* Inst. eccl. 13, n. 9; *Feije,* n. 552; *Rosset,* n. 1215 sq.; *Van de Burgt,* 272; *Sánchez,* l. VII, d. 7, n. 2 cum aliis docuerat incipere a primis vesperis.

[14] Quae dispositio concordat cum iure ante Codicem vigente. Cfr. S. R. C., 4 aug. 1858;*Sánchez,* lib. VII, disp. 7, n. 3 sq., 18; *Benedict. XIV,* Inst. eccl. 80, n. 7; *Van de Burgt,* 274; *Feije,* n. 554; *Rosset,* n. 1214.

[15] Cfr. *Feije,* n. 555; *Rosset,* l. c.; *Sánchez,* l. c. n. 15 sq.; *Gasparri,* II, n. 1061.

[16] S. C. Ep. et Reg., 18 dec. 1589, apud *Ferreres,* l. c. v. Matrimonium art. 4, n. 22.

[17] Rituale Roman. l. c. ubi haec tria prohibentur: « *nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia* »; S. C. C., 10 iun. 1684; *Benedict. XIV,* Inst. eccles. 80; *Giovine,* I, 685; *Sánchez,* l. c. n. 9; *Rosset,* n. 1217 sq.

[18] Aliter *Fagnanus* in cap. 4, X, de fer. II, 9, n. 10 sq., qui, si censuit prohibitam consummationem matrimonii, nimis inhaesit veteribus

Nunc autem iure Codicis datur Ordinariis locorum facultas dispensandi, ex quacumque iusta causa, etiam quoad sollemnem benedictionem nuptiarum, salvis legibus liturgicis. Quare *de licentia* Ordinarii, si leges liturgicae permittant missam votivam pro sponsis, haec potest celebrari simulque dari sollemnis benedictio; diebus vero, quibus sacrum votivum prohibetur, substituitur missa *de die* cum commemoratione pro nupturientibus et reliquis specialibus precibus [19].

576. Scholion I. Praeter tempus clausum, etiam tempore *interdicti generalis* est exclusa sollemnis benedictio nuptialis (c. 2271, 2°), illis quoque sollemnioribus diebus, quibus ad normam c. 2270 § 2 interdictum *suspenditur;* item in interdicto *locali particulari* relate ad ecclesiam illi interdicto suppositam (c. 2272);

---

canonibus (cfr. c. 2 Concil. Arbogens. in Suec. (a. 1396); cap. 16 Concil. Arand. (Prov. Toletan., a. 1473), et canonistis, et *disciplinae novae* sufficientem rationem non habuit. Cfr. *Feije,* n. 555, not. 3; *Sánchez,* l. c. n. 21 sq.;*Schmalzgr.,* l. c. n. 31 sq.; *Rosset,* n. 1223 sq.; *Scherer,* § 125, not. 6; *Gasparri,* II, n. 1061; *Freisen,* 647 sq.; ubi tamen rem paulo aliter explicat.

[19] Quoniam Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr. declaravit: « *Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer exoptat* », non censebatur a iure alienum, si consuetudine non paucarum dioecesium, v. g. in Gallia, Austria, Belgio etiam simplex matrimonii celebratio, immo interdum denuntiatio bannorum tempore clauso non esset permissa, nisi adesset Ordinarii dispensatio ab illa *consuetudine particulari.* Quae consuetudo ab ipsa Sede Apostolica sustinebatur. Cfr. S. C. de Prop. F., 5 iul. 1841. Quare S. R. C., v. g., 14 aug. 1858 et 25 sept. 1875, saltem in dioecesibus, in quibus *huiusmodi consuetudo* vigebat, non permittebat ut parochi tempore feriato sine licentia Ordinarii sollemnizarent matrimonia etiam in forma simplicis Ritualis Romani (cfr. *Rosset,* n. 1121; *Benedictus XIV,* Inst. eccl. 80, n. 14, 15). Pariter laudabilibus quoque consuetudinibus adnumeranda est illa praxis, qua in nonnullis provinciis ecclesiasticis prohibetur, ne *toto* anni tempore diebus *abstinentiae et ieiunii* nuptiae celebrentur. Nam quamvis ex iure communi illis diebus extra tempus clausum nuptiae servatis servandis non interdicantur, tamen propter commune *periculum* infringendi leges ecclesiasticas de abstinentia et ieiunio latas merito ab Episcopis potuerunt vetari. Conc. prov. Strigon. (a. 1858), Prag. (a. 1860), in Collect. Lac. V, col. 25, 519. Quae iura particularia in quantum sint constituta per solam legem scriptam videntur dicenda abrogata per c. 1108; in quantum vero sunt per consuetudinem introducta videntur esse tractanda ad normam c. 5, de consuetudinibus tolerandis aut submovendis. Cfr. *Vlaming,* II, n. 613, not. 2;*De Smet,* n. 199, ubi allegatur decr. Episc. Brugensis, quo prohibitio ibi vigens pro futuro tempore abrogatur. Cfr. quoque c. 1041, cuius in hac materia habenda est ratio.

personaliter vero interdicti sunt repellendi ad normam[20] c. 2275, 1°.

577. Scholion II. *De hora celebrationis.* Saltem benedictio nuptiarum, quae extra tempus vetitum convenienter coniungitur cum ipsa matrimonii celebratione, cum Missae celebrationi sit alligata, non nisi legitimis Missae celebrandae horis fieri potest. Simplex vero matrimonii celebratio per se quocumque diei tempore, sive mane sive vespere, est permissa.

Saepe tamen ex statutis particularibus[21] celebratio matrimonii fiat necesse est tempore *matutino*, non post prandium, non vespere neque tempore *nocturno* ante ortum solis vel *post occasum*, nisi forte *licentia* Episcopi accedat, vel specialis urgeat necessitas. Quae praescriptiones plerumque illum habent laudabilem scopum, ut impediatur quominus magni huius Sacramenti susceptionem laetitia iam plus minusve dissoluta comitetur[22]. Iam vero libertas quoad horam iure communi relicta non ita videtur esse urgenda, ut Ordinarii competentiae subducantur illae prohibitiones, quae potius praeter quam contra ius essent: multo minus prohibitiones iam factae, praesertim in Conciliis provincialibus, ob allatam rationem censendae sunt abrogatae[23].

578. Scholion III. Impedimentum temporis feriati olim aliqua ratione in iure civili fuit receptum[24]; at nunc in modernis co-

---

[20] In America latina et insulis Philippinis ex Const. « *Trans Oceanum* » n. VI, indii et nigritae quovis anni tempore, sine necessitate specialis Ordinarii licentiae, possunt recipere benedictionem nuptialem. Cfr. Conc. prov. Manilanum, 613; *Ferreres*, n. 838 iunct. n. 605, not. 1.

[21] Collect. Lac. IV, col. 342, 1054, 1119, 1191, 895; V, col. 25, 519, 174, 519, 658; VI, col. 25, 168, 221.

[22] Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 597: « *Matrimonium absque Episcopi licentia non post meridiem celebretur* ». *Ferraris*, l. c. v. Matrim. art. 9, n. 55, hac in re magis limitavit potestatem Episcoporum et in suum favorem citavit etiam declarationem S. C. C. in c. *Neapol.*, 18 aug. 1663 ab Ursaya allegatam, ubi Episcopi dicuntur non posse prohibere quominus *post occasum solis* vel per *procuratorem* contrahatur matrimonium. At huic assertioni et argumentationi, attento magno numero Conciliorum provincialium quae contrarium disponunt atque Romae a S. C. C. vel a S. C. de Prop. F. fuerunt nostra aetate *approbata*, auctoritas atque vis inesse non videtur. Nam imprimis Episcopi non solent *absolute* et *indiscriminatim* id prohibere. Porro in recognitione Romae in Conciliis provincialibus ea solent corrigi, quae nimis *rigide* aut *laxe* statuta sunt. Denique responsum pro determinata dioecesi ob speciales circumstantias datum — et revera Neapoli speciales vigent consuetudines — non ilico ad universam Ecclesiam erat extendendum. Cfr. *Leitner*, l. c., 541.

[23] *Chelodi*, n. 145; *Vlaming*, II, n. 615; *Cappello*, II, n. 726.

[24] *Schulte*, Eher., 554 sq.

dicibus civilibus, v. g. Galliae, Germaniae, Helvetiae, Italiae, penitus omittitur. In Austria gubernium in praxi non omnino negligit tempus clausum iuris canonici, quatenus propter tempus clausum facilius concedit dispensationem super proclamationibus iure civili requisitis, et *denegationem sollemnizationis* matrimonii tempore sacrato nequaquam habet causam sufficientem sponsos admittendi ad celebrationem matrimonii *civilis* subsidiarii[25]. In Hispania, si non attenditur tempus feriatum, id exinde provenit quod matrimonium catholicorum unice regitur legibus canonicis et pro acatholicis et infidelibus non erat cur praescripta religiosa alicuius sectae attenderentur.

In locum temporis clausi iuris canonici leges civiles per modum vetitorum alia quaedam tempora clausa introduxerunt, intra quae matrimonii celebratio aliquatenus fuit interdicta, v. g. tempus *servitii militaris* actu iam suscepti aut ex obligatione suscipiendi[26], vel tempus *luctus* pro *vidua* constitutum, vel tempus *expectativae* pro uxoribus *separatis*[27].

§ II. Locus celebrationis matrimonii

579. Matrimonium, pro regula, celebrandum est in ecclesia *paroeciali;* nemini autem competit ius *exigendi* a parocho ut permittat nuptias fieri in alia ecclesia vel oratorio publico aut semi publico. Potest tamen parochus et a fortiori Ordinarius talem licentiam dare[28].

---

[25] *Scherer*, 401 sq.; *Aichner*, §181.

[26] *Aichner*, § 185; *Scherer*, 441 sq.; *Hollweck*, D. Civileher. d. b. G., 108 sq.

[27] Cfr. L. 2, C. de secund. nupt. V, 9, iunct. cap. 4, X, de secund. nupt. IV, 21; S. C. de Prop. Fid., 22 nov. 1790, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1518: « *Nullum tempus* (viduis) *praefigendum* » (ad secundas nuptias); *Aichner*, l. c.; *Hollweck*, l. c., 110 sq.

[28] Iure *communi Tridentino* determinatus quidam locus non erat praescriptus pro ipsa celebratione, nisi in quantum esset coniuncta cum sollemni benedictione, sed per se quocumque loco *honesto*, sive profano sive sacro, fieri poterat. At, attenta mente Ecclesiae in Rituali Rom. expressa: « *Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet* », Episcopi iure suo utebantur, si *praescribebant* ut matrimonium solummodo in ecclesia contraheretur, nisi ob extraordinarias causas dispensarent aut necessitas excusaret. Quare non obstante contraria doctrina *Sánchez*, *Ferraris*, *Barbosa*, quibus adhesit *Schnitzer*, 217, not. 1 et *Kohn*, A. f. k. K. XLV, 193 sq. Episcopi illo iure usi sunt. Cfr. *Rosset*, n. 2882 sq.; Collect. Lac. V, col. 353, (Conc. prov. Colon. a. 1860); VI, col. 25, (Conc. prov. Urbinat. a. 1859), col. 168, Conc. prov. Ravennat. a. 1855), col. 521, (Conc. prov. Neogranat. a. 1868);I, col. 632, (Conc. prov. Ebred. a. 1727), col. 549, (Conc. prov. Avenion. a. 1725); II, col. 43, (Synod. prov. Ruthen.

Quodsi agitur de *aedibus privatis*, tametsi oratorium habeant, in ipsis coniugium prohibitum est celebrari, nec ad hoc potest dare licentiam Ordinarius, nisi in singulari et extraordinario casu, accedente iusta et rationabili causa. In ecclesiis et oratoriis *Seminariorum* vel *religiosarum* nuptiae maiore adhuc rigore sunt interdictae, nec Ordinarius licentiam dare potest, nisi adsit urgens necessitas et opportunae adhibeantur cautelae ne in damnum aut periculum incolarum piae domus caeremonia vertatur.

Matrimonia *mixta* extra ecclesiam [29] sunt celebranda, nisi super hac lege, quemadmodum super alia de omissione rituum, Ordinarius censeat esse opportunum dispensare.

---

a. 1720), col. 176, (Synod. Mont. Liban. a. 1736); III, col. 242, (Conc. prov. Neo-Aurel. a. 1856), col. 649, (Conc. prov. Quebec. II, a. 1854), col. 749, (Conc. prov. Halifaxin. I, a. 1857), col. 783, (Synod. plenar. Ep. Hibern. a. 1850), col. 850, (Conc. prov. Armacan. a. 1854), col. 937, (Conc. prov. Westmonast. I, a. 1852), col. 1099, (Conc. prov. colon. Angl. etc. a. 1854). Quare scrupuli de propria potestate, quibus Patres Conc. prov. S. Ludov. II, a. 1858, l. c. col. 316, 319, a praescribenda celebratione matrimonii in ecclesia propter testimonium « *celeberrimi Barbosa* » deterriti sunt, Episcopos aliarum provinciarum a tali decreto condendo non impediverunt. Quibus Episcopis accedunt Patres Conc. prov. Tolos. (a. 1850), et Auscitan. (a. 1851), in Coll. Lac. IV, col. 1055, 1191, Synodi plenariae apud Maynuthiam Hiberniae, a. 1900, decret. 163, quo matrimonia fidelium extra casum necessitatis vel gravem aliquam causam per Episcopum definiendam fieri semper in ecclesia iubentur, decret. 168, matrimonia mixta intra ecclesiam non esse ineunda statuit.

[29] Qua prohibitione non videtur contineri *sacristia* vel cappella *privata*; versamur enim in odiosis, atque neuter ex istis locis sensu stricto est « *locus sacer* », in quo Pius VI, cit. ep. ad Card. Frankenb., prohibet celebrationem matrimonii mixti. Porro Conc. prov. Avenionen. (a. 1849) Romae recognitum nec emendatum (cfr. Collect. Lac. IV, col. 342), decrevit: « *Matrimonium* (mixtum) *celebretur sine sollemnitate bannorumque promulgatione et semper extra ecclesiam. Poterit tamen in sacristia consensus partium accipi* ». Cui doctrinae omnino favet S. C. Inq., quae ad duplex quaesitum Episcopi Nanceiensis, an in sua dioecesi tolerare posset: « 1. *Quod consensus coniugum salva forma Tridentina in sacristia reciperetur?* 2. *Quod in paroeciis, ubi sacristia apta et conveniens non adest, consensus reciperetur in alio loco ecclesiae adiuncto, ut cappella remota sine cereis accensis nec quocumque ornatu speciali?* » 17 ian. 1877, respondit: « *Ad 1 et 2 affirmative* ». Cfr. *Rossel*, l. c., n. 1764; *Feije*, l. c., n. 571. *Zitelli*, *Mansella*; aliter *Gury*, Theol. mor. II, n. 829, cum *D'Annibale*, *Santi*, aliisque.

§ III. De probatione matrimonii in forma ecclesiastica vel sine ipsa contracti

580. I. Si matrimonium in forma iuridica fuerit celebratum, legitima habetur probatio per depositionem *parochi* tantum, quam *testis qualificati* sive ad instar notarii publici, testimonio duorum testium *aequiparatam* (c. 1791 § 1); deinde per attestationes *duorum* vel *trium testium*, qui celebrando matrimonio adstiterunt [30]. Quorum depositiones *personales* si propter *mortem* non amplius haberi possint aut ob defectum memoriae sint insufficientes, supplentur per annotationes in *libris matrimoniorum* et inde a decreto « *Ne temere* », *baptizatorum* rite factas (cc. 1813 § 1, 3°, 1816) [31] aut per alias legitimas probationes, v. g. per testes vel instrumenta, si libri paroeciales v. g. incendio sint destructi. Nam *celebratio* matrimonii est *factum*, facta vero non *praesumuntur*, sed si allegantur, probanda sunt. Hinc deficientibus *specialibus* probationibus, *factum* contracti matrimonii iudici ecclesiastico omnibus illis modis probari potest, quibus *generatim* aliquod factum legitime demonstratur [32]. At si quis praetendat se *validum* celebrasse matrimonium *clandestinum*, cum tamen ad formam iuridicam servandam notorie teneatur, ad probationem omnino non admittitur; nullitas enim huiusmodi matrimonii est notoria [33].

II. Multo difficilior fuit *probatio* matrimonii ex iure antiquo, quo matrimonia *clandestina* extra faciem Ecclesiae et sine assistentia vel benedictione sacerdotis celebrata fuerunt valida. Etiam nunc occurrere potest difficultas pro casibus in quibus matrimonium valide coram duobus testibus celebretur, si neglecta fuit descriptio et testes actus iam mortui sunt. In tali casu si *testes* adfuerint, existentia matrimonii clandestini, etiam utroque sponso negante, per legitimas depositiones testium probari potest. Idem criterium valet pro matrimoniis acatholicorum inter se, quae formae legitimae iuris communis non sunt obnoxia. At cum pro ipsis matrimonia mere civiliter contracta ut valida sint ha-

---

[30] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 1 de ref. matr.

[31] Cfr. S. C. C., 19 sept. 1684; *Mascardus*, De probat. concl. 673; ASS. XVII, 380; *Feije*, n. 342; *Gasparri*, II, n. 1076 s.; *Esmein*, I, 219 sq.; *Allègre*, l. c., I, 25 sq.

[32] Cap. 12, X, qui filii IV, 17; cap. 11, X, de praesump. II, 23; *Scherer*, 194 sq.; *Esmein*, I, 213 sq., II, 214 sq.

[33] *Schmalzgr.*, h. t. n. 246; *Rossel*, n. 2289. Cfr. S. C. Inq., 5 iun. 1889, iunct. resp. eiusd. S. C., 27 mart. 1901, in *Anal. eccl.* IX, 286 sq.

benda, nisi defuerit animus verum matrimonium contrahendi, vel aliud obstiterit impedimentum canonicum, nostra aetate etiam ex actu civili, per authentica documenta vel testes rite comprobato, de ipsorum matrimonio certo constare potest [34]. At de acatholicorum matrimonio Ecclesia non solet curare, nisi saltem unus ipsorum ad fidem catholicam convertatur.

III. Quandoque, praeter assertiones sponsorum, aliae probationes in foro externo desunt, quoniam matrimonia prorsus occulte nulloque teste assistente celebrata fuerunt. Qua in suppositione tres casus sunt distinguendi:

a) Si unus *asserit* matrimonium inter se *clandestine* fuisse contractum, altera vero pars negat — v. gr. non admittit nisi coniunctionem fornicariam seu concubinatum — parti *asserenti* incumbit *onus probandi* [35]. Qua in probatione si pars asserens deficiat, utrique parti novae nuptiae permittuntur. Neque probatio solo iuramento innixa nunc ut sufficiens haberi potest.

b) Si ambo negant se matrimonium iniisse, non sunt compellendi ut simul cohabitent seseque tanquam coniuges tractent [36].

c) Si utraque pars matrimonii celebrationem sub iuramento *affirmet*, ipsorum assertioni standum est, nisi agatur de praeiudicio matrimonii antea contracti; nam eo in casu *aliis* probationibus matrimonium est demonstrandum, *aut* praecedens matrimonium certis argumentis probari debet *invalide* fuisse contractum [37].

581. Peculiares gravissimae difficultates oriri solent de probandis matrimoniis a catechumenis vel conversis in infidelitate contractis. Qua in re difficulter regulae generales statui possunt, sed in singulis casibus post accuratum examen omnium circumstantiarum sententia est ferenda, prae oculis tamen habitis principiis a Benedict. XIV, Const. «*Probe*», 15 dec. 1751, § 27 et a

---

[34] S. C. Inq., 2 dec. 1866, 6 sept. 1876, in Arch. f. k. K. XLI, 292, 184; *Hollweck*, D. Civileher., 80 sq.

[35] Cfr. disputationes de sensu cap. 28, X, de sponsal. IV, 1 apud *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 187, not. 257.

[36] Cfr. cap. 2, X, h. t. (Alex. III); *Schmalzgr.*, h. t. n. 249 sq.; *Rosset*, n. 2290.

[37] Cfr. in AAS. III, 103 responsum S. C. de d. Sacr. de catholicis ex America aliisve dissitis regionibus advenientibus, quoties de ipsorum matrimonio documentis aliisve legitimis probationibus probátio haberi nequeat et periculum adsit in mora — modo tamen non agatur de praeiudicio alterius matrimonii aut de suscipiendis ordinibus — ubi praescribitur matrimonium ita per assertionem iuratam partium probatum, esse inscribendum non «in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato».

S. C. Inq. approbatis et per c. 1127 firmatis *de favore fidei*, si post examen supersit prudens *dubium* de *valore* matrimonii atque insuper de permisso infidelibus *iuramento* debitis *adiunctis* munito, ubi a fidelibus requiritur «*legitima probatio*». Cfr. S. C. Inq., 9 dec. 1874, n. 13, 18 maii 1892, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1301, 2184, 2185.

582. In foro *civili* similes existunt leges de *probatione* celebrationis matrimonii civilis vel legitimi. Cfr. L. 3 D. de concub. XXV, 7; L. 9, C. de nupt. V, 4. Quare imprimis actus celebrationis matrimonii ex regestis Status civilis legitime extractus debet praesentari, nisi agatur de casibus ipso iure exceptis. Cfr. v. g. cod. civ. Ital. art. 130 sq. iunct. art. 452; cod. civ. Gall. art. 194 sq.; cod. civ. Hispan. art. 53 sq. Nihilominus etiam aliae probationes tanquam legitimae admittuntur, si actus Status civilis exhiberi nequeat, v. g. *possessio status* conformis actui celebrationis matrimonii, *existentia filiorum* a duabus personis procreatorum, quae ex publica opinione vixerunt ut coniuges et habuerunt possessionem status conformis, nec actu nativitatis filiorum repelluntur, *actus factarum publicationum* vel decretum dispensationis iunct. possessioni status conformis. Cfr. cod. civ. Ital. art. 131 sq.; cod. civ. Gall. art. 196 sq.; cod. civ. Germ. § 1324; cod. civ. Hisp. art. 53 sq. et Arch. f. k. K., XXXVIII, 348; *Allègre*, l. c. ad cit. art. cod. civ. Gall., unde constat possessionem status haberi ex complexu quodam circumstantiarum, quae vulgo tribus nominibus significantur: *Nomen, tractatus, fama*, i. e. mulier habet nomen viri, quocum vivit, tractatur ab eo ut uxor, publice in societate reputatur legitima coniux.

CAPUT X

De matrimonio, ut aiunt, civili

§ I. De notione, divisione et origine matrimonii civilis

583. Notio. Matrimonium civile [1] iuxta *modernam* huius vocis significationem dicitur contractus maritalis etiam christianorum coram *magistratu civili* initus secundum *solas leges civiles* de consensu, forma, habilitate personarum latas. Quare matrimonium civile non habetur, si sponsi solummodo celebrant *pacta dotalia* et *conventiones* de *effectibus* civilibus vel mutuo consensu *notificant* magistratui civili matrimonium suum in facie Ecclesiae iam contractum, ut inseratur *regestis* Status in ordine ad effectus civiles. Nam ex iure moderno in matrimonio civili vir et mulier *vero* et *proprio contractu bilaterali* sibi mutuo tradunt ius quoddam perpetuum ad usum corporis in ordine ad generandam et educandam prolem. Quare eaedem leges Status de matrimonio civili latae imprimis intendunt ordinare *societatem vere coniugalem* sive maritalem eiusque *valorem, iura* et obligationes, *dissolutionem* et declarationem *nullitatis, legitimitatem* prolis, et ab aliis legibus de effectibus *mere civilibus*, v. g. de bonis temporalibus, sunt plane distinctae. Illud vero « *matrimonio civili* » omnino singulare est, quod in eius celebratione *unice* attendantur leges *civiles*, non ius *naturale* — a plerisque iuristis recentioribus reiectum — neque *positivum* ius *divinum* multoque minus ius *canonicum*. Quodsi admittatur *exclusiva competentia* Ecclesiae in matrimonia *christianorum*, nequaquam ex mera praesentia *sacerdotis* vel *notarii laici* repeti posset differentia inter matrimonium ecclesiasticum et civile. Etenim tempore medii aevi (cfr. part. dec. cap. 3, X, de spons. duor. IV, 4) etiam coram *notariis* matrimonia fuerunt celebrata; immo in ipso Concilio Tri-

[1] *Perrone*, De matr. I, 205 sq.; *Feije*, n. 780 sq.; *Hirschel*, Arch. f. k. K. XL, 200 sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 229 et in Arch. f. k. K. XXIX, 148 sq., 317 sq.; *Scherer*, II, 162 iunct.,108 sq., 219 sq.; *Schnitzer*, 52 sq.; *Gasparri*, II, n. 1288 sq.; *Rosset*, n. 2241 sq.; *Hollweck*, D. Civileher. d. b. G., 1 sq.; *Esmein*, I, 150 sq.; *Laurin*, *introd.* in ius matr. 94 s., 109 sq.; *Allègre*, l. c., I, 117 sq.; *Leitner*, 79 sq.; *Glasson*, Le mariage civil; *Friedberg*, Geschichte der Civilehe; *Friedberg-Ruffini*, § 155; *De Smet*, n. 449 sq.; *Cappello*, II, n. 731 sq.; *Chelodi*, n. 147.

dentino discussa est quaestio, utrum tanquam testis qualificatus requirendus esset *notarius* an *parochus* [2].

584. Divisio. Triplex distinguitur species matrimonii civilis:

I. Matrimonium civile *necessarium* sive *obligatorium*, quo a potestate saeculari omnibus sponsis *etiam christianis, ordinarie ante* celebrationem matrimonii *religiosi* sive ecclesiastici, *praescribitur* contractus matrimonialis coram magistratu civili ad tramites *solius* iuris civilis ineundus sub poena nullitatis actus in foro saeculari et denegationis effectuum civilium aliorumque incommodorum [3].

II. Matrimonium civile *liberum* sive *facultativum*, quod habetur, cum lex civilis omnibus nupturientibus etiam christianis optionem relinquit, aut coram parocho sive ministro cultus a potestate saeculari *auctorizato* secundum leges *civiles* et ecclesiasticas, aut coram solo magistratu *civili* servatis *tantum* legibus *civilibus*, matrimonium celebrandi [4].

III. Matrimonium civile *subsidiarium*, cuius celebrationem ius civile coram magistratu *civili* tum solum suis subditis christianis permittit, cum pro illis, utpote extra omnem societatem religiosam constitutis, minister cultus non existit, qui habeat ius a potestate civili *agnitum* sollemnizandi matrimonium, **aut** legitimus minister cultus, v. g. parochus catholicus, copulationem religiosam iuste denegat ipsis catholicis propter impedimentum non sublatum iuris divini vel ecclesiastici, a iure civili alienum [5].

585. Origo. Matrimonium civile, quod non solum medio aevo, sed etiam primis saeculis [6] apud christianos fuit prorsus ignora-

[2] *Hollweck*, l. c., 1 sq.; *Perrone*, I, 206 sq., qui suam definitionem imprimis accommodat nuptiis in territorio Tridentino coram parocho competente, non coram magistratu *civili* celebrandis; *De Angelis*, lib. IV, tit. I, n. 13; *Friedberg-Ruffini*, l. c. not. 6, 7. Quare matrimonium civile nunc distinguendum est ab antiquo matrimonio « *legitimo* » vel a mero *complexu effectuum civilium;* id enim alienum est ab obvia significatione matrimonii civilis communiter admissa et multo magis ab intentione legislatoris civilis ipsoque *tenore* legum civilium. Cfr. *Scherer*, 97, 110, 219; *Leitner*, 80; paulo aliter *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb., 337 sq.

[3] Hac ratione existit in Gallia, Hungaria, Germania, Helvetia, Romania, Belgio, Hollandia, Dania, Norvegia et Suecia pro catholicis, Monaco, Luxemburgo, Brasilia, Argentina, et pluribus aliis rebuspubl. Americae meridion.

[4] In Anglia et Statibus foederatis Americae sept. cum licentia officialis civilis.

[5] In Austria, Croatia, Hispania, Italia, Russia, Polonia, Lusitania, Graecia, Bulgaria, Montenegro. Cfr. *Schnitzer*, 53 sq.; *Hollweck*, 4 sq.; *Leitner*, 80 sq.

[6] *Tertullian.*, Ad uxor. l. II, cap. 9; *Hollweck*, l. c., 4 sq. assertiones

tum, est consectarium ex doctrina pseudo-reformatorum de matrimonio, ut re plane saeculari, aliisque falsis theoriis de contractu et sacramento matrimonii, aut frequenter ex manifesto odio contra religionem christianam et speciatim contra Ecclesiam catholicam. Prima vice introductum est 1 april. a. 1580 in *Hollandia* et Frisia occidentali. Omnes enim catholici et sectarii, a religione calvinistica Status dissidentes, sub poena nullitatis *coacti* sunt *aut* coram ministello calvinistarum *aut* coram magistratu civili sua matrimonia celebrare; at hebraei mitius tractati sunt. Quae lex civilis, a. 1656, ad omnes Status foederatos Hollandiae fuit extensa [7]. Cum iidem Status, a. 1795, transformati essent in rempublicam batavicam, una cum nova dominatione matrimonium quoque civile *obligatorium* iuris gallici fuit invectum et post restaurationem (a. 1814) etiam in codice civili a. 1883 retentum.

586. In *Anglia* postquam, 24 aug. 1653, lex de matrimonio civili obligatorio promulgata est et in Scotiam et Hiberniam extensa, redeuntibus regibus — Carolo II etc. — ex dynast. Stuart, a. 1660, sine speciali et formali abrogatione istius legis latae nova illa molimina cessarunt. At ob graves abusus matrimoniorum clandestinorum, sublatis antiquioribus legibus quae ad matrimonii valorem certam formam sollemnitatis non requirebant, ut in posterum coram solo ministro protestantico — anglicano — matrimonia contraherentur *pro Anglia* — non pro Scotia et Hibernia — nova lege, 6 iun. 1753, cautum est. Quae lex, a qua hebraei et quakeri fuerunt exempti, edicto tolerantiae a. 1688 plane contraria, iura *catholicorum* graviter laesit. Nam licet ma-

Friedberg, D. Recht d. Eheschl., 6 sq. de primis saeculis ad iustos terminos reducit; at idem *Friedberg* apud *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 155, not. 1 contra *Thaner* scite defendit tempore medii aevi matrimonium civile fuisse rem ignotam. Cfr. *Scherer*, 211, not. 247. Solummodo apud *Occam* et *Marsilium* Patavinum in causis matrimonialibus ea inveniuntur principia, quae logica consequentia applicata tandem perducerent ad *aliquod* matrimonium civile. At verus genitor matrimonii civilis suis doctrinis factus est *Lutherus*. Cfr. *Hollweck*, l. c., 6 sq.; *Schnitzer*, l. c.; *Esmein*, II, 141 sq.

[7] *Friedberg*, D. Recht. d. Eheschl., 478 sq. Quare illa lege qua calvinistis relicta est *optio* inter ministrum *propriae* sectae et magistratum civilem — matrimonium civile facultativum — pro catholicis et dissidentibus revera introductum est matrimonium civile *obligatorium*. Nam certe catholici non potuerunt celebrare matrimonium coram ministro haeretico, nisi, seposita qualibet cultus haeretici professione et exercitatione, unice ageret personam magistratus civilis. Cfr. S. C. Inq., 27 aug. 1658, 29 nov. 1672, 18 nov. 1748 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1511 sq.; Bened. XIV Const. «*Redditae*» 17 sept. 1746.

trimonia catholicorum, neglecta ista forma, non haberentur *invalida*, tamen effectibus *civilibus* caruerunt. Quae incommoda saltem magna ex parte sublata sunt nova lege a. 1836 lata, qua statutum est matrimonia posse celebrari *aut* coram ministro ecclesiae anglicanae aut coram ministro cultus dissidentium, quibus adnumerantur catholici, *et* praesentibus duobus testibus *atque registratore civili*, **aut** servatis servandis coram *solo* registratore *civili*. Unde *in Anglia* nunc viget matrimonium civile *facultativum*. In *Hibernia* vero (a. 1844 et 1863) et in *Scotia* (1854 et 1873) per leges civiles saltem inscriptio matrimonii, alias iam *rite* contracti, in regesto civili est praescripta [8].

Similiter in Statibus foederatis Americae septentrionalis generatim iam a multo tempore admissum est matrimonium civile *facultativum*, cum passim data sit *optio* contrahendi matrimonium *aut* coram ministro cultus licentia legitima copulandi praedito, *aut* coram competente magistratu civili, i. e. coram iudice pacis, salva obligatione *coniugum* — non *parochorum* — procurandi inscriptionem matrimonii celebrati in regestis civilibus [9].

In *Gallia* lex Tridentina adeo rigorose servata est, ut ipsi protestantes *post* [10] revocationem edicti Nannetensis (18 oct. 1685) effectus civiles legitimi matrimonii consequi non potuerint, nisi matrimonium celebrassent coram *parocho catholico* in forma Tridentina. At postquam Ludovicus XVI, 27 nov. 1787, dissidentibus concessit matrimonium civile facultativum, 20 sept. 1792, matrimonium civile *necessarium* omnibus civibus Galliae est praescriptum et in codice civili Napoleonis I (a. 1803) confirmatum. Nova ista lex fuit practica applicatio perversae illius doctrinae a doctoribus quibusdam gallicanis praeformatae, a pseudo-philosophis illius saeculi elaboratae atque iam a. 1789 in novam Galliae constitutionem translatae, qua matrimonium esse contractum civilem declaratur [11].

587. Finita revolutione gallica, gubernia restaurata etiam

[8] *Friedberg*, l. c., 322 sq.; *Esmein*, I, 53 sq.

[9] *Friedberg*, l. c., 470 sq.

[10] Inde ab a. 1561 *protestantes* in Gallia ex tolerantia potestatis *civilis* coram suis ministris religiosis inierunt matrimonia, dummodo in reliquis salvae essent leges canonicae de matrimonio. Quae disciplina per ordinationem consilii Status, 15 sept. 1685, ita fuit immutata ut in matrimoniis protestantium coram ministris suae sectae celebrandis etiam requireretur praesentia iudicis regii. Cfr. *Friedberg*, l. c., 531 sq.; *Esmein*, I, 36 sq.

[11] Const. 14 sept. 1791; artic. org. 54; cod. civ. Gall. art. 63 sq., 144 sq.; cod. crim. Gall. art. 199, 200; *Esmein*, I, 50 sq.; *Allègre*, l. c. in cit. art. cod. Nap.; *Friedberg*, l. c., 540 sq. iunct. *Hollweck*, l. c., 7 sq.

post a. 1815 in Gallia, Belgio, provincia rhenana aliisque regionibus sibi retinendum esse existimarunt matrimonium civile. Recrudescentibus vero concertationibus politicis inde ab anno 1848 funesta illa lex matrimonii civilis etiam obligatorii tanquam palladium libertatis modernae et insigne Statui liberali proprium in alias regiones propagari coepta est, v. g. in *Italiam* (a. 1865) [12], in *Hungariam* (a. 1895) [13], in *Germaniam* (a. 1875) [14], in *Helvetiam* (a. 1875), in complures civitates Americae latinae, v. g. in rempublicam *Mexicanam* (a. 1861), *Argentinam*, *Peruviensem*, etc. (cfr. Litt. Apost. Leon. XIII ad Ep. Peruv., 16 aug. 1898 in Annal. eccl. VII, 440 sq.), dum in aliis regionibus, v. g. Austria [15], solummodo admissum est matrimonium quoddam civile subsidiarium vel facultativum [16].

Ius ecclesiasticum, utpote universale, communem ubique de valore matrimonii normam praebuit. Civilis legislatio pro singulis civitatibus proprias leges matrimoniales constituit, quae diversitas nupturientibus in alienam dicionem migrantibus difficultatem praebet. Huic incommodo plures Europae Status mederi conati sunt, conventione inita de tractandis matrimoniis alienigenarum, Hagae Comitis, 12 iunii 1902: Deutsche Zeitschrift für Kirchenrecht, XIV, 453 sq.; *Chelodi*, n. 147.

---

[12] *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 155 not. 6.

[13] *Scherer*, 116 sq.; *Schnitzer*, 58.

[14] Quae lex, factis nonnullis bonis et aliis haud rectis immutationibus, quoad substantiam transiit in novum codicem civilem Germaniae, inde ab a. 1900 vigentem, §§ 1303 sq. Cfr. *Hollweck*, l. c., 9 sq., 13 sq.; *Schnitzer*, 64 not. 4, 73, not. 1; *Hofmann*, Act. theol. Oenip. XXVI, 325; aliter et benignius *Lehmkuhl* (Arch. f. k. K. LXVI, 114 sq.) iudicat de illa condicione iuris matrimonialis, in quam *Hollweck*, l. c., gravem nec iniustum agit censorem, licet acriore utatur forma; nam catholicis obtrusum est ius matrimoniale protestanticum. Cfr. quoque de antiquiore iure et praxi in Germania: *Friedberg*, l. c. 611 sq.; *Scherer*, 110 sq., 221 sq.; *Schnitzer*, 59 sq.

[15] Iosephus II suo edicto, 16 ian. 1783, constituit ius quoddam matrimonii mere civile, cum matrimonium haberet ut civilem contractum. Quod decretum paululum mitigatum, sed substantialiter non mutatum, in codicem civilem Austriae, a. 1811, est receptum. At cum parochi etiam ex legis civilis dispositione ut officiales Status matrimoniis assisterent, et inter novum ius matrimoniale Austriae et ius canonicum quoad obiectum non tanta esset differentia, in praxi palliatum istud matrimonium civile minus apparuit. Postquam per Concordatum (a. 1855) legitima competentia Ecclesiae in causis matrimonialibus denuo sollemniter agnita fuit, iam a. 1868 et 1870, restaurato antiquo iure matrimoniali codicis civilis atque laeso rescissoque Concordato, matrimonium civile *subsidiarium* est introductum. Cfr. *Scherer*, 113 sq., 226 sq.

[16] Cfr. novum cod. civ. Hispan. (a. 1889) l. I, t. 4: *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 155, not. 7 sq.; *Scherer*, 220, not. 251: *Allègre*, l. c., I, 122 sq.

§ II. De erroneis et perversis fundamentis matrimonii civilis

588. Leges civiles de honestate et valore contractus matrimonialis *christianorum* [17], ex praesumpta quadam potestate propria et nativa latae, solido fundamento carent atque multiplici ratione sunt oppositae doctrinae catholicae [18]. Nam matrimonium christianum est verum sacramentum novae legis. Quare sola Ecclesia est *competens* ad leges condendas et iudicia exercenda de matrimoniis christianorum. Hinc, nisi quis negare velit dogma illud catholicum et definitum, excludat necesse est potestatem civilem ab omni iurisdictione in causas matrimoniales christianorum; etenim duplex potestas in easdem causas exclusive competens est manifesta absurditas. Nec iuvat dicere potestati civili tantum tribui ius in *contractum* matrimonialem, *non* in ipsum *sacramentum*. Huiusmodi enim distractio contractus et sacramenti matrimonii secundus quidam est error, iam pridem ab Ecclesia proscriptus. Porro leges civiles de matrimonio civili latae ordinarie permittunt *solutionem* illius contractus civilis, nulla habita ratione *indissolubilitatis* matrimonii *christiani* consummati, iure divino institutae et ab Ecclesia infallibiliter definitae [19]. Denique universa ista legislatio civilis fundatur falsis principiis de *separatione* inter Ecclesiam et Statum atque de Statu, omnium iurium origine et fonte, necnon de *paritate* quadam plane perperam intellecta inter diversas societates religiosas ab auctoritate civili promovenda [20].

---

[17] Ex iis, quae supra, n. 67 sq., disputata sunt de legitima potestate principum *civilium* saltem ex iure devolutivo in matrimonia hominum non baptizatorum, necessario consequitur leges civiles recte ordinare pro utroque foro etiam interno matrimonia hominum infidelium sive non baptizatorum, dummodo salvum maneat *ius divinum*, v. g. de indissolubilitate et unitate matrimonii. Cfr. quoque *Leitner*, 80 sq.; *Rosset*, n. 803 sq. iunct. 521 sq. de tolerantia quorundam RR. Pontificum, ut principum *civilium*, pro Statu pontificio in casibus particularibus, quae ex sapienti consilio postea non transiit in stabilem praxim; *Hollweck*, l. c., 39 sq., not. 1, p. 50, not. 2; *Scherer*, 560, n. 61, ubi ex particularibus casibus a *Rosset*, l. c. relatis, deducere videtur conclusiones canonicas non satis fundatas. Cfr. explicationem divortii in Vetere Testamento ut *mere tolerati*, non liciti, apud theologos non paucos.

[18] Bened. XIV Const. «*Redditae*», 17 sept. 1746; Pii VI Breve ad Episc. Lucion. 28 maii 1793; Pii IX Syllab. prop. 65 sq.; Leonis XIII Encycl. «*Arcanum*» 10 febr. 1880. Cfr. supra, n. 59 sq.; *Rosset*, n. 726 sq.; *Schnitzer*, 52 sq., 65 sq.; *Hollweck*, l. c., 40 sq.

[19] Concil. Trid. Sess. XXIV doctr. d. sacram. matr., can. 7, 12; Pii IX Syllab. prop. 67.

[20] Pii IX Syllab. prop. 39, 55, iunct. Leon. XIII Encycl. «*Immortale Dei*» 1 nov. 1885, ubi eadem principia atque Pius IX sollemniter tradit

589. Quodsi huiusmodi leges civiles de matrimonio civili evidenter fundantur in *erroribus dogmaticis*, non minus funestae sunt *morum sanctitati*. Etenim reducunt matrimonium ad contractum mere civilem; illius honorem, publicam aestimationem, naturam religiosam deprimunt atque ita subvertunt solidum fundamentum, cui innitantur necesse est graves obligationes ex matrimonio ortae. Cui contemptui matrimonii religiosi accedit iniuria Ecclesiae illata, si per violationem verae libertatis conscientiae atque summam inconsequentiam *obligatorio* matrimonio civili absoluta *praecedentia* ante matrimonium religiosum gravibus statutis poenis vindicatur; *facultativum* vero matrimonium civile saltem *indifferentismum* in rebus religiosis promovet, dum per civile matrimonium subsidiarium absolutum efficitur, ut certi « *sponsi* » utique fruantur *subsidio* Status vel privilegio sive praemio impune peccandi etiam contra ius divinum atque contemnendi auctoritatem Ecclesiae, qui alias vel ipso foro civili ut concubinarii sacrilegi et nefandi vel multiplicis matrimonii rei legitimis poenis fuerunt castigati.

Immo vel ipsum civile matrimonium subsidiarium relativum principiis christianorum non est conforme, cum auctoritas civilis sibi regulariter vindicare soleat potestatem non competentem. At haec ultima species matrimonii civilis (subsidiarii relativi) ab Ecclesia facilius toleratur vel dissimulatur, si potestas saecularis ob varietatem sectarum christianarum, quae auctoritatem Ecclesiae de facto non admittunt, ad conservandum ordinem publicum in suo foro condit leges quasdam mere *permissivas* de matrimonio [21].

Hinc quamvis Ecclesia *omnes tres species* matrimonii civilis pro christianis reprobet, tamen matrimonium civile *facultativum* ut *minus malum* praeferendum est matrimonio civili *obligatorio* [22]. Nam minus impeditur legitima *libertas* fidelium, neque

---

pariterque docet quid certis in circumstantiis tolerari legitime possit: « *Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius aut adipiscendi boni aut prohibendi causa mali moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum* ». Cfr. etiam Pii XI Litt. Encycl. « *Casti connubii* », n. 81 sq.

[21] *Rossel*, n. 521 de tolerantia in Statu pontificio quoad hebraeos; *Hammerstein*, Stimmen aus M. Laach XXXV, 9; *Schnitzer*, 52; *Hollweck*, l. c., 41 sq.; *Leitner*, 81 sq.

[22] Ita recte *Schnitzer*, 66 et *Hollweck*, l. c., 42 sq. cum *Schneemann*, *Lehmkuhl*, *Heiner*, *Leitner*, *Sohm* aliisque contra *Walter*, *Silbernagel*, *Scherer*, *Friedberg*, qui matrimonio civili *facultativo* praeferendum esse putant matrimonium civile *obligatorium*.

ob minorem partem hominum irreligiosorum obtruditur maiori parti civium novum onus plane iniustum et superfluum. Praeterea licet *aequiparatio* matrimonii religiosi et civilis certe sit reprehendenda, tamen celebratio matrimonii religiosi etiam in foro civili saltem non *pro nihilo* habetur.

Vitium vero principale illarum legum civilium est, quod in fidelibus formae iuridicae ecclesiasticae subiectis promoveat *concubinatum* et vel ipsam *polygamiam* atque cum maxima morum corruptela facile frequensque *divortium* [23].

§ III. De valore et liceitate actus civilis

590. Matrimonium civile ab iis ex intentione matrimonii initum, qui formae iuridicae ab Ecclesia praescriptae sunt obnoxii, propter defectum formae sive sollemnitatis *substantialis*, sive, uti dicebatur, propter impedimentum clandestinitatis, est contractus matrimonialis non solum illicitus, sed etiam *irritus* [24]. Praeterea ille consensus in matrimonio civili per verba de praesenti expressus neque ex natura rei neque ex iuris canonici praesumptione nec habuit ante nec multo minus, post formam publicam pro valore sponsalium praescriptam, habet vim *sponsalium de futuro* [25], ex quibus iure praecedente impedimentum publicae honestatis oriebatur [26]. Quare qui in huiusmodi communi contubernio vivunt, iuxta doctrinam catholicam vere et proprie sunt *concubinarii* [27], qui *speciosis* nominibus excusari non debent; verumtamen ad vitanda incommoda in foro civili non solum abstinendum est a verbis *iniuriosis*, sed etiam ipse concubinatus matrimonii civilis pro modo loquendi Benedicti XIV et Leonis XIII terminis *aequivalentibus* minusque periculosis est appellandus, v. g. matrimonii invalidi vel caeremoniae ritusque civilis vel matrimonii *mere civilis*.

---

[23] *Hollweck*, l. c., 57 sq.; *Gasparri*, II, n. 1289.

[24] Bened. XIV Const. « *Redditae* » 17 sept. 1741, § 3; Syllab. prop. 71, 73.

[25] Ita recte *Vering*, Arch. f. k. K. XXIX, 329, quem sequuntur *Scherer*, 224, not. 264; *Schnitzer*, 75, not. 3; *Leitner*, 632 contro *Kutschker*, Eher. II, 12 aliosque.

[26] Decret. S. C. C., 13 mart. 1879, d. 17 mart., 7 april. eiusd. ann. a Leone XIII confirmatum (cfr. *Thesaur. resol. S. C. C.* d. 1879, p. 112 cum praeced. discept. canon.); *De Angelis*, l. IV, tit. 1, n. 13, tit. 4, n. 9; *Feije*, n. 781, 783 sq.

[27] *Benedict.* XIV, l. c.; Pius IX in Alloc. 27 sept. 1852; S. Paenitent. in Instr. 15 ian. 1866; S. C. C., 31 iul. 1867; Leon. XIII Encycl. « *Inscrutabili* » 21 apr. 1878, et Encycl. « *Arcanum* »; *Hollweck*, l. c., 56, n. 1, 78, n. 1 iunct. *Schnitzer*, 76, not. 4.

Qui formae ecclesiasticae celebrationis ad valorem actus *non* sunt subiecti, in mere civili matrimonii celebratione etsi *illicitum*, tamen *validum* ineunt matrimonium, dummodo intentionem habeant vere contrahendi matrimonium, neque *aliud* obstet impedimentum *canonicum*[28]; at si *civilem* tantum *velint* ponere *caeremoniam*, quam ex ipsorum intentione *sequatur* in ecclesia coram ministro cultus *verus contractus matrimonialis religiose* celebratus, omni valore caret matrimonium civile[29]. Quare in tali casu matrimonia civilia nequaquam valida sunt *propter formam legemque civilem servatam*, neque absolute et simpliciter, sed cum clausula: « *Dummodo constet de mutuo eorum consensu* » (cfr. S. C. Inq., 6 sept. 1876) i. e. coniugum ad tramites antiqui iuris Decretalium. Quodsi incidant *dubia* de illo *consensu*

---

[28] S. Congr. Inq., 3 april. 1878, (Arch. f. k. K. XLI, 178 sq.); *Feije*, 781; *Hollweck*, l. c., 80 sq.; *Scherer*, 223 sq.

[29] S. C. Inq. in caus. Bonnens., 2 dec. 1886, 18 iul. 1867. Cfr. Arch. f. k. K. XLI, 392 sq., ubi *Bellesheim* sententiam Romae in theoria et praxi indubitanter admissam contra *Hirschel* solide defendit; *Hollweck*, l. c., 81, not. 1; at frustra doctrinam communem de ministris sacramenti matrimonii in dubium vocat.

Post introductum matrimonium civile in Germania, protestantes propter suas doctrinas de natura matrimonii et competentia potestatis saecularis in non leves inciderunt controversias de relatione inter matrimonium civile coram magistratu Status celebratum et « *copulationem religiosam* » in templo acatholico a ministro cultus peractam. Quae relatio etiam in foro ecclesiastico est practici momenti, si saltem unus ex coniugibus haereticis convertatur ad fidem catholicam. Et revera theologi et iuristae acatholici paucis tantum exceptis, velut *Scheurl* et *Sohm*, de illa relatione eam amplexi sunt sententiam, quod matrimonium *vere* contrahatur per actum *civilem* coram magistratu Status rite positum. Quare cum matrimonium legitime valideque iam contractum non possit iterum celebrari, copulationi religiosae a ministro cultus acatholici peractae tantum tribuerunt vim alicuius *benedictionis et approbationis* « *ecclesiasticae* » mereque *accessoriae* ad matrimonium in actu civili celebratum, quemadmodum apud catholicos sacerdos in Missa sponsorum sollemniter benedicit coniuges legitimo matrimonio antea unitos. Cfr. *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 229, n. XI; *Hollweck*, l. c., 21 sq., 23, not. 1; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 156, not. 23; *Koehler*, Lehrb. u. deutsch-evangel. Kirchenr., 232 sq. Nihilominus etiam apud acatholicos fieri potest, ut sponsi coram magistratu Status velint perficere meram caeremoniam civilem et demum coram ministro *acatholico* in forma religiosa verum contrahere matrimonium. Quo in casu — apud coniuges haereticos certe rariore et difficilius probando cum etiam ipsi magistratus « *ecclesiastici* » acatholicorum in suis edictis sententiam theologorum et iuristarum supra recensitam adoptarint — si unus vel uterque coniux fiat catholicus, ex iure Ecclesiae catholicae forte *utrumque* matrimonium habendum est invalidum. Nam neque matrimonium civile neque religiosum valet, si sponsi formae ecclesiasticae in ineundo matrimonio subsunt.

vere dato vel de quaestionibus conexis, causae particulares ad competentem auctoritatem ecclesiasticam sunt deferendae[30] et perpensis omnibus circumstantiis definiendae.

591. Matrimonii civilis celebratio etiam cum forma ecclesiastica ad valorem contractus matrimonialis *non* est necessario observanda, per se parti catholicae nunquam est *licita* cum intentione coram magistratu *civili* verum contrahendi matrimo-

---

[30] S. C. Inq. 3 apr. 1878 ad 2, 3 in Arch. f. k. K., l. c., 182; S. C. Inq., 2 iul. 1892, in Arch. f. k. K. LXIX, 359. Cum nunc non raro detur sanatio in radice matrimonii *civilis invalide* contracti, SS. CC., i. e. S. Paenit. et S. C. Inq., videntur facilius admittere quod sponsi in ritu civili habuerint verum consensum et intentionem celebrandi matrimonium; secus non exsisteret consensus quidam *naturalis*, qui tanquam *radix* sanari posset. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1207 sq.; *Scherer*, 224, not. 262; *Hollweck*, l. c., 82 sq. At, non obstante mitiore illa praxi in sanandis matrimoniis civilibus, non caret difficultate nimis absolute supponere *ex praesumptione iuris ecclesiastici* in celebrando matrimonio *civili* admittendam esse intentionem vere maritalem. Nam Ecclesia non solet praesumere rem malam et a se prohibitam; at suis fidelibus prohibet ne verum matrimonium celebrare intendant coram magistratu civili, ubi potius perficere debent meram caeremoniam civilem. Cfr. *Rossel*, n. 2317; *Leitner*, 121 sq., 483, 146. Praeterea si SS. CC. concedunt sanationem in radice matrimonii civiliter contracti, constanter adicere solent clausulam sive condicionem *dummodo constet de perseverantia consensus*, sed de *perseverantia* consensus constare nequit, si de ipsa existentia *consensus maritalis* ab initio dati probatio peremptoria non adsit. Nam quod nunquam exstitit, non perseverat. Denique Ecclesia nullibi *expressa* lege talem absolutam praesumptionem *iuris* in favorem matrimonii civilis statuit, sed, ut patet ex cit. resp. S. C. Inq. 6 sept. 1876, validitatem matrimonii civilis etiam in loco a iure Tridentino immuni solummodo admisit cum clausula, *dummodo constet de mutuo consensu* coniugum. Unde denuo efficitur, quoad *intentionem* vere contrahendi matrimonium, singulos casus matrimonii civilis sedulo esse examinandos. Etenim non obstante *prohibitione* Ecclesiae et *facilitate* celebrandi matrimonium in facie Ecclesiae, sponsi in ipsa caeremonia civili possunt *de facto* habere consensum maritalem. Cfr. *Scherer*, l. c.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad § 1317; *Rossel*, l. c. Immo S. C. Inq., 2 iul. 1892, l. c. in epistola ad Arch. Colon. declaravit: « *Praesumptionem stare* non *pro nullitate, immo vero pro validitate utrorumque matrimoniorum* — i. e. *mixtorum* sive *civiliter* sive coram ministro *acatholico* clandestine contractorum, quae ibidem a iure Tridentino eximebantur — *et in casibus difficilioribus recurrendum ad S. Sedem* ». Si adest conflictus inter ius divinum et humanum, ut obtinet in matrimonio civili contracto a sponsis, qui formae ecclesiasticae subsunt, potius standum est pro iure divino. Hinc praesumitur quod sponsi voluerint consentire potius in matrimonium quam in concubinatum, neglecta forma ecclesiastica. Cfr. S. C. Inq., 2 dec. 1886; et 18 iul. 1867; *Hollweck*, D. Civileher. 80 sq., 262; praesertim etiam *Feije*, n. 571, not. 2; *Bellesheim*, Arch. f. k. K. XLI, 292 sq. Quae doctrina nunc frequentiorem habet applicationem, cum matrimonia mixta omnia formae ecclesiasticae subiciantur ad valorem.

nium [31]. Id quidem evidentissimum est de civili matrimonio *subsidiario* et absoluto; celebratur enim cum manifesto contemptu impedimentorum iuris canonici, immo non raro iuris divini, v. g. impedimenti ligaminis. Neque minus patet illiceitas civilis matrimonii *facultativi*, cuius nulla est necessitas, et pro catholica parte constituit delictum attentati matrimonii clandestini et invalidi, atque est *gravis* violatio legis ecclesiasticae, quae *ipsam matrimonii celebrationem* ritu religioso in facie Ecclesiae peragendam, non tantum subsequentem quandam benedictionem pro more acatholicorum praescribit. Quodsi agatur de matrimonio civili *obligatorio* vel necessario ad consequendos effectus civiles matrimonii et ad vitanda gravia incommoda, eius celebratio est tolerata, dummodo fiat coram magistratu civili ut civili, non ritu *acatholico* coram ministro religionis falsae, porro cum *intentione* explendi illo actu *mere civilem caeremoniam*, non vere contrahendi matrimonium; nam aliud ad consequendos illos effectus et vitanda mala non requiritur. Quae intentio a fortiori requiritur, si matrimonii religiosi celebratio iam praecessit. Praeterea caeremonia civilis *consultius sequitur* ecclesiasticam matrimonii celebrationem, nisi lex civilis ad ordinem invertendum cogat vel gravis ratio obstet. Neque sponsis ad matrimonium civile procedere fas est, *antequam* impedimentum canonicum illi forte obsistens dispensatione Ecclesiae sit sublatum. Quodsi matrimonium civile *praecedere* debet, sponsi propositum habeant necesse est, *quam primum*, servata interim separata habitatione, in forma *ecclesiastica* verum ineundi matrimonium [32].

---

[31] Benedict. XIV Const. « *Redditae* », 17 sept. 1746 et Const. « *Inter omnigenas* », 2 febr. 1744, § 10; Pii VI Instr. 28 maii 1793: S. C. Inq., 17 febr. 1884, in ASS. XVI, 267 sq. Inde facile constat qua ratione et quibusnam condicionibus Pius VI matrimonium civile coram duobus testibus habuerit *validum* in Gallia tempore revolutionis *absentibus* parochis catholicis. Cfr. *Feije*, n. 781; *Schnitzer*, 668 sq. (de valore matrimonii civilis a Napoleone I, a. 1796, celebrati). Neque difficultatem movet Pii VI Instr., 26 sept. 1791, pariter pro Gallia data, cum evidenter catholici non ita potuerint celebrare matrimonium civile, ut simul *declararent* sese *non esse catholicos*. Cfr. quoque resp. S. C. de Prop. F., 20 febr. 1801; Instr. S. Paenit., 15 ian. 1866, pro Italia in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1398, 1406; *Laurin*, Introd. in ius matr., 130 sq.

[32] Benedict. XIV cit. Const. « *Redditae* »; Instr. S. Paenitent., 15 ian. 1866; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VI, cap. 7; *Gasparri*, II, n. 1296 sq.; *Rosset*, n. 2315, 2317, ubi cum Secretario S. C. C. in disceptatione, a. 1879, recte docet: « *Non ideo internum veri matrimonii consensum praestant neque mendacium proferunt contrahentes civiliter, etsi coram magistratu civili eadem verba aut signa adhibeant ac in matrimonio canonico. Nam verba et signa, quae sic coacti compelluntur adhibere, directa sunt ad significandum obsequium erga legem civilem et ad satisfaciendum eius praecepto, ut matrimonium verum iam contractum vel deinde contrahendum non debitis privetur civilibus effectibus. Talis significatio verborum ac signorum determinatur* sive ex sensu Ecclesiae, *iuxta cuius leges intendunt contrahere*, sive ex communi fidelium usu et opinione, sive ex natura actus, prout licite fieri potest. *Quapropter non sunt idonea ad naturaliter significandum consensum internum contrahendi de praesenti, quia urgente necessitate ad alium finem tendunt ac recte in eo consistunt, quoad eos etiam sane plurimos, qui nullum tunc matrimonium peragere volunt* ». Cfr. quoque S. C. C. in c. Olmucen., 7 ian. 1899; *Leitner*, 123, 632 sq. Porro ad evitanda mala quae sequuntur ex non admisso pro vero validoque matrimonio nisi matrimonio civili, iam nunc S. Sedes de regula non vult, ut ad matrimonium religiosum admittatur, qui civile inire aut nolunt aut nequeunt. S. C. de d. Sacr., 2 iul. 1917; cfr. *Il Monitore eccl.*, XXXI, 193.

Num syndicus possit assistere matrimonio divortiati, S. C. Inq., 22 ... 1892, declarat, « In casu » de quo agitur, inspectis eius adiunctis dissimulari posse, ut officialis assistat caeremoniae civili eorum, qui divortium a tribunali civili obtinuerunt, dummodo doctrinam catholicam de matrimonio palam aperteque profiteantur adeoque per suam assistentiam nec velle nec posse valorem matrimonii huic contractui tribuere et solummodo lege coactum caeremoniae assistere vel adstitisse ».

Quemadmodum fideles licite celebrant matrimonium civile obligatorium, ita etiam absolute et *generaliter* non arcentur a suscipiendo *officio magistratus Status*, qui assistat celebrationi matrimoniorum civilium, dummodo habeant intentionem perficiendi caeremoniam mere civilem neque quidquam agant vel dicant contra sanctitatem matrimonii eiusdemque celebrationem religiosam vel contra specialia Ecclesiae interdicta [33]. Quare imprimis *sacerdotes* sive missionarii sive parochi, qui a potestate saeculari petierunt et obtinuerunt approbante Ecclesia officium magistratus civilis ad celebranda matrimonia civilia, generatim remoto quovis scandali periculo matrimoniis catholicis et mixtis iuxta Dei et Ecclesiae leges ineundis ex tolerantia quadam assistere possunt, at per se non haereticis et multo minus matrimoniis quibuscumque sive catholicorum sive acatholicorum, quae, non obstante impedimento ligaminis ex prioribus nuptiis per illegitimum divortium dissolutis, cum alia persona denuo contrahuntur vel potius attentantur [34]. Quodsi officiales illi

---

[33] Inst. S. Paenit., 15 dec. 1865; *Santi*, l. IV, t. 3, n. 54; *Gasparri*, l. c., n. 1297; *Scherer*, 225, not.

[34] S. C. Inq., 20 dec. 1837 ad Ep. Barden. (Bardstow seu Louisville), 11 dec. 1850 ad Vicar. Apost. Sandwic., 12 ian. 1881 ad Vicar. Apost. Iamaic. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1523, 1524, 1533; at minus rigide S. C. de Prop. F., 26 ian. 1895. S. Offic. interrogatum utrum in Indiis neerlandicis permitti possit missionariis ut fungantur munere officialis civilis in matrimoniis contrahendis sive inter catholicos sive inter haereticos sive inter infideles, respondit d. 22 iun. 1938 « *data opportunitate*

civiles sint *laici*, certe officio suo licite funguntur, quotiescumque fideles vel acatholici licite celebrant matrimonium civile. At difficultas est, si praevideant sponsos ob pravam suam voluntatem postea in facie Ecclesiae matrimonium *non* esse contracturos, *aut* matrimonio civili coram se nunc celebrando obstet impedimentum iuris canonici vel divini, legibus civilibus non agnitum. Qua in re prior suppositio non tantam videtur habere difficultatem. Nam officialis civilis assistit caeremoniae sponsorum, ut supponitur per se licitae, sponsi vero ipsa notorietate iuris, insinuatione convenienti magistratus civilis, immo quandoque expressa legis dispositione sufficienter admonentur de obligationibus religiosis non sublatis (cfr. v. g. cod. Germ. § 1588); hinc propter solam malitiam sponsorum officiali Status non potest imponi gravissimum onus dimittendi proprium munus, si assistentiam refutare non possit vel sponsos ad alium remittere [35]. In altera suppositione sane allegantur tres decisiones, sc. S. C. Inq., 11 dec. 1850 et 27 maii 1886, et S. Paenit., 28 nov. 1883, in favorem sententiae *negantis* liceitatem assistentiae: at illam assistentiam non notant ut *intrinsece malam*, quae nullo *in casu* tolerari possit. Praeterea prima agit de *missionariis*, non *de laicis;* altera data est pro *Gallia mox post introductam legem divortii;* S. Paenitentiaria vero respondit Episcopo *Italiae*, ubi divortium in foro civili non viget, et novum matrimonium civile evidenter contractum fuerat *post* matrimonium religiosum legitime celebratum; hinc in Gallia et Italia urgebat ratio *specialis scandali* et *periculi. Rosset*, n. 2318 sq. agit de illa assistentia syndici.

Quodsi ratio intrinsecae malitiae allegari nequit, cum quandoque parochi in gravi necessitate assistere valeant administrationi sacramenti matrimonii *indignorum*, non merae caeremoniae civili, universa quaestio videtur reduci ad vitationem pu-

---

tolerari posse ut missionarii in praefatis locis praestent assistentiam civilem in matrimoniis catholicorum, haereticorum, infidelium, dummodo tamen: a) *nullum matrimonio obstet impedimentum dirimens iuris naturalis vel divini;* b) *nulla opponatur condicio matrimonii substantiae repugnans;* c) *nulla actui civili haeretica aut superstitiosa caeremonia adiungatur;* d) *nullum adsit scandalum vel periculum fovendi indifferentismum religiosum; a quo periculo maxime cavendum erit occasione assistentiae praestitae matrimoniis haereticorum, opportunis adhibitis cautelis ne catholici, hoc exemplo ducti, ex analogicis rationibus adeant ministros haereticos* ». Praefata facultas se extendit etiam ad matrimonia mixta et matrimonia catechumenorum. Cfr. *Sylloge* p. docum. recent. iussu S. C. de P. F. edit., n. 206 quater.

[35] S. Paenit., 20 mart. 1885; *Card. Gennari*, Consult. morali-canoniche-liturg. I, 200 sq.

blici *scandali* et *illicitae cooperationis* ad actum *in se* et suis *effectibus* malum. Inde consequitur huiusmodi assistentiam non posse *absolute* et *universaliter* dici licitam, si quis eam declinare possit vel alteri relinquere; at cum scandalum publicum ex parte officialis civilis possit lapsu temporis et mutatis circumstantiis cessare, et obligatio caritatis omittendi cooperationem ob *gravissimum* incommodum non urgeat, probabilis est doctrina *Santi*, l. c. l. IV, t. 3, n. 55 sq., quem sequuntur *Gasparri*, l. c. n. 1302; *Schnitzer*, 77 sq.; *Hollweck*, l. c., 78 aliique, i. e. in istis circumstantiis et servatis debitis cautelis officialem civilem posse tali matrimonio assistere [36].

§ IV. De opportunitate atque obligatione celebrationis actus civilis

592. Postquam celebratio matrimonii civilis *obligatorio* modo praescripta est, non solum licitum, sed opportunum et expediens esse declaravit S. Paenitentiaria in Instr., 15 ian. 1866, n. 5, 6, 7, ut fideles actum lege civili praeceptum exsequerentur. Immo coniuges ordinarie culpa [37] non vacant, si socordia ducti statutis civilibus de forma sollemnitatis matrimonii non obsecundent. Quae obligatio in coniugibus multoque magis *in parocho non ex iniusta lege civili* est repetenda, sed *ex iure naturali et canonico*, quae ad poenas vexationesque vitandas, ob bonum prolis et periculum polygamiae, illius civilis caeremoniae observationem suadent atque adeo pro casibus communiter contingentibus omnino praescribunt [38].

---

[36] *Card. Gennari*, l. c., 203 sq., ubi idem docet de liceitate assistentiae officialis civilis, quae omitti non possit, nisi cum periculo vitae vel gravissimi — non qualiscumque — damni. Cfr. quoque *Rosset*, n. 2317, atque doctrinam de legibus tolerantibus malum.

[37] *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 467. « *Qui ea* (sollemnia civilia) *omittunt, gravi non vacant* (culpa), *si quid opinor* » aliique, v. g. *Schnitzer*, putant illam culpam esse *gravem*; at *Marc* in suis Inst. theol. mor. II, n. 2090, *existimat* saltem *ubique* et *generaliter* sub *gravi* obligatione observantiam istius legis civilis non posse urgeri. Cfr. *Rosset*, n. 2315.

[38] Instr. S. Paenit., 15 ian. 1866; Conc. prov. in Collect. Lac. v. Matrimonium; *Leo XIII*, Encycl. « *Arcanum* ». Quodsi parochus sponsos moneat de obligatione perficiendi sollemnitates civiles, non omittat illius *necessitatis reddere rationem*, sc. ne matrimonium careat effectibus civilibus. Nam si rationem reticeat atque simpliciter inculcet celebrationem matrimonii civilis, videtur aliqua ratione illud approbare et ex ipsis legibus saecularibus derivare obligationem ineundi contractum civilem. Quod profecto plane falsum est. Cfr. *Rossel*, n. 2113; *Lehmkuhl* in *Kirchenlex.* III, 396; *Schnitzer*, 77, not. 2. Quare cum Concilium provinc. Rothomagense (a. 1850) nimis absolute statuisset: « *A nullo matrimonium ec-*

593. Quae obligatio celebrandi matrimonium civile non nimis absolute et universaliter est sustinenda. Sunt enim casus in quibus, v. g. in articulo mortis et in matrimoniis conscientiae, spreta legis civilis observatione, non solum potest sed debet contrahi matrimonium ecclesiasticum *ante* sollemnitatem civilem et non obstante alio quocumque impedimento civili [39]. Cuius necessitatis *praemittendi* quandoque actum religiosum obligatorio matrimonio civili etiam moderni codices iuris civilis rationem habent [40]. Praeterea nimis rigida et universalis prohibitio celebrationis matrimonii ecclesiastici *ante* expletam caeremoniam civilem *quasi aequivalet novi impedimenti introductioni*, ad quam in Episcopis deest competens potestas, in supremo legislatore i. e. in R. Pontifice efficax voluntas [41].

Difficultas potest esse in conflictu impedimenti civilis cum matrimonio coram Ecclesia celebrando. Interdum subest prohibitio civilis contra aliquod matrimonium ex impedimento civili, a quo partes liberationem obtinere nequeunt. Ex altera parte nullum subest impedimentum canonicum celebrationi obstans, atque rationes graves conscientiae et vitandi scandali postulant ut matrimonium quam primum contrahatur. Contra sacerdotem autem huiusmodi matrimonio, non praemissa autorizatione civili, assistentiam praebentem gravis poena a civili lege statuitur. Ad quaestionem de hac difficultate propositam: «an et quomodo providere expediat casui in quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium assistant nisi praemissa caeremonia civili, quae peragi nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio», S. C. C., 27 iulii 1908, respondit non esse interloquendum: ASS. XLI, 511. Sed S. C. de d. Sacr. (31 ian. 1916) extra casum periculi mortis respondit esse *recurrendum in singulis casibus*. Cfr. tamen supra n. 548, not. 73*.

Scholion. Si contracto matrimonio *civili* altera pars forte etiam contra expressam *promissionem* renuat celebrationem matrimonii *religiosi*, quid iuris sit in foro ecclesiastico, ex praecedentibus assertionibus facile eruitur; sed ut libertati atque conscientiae partis innocentis efficaciter consulatur, sedulo inspiciendae sunt *leges civiles*. Illae enim in nonnullis regionibus eos continent articulos, quorum ope *nullitatis declaratio matrimonii civilis propter non impletam* essentialem condicionem vel rescissio contractus matrimonialis ob gravem iniuriam illatam vel ob dolum etiam in foro civili obtineri potest, si *religiosa* matrimonii celebratio omittatur.

At in aliis regionibus, v. g. in Germania, propter omissionem copulationis religiosae etiam antea ab una parte promissae nullitas vel rescissio praecedentis matrimonii civilis ab altera parte decepta in tribunalibus civilibus implorari cum effectu nequit [42].

§ V. De effectibus et poenis celebrationis actus civilis

594. Matrimonium civile, si celebretur a sponsis formae ecclesiasticae subiectis, nec *figuram* habet *matrimonii* nec vim matrimonii putativi, sed est legalis atque publicus *concubinatus* [43]. Quare non in quantum habeat rationem invalidi matrimonii, sed ex nova causa per Codicem inducta, si notorius sit ille status concubinatus, ex ipso oritur impedimentum publicae honestatis. Praeterea cum matrimonium civile habeat rationem matrimonii *attentati*, si concurrat cum *adulterio*, producit *impedimentum criminis* [44].

---

clesiasticum celebretur, quin de civili constiterit», S. C. C. decretum hoc modo emendare iussit: «*Ne matrimonium effectibus civilibus careat, serventur quae lex coram magistratu fieri praecepit: curent tamen parochi ne praemature actus illi perficiantur*». Cfr. Thesaur. resol. S. C. C. (a. 1879), p. 179 sq.; Collect. Lac. IV, col. 531.

At praeterea attendendum est monitum S. Paenit., 15 ian. 1866: «*Nequaquam vero, ut infaustae legis exsecutioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui quoniam lege* (civili) *arcentur, ad civilem actum* dein non admitterentur *ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia et* Ordinarii *consilium exposcere, atque hic facilis non sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat*». Cfr. quoque declar. S. C. de d. Sacr., 2 iulii 1917, in *Il Monitore eccl.*, XXXI, 193.

[39] Instr. cit. S. Paenit., 15 ian. 1866, n. 6; *Leo XIII*, Encycl. ad Ep. prov. eccl. Taurin., Verc., Genuens., 1 iun. 1879, in Arch. f. k. K. XLII, 188 sq.; Collect. Lac. V, col. 1106, 1160; *Schulte*, l. c. § 38, i. f.; *Rosset*, n. 2316; *Scherer*, 225, not. 268.

[40] Cfr. v. g. cod. civ. Hispan. art. 78, 93 sq.; cod. civil. German. (Einfuehr.) art. 46; *Rosset*, l. c. de iure gallico; S. C. C., 7 ian. 1899, Analect. eccl. VII, 155 sq. de formalismo civili in casu particulari Austriae.

[41] Thesaur. resol. S. C. C. l. c.; *Biederlack*, Act. theol. Oenip. IX, 168.

[42] Archiv f. k. K. XL, 200 sq.; *Hollweck*, l. c., 124, 222, 262, 18 sq.; *Scherer*, 222, not. 258; *Schnitzer*, 63 sq.

[43] Cfr. text. iur. supra n. 588, n. 18; *Rosset*, n. 2312; *Schnitzer*, 75 sq.; *Hollweck*, 79 sq.; *Santi*, l. IV, t. 14, n. 23 sq.; *De Becker*, 130; paulo aliter de *figura* civilis matrimonii: *Feije*, n. 783 sq.; *De Angelis*, l. IV, t. 4, n. 11 et t. 13, n. 5. Cfr. tamen de matrimoniis civilibus *in haeresi* vel *infidelitate ante conversionem* contractis: *Putzer*, Comment. in facult. apost. n. 16.

[44] Cfr. supra ubi de impedimento criminis et publicae honestatis.

595. Catholici, qui neglecto matrimonio canonico ac solo adimpleto actu civili maritaliter vivunt, tractandi sunt tanquam publici concubinarii ac infames infamia facti (c. 2293) et inde excludendi ab actibus legitimis ecclesiasticis (c. 2294 § 2 iunct. 2357 § 2); sunt etiam privandi sepultura ecclesiastica ad normam c. 1240 § 1, 6°.

In praxi vero pastores animarum magna cum caritate et prudentia satagere debent, ut matrimonia civilia *invalide* contracta, quatenus fieri potest, convalidentur; coniuges vero, qui *illicita* matrimonii civilis celebratione fuerunt contenti, denuo cum Deo et Ecclesia reconcilientur.

596. Scholion. Cum matrimonii christiani celebratio nunc *de facto* pendeat etiam a legibus *civilibus*, duo imprimis a sponsis et parochis sunt in praxi attendenda[45], sc. 1) *formae sollemnes* sive ad *validam* sive saltem ad *licitam*[46] celebrationem matrimonii christianorum ex iure civili requisitae; 2) *impedimenta canonica* in foro *civili* pariter *admissa* vel totaliter vel ex parte *reiecta*, aut impedimenta *nova* a iure canonico omnino *aliena*, modernis codicibus *civilibus* inserta[47].

Quemadmodum ex iure ecclesiastico aliae sollemnitates in contrahendo matrimonio sunt *substantiales*, aliae *accidentales*, ita etiam in celebratione matrimonii *civilis* certae quaedam formalitates solent requiri ad *valorem* actus, cum aliae sollemnitates sint *praescriptae*, sed *non* sub poena nullitatis[48]. At non omnes codices civiles conveniunt in *iisdem* sollemnitatibus substantialibus vel accidentalibus; quare leges diversarum nationum sunt attendendae[49].

Qua in re iam est varietas quoad vim *denuntiationum* sive *bannorum* nuptialium. In ipsa *celebratione* matrimonii civilis *generatim* illud habetur *substantiale*, quod sponsi personaliter et simul praesentes[50], verbis vel signis aequivalentibus suum

---

[45] Leo XIII, Encycl. « *Arcanum* »; *Rosset*, n. 2292; *Leitner*, 631 sq.

[46] Cfr. S. C. C., 7 ian. 1899, in Analect. eccl. VII, 155 sq.

[47] *Rosset*, n. 2293 sq.; *Schnitzer*, 52 sq., 200 sq.; *Hollweck*. D. Civileher. 96 sq., cod. civ. Galliae art. 144 sq., Germaniae § 1303 sq., Hispaniae art. 83 sq., 45 sq., 101.

[48] *Hollweck*, l. c., 137 sq., 151 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 156, V.

[49] Cfr. v. g. cod. civ. Ital. 106, 7; Germaniae §§ 1316 sq., Galliae art. 63 sq., Hispaniae art. 86 sq., 100, 101.

[50] Celebratio matrimonii civilis ab absentibus per *epistolam* vel *procuratorem* absolute solet excludi, sed quandoque in favorem familiae regiae vel certarum familiarum nobilium *per procuratorem* admittitur. Cfr. cod. civ. Ital. art. 111; cod. civ. Germ. § 1317, iunct. art. 57, 58; *Friedberg-Ruffini*, l. c. not. 18. Immo secundum cod. civ. Hispan. art. 87,

consensum matrimonialem rite[51] declarent coram magistratu civili legitime deputato et rogato[52] — officiali Status civilis — et duobus testibus; immo in nonnullis regionibus non desunt leges civiles, quae ad sollemnem formam matrimonii civilis requirunt praesentiam etiam quatuor testium[53].

100, etiam *generaliter* permittitur mandatum procuratoris pro sola parte in districtu iudicis non domiciliata. *Successiva* quoque praesentia sponsorum actum redderet nullum.

[51] Appositio *temporis* limitati sive termini, item *condicionis* qualiscumque non solum est prohibita, sed regulariter actum efficeret invalidum. Cfr. cod. civ. Ital. art. 108, 149; Germaniae §§ 1317, 1324; *Hollweck*, l. c., 152 sq. Profecto appositio *termini* ex iure naturali est condicio contra substantiam, i. e. indissolubilitatem matrimonii, ideoque illud irritat; at ex natura rei vel iure canonico non *omnis* condicionis appositio est exclusa, licet *de facto* nunc condicio vix unquam apponatur et sine approbatione Episcopi *licite* apponi non possit. Cfr. cod. civ. Hisp. art. 93 sq. de certis matrimoniis civilibus, quae *condicionate* inita reputantur.

[52] Ad *valorem* matrimonii civilis saepe sufficit, si magistratus civilis sit unus ex officialibus Status civilis — saltem putativus — licet forte, v. g. ratione domicilii sponsorum vel defectu delegationis legitimae ad *licitam* assistentiam non sit *competens* et idcirco iuxta tenorem legum *puniatur*. Cfr. cod. civ. Germ. §§ 1319 sq. At ex cod. civ. Hispan. art. 101, matrimonium *civile* est irritum, nisi celebretur coram *competente* iudice vel eius legitimo substituto.

Inter assistentiam parochi catholici *in iure Tridentino* et officialis Status civilis ea intercedebat differentia, quod assistentia *passiva* officialis *non sufficiat*, sed *activa requiratur*, ita ut ipso praesente, sed *invito* et assistentiam refutante, *valide* matrimonium civile contrahi non possit. Cfr. *Hollweck*, l. c., 151 sq., 139, not. 1, 2.

[53] *Praesentia testium* ex cod. civ. Austr. §§ 75, 94, Galliae art. 191, Italiae art. 107, Helvetiae art. 38, Hispan. art. 100, 101, requiritur ad *validitatem* matrimonii, sed iuxta codicem civilem Germaniae § 1318, sane sub gravi sanctione poenali praescribitur, *substantialis* autem sollemnitatis non est. Similiter est varietas quoad *numerum* et *qualitatem* testium. Nam v. g. ex codice civili Galliae art. 75, requiruntur *quatuor*, in Germania, Italia, Austria, Hungaria, Hispania sufficiunt *duo*, sed v. g. in Germania, Hispania, *maiores* et *legitime* non suspecti esse debent. Cfr. cod. civ. Ital. art. 107, 110, ubi tantum pro matrimonio in extremis *quatuor* testes dicuntur necessarii; at in Austria sufficit, si testes non suspecti habeant aetatem 20 annorum completorum. Cfr. *Schnitzer*, 200 sq.; *Hollweck*, l. c., 153; Arch. f. k. K., XLV, 156; *Friedberg-Ruffini*, l. c., not. 17.

Celebratio matrimonii *publica* in *palatio* municipii, quamvis ex iure civili soleat esse *praescripta*, tamen ad *valorem* non requiritur et in casibus necessitatis etiam alio in loco fieri potest. Cfr. cod. civ. Gall. art. 75 iunct. *Allègre*, l. c. in h. a.; cod. civ. Ital. art. 106, 110.

Mirabile dictu! complures leges civiles, v. g. in Gallia, Germania, Hungaria etc. magno cum rigore *prohibent*, ne matrimonium *religiosum ante matrimonium civile* celebretur. Cfr. cod. crimin. Gall. art. 199,

Post declaratum consensum sponsorum officialis Status civilis sollemniter nomine legis civilis edicit sponsos esse legitimos coniuges, atque deinde matrimonium contractum rite in regesto Status civilis est inserendum.

Quod edictum officialis civilis quandoque est *mera declaratio* authentica de matrimonio iam legitime et valide a sponsis contracto [54]; aliis in regionibus, v. g. in Gallia, Italia, Hollandia, Helvetia censetur esse sollemnitas adeo essentialis, ut *antea* contractus matrimonii civilis *nondum* sit *validus*. Quodsi leges civiles illi declarationi ita voluissent tribuere vim *causae efficientis* matrimonii, manifestam statuissent absurditatem iuridicam; nam causa efficiens matrimonii est consensus sponsorum; si vero ea fuit legislatoris civilis intentio, ut declaratio tantum haberet vim *condicionis vel sollemnitatis,* ante quam consensus sponsorum *naturaliter datus* esset *iuridice efficax,* profecto absurditas iuridica in istis legibus non contineretur, sed minus congrua ordinatio, a qua Ecclesia catholica prudentius abstinuit [55].

Multo minus insertio in regesto Status civilis est condicio substantialis, a qua pendeat validitas matrimonii contracti; sed cum eius omissio non levia secum ferat incommoda, certe non est negligenda [56].

200, et art. org. 54, (a. 1802). Quae prohibitio in Italiam non fuit invecta, non obstantibus iteratis tentaminibus. Cfr. Leon. XIII Encycl. « *Ci siamo* » 1 iun. 1879; *Friedberg-Ruffini,* l. c., not. 20; *Scherer,* 222, not. 257; *Rosset,* n. 2316. Cfr. quoque cod. civ. Hisp. art. 77 de *prohibita* celebratione matrimonii *canonici,* nisi exhibita attestatione de invitato officiali civili, non tamen expectando post invitationem ultra tempus celebrationi constitutum.

[54] Cfr. cod. civ. German. §§ 1317 sq. iunct. *Hollweck,* l. c., 138 sq. At cod. civ. Hisp. art. 100, in celebratione matrimonii *civilis* illam ancipitem declarationem officialis civilis non praescribit.

[55] Cfr. cod. civ. Galliae art. 75; *Friedberg-Ruffini,* l. c. not. 19; *Hollweck,* l. c., 139 sq.

[56] Cfr. cod. civ. Hispan. art. 77, 100; *Hollweck,* l. c., 140, 154; *López,* El derecho español, 55 sq.

PARS QUARTA

DE EFFECTIBUS MATRIMONII

CAPUT I

De effectibus qui ex matrimonio oriuntur

597. Fontes: Decret. Grat. Dist. 5, 6; C. XXXII et XXXIII [1]; cap. 5, i. f. X, de eo, qui d. IV, 7.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in l. I, t. 1, v. v. *Schmalzgr.,* n. 312 sq. — *Sánchez,* l. IX; *Van de Burgt,* De matrim., 399 sq.; *Scherer,* 513 sq.; *Leitner,* 526 sq., 548 sq.; *Gasparri,* II, n. 1084 sq.; *Rosset,* n. 3015 sq., 3573 sq. — *Freisen,* 847 sq.; *Esmein,* II, 1 sq.; *Zhishman,* 718 sq.; *Friedberg-Ruffini,* § 157. — *Vlaming,* II, n. 619 sq.; *Chelodi,* n. 148 sq.; *Cappello,* II, n. 735 sq.; *De Smet,* n. 206 sq.

Praenotiones

598. Cum de effectibus matrimonii in coniugibus productis est inquirendum, non pauci illorum potius tractandi sunt a theologis dogmaticis, v. g. de gratia et reviviscentia illius, aut a moralistis, v. g. de obligationibus coniugum [2], aut a doctoribus iuris civilis, v. g. de dote uxoris et bonorum communione, aut etiam a professoribus philosophiae moralis, v. g. de patria potestate et societate coniugali. Quare hoc loco omissis effectibus, qui in praecedentibus vel alibi iam sunt explicati, pauca quaedam

---

[1] Dig. XXV, 3, de agnoscend. et alend. liberis vel parent., 7, de concubinis; L. 8, D. de senator. I, 9; L. 28, D. de relig. II, 7; *Arndts-Serafini,* l. c. §§ 393 sq. — Cod. civ. Ital. art. 143 sq., Austr. §§ 89, 90, Gall. art. 213, 214 sq., Hisp. art. 56 sq., German. §§ 1353 sq.

[2] *Pirhing,* l. c. ante n. 178: « *Quia haec materia* (i. e. de usu matrim.) *magis ad forum internum conscientiae et paenitentiale pertinet quam ad forum ecclesiasticum externum, ideo de illa solum duas quaestiones magis necessarias hoc loco tractabimus, omissis aliis, de quibus videri possunt quae tractantur a theologis passim in tract. de matrimonio* ». Cfr. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1025 sq., II, n. 1064 sq.; *D'Annibale,* P. II, n. 560 sq.

insinuanda restant, quae potius spectant ad forum externum et canonicum.

Si consideretur matrimonium *in fieri* eius intrinsecus et essentialis effectus est matrimonium *in facto esse*, i. e. vinculum coniugale, individua vitae consuetudo, nexus moralis inter coniuges inductus, qui constat variis *iuribus* et *obligationibus* sive inter coniuges *ad invicem* sive circa communem *prolem*.

I. Sub primo capite veniunt: *a*) ius et officium quoad debitum coniugale; *b*) ius et officium instituendi consortium tori et habitationis; *c*) officium mutuum amorem et adiutorium sibi praestandi sub potestate viri.

II. Sub altero capite venit patria potestas in filios ac ius et officium providendi eius educationi et instructioni.

§ I. De iuribus et officiis coniugum ad invicem

599. Debitum coniugale. Contractus matrimonialis, cuius principale obiectum est mutua traditio iuris in corpora in ordine ad generandam prolem, imprimis illud efficit ut in *utroque* coniuge sit *aequale ius ad debitum coniugale* stricte exigendum, cui iuri in altero coniuge correspondet *obligatio* strictae iustitiae reddendi debitum exactum [3], nisi iusta causa excuset [4]. Quod ius cum c. 1111 dicatur utrique coniugi inesse *ab ipso matrimonii initio*, inde abrogatum manet ius recusandi debitum per *primum bimestre*, quo iure Decretalium [5] fruebatur coniux, dum de capessenda religione deliberabat; quin potius iure Codicis status matrimonialis est impedimentum arcens ab ingressu in religionem, nisi obtenta fuerit dispensatio (c. 542).

At *exercitium* iuris exigendi debitum, manente iure *radicali* in coniugibus, cessare [6] vel saltem ad tempus suspendi [7] potest. Praeterea ipsa *facultas petendi* debitum in coniuge, v. g. vovente

---

[3] I Corinth. VII, 3; *S. Thomas*, P. III, Suppl. q. 64; *Sánchez*, l. IX, disp. 1 sq.; *Rosset*, n. 3016; *Freisen*, 847; *Esmein*, II, 8 sq.

[4] *Esbach*, Disput., 75 sq.; *Capellman*, Medicina pastor., 132 sq.; *Esmein.*, l. c., 12 sq.; *Rosset*, n. 3188 sq.

[5] Caput 2, 7, 14, X, de conv. coniug. III, 32; cap. 16, X, de sponsal. IV 1; *Rosset*, n. 687 sq.

[6] V. gr. si superveniat certa impotentia perfecta et perpetua vel votum castitatis perpetuum.

[7] V. gr. ob votum castitatis temporaneum, ob morbum vel periculum vitae in reddente, ob superveniens dubium de valore matrimonii, praesertim de non soluto priore ligamine.

castitatem [8], ita potest esse sublata, donec eidem fuerit legitime restituta [9], ut in ipso maneat saltem *obligatio reddendi*, et alter coniux omnino retineat strictum *ius* vere *exigendi* debitum [10]. Immo fieri potest ut una pars retineat quidem aliquam facultatem *petendi* debitum, sed non amplius *ius* strictum *exigendi* ab altera parte, si nimirum adulterium commisit cum persona sive plane *extranea* sive consanguinea aut affini [11].

Obligatio quoque *reddendi* debitum in coniugibus potest cessare vel saltem ad tempus suspendi. Id fit generatim omnibus in casibus, quibus in altera parte *ius* quoddam *strictum exigendi* non existit. Quare *obligatio* illa *reddendi* debitum ex *iustitia* in aliquo coniuge non habetur, si altera pars *adulterium* commisit, unde coniugi innocenti ex iure naturali et divino tribuitur ius sese in perpetuum ab altero separandi, salvo tamen vinculo coniugali, *vel* in perpetuum aut ad tempus per legitimam iudicis ecclesiastici sententiam a toro et mensa compartis fuit separata. At obligatio *reddendi* debitum non cessat, si altera pars *voto castitatis* ligata illud petat. Cfr. *Rosset*, n. 3191 sq., cum plerisque doctoribus; aliter *Scherer*, 516, not. 13, cum compluribus antiquis scriptoribus.

Si una pars de *morte* prioris coniugis probabiliter dubitans nihilominus mala fide celebret nuptias, alteri parti in bona fide constitutae debitum reddere tenetur; at ipsa dum perseverat dubium exigere nequit [12]. Nam prior pars non est spolianda sua

---

[8] Cap. 3, 12, X, de convers. coniug. III, 32; *Rosset*, n. 1229 sq., 3042 sq., 3190 sq.

[9] Quae restitutio iuris in coniuge *voto* ligato potest tantum fieri per veram *dispensationem* legitime obtentam sive a R. Pontifice, v. g. per S. Paenitentiariam, sive ab Episcopis *saltem* vi facultatum a S. Paenitentiaria ipsis concessarum. Cfr. *Rosset*, n. 2384 sq.; *Feije*, n. 639; Collat. Brug. XXIII, 161 sq.

[10] Cfr. cap. 4, 10, 11, X, de eo, qui cogn. IV, 13.

[11] Iure Decretalium in adulterum *incestuosum* erat constituta vera *poena privationis* facultatis petendi debitum, quae a parte laesa per remissionem iniuriae relaxari non poterat, sed relaxatio obtineri debebat a R. Pontifice, in casu occulto per S. Paenitentiariam, vel ab aliis acceptam facultatem habentibus. Cfr. cap. 15, 16, 19, X, de conv. coniug.; *Hollweck*, D. k. Strafg., 268. Quae *poena* ob silentium Codicis manet abrogata (cfr. c. 6, n. 5) et adulter incestuosus, sicut quilibet adulter, ob remissionem a parte laesa factam potest facultatem petendi recuperare, salvo stricto iure naturali partis innocentis remissionem denegandi et instituendi divortium etiam perpetuum a toro et cohabitatione (c. 1129).

[12] Cap. 2, X, de secund. nupt. IV, 21 iunct. cap. 44, X, de sent. ex-

possessione bona fide retenta, quandiu de nullitate matrimonii non constat; altera vero pars nequit uti iure, quod certo non possidet; prius enim matrimonium valide contractum contra ipsum est in possessione, donec de solutione certo non constet. Eadem norma est servanda, si matrimonium bona fide fuerit celebratum, atque uni coniugi probabile dubium de morte prioris compartis superveniat. Quodsi utraque pars sit in isto dubio, neutra potest debitum reddere vel postulare.

Quae in casu dubii de morte prioris coniugis circa redditionem et petitionem debiti coniugalis valent, ea saltem retinenda sunt, si propter aliud impedimentum dirimens uni ex partibus sive ante nuptias sive postea occurrant probabilia dubia de valore matrimonii, quae etiam diligente disquisitione facta perdurent in matrimonio iam contracto. Qua in re inter doctores unice existit controversia, utrum pars dubitans, si post diligentem explorationem dubium maneat, solummodo *reddere* teneatur debitum an illud etiam *exigere* possit. *Cui* quaesito quoad secundam partem *practice* affirmativum responsum videtur esse dandum [13]. Alia non pauca, quae in antiquis libris paenitentialibus et fontibus iuris particularibus de *omittendo* debito coniugali — non raro perperam — statuta erant (cfr. Instr. S. C. de Prop. F., 19 apr. 1784), nostra aetate practica utilitate carent; alia per se patent ex ipso tenore decisionum atque certe in iure canonico non sunt longe lateque explicanda [14].

com. V, 39; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 1, n. 324 sq.; *Rosset*, n. 3021 sq., 3036; *Gasparri*, II, n. 1299, ubi illud addendum, quod *certum* impedimentum per dispensationem *dubie* validam non possit haberi certo ablatum, ut scite etiam animadvertit *Rosset*.

[13] Cap. 44, X, de sent. excom. V, 39, atque auctoritas antiquorum doctorum, v. g. S. Thomae, S. Bonaventurae, S. Antonini, in favorem sententiae negantis allegantur. Cfr. *Rosset*, n. 3025 sq. At affirmans sententia Sánchez, S. Alphonsi aliorumque extrinseca et intrinseca probabilitate vere solida non caret; certa igitur obligatio non petendi debitum nequit imponi.

Scherer, l. c., 525, not. 45, opinatur *distinctionem*, vi cuius coniux de valore matrimonii sui dubitans potest debitum coniugale reddere, sed non petere, occurrere practicis necessitatibus, sed *obiective nullo modo esse fundatam*. Quae distinctio cap. 2, X, de secund. nupt. IV, 21 et cap. 44, X, de sent. excom. V, 39, aperte tanquam norma generalis traditur et practice applicatur; at quae in duabus legibus universalibus Ecclesiae in materia morum fuerunt statuta, certe non sunt obiective nullo modo fundata. Praeterea eandem distinctionem theologi et canonistae communi consensu retinent solideque probant; probabilis vero ratio in contrarium hucusque non est allata. Quare huic opinioni calculus adici nequit.

[14] *Freisen*, 850 sq.; *Rosset*, n. 3078 sq.; *Scherer*, 517 sq.

De debito coniugali sub aspectu potius ethico quam iuridico consulendi sunt doctores theologiae moralis. Cfr. *Vlaming*, II, n. 629 sq.; *Vermeersch*, De castitate, n. 233 sq. [15].

600. Cohabitatio. Coniuges cum debito coniugali regulariter et convenienter satisfacere non possint sine *cohabitatione*, ex fundamentali illo iure et officio vitae maritalis etiam obstricti sunt iure oneroso, ut non tantum in eadem domo utantur *communi habitatione*, sed etiam communi *mensa* et *toro*, nisi in casibus a iure exceptis. Quae assidua cohabitatio et communio tori et mensae pertinent ad *integritatem* individuae vitae, non ad essentiam vitae coniugalis, idoeque interdum in casu particulari ex causa proportionata abesse possunt, velut in matrimonio conscientiae, et obligatio iustitiae ad ipsas quandam latitudinem admittit. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, n. 387 sq.

601. Potestas maritalis. Maritus ex legitimo matrimonio consequitur potestatem *maritalem*, non dominium in uxorem tanquam in servam; videlicet constituitur *caput uxoris*, quae ei in gubernatione rei domesticae et totius familiae vere subicitur [16]. Cui potestati mariti gravia quoque adnexa sunt *officia*, v. g. protegendi atque alendi uxorem et liberos. Quae potestas *maritalis* sicut et *patria in liberos*, cum in ipso *iure naturali* [17] suum fun-

[15] Legitimo carnali consortio praesertim opposita sunt duo delicta, sc. *onanismus* et *abortus*, de quibus sub ratione peccati videndi sunt moralistae; sub ratione delicti et poenae in iure poenali erit agendum.

[16] Cfr. c. 12 sq., C. XXXIII, q. 5; *Schmalzgr.*, n. 338 sq.; *Rosset*, n. 3861 sq.; *Cathrein*, 416 sq.; *Gasparolo*, Ius civile romanum, I, 55 sq.; 109 sq.; 224 sq. Quae potestas mere maritalis, quatenus etiam continet moderatam potestatem coercitivam (cfr. c. 10, C. XXXIII, q. 2 = c. 7, Conc. Tolet. I, a. 400), nequaquam sese extendit ad ius uxorem, etiam in adulterio deprehensam, occidendi. Cfr. c. 6, C. XXXIII, q. 2 iunct. *Srdralek*, in Arch. f. k. K. XLVII, 177 sq., 197, not. 3. At certe comprehendit ius ad debitam reverentiam, oboedientiam, et congruum laborem uxoris. Cfr. c. 12, C. XXXIII, q. 5 (S. Aug.). Hinc maritus pro sua potestate maritali etiam irritare valet saltem illa uxoris vota, quae suis iuribus obstant. Cfr. c. 16, C. XXXIII, q. 5 (S. August.) cum dicto Grat. post c. 20; *Rosset*, n. 3046 sq., 3064.

[17] Bened. XIV Const. « *Postremo* », 28 febr. 1747 § 9 docet: *Compertum est patriam potestatem neque ad ius divinum positivum neque ad ius naturale neque ad ius gentium pertinere, sed iuris, ut aiunt*, **humani Romani** *esse*.

Quae verba in se aliquantulum difficilia, si in contextu partis historicae spectantur, potius referunt sententias aliorum; certe Benedict. XIV in Const. « *Probe te* » §§ 19, 26 disertis verbis tradit doctrinam, aliunde indubitatam, quod patria potestas nitatur iure naturali. Cfr. *Cathrein*, 429 sq. At exorbitans illa patria potestas apud antiquos romanos et sinenses aliosque populos recepta, v. g. ius occidendi vel vendendi liberos, in

damentum habeat, legibus humanis aut pactis privatis tolli vel limitari *arbitraria ratione* non potest; at *ordinatio* illorum iurium mariti per leges convenientes potestatis civilis non est exclusa[18].

Uxor licet marito sit *subiecta*, tamen vi legitimi matrimonii efficitur coniux viri, non mera concubina, est *socia* mariti, non ancilla, fit mater legitima prolis natae, cui partes in illa educanda *dependenter* a patre iure naturali vere sunt propriae[19]. Praeterea uxor consequitur ius ad *alimenta* a viro percipienda et quoad effectus canonicos particeps efficitur status mariti. Quare acquirit *domicilium mariti* (c. 93) atque *forum* cum ipso commune sortitur (c. 1561); transire potest ad ritum mariti (c. 98 § 4); non electa sepultura, tumulatur in sepulcro mariti (c. 1229 § 2); participat quoque cum marito in *dignitate* et *nobilitate*[20], nisi propter disparagium aliasque iuris sanctiones aliter cautum sit. Exinde quoque deducitur uxori incumbere obligationem *regulariter sequendi domicilium*[21], quod maritus tanquam caput familiae ex communiter contingentibus determinare potest, nisi pactis nuptialibus aliter conventum sit[22].

---

iure naturali non solum nullum habet fundamentum, sed eidem omnino est contraria. Fatendum quoque est tempore medii aevi patres in conciliandis sponsalibus et matrimoniis et offerendis filiis ad monasteria non raro ultra legitimos limites sua iura extendisse. Quare quae *Rosset*, n. 3695, de « *varia extensione* » potestatis patriae refert, *contra* limites iure naturali statutos nequeunt admitti, v. g. in sponsis et oblatis, ut patet ex ipsa doctrina S. Thomae. Cfr. *Wernz*, Ius Decretal. III, n. 628. Similiter si Benedictus XIV in parte historica et expositiva Const. « *Probe te* », 15 dec. 1751, § 3 sq., de antiqua disciplina oblatorum in rigidiorem sententiam videatur inclinare, certe nihil approbavit iuri naturali contrarium.

[18] Cfr. Leon. XIII Encycl. « *Rerum novarum* » 15 maii 1891; Pii XI Encycl. « *Casti connubii* », 31 dec. 1930. Cfr. speciatim de cessatione potestatis patriae: cap. unic. de infant. V, 11; Benedict. XIV cit. Const. « *Probe te* » § 14; *Schmalzgr.*, n. 344 sq.; *Arndts-Serafini*, § 426; *Rosset*, n. 3696; *Cathrein*, l. c., 431 sq. (de « *iuribus* » parentum et liberorum inter se).

[19] Cap. 2, X, de convers. infid. III, 33; Bened. XIV cit. Const. « *Probe te* » §§ 18 sq.; Leon. XIII Encycl. « *Arcanum* » 10 febr. 1880; Pius XI, Encycl. « *Casti connubii* », 31 dec. 1930; *Schmalzgr.*, l. c., n. 344 sq.; *Leitner*, l. c., 556 sq.; *Rosset*, l. c., n. 3565 sq.; *Cathrein*, l. c., 416 sq., 429 sq. Quibus ex principiis stabilitis evidenter patet, quid de « *emancipatione mulierum* » praesertim in societate *coniugali* sit iudicandum. Cfr. *Cathrein*, l. c., 418 sq.; *Leitner*, 558 sq.

[20] L. 13, Cod. de dignit. XII, 1; Instr. S. C. de Prop. F. (a. 1883), n. 2; *Schmalzgr.*, n. 350; *Rosset*, n. 3698 sq.; ASS. II, 141.

[21] Cfr. *Schmalzgr.*, n. 339 sq.; *Sánchez*, l. I, disp. 41.

[22] Cfr. de vi et ambitu obligationis talis clausulae pactis nuptialibus additae: *Sánchez*, lib. I, disp. 40; *Schmalzgr.*, n. 340; *Rosset*, n. 3565,

§ II. De iuribus et officiis coniugum relate ad prolem

602. Patria potestas. Cum matrimonium ordinetur a natura ad prolem generandam et educandam, prole per generationem habita, sequitur tanquam effectus connaturalis matrimonii ius et officium coniugum debitam educationem proli tribuendi; quae educatio cum fieri non possit sine auctoritate, parentibus naturalis in filios potestas competit, quae patria potestas dicitur et in iure naturali fundatur[23]. Ea per se utrique parenti competit, cum ab utroque filii tanquam a principio dependeant et utriusque cooperationem ipsa educationis natura exigat; in qua ut unitas servetur et supposita naturali subiectione uxoris ad virum primas partes et quasi primatum auctoritatis habet pater, familiae caput, ex quo etiam derivatur appellatio *patriae potestatis*; qui naturalis ordo non impedit quominus in aetate infantili liberi praecipue maternae curae et sollicitudini committantur.

Cuius potestatis limites definiuntur ex fine educationis seu traductionis prolis ad statum perfectum hominis in quantum homo est, neque sese extendit ad ea quae sunt contra vel etiam praeter educationis finem, v. gr. ad praefigendum et imponendum filiis determinatum *statum vitae*[24].

Huiusmodi parentalis auctoritas, licet sit quoad substantiam naturalis, nihil impedit quominus possit quoad respectum religiosum et socialem legibus humanis magis definiri, ordinari, ampliari, non autem arbitraria ratione limitari et eo minus penitus tolli.

Hoc autem ius parentum in filios simul est officium: « *parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi* » (c. 1113).

Quae obligatio parentum importat specialem curam circa *corpus* et circa *animam*.

Circa corpus. Iam *proles concepta* ab omni nocumento est servanda immunis atque praesertim arcendum periculum abortus[25]; multo magis proles iam *nata* debet sustentari praestitis alimentis aliisque physicae educationis adminiculis pro paren-

---

3690 sq. In admittendo valore talis clausulae non omnes leges civiles conveniunt. Cfr. *Friedberg-Ruffini*, § 157, not. 12.

[23] *Meyer*, Ius nat., II, 101 sq.; *S. Thomas*, Contra gent. libr. III, cap. 122; *Cathrein*, 431 sq.; *Rosset*, n. 3696; *Vlaming*, II, n. 660 sq.

[24] *Vlaming*, II, n. 665.

[25] *Vlaming*, II, n. 671, ubi simul agit de abortu voluntario.

tum condicione et fortuna; demum parentum est providere pro viribus, ut filii postea possint subsidia vitae sibi comparare sive bonis hereditariis relictis sive per exercitam artem manualem aut aliam professionem, ad quam convenienti instructione fuerint praeparati.

Circa animam. Parentes tenentur prolem educare educatione civili, morali et religiosa. Educatio civilis est illa parentum cura, qua pro viribus et secundum exigentiam propriae condicionis debent filios perducere ad perfectum statum civis seu membri societatis, cuius praecipua pars est ipsorum institutio seu instructio in scholis. Quae educatio *civilis* debet esse coniuncta cum educatione *morali* et *religiosa*, est enim educatio hominis *moralitatis* capacis nec separari proinde possunt evolutio et cultus intellectus et voluntatis; porro cuiuslibet moralis obligationis principium efficax et vindex Deus est, ideoque nulla voluntatis ad moralitatem informatio vera fieri potest, nisi habita ratione principiorum religiosorum, quae principia religiosa in homine, ad ordinem supernaturalem elevato, petenda sunt ab unica vera religione revelata seu ab Ecclesia catholica [26].

In particulari parentibus incumbit obligatio ut filii quamprimum baptizentur (c. 770); ut catechetica institutione erudiantur (c. 1335, 1372 § 2); ut aetatem rationis habentes, maxime in mortis periculo, Eucharistiam recipiant (c. 860). Praesertim vero non nisi ad catholicas scholas eos mittere possunt, non ad mixtas vel neutras (c. 1374).

---

[26] Cfr. prop. 48 Syllab.; Leonis XIII Encycl. ad Episc. Galliae, 8 febr. 1884; ad Episc. Austriae, German. et Helvetior., 1 aug. 1897; ad Episc. Canadens., 8 dec. 1897; Instr. S. C. de P. F. ad Episcopos Stat. foeder. Americae Sept., 24 nov. 1875. *Vlaming*, II, n. 667 sq.; *Cappello*, II, 742 sq.

Obligatio parentum concedendi proli, etiam illegitimae, saltem ea quae necessaria sunt ad congruam vitae sustentationem sive *alimentationem*, cum nitatur iure naturali, non potest ulla consuetudine vel lege humana (v. g. lege Romana) abrogari, ideoque etiam iure canonico (et moderno iure civili) expresse inculcatur. Cfr. cap. 5, i. f. X, de eo, qui dux. IV, 7; cap. 13, i. f. X, qui filii IV, 17; *Rosset*, n. 3520 sq., 3534 sq., 3549 sq. iunct. *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. XIII, cap. 24, n. 21; *Lugo*, De iust. et iure disp. 24, n. 120 sq. Cfr. quoque Benedict. XIV Const. «*Probe te*» 15 dec. 1751, § 23 (de obligatione matris) iunct. *Rosset*, n. 3529, 3555 sq.; *Leitner*, 550; Concil. Trid. Sess. XXV, cap. 18 de regular. (de libertate liberor. ad matrimon. contrah. vel statum perfectiorem) iunct. *Rosset*, n. 3535 sq.; *Leitner*, l. c., 555; Benedict. XIV Const «*Satis vobis*» 17 nov. 1741, § 9 (de iure liberorum ad hereditatem paternam) iunct. *Rosset*, l. c., n. 3549 sq.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad §§ 2303 sq.; *Vering*, Gesch. u. Pand. §§ 233 sq.

603. Scholion I. Codices civiles cum universum negotium matrimonii ordinandi in se suscepissent, etiam de effectibus contractus matrimonialis multiplices condiderunt leges. Quae leges civiles suo valore et honestate non carent, si supposita validitate et honestate matrimonii christiani ab auctoritate ecclesiastica ordinanda et diudicanda solummodo ad *effectus mere civiles* rite ordinandos sese extendunt. At de facto gubernatores civiles ad eos quoque effectus matrimonii christiani suam studuerunt porrigere potestatem, in quos *iurisdictione competente* sunt destituti. Immo istae leges civiles, si iam ob defectum *competentis* potestatis *invalide* fuerunt latae, quandoque etiam *materialiter* spectatae iuri divino et canonico sunt contrariae. Cfr. v. g. cod. civ. Gall. art. 203 iunct. *Allègre*, l. c., I, 108 sq., Austr. §§ 80 sq.; 139 sq.; German. §§ 10, 11, 1353 sq., 1616 sq. iunct. *Hollweck*, D. Civileher., 156 sq. et *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad cit. §§ cod. civ. Germ.; *Leitner*, 565 sq.; *Scherer*, 533 sq. Cfr. quoque cod. crimin. German., §§ 180, 181 iunct. *Berner*, Lehrb. d. d. Strafr., 432 sq.

604. Scholion II. Ecclesia est per se competens ad diudicandas non solum *principales* causas matrimoniales, sed etiam *incidentes* de *bonis temporalibus* (cc. 1553, 1554) [27]. Quare cum huiusmodi controversiae de bonis temporalibus et praesertim de dote restituenda potissimum inciderent in causis divortii, ideo iam in quinque compilationibus antiquis immediate post titulum de divortiis subiungebatur titulus de dote post divortium restituenda [28]. At auctores nequaquam ad solam disputationem de dotis restitutione suas disquisitiones canonicas limitarunt, praesertim postquam ipse S. Raymundus rubricam antiquarum collectionum immutavit [29] et tempore medii aevi Ecclesia in omnes illas causas accessorias causarum matrimonialium, v. g. de compensatione damni vel dotatione propter sponsalia, de iure et obligatione alimentationis, de donationibus propter nuptias, de hereditaria successione, de divisione bonorum, de assignatione domicilii suam iurisdictionem extendit. Quibus in controversiis accessoriis dirimendis in foro ecclesiastico adoptatum fuerat ius *Romanum*, quod plerumque iustitiae et aequitati naturali in hac re omnino fuit conforme; at Ecclesia simul **consuetudines legitimas**

---

[27] Cap. 1, 5, 7, X, qui filii IV, 17; cap. 3, X, de donat. IV, 20.
[28] Cpl. I, tit. 21, II, 14; III, 15; V, 3.
[29] Decret. Greg. IX, lib. IV, tit. 20 de donat. inter virum et uxor. et de dote post divort. restit.

forte diversas et pacta specialia non reprobavit[30]. Causae illae accessoriae de effectibus civilibus cum ex *natura sua* Ecclesiae non sint necessario propriae et reservatae, nostra aetate in foro *saeculari* definiuntur secundum leges civiles uniuscuiusque regionis. Quam praxim Ecclesia non solum non reprobavit, sed expresse ratam habuit[31], dummodo leges illae civiles *aequitati naturali* essent conformes. Immo in Instr. Card. Rauscher § 244, praescribebatur, si iudices ecclesiastici eligantur arbitri in litibus de effectibus civilibus matrimonii, ut « *in arbitrio dando leges austriacae pro norma teneantur* ». Hinc nostra aetate tota haec quaestio, ut a tribunalibus ecclesiasticis, ita etiam a scholis canonicis est aliena et potius professoribus iuris civilis est relinquenda. Qua disciplinae ecclesiasticae immutatione nihil est imminutum ius indubitatum Ecclesiae *authentice* et *infallibiliter* declarandi (cfr. cap. 10, X, de cons. I, 4), utrum leges civiles hac in materia latae conformes sint supremis principiis iustitiae et honestatis necne[32]. Qua de re *theologi* in suis tract. de iust. et iure solent disputare.

CAPUT II

De speciali effectu legitimitatis prolis

605. Fontes: Dist. 26, c. 3; Dist. 34, c. 13 (Innoc. I); c. 8 sq., C. XXXII, q. 4; c. unic. C. XXXV, q. 7. — Cpl. I, lib. IV, tit. 18, q. f. s. 1; cpl. II, lib. IV. tit. 11 eod.; cpl. III, lib. IV, tit. 12 eod. — Decretal. Gregor. X, lib. IV, tit. 17, q. f. s. 1; cap. 3, X, de cl. d. IV, 3; cap. 3, 6, X, de eo, qui IV, 2; IV, 17, q. f. s. 1; cap. unic. de cons. IV, unic. in Clem. — Pii IV Const « *Quamvis* » 1 ian. 1561; Bened. XIV epist. « *Redditae* » 5 dec. 1744. Cfr. Decret. Clem. P. VIII, l. IV, tit. 6, ed. *Sentis*, 156. — S. C. C. in caus. Verulana, 9 aug. 1884, in ASS. XVII, 378 sq.; cfr. quoque I, 350 sq.[1].

[30] Cfr. *Freisen*, 1, 48 sq., 94 sq., 112 sq., cum correct. fact. in Arch. f. k. K. LXV, 356 sq.; *Esmein*, I, 103, 209; II, 45 et alibi; *Zhishman*, 647 sq., 792 sq,

[31] *Nussi*, Conventiones, 171, 193 (convent. cum Etruria a. 1851), 209 (convent. cum Austr. a. 1855), 201, 202.

[32] Cfr. *Allègre*, l. c. in cit. art. cod. civ. Gall.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. in cit. §§ cod. civ. Germ. praesertim in §§ 2303 sq. de parte *legitima* filiorum iunct. *Cathrein*, l. c., 334 sq., 431 sq.; *Rosset*, n. 3523 sq., 3549. Cfr. v. g. cap. 5, X, de eo, qui dux. IV, 7 iunct. *Rosset*, n. 3527 sq. et *Lehmkuhl*, l. c. § 1708.

[1] Cod. V, 27 de naturalib. liberis ... et ex quib. caus. iusti efficiantur; Novell. 74, 80, 84, 89; *Arndts-Serafini*, § 411; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 237; *Zhishman*, 723 sq.; cod. civ. Ital. art. 231 sq., Gall. art. 312 sq., Austr. §§ 137 sq., German. §§ 1589 sq.

Scriptores: Commentator. iur. Decretal. in IV, 12. — *Aichner*, § 195; *Scherer*, 518 sq. — *S. Raym.*, lib. IV, tit. 24; *Roland.*, l. c., 231 sq.; *Bernard Pap.*, 182 sq., *Tancred.*, l. c., 104 sq., tit. 38 qui fil. sint leg. et qualiter non leg. legitimantur. — *Sánchez*, lib. VIII, disp. 7; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 24, n. 11, Quaest. can. 174; *Giovine*, De dispensat. II, 158 sq. *Schulte*, § 49; *Génestal*, La légitimation des enfants natur. en droit canon.; *Gasparri*, II, n. 1307 sq., 1385 sq.; *Rosset*, n. 3419 sq.; *Leitner*, 562 sq.; *Boenninghausen*, De irregular., fasc. III, 5 sq.; *Freisen*, 857 sq.; *Esmein*, II, 29 sq. — Post Codicem; *De Smet*, l. c., n. 281 sq.; *Chelodi*, n. 150 sq. — *Cappello*, II, n. 735 sq.

Praenotiones

606. Conexio materiae. Post explicatos effectus, quos legitimum matrimonium *in coniugibus* producit, disserendum est de *effectibus* matrimonii *in prole*. Principalem locum inter illos occupat *legitimitas* natalium, sive ex ipso matrimonio valido necessario secuta sive iuris beneficio quaesita.

607. Definitio. Filius *legitimus*, quatenus opponitur illegitimo, non naturali, est filius qui procreatus est *ex* matrimonio *vere* aut *putative* iusto sive valido, nisi parentibus ob professionem sollemnem vel ordinem sacrum prohibitus fuerit tempore conceptionis usus matrimonii antea contracti. Hinc filii *illegitimi* sunt omnes illi qui *ex* nuptiis vere vel putative iustis non sunt nati, sed *extra* matrimonium procreati[2]. Qui filii legitimi quandoque dicuntur filii *legitimi et naturales*, ut distinguantur a filiis *legitimis tantum*, qui a parentibus non *naturali generatione* in matrimonio vere vel putative iusto fuerunt procreati, sed *legis* beneficio per adoptionem quaesiti.

[2] *Rosset*, n. 3421 (iunct. n. 3549), *legitimitatem* prolis non tam *a natura* quam *a lege* introductam esse putat et ad comprobandam suam sententiam allegat verba Bened. XIV, in epist. « *Redditae* », 5 dec. 1744, § 39: qua in re videtur propugnare opinionem saltem obscuram et non satis conexam (cfr. n. 3549), atque in cit. epist. R. P. certe non fundatam. Nam proles nata ex *valido* matrimonio sive inter christianos sive inter infideles (cfr. cap. 15, X, h. t. Decret. *Schmalzgr.*, h. t. n. 20 sq.) contracto ex natura rei et necessario debet haberi legitima, i. e. intra matrimonium, *non extra matrimonium* genita, salvis *quibusdam* effectibus *separabilibus*, qui pendent a iure positivo. Porro Benedictus XIV, l. c., non loquitur de legitimitate prolis, sed de *legitimatione* per *subsequens matrimonium*. Quae *legitimatio* prolis iam susceptae non datur ex propria vi sacramenti matrimonii fidelium nec ex propria vi matrimonialis contractus *validi* inter infideles, sed unice per *auctoritatem publicam* in utroque foro constitutam in ordine ad effectus unicuique iure proprio subordinatos. Cfr. quoque *Cathrein*, l. c., 342.

608. Divisio. I. Distinguendi sunt: filii *legitimi*, qui ex modo quo orti sunt, tales habentur; et filii *legitimati* qui ex facto ortum consequente aequiparantur legitimis quoad effectus iuridicos.

II. Dicitur legitimus *plenissimo iure*, qui talis est quoad omnes effectus canonicos et civiles; *minus pleno iure*, qui talis est quoad solos effectus *canonicos*, sed non quoad *omnes* effectus *civiles* veluti filii nati ex matrimonio morganatico.

Filii *illegitimi* sunt aut *naturales* aut *spurii*. Ex iure canonico dicuntur filii *naturales* omnes, qui *extra* matrimonium procreati sunt a personis, inter quas *aut* tempore conceptionis — aut nativitatis aut intermedio inter utramque — matrimonium validum consistere potuisset [3].

E contra *spuriis* filiis adnumerantur omnes illi, qui nati sunt a parentibus, inter quos propter impedimentum *dirimens* neque matrimonium validum unquam exstitit neque consistere potuit toto tempore a conceptione usque ad nativitatem. Quare filii nati ex matrimonio valide, sed illicite contracto, cum obstaret solummodo impedimentum *prohibens*, v. g. mixtae religionis, voti *simplicis* castitatis — salva exceptione in Soc. Iesu — vere sunt *legitimi*, non illegitimi vel spurii.

Spurii vero *subdividuntur* in *adulterinos*, qui ex duobus vel saltem altero coniugato in adulterio procreati sunt, *in sacrilegos*, qui nati ex religioso vel moniali *sollemniter* professis vel ex clerico in *sacris* constituto, *in incestuosos*, qui suscepti sunt ex consanguineis vel affinibus in linea collaterali, *in nefarios*, qui geniti sunt ab ascendentibus vel descendentibus in linea recta [4].

609. Notae historicae. I. Cum inquisitio fit historica qui filii habiti fuerint *legitimi*, responsio intime conexa est cum altero quaesito, quodnam matrimonium fuerit *legitimum*. Cui quaestioni diversa plane ratione est respondendum; mirum igitur non

---

[3] *Schmalzgr.*, h. t. n. 5 sq. Cfr. quoque summar. cap. 1, 6, X, h. t. et part. hist. cap. 3, X, h. t.

[4] Concedendum tamen est hanc terminologiam in praxi et iure non semper rigorose fuisse retentam. Cfr. *Freisen*, 864; *Zhishman*, 724; *Schulte*, l. c. not. 13. Auctores quidam antiquiores perperam negarunt filios procreatos a clericis coniugatis et in sacris ordinibus constitutis esse sacrilegos. Nam illi clerici, saltem in Ecclesia latina, ex sententia communiore certe implicite emittunt *sollemne votum castitatis*, ex statuto Ecclesiae ipsi ordini sacro adnexum: praeterea etiam per violationem *legis* caelibatus propter *religionem* latae committunt *sacrilegium*. Cap. 6, X, de big. 1, 21, *simplex fornicatio* presbyterorum opponitur aliis delictis carnis, v. g. matrimonio attentato, non vero negatur eam esse *sacrilegam*. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 7; *Rosset*, n. 3423, 3430.

est diversas quoque extitisse acceptiones *filii legitimi* [5]. Paulatim vero in foro *ecclesiastico* maxime illa significatio fuit recepta, quod filius legitimus is tantum diceretur, qui natus esset ex matrimonio *coram Deo* et in facie *Ecclesiae valide contracto*, quamvis illae nuptiae in foro *civili* nullatenus aut quoad complures effectus civiles non essent iustae. Cfr. *Freisen*, 857 sq. Crescente in dies numero impedimentorum ecclesiasticorum facilius fieri potuit, ut matrimonium *bona fide* ab utroque coniuge aut saltem ab uno ignaro impedimenti cuiusdam dirimentis invalide celebraretur. Durius videbatur atque aequitati naturali contrarium, si numerosa proles ex tali matrimonio *putativo* sive ex fornicatione tantum *materiali* suscepta, post detectum errorem, declararetur illegitima et aequipararetur proli ex turpi et *formali* fornicatione natae.

Cui incommodo in legibus romanis ipsa iuris dispositione non fuit satis provisum [6]. At Ecclesia, pro sua perfecta et independenti potestate, de matrimonio putativo et legitimitate prolis ex eo genitae paulatim leges aequissimas et sapientissimas condidit [7]. Optimo enim iure inde a primis saeculis multum detulit bonae fidei atque ignorantiae inculpabili circa impedimenta matrimonii [8]. Quem favorem *coniugibus* concessum *proli* susceptae denegare non potuit [9].

Prima vice hanc quaestionem de vi matrimonii *putativi* ut inter doctores agitatam neque concordi sententia solutam videtur commemorare *Petrus Lombardus*, lib. IV, D. 41. Disertis verbis vero *Rolandus* filios natos ex matrimonio invalido, sed *bona fide* et *in facie Ecclesiae* celebrato, appellat legitimos [10]. Quae doctrina postea etiam in Decretalibus Alexandri III, Coelestini III, Innocentii III [11], adoptata est, sed alterum requisitum de celebratione « *in facie Ecclesiae* » in Concilio Lateranensi IV, (a. 1215) = cap. 3, X, de cland. desp. IV, 3, et multo magis in Concilio Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr. accuratius determinatum est [12], sicuti controversiae inter doctores de necessitate

---

[5] *Roland.*, l. c. 165, 166, 168; c. 15, C. XXXII, q. 4; *Freisen*, 69, 71 sq.

[6] *Freisen*, 860; L. 57, § 1. D. de vit. nupt. XXIII, 2; L. 4. Cod. de inc. et inut. nupt. V, 5.

[7] Arch. f. k. K. LXV, 390.

[8] Cfr. c. 30 Conc. Epaon. (a. 517); c. 8, C. XXXIV, q. 1.

[9] Cfr. c. 1, C. XXXV, q. 8.

[10] Summa, 231 sq.

[11] Cap. 2, 8, X, IV, 17; cap. 11 X, eod.; cap. 14, X, (a. 1205).

[12] S. C. C. in caus. Hieracen. 1587, in ed. *Richt.* Concil. Trid., 224.

bonae fidei eiusque efficacia in uno solo coniuge iam in iure Decretalium fuerunt solutae [13].

II. Ut parentes liberis orbati per *adoptionem* [14] sibi liberos quaerebant, ita prolem ex *fornicatione* natam per legitimationem subsequentem studebant reddere legitimam. Cuius rei iam in antiquo iure Romano reperiuntur vestigia. Cum filii *illegitimi* ex iure Romano quasi *patre* carerent, *patres* antiquitus solummodo per arrogationem potestatem acquirere poterant. Constantinus M. [15], ut promoveret *legitima matrimonia* et consuleret *proli* innocenti, tanquam novum modum legitimandi *naturales* tantum liberos [16] ex concubinatu iuris Romani [17], introduxit *matrimonium subsequens* cum concubina celebratum. Quam legitimationis formam Iustinianus generali et stabili ratione ratam habuit [18]. Iuri antiquo populorum germanicorum, praesertim anglorum, ut adoptio, ita etiam *legitimatio,* fuit ignota [19].

Antiqui canones non existunt, quibus Ecclesia primis iam saeculis legitimationem per *subsequens* matrimonium etiam in foro *ecclesiastico* expresse constituerit [20]. Primum exemplum, quo

---

[13] Cap. 1, X, de eo, qui dux. IV, 7; *Freisen*, 860.

[14] Cfr. supra, ubi de cogn. legali; *Arndts-Serafini*, §§ 422 sq.

[15] L. 5, Cod. de naturalib. lib. V, 27; *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 547.

[16] *Arndts-Serafini*, l. c. demptis falsis assertionibus quoad ius canonicum.

[17] Cfr. de concubinatu praesertim in iure Romano; *Vering*, l. c. § 220; *Freisen*, 45 sq., cum correctionibus factis in Arch. f. k. K. LXV, 356.

[18] § 13 Inst. de nupt. I, 10; L. 6, 10, 11. Cod. de nat. lib.; Novell. 12, cap. 4; Nov. 18, cap. 11.

[19] *Gerber*, l. c. § 242, not. 6. Quae institutio legitimationis per subsequens matrimonium non videtur placuisse propter practicam sequelam de hereditatibus parentum capiendis per filios ita legitimatos. Cfr. cap. 1, 6, X, h. t. Decret. Qua in re tamen concedendum videtur Gregorii XI Constitutione «*Salvator*», 8 apr. 1374, § 6, art. 10, 11, duas leges speculi saxonici non absolute et simpliciter reprobari, sed propter *excessivum* planeque *iniustum* rigorem etiam in *nascituram* prolem «*indistincte*» statutum, ut patet ex tenore cit. Const.: «*Decimus* (articulus) *Quicumque cognoverit violenter aliquam mulierem, si postea ducat eam,* **nunquam** *ex ea* poterit *prolem legitimam generare. Undecimus* (articulus) *Quod quicumque cognoverit publice uxorem alicuius, vivente marito, si* **post mortem** *mariti talis eam ducat in uxorem,* **nunquam** *ex ea prolem legitimam generabit. Iste enim articulus indistincte et in omni casu intellectus non distinguendo, prout canonice distinguunt saxones, erroneus est*». Quare *Scherer*, 522, not. 34, mentem Gregorii XI non videtur accurate attigisse, si putat R. Pontificem voluisse tantum reprobare, quod filii vere illegitimi iam nati propter subsequens matrimonium non aequipararentur filiis postea legitime ab iisdem parentibus procreatis.

[20] Cuius legitimationis pro clericis tanta non fuit necessitas, cum

Ecclesia institutum istud iuridicum legitimationis iam adoptaverat, est Decretalis Alexandri III, (a. 1159-1181), = cap. 1, X, h. t. At sicut Ecclesia legitimationem per subsequens matrimonium ad solos liberos, qui in iure Romano *naturales* dicebantur, nequaquam restrinxit, ita ad adulterinos et incestuosos aliosque vere spurios *non extendit* [21]. Bernardus Papiensis et Tancredus in suis Summis hunc modum legitimationis ut rem certam et indubitatam recensent, licet de ambitu et vi illius quoad effectus quosdam inter viros doctos non omne dubium fuerit sublatum [22]. Post publicatam compilationem authenticam Gregorii IX, Goffredus de Trano, Innocentius IV, Hostiensis saec. 13, praesertim vero Ioannes Andreae saeculo decimoquarto et Panormit. saec. 15 accuratius de hac re scripserunt. Benedictus XIV [23] contra perversas theorias suo saeculo propagatas vindicare debuit genuinam indolem legitimationis per subsequens matrimonium. Ultimo quoque tempore non defuerunt viri etiam catholici [24], qui derelicta communi sententia [25] canonistarum catholicorum etiam

---

irregularitas ex defectu natalium illo tempore nondum existeret et non nisi saeculo circiter undecimo paulatim introduceretur. Cfr. *Boenningh.*, De irreg., fasc. III, 5 sq.; *Génestal*, l. c., 3 sq.

[21] *Goffred. de Tran.* l. c. lib. I, tit. 17, n. 6; *Panormit.*, l. c. in cap. 6, h. t., n. 14.

[22] *Freisen*, 860 sq. ubi tamen non satis distinguit vim matrimonii *putativi* ab efficacia matrimonii *subsequentis* et ob rationes inefficaces a veteribus canonistis data a communi interpretatione cap. 6, X, h. t. discedit. Sane in matrimonio *putativo* non requiritur ut *potuerit* existere matrimonium inter coniuges *putativos*, et *proles* nata in *tali* matrimonio ex iuris dispositione iam *est* legitimata, non *fit* legitima per *subsequens* matrimonium legitimum forte celebratum. Cfr. cap. 1, de eo, qui dux. IV, 7. Proles nata extra matrimonium validum ex necessaria iuris sequela *non est* legitima, neque *ulla bona fide* effici potest ut vinculum matrimonii, quod tempore conceptionis vel nativitatis *non* existit, revera exstiterit; facta enim infecta fieri non possunt. At quod a *natura* rei negatur, id *legis beneficio* per fictionem iuris obtineri potest, ut proles revera nata *tanquam legitima habeatur* et *tractetur*. Cfr. L. 57, § 1. D. de rit. nupt. XXIII, 2. Qui *favor iuris* certe locum tantum habet in casibus a iure expressis et secundum condiciones a legibus stabilitas, neque extendi potest ad casus ab Ecclesia non intentos, v. g. ad homines ex *mala* sua fide vere *indignos*. Cfr. *Suarez*, De cens. disp. 50, sect. 1, n. 5, 7, 11.

[23] Epist. cit. «*Redditae*»; *Freisen*, 863, recte acath. scriptores refutat.

[24] Quibus auctoribus merito contradicit: *Boenningh.*, l. c., 68 sq. Cfr. quoque *Thesaurus*, De poen. eccl. v. Illegitimi.

[25] Bened. XIV, in cit. epist. «*Redditae*» §§ 8, 41, de vi et auctoritate sententiae communis canonistarum.

ad matrimonium subsequens extenderunt vim legitimandi filios *ex incestu* antea natos.

III. Iustinianus imperator per *rescriptum* quoque principis filios naturales legitimari posse statuit [26]. Qui modus legitimandi secundum analogiam in foro ecclesiastico spectat ad R. Pontificem; at de usu talis iuris veteres canones et scriptores, v. g. Gratianus vel Rolandus vel Bernard. Pap. nihil referunt. *Tancredus,* Summa, 106, primus est, qui provocans ad Decretalem Innocentii III « *Per venerabilem* » [27] inter duos modos legitimationis, « *secundum canones* » recenset secundo loco « *specialem indulgentiam Domini Papae* ». Cum alii scriptores ius R. Pontificis in hac re exaggerarent, Innocentius IV [28], ut doctor privatus, singulari moderatione et perspicuitate illud circumscripsit. Singularis quidem usus illius iuris fit in *convalidatione ordinaria* et in sanatione in *radice* matrimonii invalide contracti, cuius historia infra sub rubrica de convalid. matrim. erit exponenda.

§ I. De filiis legitimis natis ex matrimonio vere vel putative iusto

610. I. Filii *legitimi* sunt in foro ecclesiastico omnes illi, qui *concipiuntur* aut saltem *nascuntur* ex *valido matrimonio,* etsi forte *morganatico* vel *occulte* inito, ut fit in matrimonio conscientiae [29]. Quae qualitas legitimi habetur *ex natura rei* in *conceptis* in valido matrimonio; at in *natis* ex matrimonio, tempore conceptionis aut non existente aut invalido, habetur ex iuris dispositione, qua per iuris fictionem matrimonium tempore nativitatis existens retrotrahitur ad momentum conceptionis. Qui iuris favor, iam in iure Romano contentus — quod merito ab Ecclesia dici debebat canonizatum — nihilominus iure praecedente speculative dubius habebatur, atque Benedictus XIV Const. « *Redditae nobis* », 4 dec. 1744, dubium inferebat ex hoc quod « invenirentur textus contrarii textibus et doctores doctoribus tribunalia tribunalibus adversarentur » [30].

---

[26] Novell. 74; cap. 1, 2; Novell. 89, cap. 1, 10, 41; cod. civil. Ital. art. 280; *Arndts-Serafini,* l. c.

[27] Cap. 13, X, h. t.; *Molitor,* D. Decretale « *Per venerabilem* » v. Innocent. III.

[28] Comment. in cap. *Per venerabilem* h. t., n. 1.

[29] Benedict. XIV Constit. « *Satis vobis* », 17 nov. 1741, § 9, De Synod. dioeces. l. XIII, cap. 23, n. 12.

[30] Cfr. L. 11, C. de natural. lib. et Novell. 89, cap. 8. Non obstante dubio speculativo in praxi proli favebant: *Schmalzgr.,* h. t. Decret n. 9, 10; *Rosset,*

At filiis illegitimis seu extra matrimonium natis quoad effectus *canonicos* — non *civiles* — adnumerandi sunt liberi, qui gignuntur a parentibus *valido* quidem matrimonio coniunctis, sed postquam unus vel uterque coniux emisit *sollemne* votum castitatis in professione religiosa vel maritus in susceptione ordinis sacri. Quae nota illegitimitatis filiorum ex sola Ecclesiae constitutione procedit atque fuit statuta in odium specialis huiusce criminis parentum; nam iure naturali et civili tales filii sunt legitimi; atque ipso iure canonico legitimitati filiorum non obstat usus matrimonii ex alio quovis titulo, v. g. ex voto *simplici* castitatis, illicitus [31].

II. *Legitima* quoque habenda est proles nata ex matrimonio *putativo* sive irrito ob impedimentum occultum, et *bona fide* interveniente ex *una* saltem parte [32]. Quae bona fides non amplius habetur, ubi in utroque parente intercedit ignorantia *affectata,* aut ipso tempore matrimonii *contrahendi* iam adfuit *dubium,* nulla adhibita diligentia examinatum, atque adeo *certa notitia* de impedimento dirimente aut bona fides ante conceptionem iam cessavit [33]. At bona fides non censetur cessasse, si ignorantia vera etiam *iuris* [34] clari intervenerit, vel proles fuerit concepta post litem iam contestatam de nullitate matrimonii et ante sententiam divortii latam, immo post eandem sententiam, quae appellatione fuit suspensa et nondum transiit in rem iudicatam [35].

---

n. 3425 sq., cum *Sánchez, Pirhing, De Angelis, Santi, Scherer* aliique multo communius; aliter *Suarez,* De censur. disp. 50, sect. 1, n. 3, aliique, qui tempus *conceptionis* unice attendendum esse putabant.

[31] Cap. 14, X, de fil. presbyter. I, 17; *Schmalzgr.,* n. 33 sq.; *Rosset,* n. 3444 sq.; *Scherer,* 519, not. 21.

[32] Cap. 2, 8, 10, 14, X, h. t.; cap. 3, X, de cland. desp. IV, 3; Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. matr.; S. C. C. in c. Monac., 3 ian. 1880, 11 dec. 1880; *Schmalzgr.,* h. t., n. 11 sq.; *Scherer,* 531 sq.; *Rosset,* n. 3431, 3435 sq. Paulo aliter *Suarez,* De cens. disp. 50, sect. 1, n. 10, qui cum aliis putat prolem esse *legitimam,* si nata sit ex matrimonio contracto cum impedimento culpabiliter omissis bannis, sed servata in reliquis forma Tridentina. Cfr. quoque cap. 2, X, de cland. despons. IV, 3, iunct. cap. 9, X, h. t. de effectu approbationis Ecclesiae alicuius matrimonii clandestini nulliter celebrati in territorio a cap. *Tametsi* exempto. Cfr. *Rosset,* n. 3437 sq.

[33] Cfr. cap. 3, X, de cland. desp. IV, 3, iunct. cap. 10, X, IV, 17; *Gasparri,* II, n. 1117; *Rosset,* n. 3442 sq.

[34] Resp. datum a Gregor. XIII Maronitis; *Schmalzgr.,* h. t. n. 22, 27 sq.; *Boenningh.,* l. c., 23; *Rosset,* n. 3440 sq., aliique nunc communiter.

[35] Cap. 2, X, h. t. iunct. cap. 2, ut lite pend. II, 16, (de acc. propt. adulterium); *Schmalzgr.,* n. 13, 14; *Rosset,* n. 3434.

Quae legitimatio prolis in favorem liberorum innocentium et propter honorem nuptiarum, publice praesertim in facie Ecclesiae celebratarum, necnon in solatium et commodum parentum, e quibus non raro uterque aut saepe saltem *unus* est in bona fide, ab *Ecclesiae constitutione* est derivanda[36].

Iure praecedente requirebatur ut matrimonium initum fuisset publice seu praemissis proclamationibus et servata forma Tridentina pro matrimoniis ipsi obnoxiis, non clandestine nec contradicente Ecclesia[37]. Quae condicio, in quantum bona fides etiam omissa forma possit dari, ob silentium Codicis in c. 1114 non amplius videtur stricte esse requisita[38]. At omissa forma atque adeo culpabiliter praetermissis bannis, bona fides non praesumitur.

611. Effectus *legitimitatis natalium* in foro *ecclesiastico* est habilitas ad tonsuram, ordines minores et maiores, officia et beneficia ecclesiastica et ad dignitates et praelaturas etiam supremas Ecclesiae. *Illegitimi* filii tanquam irregulares ob defectum natalium his privilegiis carent et sine *dispensatione* vel ab ipsa prima tonsura et beneficiis simplicibus sunt exclusi.

In foro *civili* legitimitas natalium, quam quis plenissimo iure consecutus est, dat capacitatem *succedendi* in bona parentum et consanguineorum, participandi in *statu* et *nobilitate* familiae patris[39].

---

[36] *Schmalzgr.*, h. t. n. 18, cum aliis putat ex tali legitimatione *prolis* in *coniugem* conscium impedimenti nihil favoris redundare; at, n. 19, contrariam sententiam cum Sánchez appellat valde probabilem. Quae sententia sane in foro ecclesiastico in ordine ad effectus canonicos non habet difficultatem. Nam ibidem legitimatio prolis fit sine restrictione atque nequaquam datur in praemium delicti pravi coniugis, sed ob *bonam fidem* alterius partis. At si quaeratur de effectibus *civilibus*, v. g. de successione hereditaria coniugis malae fidei in bona prolis praedefunctae, iuri civili standum est, quod non prohibetur partem malae fidei a favoribus coniugis bonae fidei excludere. Cfr. v. g. cod. civil. Ital. art. 128.

[37] Cfr. cap. 3, X, de cland. despons. IV. 3, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1. de ref. matr., quo Trident. loco statuebatur: « Si quis vero huiusmodi clandestina vel interdicta coniugia inire praesumpserit *in gradu prohibito, etiam ignoranter*, soboles de tali coniunctione suscepta prorsus *illegitima* censetur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium: cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae vel saltem affectatores ignorantiae videantur ».

[38] *Chelodi*, n. 150; *De Smet*, n. 283. Paulo aliter *Cappello*, II, n. 746.

[39] Cfr. cap. 8, X, de servis ord. I, 18; cap. 3, X, de coniug. serv. IV, 9; cap. un. X, de natis IX, 10; *Rosset*, n. 3424; *Scherer*, 520; supra h. t. V, n. 474 sq.; *Vlaming*, II, n. 680.

612. Controversia de *legitimitate* prolis natae ex matrimonio *christiano* coram solo *iudice* ecclesiastico[40] est disceptanda et definienda. Nam iudicium de legitimis natalibus est inseparabiliter adnexum iudicio de *valore* matrimonii; at de valore matrimonii christiani solus iudex ecclesiasticus ad inquisitionem et sententiam iudicialem est competens. Hinc sive quaestio de legitimitate natalium sit causa *principalis* sive causa *incidens* in controversia deducta ad forum saeculare, semper iudicium de illa spectat ad solum iudicem ecclesiasticum, *praesertim* si decisio pendeat a quaestione *iuris*[41]. Quare iudex saecularis causae principalis coram se agitatae definitionem tandiu suspendat necesse est, donec quaestio praeiudicialis de legitimitate prolis in foro ecclesiastico sit decisa. Quod ius Ecclesiae, non obstantibus contrariis legibus in foro civili, etiam nostra aetate inconcussum persistit.

Quae legitimitas in *foro Ecclesiae*, in quantum immediate sequitur ex matrimonio tanquam naturalis effectus ipsius — non illa quae per fictionem iuris in quocumque modo legitimationis habetur — efficaciam etiam habet *in foro civili* et *quoad effectus civiles* eo sensu, quod in foro civili ea est agnoscenda et proli legitimae etiam effectus civiles sunt debiti.

613. Probatio. Si quaestio de legitimitate natalium ad forum *ecclesiasticum* delata sit, imprimis *probandum* est parentes *publice* in facie *Ecclesiae* matrimonium contraxisse[42]. Quae celebratio matrimonii nostra aetate authentice probatur ex *libro matrimoniali* parochi, qui plenam fidem facit in iudicio (c. 1816), dummodo aliunde de opposito non constet[43].

At is non est *unicus* modus probandi existentiam matrimo-

---

[40] Cap. 5, 7, X, h. t.; cap. 3 X, de ord. cogn. II, 10; *Innoc. IV*, l. c. h. t. n. 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 44, 45; *Pirhing*, h. t., n. 25, 26; *Rossel*, n. 3467 sq.

[41] Si multi scriptores antiqui non excludunt iudices saeculares, si decisio de legitimitate pendeat *a facto* (cfr. *Pirhing*, l. c. n. 26), id iam in ipsa praxi sua difficultate non caret, cum non nisi difficulter quaestio facti ab omni quaestione iuris separetur. Immo etiam theoretice competentia iudicum saecularium de quaestione *facti* non ex iure *proprio* potestatis civilis, sed potius ex *tolerantia* quadam Ecclesiae videtur repetenda. Cfr. cap. 12, X, h. t.; Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. de matr. can. 12; *Rosset*, n. 3479 sq. cum Hostiensi, Fagnano aliisque. Hinc Pius VI in epist. ad Episc. Motul., 16 sept. 1788, scribit: « *Vidimus modo iudicium meri facti laicis* permissum *coerceri ad unicum casum, in quo quaestio sit an matrimonium fuerit contractum* ».

[42] Cap. 11, X, h. t.; *Pirhing*, h. t., n. 52.

[43] *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. IV, tit. 3, n. 246; ASS. XVII, 380.

nii, sed omnes alii probandi modi etiam in hoc casu admittuntur, quibus in foro ecclesiastico *factum legitime* et concludenter probatur, velut per attestationes parochi, testium matrimonialium, aliarum personarum fide dignarum [44], per famam publicam una cum recognitione filii per parentes [45]. Si certo constet de matrimonio parentum et de nativitate filii ex uxore mariti, etiam in foro ecclesiastico receptum est principium iuris Romani: «*Pater vero is est, quem nuptiae demonstrant*», *nisi certis et plane concludentibus argumentis haec iuris praesumptio elidatur* (c. 1115 § 1) [46]. Certum et evidens argumentum non est assertio licet iurata solius mariti (cfr. c. 1791 § 1) sive etiam ipsius uxoris qua declaretur se filium in adulterio genuisse vel concepisse, tametsi assertio in articulo mortis fiat: quo in negotio, id postulante familiarum tranquillitate, sanctitate matrimonii ac bono societatis, contra talem assertionem coniugum in utroque iure recipitur principium «allegans propriam turpitudinem fidem non meretur» [47].

Evidens probatio tunc habetur, si constet maritum rem cum uxore non habuisse durante toto *tempore utili* ad conceptionem [48]. Tempus autem utile computatur habita ratione extremorum limitum (180-300 dies) inter quos ex experientia nativitas conceptionem sequitur; quam computationem Codex sancit c. 1115 § 2 sequutus in hac re ius Romanum, cui consonant moderni codices civiles. Cfr. L. 12 D. de statu hom. I, 5: «*Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, et ideo credendum est, qui ex iustis nuptiis septimo mense* (182. die) *natus est, iustum filium esse*»; L. 29, pr. de lib. XXVII, 2: «*Si quis... post mortem meam in decem mensibus proximis... natus, nata erit, heredes sunt*»; L. 3, §§ 11, 12, D. de suis et legit. hered. XXXVIII, 16; *Eschbach*, l. c. p. 91 sq.; *Rosset*, n. 3453 sq.; *Scherer*, 518 sq.; *Gasparri*, II, n. 1113. Cui regulae eae possunt accedere in casu particulari

---

[44] Cap. 12, X, h. t.

[45] Cap. 11, X, h. t.; cap. 10, X, de prob. II, 19; *Pirhing*, h. t., n. 49 sq. et lib. II, tit. 19, de probat. § 7. Hinc si duo non sunt matrimonio iuncti et negant filium in domo sua educatum esse ipsorum filiorum more, standum est assertioni illorum, donec contrarium probetur. Cfr. cap. 3, X, h. t.

[46] Cfr. L. 5, D. de in ius voc. II, 3; cap. 4, X, h. t.; ASS., l. c., 382 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. 17, n. 39; *Boenningh.*, l. c. fasc. III, 25 sq.; *Rossel*, n. 3449 sq.

[47] Cap. 8, X, de donationibus III, 24; L. 5, C. de servo pignori dato VII, 8, ASS., l. c., 386.

[48] *Rosset*, n. 3451; *Gasparri*, II, n. 1113; *Scherer*, 519; *Benedict.* XIV Const. «*Redditae*» § 4.

circumstantiae, ut praesumptio legalis debeat cedere veritati certo demonstratae.

Filii expositi, quamvis *certo* non possint dici illegitimi, tamen contra illos ex communiter contingentibus gravis militat praesumptio quod extra matrimonium nati sint; ex alia tamen parte, cum sola expositio illegitimitatem non evincat, ex Benedict. XIV sententia proli in dubio potius esset favendum. Quare pro foro ecclesiastico ne deficiant in probatione legitimorum natalium, si ad *statum clericalem* promoventur, saltem ad cautelam dispensandi vel legitimandi sunt [49].

§ II. De filiis legitimatis per subsequens matrimonium vel rescriptum R. Pontificis

Sicut dictum est de legitimitate, ita pariter *legitimatio* distinguebatur in legitimationem *plenissimo iure* factam quoad omnes effectus canonicos et civiles — plena legitimatio — et in *minus pleno* iure factam, i. e. exceptis quibusdam effectibus canonicis et civilibus — minus plena legitimatio [50] —.

614. Legitimatio per subsequens matrimonium. Matrimonium subsequens [51] contractum inter eas personas, quae liberorum *naturalium* parentes extiterunt, sive vere sive putative [52] iustum sit, etiam *ratum* tantum et in articulo mortis forte cum concu-

---

[49] Cfr. Decisionem Rotalem 11 martii 1912 (dec. 10).

[50] Minus plena sive germanica in iure antiquo dicebatur illa legiti-
matio, quae tantum sustulit «*maculam*» illegitimorum natalium (Die Auzuechigkeit). Cfr. *Vering*, Gesch. u. Pand. § 237; *Gerber*, System d. d. Pr. § 41, 241.

[51] C. 1, 6, X, h. t.; Benedict. XIV in cit. epist. «*Redditae*» § 39; *Pirhing*, h. t. n. 28 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 47 sq.; *Rosset*, n. 3479 sq.

[52] Ante Codicem res erat controversa de matrimonio putativo. *Reiffenstuel*, h. t. n. 35 aliique insistentes voci «*matrimonii*» cap. 6, X, h. t. et inefficaciae actus irriti, matrimonio *putativo* subsequenti hanc vim negabant; at melius *Schmalzgr.*, h. t. n. 57 cum *Sánchez*, lib. III, disp. 42, n. 2 aliisque, v. g. *Santi*, h. t. n. 9, *Scherer*, l. c., 522, illam vim tribuerunt. At si *Scherer*, n. 59 sq., cum aliis suam assertionem etiam extendit ad prolem antea susceptam, sed *putative* tantum naturalem, *revera* autem *spuriam*, iam *Panormitanus*, l. c. in cap. 6, X, h. t. n. 8, 14, duce et magistro *Ioanne Andreae*, *Suarez*, De censuris disp. 50, sect. 1, n. 3, 4, 5, 7 sq., 11 aliique et S. R. Rota (cfr. *Boenningh.*, l. c., 78 sq., 83) *talem extensionem* reiecerunt. Ratio iuridica primi asserti ex aequitate canonica petita illa est quod proles nata *in* matrimonio putativo est legitima; eandem igitur vim aequum est tribuere matrimonio putativo, si proli iam susceptae *superveniat* nec specialis exceptio possit probari. Cfr. cap. 13, X, h. t.; *Rosset*, n. 3481 sq. iunct. *Freisen*, 858 sq.

nina celebratum, prolem illegitimam antea susceptam *non intrinseca vi matrimonii*, sed *Ecclesiae constitutione* ita legitimat, ut illi omnia et singula iura, ad quae secundum leges ecclesiasticas nativitas legitima requiritur, in foro Ecclesiae restituantur, nisi *specialis* facta sit *exceptio* [53]. *Unica* exceptio in iure *canonico* erat statuta a Sixto V, Const. « *Postquam* » 3 dec. 1586, § 12, in qua filii legitimati per subsequens matrimonium ad dignitatem *Cardinalatus* declarantur inhabiles; cui exceptioni in Codice firmatae (c. 232 § 2, 1°) accessit inhabilitas ad Episcopatum (c. 331 § 1, 1°) atque ad abbatiam et praelaturam nullius (c. 320 § 2).

Quae attributio legitimorum natalium fit per *fictionem* iuris, qua matrimonium subsequens quasi *retrotrahitur* ad tempus quo filius vel conceptus vel saltem natus est, ut inde considerandus sit quasi legitimos natales nactus. Quod autem operatur matrimonium *novum*, item operatur matrimonii antea contracti et invalidi convalidatio. Id autem fit ipso iure independenter a consensu legitimandi aut parentum [54].

Hoc iuris canonici beneficium legitimationis per subsequens matrimonium *solis filiis naturalibus*, non vero *spuriis*, est concessum [55]. Quare ad consequendam istam legitimationem omnino

---

[53] Quae sit vis matrimonii subsequentis, ut proles antea illegitime suscepta legitimetur etiam ad effectus *civiles, ex iure civili* singularum nationum est eruendum; nec fictio iuris a legislatore ecclesiastico facta a legislatore civili quoad effectus ipsi subordinatos est necessario acceptanda. Ita v. g. ius civile Angliae et Americae septentrionalis legitimationem per subsequens matrimonium parentum vel inde ab antiquissimo tempore nunquam admisit, quasi huiusmodi institutio faveret concubinatui, pravis moribus, familiarum perturbationi. Cfr. *Putzer,* l. c. 183; *Rosset,* n. 3479; *Lehmkuhl,* I, n. 887; *Hunter,* English law for Moralists, 168. Praeterea secundum ius principum germanicorum ad successionem in feudis, fideicommissis, principatibus *vera* requirebatur legitimitas natalium, v. g. in primogenito, neque legitimatio etiam per *subsequens* matrimonium sufficiebat. Cfr. *Gerber,* l. c. §§ 250, 268, 274; *Hollzendorff,* Encykl. d. R. I., 1279.

[54] *Rosset,* n. 3492 sq.; *Schmalzgr.,* h. t. n. 73.

[55] Ex iure Codicis res facta est certa de *omnibus* spuriis. Iure praecedente expressis verbis cap. 6, X, h. t., tantum statutum erat de *adulterinis* filiis, quod exclusi essent a legitimatione per *subsequens* matrimonium. Quae certa doctrina canonica de adulterinis a nemine inter doctores catholicos in dubium vocabatur, postquam Bened. XIV in cit. epist. « *Redditae* » Archiepiscopo S. Dominici in insula Hispaniola magna cum eruditione ut *doctor privatus* eam exposuit et contra exceptiones Archiepiscopi ex *Boehmero,* protestantico canonista, decerptas praeclare defendit. Quae falsa explicatio cap. 6, X, h. t., per *Boehmerum* data, non obstante refutatione Benedicti XIV usque ad nostram aetatem ab acatholicis quibusdam canonistis et iuristis adoptata fuerat. Cfr. *Schulte,* l. c. not. 16; *Freisen,* 863. At aeque certum erat exclusionem a legiti-

requiritur [56*] et sufficit ut parentes tempore vel conceptionis prolis vel praegnationis vel etiam nativitatis ad iustum validumque matrimonium habiles fuerint [57].

---

matione per subsequens matrimonium ad solos spurios propter adulterium non esse limitandam, sed ad *omnes vere spurios* extendendam. Etenim iam *Tancredus,* l. c., 106, spurios simpliciter, quibus *exempli causa, non taxative,* adnumeravit adulterinos et incestuosos, a beneficio legitimationis per subsequens matrimonium exclusos esse docuit et provocavit ad Decretalem = cap. 1, X, h. t. Item *S. Raymundus,* l. c., allegans pariter cap. 6, X, h. t., spurios « *ut sunt illi, qui de adulterio vel incestu nati sunt* » doctrinam Tancredi totidem fere verbis confirmavit. *Goffred. de Trano,* h. t. n. 5, scripsit: « *Si quis concubinam suam duxerit in uxorem, legitimatur filius naturalis, non spurius ut... cap. Tanta* » = cap. 6, X, h. t.; Ioan. Andreae generalem illam regulam statuit per subsequens matrimonium prolem ante susceptam non legitimari, si inter genitores, v. g. propter ligamen *vel disparitatem cultus,* non posset antea subsistere matrimonium. Quam regulam *Panormitanus,* l. c. in cap. 6, X, h. t. n. 11, adoptat et generatim omnes per subsequens matrimonium legitimari negat, « *ubi coitus non poterat esse uxorius, obstante aliquo impedimento non revocabili sine dispensatione Ecclesiae* ». Doctrina Panormitani translata in summarium cap. 6, X, h. t., saltem quoad substantiam communiter in scholis et in praxi ecclesiastica usque ad nostram aetatem erat recepta. Cfr. Bened. XIV in cit. epist. « *Redditae* », §§ 2, 8, 90; *Sánchez,* l. VIII, disp. 7, n. 19; *Boenningh.,* l. c., 72 sq.; *Santi,* h. t. n. 6, 8; *Putzer,* l. c., 181 sq.

[56*] Non sufficit ergo quod tempore initi matrimonii impedimentum, nulla intercedente dispensatione, ex se ipso cessaverit, ut fieri potest in impedimento vel aetatis vel disparitatis cultus; etiam in hoc casu requiritur praeterea ut parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis (Comm. Cod. 6 dec. 1930).

[57] Quare nunc certum est per subsequens matrimonium legitimari prolem *conceptam* ex crimine adulterii vel incestus, si tempore *praegnationis* vel *nativitatis* mortuo altero coniuge aut sublato impedimento, matrimonium inter se celebrent parentes adulteri vel incestuosi. *Cappello,* II, n 750.

At iure praecedente non deerant doctores, qui requirerent parentum habilitatem tempore *conceptionis,* velut *Pirhing,* h. t. n. 34 et *Suarez,* De censur. disp. 50, s. 1, n. 3 aliique. Sed Benedictus XIV in cit. ep. « *Redditae* » § 3 mitiorem opinionem inter controversas sententias non reicit, sed in casibus particularibus se iudicium daturum esse dixit « *secundum sententiam in tribunalibus et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum* », nec rationes et patroni deerant pro benigniore sententia magis favente proli. In qua benigniore sententia difficilius locum habet iuris fictio *inde ab initio* statuta in favorem parentum naturalium, qui impedimento dirimente non fuerunt ligati; nam illi fictioni iuris, *saltem* interveniente copula adulterina, non potest assignari adeo congruum fundamentum. Cfr. *Lingen* et *Reuss,* Causae select. S C. C., 97 sq. n. 70; *Schmalzgr,* h. t. n. 65; *Gasparri,* II, n. 1111; *Scherer,* 522; *Leitner,* 460, not. 1, 488.

615. Legitimatio per rescriptum. Insuper R. Pontifex per *rescriptum* potest dare legitimationem prolis ad omnes effectus canonicos, etiamsi agatur de spuriis [58]; at num *de facto ad* omnes effectus canonicos gratiam legitimationis concesserit, ex tenore rescripti est eruendum [59]; nam ex communiter contingentibus per simplex rescriptum non solet legitimatos *absolute* habilitare ad omnes dignitates ecclesiasticas, neque iuri a tertio quaesito praeiudicium inferre neque iuri speciali derogare. Cfr. *Santi*, h. t. n. 15 sq.; *Pichler*, h. t. n. 16. Quod ius legitimandi prolem R. Pontifex — antiquatis pristinis quibusdam privilegiis — post Pii X Const. « *Sapienti consilio* » 29 iunii 1908, exercet pro foro externo per S. C. de d. Sacramentorum, vel in foro interno per S. Paenit. (cfr. Bened. XIV cit. Const. « *Pastor bonus* » § 45), praesertim vero in convalidatione matrimoniorum nulliter contractorum. In qua concedenda standum est praescripto c. 1051, sc. expressa legitimatio fiat necesse est, quando dispensatio datur per rescriptum particulare; at legitimatio implicite continetur in dispensatione super impedimento concessa ex potestate ordinaria vel ex potestate delegata per indultum generale.

Quemadmodum *alii principes civiles* pro sua iurisdictione temporali prolem illegitimam in *suis territoriis* ad effectus civiles legitimare possunt [60], ita R. Pontifex, ut *rex* et *princeps civilis*, in regno suo temporali eadem praerogativa est praeditus; at *extra* Statum Vaticanum *ordinarie* et *directe* ad effectus civiles prolem illegitimam nequit legitimare. Qua in doctrina iam Innocent. IV, l. c. in cap. « *Per venerab.* » X, h. t. et *Hostiensis*, Summa h. t. n. 11, exaggerationes *Goffredi de Trano*, l. c., ad iustos limites reduxerunt. Cfr. *Panormit.*, l. c. in cap. 13, X, h. t. n. 15, 20 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 110 sq. In casu *extraordinario* — et nostra aetate vix unquam practico — propter bonum religionis vi suae potestatis *indirectae* a R. Pontifice etiam ad effectus civiles legitimationem prolis concedi posse omnino est asserendum. Multi sunt auctores, qui praeterea putant R. Pon-

[58] Cap. 13, X, h. t.; Bened. XIV in cit. epist. « *Redditae* » § 40; *Schmalzgr.*, n. 92 sq.; *Tancred.*, l. c., 105; *Goffred. de Tran.*, h. t. n. 6 sq. De origine huiusmodi legitimationis, cfr. *Génestal*, l. c., 181.

[59] V. gr. Decretum Concilii Trid. Sess. XXV, cap. 15 de ref., filiis clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati sunt, *ad filios legitimatos se extendebat exceptis iis, qui per subsequens matrimonium legitimati sunt*. Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. lib. XIII, cap. 24, n. 16.

[60] Num in foro *civili* per rescriptum supremi moderatoris reipublicae legitimatio ad effectus *civiles* fieri possit, ex iure civili et constitutione uniuscuiusque nationis est eruendum. Cfr. Novell. 89, cap. 9; cod. civ. Ital. art. 251, 281, Gall. art. 331 sq.

tificem de facto uti sua potestate legitimandi ad effectus civiles, cum in sanatione matrimonii in radice plenissimo iure omnes effectus canonicos et saltem indirecte omnes quoque effectus civiles legitimi matrimonii restituit. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 112 sq. Sed de hac quaestione inferius ubi de convalidatione matrimonii.

616. Praeter completam *legitimationem* a R. Pontifice factam, potest auferri macula et incapacitas ex illegitimis natalibus quoad *certos tantum effectus* maiore minoreve ambitu circumscriptos, sive stabili quodam *privilegio*, v. g. sollemni professioni (c. 984, 1°) [61] religiosae quoad ordines sacros, non vero ad praelaturas etiam in religione concesso, sive speciali dispensatione. Huiusmodi *dispensationes* sunt *strictae* interpretationis neque extendi possunt ad casum in dispensatione non expressum, atque *verae legitimationes* reputari nequeunt [62].

617. Scholion. Moderni codices civiles in admittenda legitimitate prolis ex matrimonio *civili* natae easdem fere sequuntur normas, v. g. de computando tempore gestationis in uxore, atque leges Romanae, simulque legitimas statuunt *exceptiones*, quibus v. g. ex parte patris legitimitas prolis impugnari possit [63].

Quae legitimitas in foro civili etiam tribui solet proli natae ex matrimonio *putativo;* at ex communiter contingentibus sine ullo commodo in favorem illius *coniugis*, qui fuit in mala fide, et v. g. tempore *contracti* matrimonii *cognovit* impedimentum dirimens. Immo quandoque etiam mala fides *utriusque* parentis saltem proli, praesertim in ordine ad tertias personas, non nocet [64].

Praeterea recentiores quoque codices civiles, sed *non omnes* (cfr. h. cap. not. 53) ratam habent aliquam *legitimationem* prolis per *subsequens* matrimonium, non raro tamen excepta prole adulterina vel incestuosa [65]. Unde denuo comprobatur quam sa-

[61] Cfr. cap. 1, X, de fil. presbyt. ord. vel non I, 17; *Pirhing*, lib. I, tit. 17, n. 6, 7, 8; *De Angelis*, eod. tit., n. 4.

[62] Cfr. veras legitimationes a S. C. C. concessas, 19 iun. et 14 ian. 1884, in ASS. XVII, 429.

[63] Cfr. cod. civil. Ital. art. 231 sq., Gall. art. 312 sq., German. §§ 1591 sq. iunct. *Allègre* et *Lehmkuhl*, in comment. cod. civil. Gall. et German.

[64] Cfr. cod. civ. Germ. §§ 1699 sq., Gall. art. 201 sq., Hispan. art. 69, Austr. § 160, Ital. 128; lex civil. de matr. in Hungar. § 133 et in Helvet. art. 55; *Scherer*, p. 536 sq.

[65] Cfr. cod. civil. Ital. art. 280 sq., German. §§ 1719 sq., Gall. art. 331 sq., Austriae § 160, Canadae apud *Putzer*, l. c. p. 183, not. 7. Cfr. L. 7, 10, 11 Cod. de natur. lib. V, 27, ubi liberi adulterini et incestuosi a beneficio legitimationis excluduntur.

pienter Ecclesia quoque *limitarit* legitimationem prolis per subsequens matrimonium. Tandem ob rei conexionem subiungi potest, quod in compluribus Statibus legitimatio quaedam prolis illegitimae ad tramites iuris civilis fieri possit per *rescriptum principis* sive moderatoris reipublicae [66].

[66] Cfr. cod. civ. Ital. art. 280, 195 iunct. art. 180, 198 sq., Austriae § 162.

PARS QUINTA

DE SEPARATIONE CONIUGUM

CAPUT I

De divortiis seu de coniugum separatione

618. Fontes: C. XXVII, q. 2; C. XXVIII, q. 1, 2; C. XXX, q. 6, 7, 8 [1]. — Cpl. I, lib. IV, tit. 20, de divortiis; cpl. II, lib. IV, tit. 13, cod.; cpl. III, lib. IV, tit. 14, eod. — Decretal. Gregor. IX, l. IV, tit. 19. — Decret. pro Armen. i. f.; Concil. Trid. Sess. XXIV, doct. d. sacr. matr. can. 5, 6, 7, 8; Catech. Roman. p. II, de sacram. matr. q. 20, 21, 22. — Declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. 277 sq.; ASS., v. g. I, 217, II, 136, V, 12, VIII, 325 sq. — Instr. Card. Rauscher, §§ 21 sq., 201 sq. — Instr. S. C. de Prop. Fid. ad Ep. Transsylvan. 28 iun. 1858, in Collect. Lac. II, col. 591 sq.; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. l. c. col. 180 sq.; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 maii 1742, § 8; Synod. Sciarf. (a. 1838), 168 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. — *Devoti,* §§ 150 sq.; *Aichner,* §§ 198 sq. — S. *Raymund.*, lib. IV, tit. 10, de dispari cultu, tit. 13, de imp. lig., tit. 20, de divortio propter consanguinit. vel aliud perpet. imped., tit. 22, de divortio propter fornic.; *Roland.*, l. c., 126 sq., 133 sq., 182 sq. *Bernard. Pap.*, l. c., 187; *Tancred.*, l. c., 85 sq., tit. 35, qualiter et quand. maritus possit accusare uxor. propter fornicat. vel e contra; *Durantis*, l. c. h. t. — *Sánchez*, l. VII, disp. 73 sq., lib. X, de divortiis; *Pignatelli*, Consult. canon. IV, cons. 189 n. 7; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. VI, cap. 4, lib. XIII, cap. 21; Quaest. can. 241, 546; *Cosci*, De separat. tori coniugal.; *Giovine,* I, 466 sq.; *Van de Burgt,* 405 sq.; *Feije*, n. 575, de div. n. 601 sq., n. 471 sq., de cas. Apost.; *Schulte,* §§

[1] Dig. XXIV, 2, de divortiis et repudiis; L. 2, C. de inutilib. stipul. VIII, 38; *Vering*, Gesch. u. Pand. §§ 229 sq.; *Gasparolo*, Ius civ. Romanum I, 58 sq., 210 sq.; *Zhishman*, 97 sq.; cod. civil. Ital. artic. 149 sq., Gall. art. 229 sq., 306 sq. (cfr. decis. tribun. Gall. in Arch. f. k. K. XLI, 385 sq.), Austriae §§ 93 sq., German. §§ 1564 sq., Hispan. art. 45, 52, 67, 73, 80 sq., 104 sq.; *Schulte*, 581 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 159; *Allègre,* in cit. art. cod. civ. Gall.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad cit. §§ 1564 sq.; *Hollweck*, D. Civileher., 138 sq.

50 sq.; *Mansella*, 97 sq.; *Rosset*, n. 548 sq., 3850 sq.; *Gasparri*, II, n. 1316 sq.; *Leitner*, 579 sq.; *Schnitzer*, 587 sq.; Arch. f. k. K. XLVI, 385 sq., LI, 209 sq. (Braun), XI, 248 sq.; Act. theol. Oenip. VII, 304 sq., XIV; 530 sq.; *Vermeersch*, De casu Apost. — *Freisen*, 769 sq.; *Moy*, 10 sq., 120 sq., 273 sq.; *Esmein*, II, 48 sq.; *Fahrner*, Gesch. d. Ehescheid. im kan. R.; *Zhishman*, 729. — *Périès*, Code de procéd., 214 sq.[2]. — *Chelodi*, n. 152 sq.; *De Smet*, n. 309 sq., 251 sq.; *Cappello*, II, n. 755 sq., 822 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. II, n. 422 sq.; *Vlaming*, II, n. 699 sq.

Praenotiones

619. Conexio materiae. Cum matrimonium sit verus, sed *sui generis* contractus, post explicationem impedimentorum, celebrationis, effectuum matrimonii ex natura rei, inquirendum restat[3] quanam ratione praeter *mortem* coniugum[4] contractus matrimonialis pro triplici sua acceptione[5] cesset atque *dissolvatur*.

620. Definitio. *Divortium*[6] est solutio matrimonii sive *quoad*

---

[2] Ex theolog. consulendi sunt: *S. Thomas*, Comment. lib. IV sent. dist. 33, q. 2, (de lib. rep.), dist. 39, (de disp. cult.), dist. 41, q. 1, art. 5. Suppl. q. 67; *S. Alphons.*, lib. VI, n. 955 sq.; *Gury-Ballerini*, l. c. II, n. 758; *Perrone* III, 113 sq.; *Palmieri*, l. c. 125 sq.; *De Augustinis*, l. c. 675 sq.; *S. R. Bellarmin.*, De matrim. cap. 12 sq.; *Pesch*, Prael. dogm. VI, n. 761 sq. aliique v. g. *Billot*, *Schanz*, *Scheeben-Alzberger*.

[3] Cfr. *Ruggeri*, De oblig. 456 sq.

[4] S. Paul. ad Roman. VII, 2, 3.

[5] *S. Thomas*, Summa theol. P. III, Suppl. q. 44, art. 2.

[6] In *designando* divortio per apta verba magna est varietas loquendi pro diversitate temporum et linguarum. Vocabulum *repudii* (libelli repudii) iam reperitur in cod. Hamm. n. 137, 138. (cfr. *Mari*, Il codice di Hammurabi, 21 sq., 52) et in legibus Moysis (cfr. Deuter. XXIV, 1 sq.; *Schegg*, Bibl. Archaeol., 645 sq.). Apud romanos frequentissimum fuit nomen *divortii* (divertendi), quod evidenter habuit unice sensum perfectae atque perpetuae solutionis *vinculi* matrimonialis; nam notio merae separationis quoad torum et cohabitationem ab antiquis legibus romanorum est aliena. Cfr. L. 1, D. de divort. XXIV, 2; « **Dirimitur matrimonium divortio, morte,** *captivitate vel alia contingente servitute utrius eorum* ». Cfr. quoque L. 4, l. c. Alia nomina sunt discidium, discessus, matrimonii solutio, renuntiatio, repudium. Cfr. L. 2, 3, 4, sq.: *Gasparolo*, l. c., 211; *Zhishman*, 97 sq.

In sacra Scriptura Novi Testamenti occurrunt verba *dimissionis* vel *discessus* ad significandum divortium. Cfr. v. g. Matth. XIX, 9; I Corinth. VII, 10 sq.

Similis modus loquendi etiam in antiquis Conciliis retinetur. Cfr. v. g. c. 8 Conc. Carthag. XI, a. 407: « *Neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito* »; c. 25 Conc. Agath. (a 506): « *Nullas discidii causas probabiliter proponentes* »; c. 9 sq. Conc. Illiberit. (a 300-306): « *Femina fidelis quae adulterum maritum reliquerit fidelem* »; *Esmein*, II, 45 sq.;

vinculum, sive manente vinculo saltem *quoad torum vel cohabitationem*, sive per *declarationem nullitatis*. Divortium in sua generali acceptatione non supponit matrimonium validum sed eam dumtaxat coniunctionem, quae saltem formam et speciem matrimonii[7] habeat.

621. Divisio. Divortium dividitur: I. In divortium *plenum* (*perfectum*), quo vinculum matrimonii obiective existens *vere dissolvitur* et divortium *minus plenum* (*imperfectum*), quo matrimonium, manente vinculo coniugali, quoad torum vel coha-

---

Hefele, I, 159 sq., 210 sq., 216 sq., II, 594, 654. Usu quoque recepta fuerunt verba *separationis*, v. g. in libris paenitentialibus et praesertim *divortii*. Cfr. *Esmein*, l. c., 60 sq., 70 sq. 81. Quod vocabulum *divortii* a scriptoribus saepe usurpatum postea transiit in ipsas authenticas iuris collectiones, at dispari significatione. Nam si libri IV, tit. 19, rubrica « *de divortiis* » comparetur cum nigro, facile patet divortium intelligi sensu quodam *lato* et *generico*, quod quasi triplicem quandam speciem comprehendit, sc.: 1) *solutionem* veram ipsius vinculi matrimonialis (cfr. cap. 8, X, h. t. de privilegio Paulino iunct. cap. 2, 7, 14, X, de conv. coniug. III, 33); 2) *separationem* a toro et cohabitatione manente vinculo (cfr. cap. 2, 4, 5, 6, 7, X, h. t. iunct. cap. 12, X, de praesumpt. II, 23; 3) *declarationem nullitatis* matrimonii invalide contracti (cfr. cap. 3, X, h. t. iunct. cap. 18, X, de sponsal. IV, 1; cap. 1, X, de eo, qui dux. IV, 7; cap. 6 X, de cogn. spir. IV, 11). At iam diu in foro ecclesiastico singulae illae species divortii melius propriis designantur nominibus. Qua ratione *solutio* vel dissolutio matrimonii optime adhibetur de vera et *legitima* vinculi coniugalis ablatione per privilegium Paulinum, sollemnem professionem religiosam, dispensationem R. Pontificis. *Divortium* vero nostra aetate potius aliquid sinistri insinuat, i. e. *attentatam* vel *criminosam* solutionem vinculi coniugalis. *Declaratio nullitatis* matrimonii certe rem ipsam melius denotat quam vocabulum genericum *divortii*. Denique *separatio* — a toro et cohabitatione — est modus loquendi, qui ex longo tempore non amplius refertur ad solutionem vinculi, sed unice ad illud discidium coniugum, quod additis verbis — a tor. et cohab. — accuratissime definitur et limitatur.

Apud populos latinos nunc clara viget terminologia, saltem legalis, qua divortium quoad vinculum simpliciter appellatur « *divorzio, divorcio, divorce* » et distinguitur a separatione, i. e. separazione, séparation de corps, separación. Minus conformis et constans est usus verborum in aliis linguis, v. g. in lingua germanica (Ehelösung, Ehescheidung, Ehetrennung, Aufhebung der ehelichen Gemeinschaft). Cfr. Instr. Card. Rauscher (text. germ.) §§ 114 sq., 201 sq., 205 sq.; cod. civ. Germ. §§ 1564 sq., 1575 sq.; cod. civ. Ital. l. I, t. VI, c. 5. Dello scioglimento del matrim. e della separazione dei coniugi; *Schulte*, Ehepr. 236 sq., 254 sq.

[7] Matrimonium hoc loco intelligitur in facto esse, non in actu transeunte, quatenus designat *vinculum* matrimoniale et *communionem* vitae coniugalis. Quodsi matrimonium magis consideratur in concreto ratione personarum, divortium definiri potest *separatio mariti ab uxore*. Quae separatio potest esse *legitima*, sive de iure facta, aut illegitima vel attentata, sive tantum *de facto* quaesita.

bitationem *de iure* antea existentem separatur. II. Quod divortium *plenum* vocatur *vera* et *proprie* dicta dissolutio matrimonii, quia vinculum matrimonii praevie et obiective existens dissolvitur; *improprie dicta* habetur dissolutio matrimonii, si vinculum matrimonii inde ab initio non exstitisse *authentice declaratur*. Quae dissolutio dicitur *declaratio nullitatis* matrimonii, quam necessario sequitur separatio a toro et saltem regulariter etiam a cohabitatione antea *de facto* tantum, etsi forte *bona* fide, retenta. Cfr. cap. 1, X, de consang. IV, 14. III. Divortium *minus plenum subdividitur* in separationem *perpetuam*, si causa est perpetua, et in separationem *temporaneam*, si causa ad tempus certum vel incertum tantum subsistit. Quae separatio potest esse *partialis*, quoad solum torum, aut *totalis*, quoad torum *et* cohabitationem simul [8].

622. Notae historicae. Indissolubilitas vinculi matrimonialis, ab ipsa lege *naturali* sancita in paradiso, a Deo positiva quoque lege universo generi humano constituta est [9]. Quae pro dignitate et sanctitate matrimonii Deus sapientissime decreverat, ab hominibus excusso iugo divino fuerunt violata [10]. Moyses, tanquam legatus divinus pro hebraeis, dissolutionem matrimonii certis limitibus circumscriptam non solum *licitam*, sed etiam ipsam *vinculi* prioris solutionem novamque validi matrimonii celebrationem ratam habuit [11]. Quam Veteris Testamenti legislationem *Christus Dominus* abrogavit atque *indissolubilitatem*

[8] Quae divisiones iam apud antiquos scriptores fuerunt receptae, at quandoque aliis verbis expressae. V. g. *Bernardus Pap.*, Summa Decret., 187, scribit: «*Divortium* est viri ab uxore legitima separatio. Divortium autem aliud *totale*, aliud *particulare;* totale, quo ita separantur, ut liceat ad aliam copulam convolare, sive utrique, ut ubi separantur propter consanguinitatem vel affinitatem, sive alteri tantum, ut ubi pro voto sollemni vel frigiditate (= declarat. nullit.); particulare divortium est, ubi taliter fit separatio, ut neutri liceat aliud contrahere matrimonium, veluti pro adulterio». *Petrus Lombard.*, Sent. l. IV, d. 13 docet: «*Separatio* autem gemina est, *corporalis* scilicet et *sacramentalis.* Corporaliter possunt separari causa fornicationis vel ex communi consensu causa religionis sive ad tempus sive usque in finem. Sacramentaliter vero separari non possunt, dum vivunt, si *legitimae personae* sint. Manet enim vinculum coniugale inter eos, etiam si aliis a se discedentes adhaeserint».

[9] Genes. II, 23 sq. iunct. Matth. XIX, 3 sq.; Conc. Tr. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr.: *Palmieri*, De matrim. 188 sq.; supra, n. 243, not. 4 sq.

[10] *Mari*, Il codice di Hammurabi, pag. 22, 52, n. 138 sq.

[11] Deuteron. XXIV, 1 sq.; Matth. XIX, 3 sq., V, 31, 32; *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 6, n. 8 sq., 11 iunct. cap. 2, n. 12 sq., cap. 4, n. 9 sq.; *Palmieri*, 127 sq.; *Pesch*, n. 772 sq., aliique, qui recte negant legem mosaicam de libello repudii tantum fuisse legem excusantem a *poena*, non a

matrimonii in paradiso statutam renovavit et apertius promulgavit; at *separationem* a toro et cohabitatione etiam perpetuam, manente vinculo iure naturali concessam, disertis verbis confirmavit. Postea idem divinus legislator per apostolum Paulum [12] in locum libelli repudii, propter *duritiem cordis* iudaeis concessi, substituit et promulgavit novum quoddam et singulare privilegium in *favorem fidei* dissolvendi vinculum matrimonii in infidelitate contracti et consummati.

Cum non solum ius hebraeorum, sed etiam leges romanorum [13] et graecorum divortium permitterent [14], Ecclesia in pro-

culpa, ut complures doctores arbitrati sunt atque etiam nunc quidam opinantur. Cfr. quoque *Schegg*, Bibl. Archaeol., 645 sq.

[12] I Corinth. VII, 10 sq.; *Suarez*, l. c. cap. 2, n. 12 sq.; *Pesch*, n. 786 sq.

[13] Apud romanos inde ab antiquis temporibus divortia, etsi rara, tamen non fuerunt a moribus populi plane aliena, ut iam patet ex lege Romuli et famoso divortio Spurii Carvilii Rugae c. a. 520 U. C., quod magnam quidem excitavit admirationem, sed non fuit primum exemplum divortii in historia romanorum. Cfr. *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 522 sq.; *Vering*, § 229, not. 12; *Gasparolo*, l. c., 210 sq. Immo vel ipsum matrimonium per *confarreationem* non fuit *certo* indissolubile; nam prius exstitit ritus *diffarreationis*, unde divortium huiusmodi matrimonii solummodo factum est difficilius. Quo magis morum corruptio crevit inter romanos, eo frequentior et facilior fuit matrimonii solutio ex ipsa legum conniventia. Nam iure Romano, «*pacta, ne liceret divertere*», non valebant (cfr. L. 2, C. de inutil. stipul. VIII, 39), et ad divortium interventio *auctoritatis publicae* vel *iudicis* non fuit necessaria. Ipsis antiquioribus temporibus vir ante divortium solummodo debuit implorare «*consilium* (domesticum) *necessariorum*» i. e. agnatorum et cognatorum.

Forma quoque *sollemnis* non exigebatur ad divortium (cfr. L. 6 C. de repud V, 17), nisi in matrimoniis quibusdam exceptis, v. g. per confarreationem initis, donec Augustus L. 9, D. de divort. XXIV, 2, constitueret *certam formam divertendi*, sc. declarationem voluntatis per libertum coram septem testibus, civibus romanis, datam.

Quoad *causas* vero divortii maxima vigebat laxitas. Distinguebatur enim divortium «*bona gratia*» sive bilaterale sive unilaterale a divortio unilaterali et culposo «*ira et offensa*» sive cum damno. Divortium bona gratia bilaterale fiebat «*ex consensu*» coniugum i. e. sine *alia* causa (cfr. Novell. 140; *Gasparolo*, l. c. 58 sq.; *Zhishman*, 99 sq.), unilaterale vero «*ex rationabili causa*» non culpabili ad *instantiam unius*. Cfr. L. 60 sq., D. de donat. vir. XXIV, 1. Divortium unilaterale et culposum fuit illud, cuius *causa* erat *delictum* unius coniugis. Cfr. L. 11, C. de repud. V, 17.

Quodsi addas romanos etiam per varias capitis deminutiones ex ipsa iuris dispositione admisisse matrimonii solutionem (cfr. v. g. L. 1, 6, D. de divort.; L. 7 C. de repud.; L. 67, § 3. D. de rit. nupt. XXIII, 2), habes amplum catalogum abusuum, qui ab Ecclesia primis saeculis fuerut impugnandi. Cfr. quoque *Freisen*, 769 sq.; *Moy*, 6 sq.

[14] *Doellinger*, Heidenth. u. Iudenth., 683 sq., 700 sq.

mulganda et applicanda lege indissolubilitatis matrimonii a Christo lata non paucas nacta est difficultates. At quod in praxi ilico et universaliter introduci non potuit, id Ecclesiae doctores et Concilia constanter docere atque inculcare non omiserunt contrariamque praxim legibus Caesaris et Papiniani sed non Christi et S. Pauli praeceptis conformem reprobaverunt [15]. Quodsi Ecclesia in imperio romano praesertim *orientali* [16] non facile ac-

[15] Cfr. textus SS. Patrum collectos a theologis et canonistis; *Moy*, 11 sq., 120 sq. 265 sq.; *Perrone*, III, 243 sq.; *Palmieri*, 141 sq.; *Pesch*, n. 782, qui recte miratur quomodo textus quidam *Origenis* pro contraria sententia potuerint afferri. Ex Conciliis praesertim consulenda sunt: Conc. Illiberit, (a. 300-306) c. 9 = c. 8, C. XXXII, q. 7; Conc. Arelat. (a. 314) c. 10 ubi verba «*prohibentur nubere*» satis indicant alia verba eiusdem canonis: «*Consilium iis detur*» non esse intelligenda de consilio quodam *libere* sequendo vel non (cfr. *Hefele*, I, 210); Conc. Carthag. XI, (a. 407), c. 8 = c. 5, C. XXXII, q. 7; Conc. Andegav. (a. 543), c. 6. At tristia exempla contrariae praxis referunt: *Origenes* in Matth. n. 23, «*Contra Scripturae legem vivente viro nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt*»; *S. August.*, De coniugiis adulterinis l. II, c. 17, de uxoribus a maritis dimissis plerumque aliis viris nubentibus; *S. Hieronym.*, in epist. 77 ad Ocean. cap. 3, de Fabiola, matrona romana, quae dimisso viro alteri nupsit. At nihil certi colligi potest ex *Iustino*, Apol. II, cap. 2, cum non clare pateat num mulier illa christiana, quae a marito *turpissimo* sese separavit, postea alteri nupserit.

[16] Cfr. *Orig.*, l. c., de laxis quibusdam rectoribus quarundam ecclesiarum particularium; *Zhishman*, 97 sq. At perperam non raro allegantur aliquot SS. Patres graeci quasi laxae tolerantiae indulsissent, v. g. *S. Basil.* in epist. can. I ad Amphil. can. 9. Nam in epist. can. I, c. 48, 77, tradit doctrinam iuri divino stricte conformem; in allegato vero can. 9 sane commemorat consuetudinem *de facto* vigentem, sed nequaquam illam approbat vel permittit. Cfr. de S. Epiphanio aliisque: *Palmieri*, 149 sq.; *Vering*, Lehrb. d. K. § 282, not. 2; paulo aliter *Scherer*, 543, not. 7; *Esmein*, II, 53 sq.

Quibus malis ut efficacius remedium offerretur, Episcopi africani in c. 8 Conc. Carthag. XI (a. 407) implorarunt etiam cooperationem antiquorum imperatorum christianorum contra divortia atque adulterinas nuptias secundas. Cfr. *Hefele*, II, 86, 101. At vel ipsi imperatores christiani nunquam eo pervenerunt, ut suas leges perfecte conformarent legibus divinis et canonicis contra divortium latis, quemadmodum patet cuicumque legenti codicem Theodosii vel collectiones Iustiniani vel Novellas. Nam divortium «*ex consensu*» non nisi aegre et post varias vicissitudines tandem inde ex saeculo octavo et nono ab imperatoribus, v. g. Leone Isaurico prohibitum est, permisso tamen divortio «*ex rationabili causa*». Ecclesia orientalis *schismaticorum* pro sua dependentia a potestate civili in divortio permittendo sese potius legibus imperatorum quam legi Christi conformavit. Cfr. *Schnitzer*, 589 sq.; *Zhishman*, 98 sq., 104 sq.; *Milas*, D. Kirchenr. d. morg. K., 549 sq.; *Scherer*, 545 sq., 13 sq.; *Vering*, Lehrb. d. K. § 282.

Alterum remedium ab Ecclesia arbitrariis divortiis oppositum fuit illud, quod causa discidii coniugum in *iudicio ecclesiastico* esset discep-

curatam et universalem legis evangelicae observationem obtinere potuit, non minorem invenit difficultatem apud populos *germanicos* in vindicanda indissolubilitate vinculi matrimonii. Etenim legibus francorum, burgundiorum, alamannorum, longobardorum, visigothorum, bavarorum, divortium sive ex mutuo consensu sive ex rationabili causa in legibus approbata etiam cum speciali praerogativa mariti et sine interventione auctoritatis publicae factum, *absolute* et *universaliter* non erat interdictum, neque defuerunt Synodi quaedam particulares et nonnulli Episcopi, qui de divortio mitiores vel potius laxiores adoptarent sententias [17]. Verum RR. Pontifices et Ecclesia universalis et multa quoque Concilia particularia istos abusus condemnarunt [18].

Quae doctrina de indissolubilitate matrimonii consummati in Decr. Gratiani [19] et in iure Decretalium [20] manifeste contine-

tanda et definienda et minime permitteretur privatis pactionibus. Cfr. c. 25 Conc. Agath. (a. 506 = c. 1, C. XXXIII, q. 2; Pelag. Papa (a. 555-560), in c. 5, C. XXXII, q. 1, et in Reg. *Jaffé*, n. 1021. Qua re factum est, ut ducibus et magistris Romanis Pontificibus (ut *Innoc. I*, in epist. ad Exsuper. c. 6, et *Leo M.* in epist. ad Nicet.; *Greg. M.* in div. ep. = c. 2, 1, C. XXXIV, q. 1, 2; c. 19, 21, 28, C. XXVII, q. 2) et praeclarissimis Ecclesiae pastoribus, praesertim S. Augustin. (cfr. ipsius opus: De adulterinis coniugiis et c. 1, 2, 4, 5, 28, C. XXXII, q. 7), in imperio occidentali inde a Carolo M. (cfr. Admonit. c. 43, a. 789; Capit. c. 22, a. 802) sanctiones legis evangelicae contra divortia etiam in foro civili legibus imperatorum plene reciperentur, cum imperatores byzantini in condendis legibus de divortio multum recederent a iure divino. Cfr. *Walter*, Deutsche Rechtsg. n. 486; *Esmein*, II, 60 sq.; *Schnitzer*, 590, 593.

[17] *Freisen*, 775 sq.; *Walter*, n. 485, 486; *Scherer*, 546 sq.; *Schnitzer*, 591; *Zhishman*, 729 sq. Qui laxi canones praesertim reperiuntur in Conc. Verber. (a. 753) c. 5, 9, 17, et in Conc. Compend. (a. 757) c. 9, 19 et in libris paenitentialibus. Cfr. quoque *Esmein*, II, 69 sq.

[18] Cfr. text. cit. in not. 16 h. cap. iunct. Conc. Roman. (a. 826), c. 36; Leo IV, in ep. ad Breton. (a. 849-850); Conc. Herford. (a. 637), c. 10; Conc. Forojoul. (a. 791), c. 10; Conc. Paris. (a. 829), l. III, c. 2; Conc. Tribur. (a. 895), c. 46, *Freisen*, 791 sq. Quae *Esmein*, l. c. 68 sq. et *Scherer*, 545, 553, docent de *tolerantia* Sedis Apostolicae in praxi quoad divortia antiquis temporibus — immo cum orientalibus etiam nunc — exercita non obstante rigore principiorum firmiter retento, aut non sunt accurate dicta, aut parum idoneis verbis tradunt factum indubitatum, quod RR. Pontifices non possint impedire peccata hominum. Cfr. *Perrone*, III, 416 sq., 420; *Rossel*, n. 558.

[19] Cfr. c. 19, 39, C. XXVII, q. 2; c. 16, 26, C. XXXII, q. 7; *Freisen*, 802 sq.

[20] Cap. 6, 7, 8, X, h. t. Quodsi *Esmein*, l. c., 76 sq., et *Schnitzer*, 593, not. 4, putant cap. 1, X, de donat. IV, 20; cap. 8, X, qui fil. IV, 17; cap. 3, X, de coniug. lepr. IV, 8, novas nuptias coniugibus «*separatis*» fuisse concessas, dant interpretationem illorum capitum non accuratam.

tur; ad explicandam vero dissolutionem matrimonii rati per professionem religiosam [21], cui professioni soli haec vis addicitur,

[21] Concedendum est *canones* claros et expressos *ante Alexandrum III* non reperiri, quibus professioni religiosae vis solvendi matrimonium ratum disertis verbis tribuatur. At Alexander III, cap. 2, 7, X, de convers. coniug. III, 32, hanc vim professionis religiosae potius *supponit* quam *constituit*. Cfr. quoque *Sánchez*, l. II, disp. 19, n. 3; *Fahrner*, l. c. in Arch. f. k. K., 185 sq., 195. Quamvis vero Alexander III, cit. cap. 2, 7, et Innocentius III, c. 14 eiusdem tit., talem admittant solutionem matrimonii rati per professionem religiosam, ut coniugi in saeculo remanenti liberum fuerit ius ad secundas nuptias transeundi, tamen Alexander III, cap. 5 de sponsa duor. IV, 4, (in authenticam collectionem Gregorii IX non translato), ubi *per transennam* hanc quaestionem attingit (cfr. de huiusmodi casibus Bened. XIV, in epist. « *Redditae* » 19 dec. 1744, §§ 10 sq., 32 sq.), hisce severioribus utitur verbis: « *Sane quamquam mulieri desponsatae et a viro nondum cognitae liceat ad religionem transire, aliam tamen non potest ducere in uxorem* »; cfr. quoque *Bernard. Pap.* l. c., 299, iunct. 138. *Quare* haec prohibitio fuerit addita, in cit. cap. 5, non dicitur; forte Alexander III, propter verba contextus: « Sine iudicio Ecclesiae separari non debeat » etiam in hoc casu postulavit interventionem auctoritatis ecclesiasticae, vel supposuit *votum* castitatis in viro. Cfr. c. 23, C. XXVII, q. 2 ex Conc. Rom. (a. 826); *Fahrner*, l. c. 189, 191.

Certe iam ante Alexandrum III semper magna habita est efficacia professionis religiosae, ut patet ex iis quae Alexander III, (Rolandus Bandinelli) scripsit, antequam Romanus Pontifex creatus esset. Cfr. *Roland.*, Summa, 126 sq. A qua sententia etiam alii viri docti saeculi duodecimi non videntur fuisse alieni, licet mentem suam de distinctione inter sponsalia de futuro et matrimonium ratum non semper *claris* verbis videantur expressisse. Cfr. Gratian. in C. XXVII, q. 2; *Paucapal.*, Summa, 144 sq.; *Fahrner*, l. c., 169 sq.; *Esmein*, I, 108 sq., 119 sq., ubi recte docet Petrum Lombardum claritate superare Gratianum. Immo in Ecclesia Orientali tanta habita est vis professionis religiosae, ut illam falso extenderent ad ipsam solutionem matrimonii *consummati*. Cfr. Gregor. M. in c. 19, 21, 25, C. XXVII, q. 2; Nicol, M. in c. 1, § 9, D. 10; *Zhishman*, 773. Item in Conc. Comp. (a. 757). Legatus Sedis Apostolicae, qui alios canones non admisit, canonem 16 approbavit. Teste vero Huguccione (saeculo duodecimo) in compluribus dioecesibus saltem Italiae matrimonium ratum putabatur adeo minus firmum, ut « *ex pessima opinione et consuetudine* » solveretur per subsequens matrimonium consummatum.

Quae consuetudo ab Alexandro III, Innocentio III et Gregorio IX fuit proscripta. Cfr. cap. 3, 5, X, de sponsa duor. IV, 4; cap. 31, de sponsal. IV, 1, iunct. cap. 4, 5, 6 (Alex. III), de sponsa duor. IV, 4 in cpl. I; *Roland.*, l. c. 132 sq.; supra, h. tom. V, n. 243, not. 17; *Fahrner*, l. c., 174 sq., 194 sq., ubi Innocentio III, iuxta textum originalem cap. 14, X, III, 32, tribuit *intentionem* — non satis demonstratam — tollendi a professione sollemni vim solvendi matrimonium ratum.

Haec « pessima consuetudo » conexa est cum diversis theoriis, quae praesertim saeculo duodecimo de indissolubilitate matrimonii in Gallia et Italia a viris doctis dicuntur propugnatae. Nam doctores scholae *gallicanae* summo cum rigore sustinuerunt indissolubilitatem matrimonii *etiam rati;* at doctores Bononienses licet absolutam indissolubilitatem

— ita quidem ut votum castitatis in saeculo servandum non sufficiat ad hunc effectum solutionis matrimonii rati, non consummati, c. 14, X, (Innocentius III), III, 32, cfr. *Scharnagl*, Das feier-

matrimonii *consummati* omnino retinerent, tamen certis in casibus propter speciales causas ab ipsis enumeratas admiserunt solutionem matrimonii rati. Cfr. *Esmein*, l. c.

Quae oppositio utriusque scholae maxime illustratur verbis Summae Parisiensis in Decretum Gratiani, circa a. 1160, compositae: « Invenitur quaedam consuetudo, quae aliter hodie in *Francia*, aliter in *Ecclesia Romana* observatur. Si enim aliquis aliquam verbis de praesenti desponsaverit et benedictionem cum ea sacerdotalem susceperit, sed antequam eam cognoscat, ab alio desponsata carnaliter cognita fuerit, Ecclesia *Franciae* cogit eam redire ad primum, sed *non* (?) « *Ecclesia Romana* ». In Summa vero Coloniensi, inter a. 1159-1170 publicata, haec leguntur: « In hac quaestione *gallicana* et *transalpina Ecclesia* (?) dissentiunt. *Transalpini* enim inter initiatum (ratum?) et consummatum matrimonium distinguunt, tradentes pactione coniugali initiari et carnali copula consummari coniugium. Non ignoro tamen aliquos *Bologniensium* hinc aliter sentire affirmantes, quod de praesenti conceptam dispositionem VII, (VIII) dissolvant: Posterior desponsatio carnis commixtione perfecta, spontanea alterius fornicatio, raptus, maleficium, melioris vitae propositum, horrendi criminis perpetratio, perpetua alterius aegritudo, continua captivitatis detentio... Pro huiusmodi rationibus *gallicana Ecclesia* idem de sponsa, quod nupta iudicat, quod videlicet continentiam, nisi ex *consensu* viri offerre Domino non possit... E contra *Romana Ecclesia* quamquam auctoritate praecellat, rationibus tamen contendere et dissimulata iudiciali potestate in agonem cum filia venire non dedignatur ». Cfr. *Freisen*, 188 sq.; *Fahrner*, l. c., 169 sq.

Quae de illa oppositione inter Ecclesiam romanam et gallicanam, scholam bononiensem et gallicanam antiqui et recentiores doctores tradunt non pauca accurate solideque demonstrata dici non possunt, atque speciatim iis quae *Freisen*, 190 sq., et *Scherer*, l. c., 549 sq., et *Fahrner*, l. c., 123 sq., 169 sq., cum *Sheling* aliisque magna cum eruditione disputant, in compluribus quoad *facta* et *iura* explicanda consentire non possum. Etenim, si quis attendat distinctionem inter sponsalia de *praesenti* et *futuro* — non semper clare expressam — inter declarationem *nullitatis* et solutionem matrimonii *valide* contracti, inter matrimonium *clandestinum*, quod in foro externo probari non potest, et matrimonium *publicum* et *sollemne*, facile intelliget istas oppositiones utriusque scholae saltem in quamplurimis quaestionibus magis esse apparentes quam veras. Cfr. v. g. cap. (4), 4, 5, 6, de sponsa duor. IV, 4, (Alex. III), in cpl. I; *Esmein*, l. c. Neque quidquam mirum quod in *diversa suppositione* utraque schola pervenerit ad diversas conclusiones. Cuius rei obvium exemplum habetur in Summa Bernardi Pap. ed. cit., si p. 137 sq. comparetur cum p. 187 sq. Deinde admissa non levi divergentia, complures quoque doctores, v. g. *Rolandus*, ab aliis non tantopere dissentiunt.

Porro duae Summae supra citatae evidenter excedunt, si insinuant *Ecclesiam romanam* generaliter laxo illo modo admisisse solutionem matrimonii rati, ut scite etiam *Freisen*, 190 et *Scherer*, 551 et *Fahrner*, l. c., 187, tenent. Nam certe iam Innoc. II, (a. 1130-1143) in cap. 10 de sponsal. IV, 1, in cpl. I, aperte docet matrimonium consummatum non dirimi,

liche Gelübde als Ehehindernis, Freiburg 1908, pag. 163, — et dispensationem Romani Pontificis[22], variae theoriae et disquisitio-

cuius vestigia Alexander III et Innocentius III secuti sunt. Cfr. cap. 3, 5, X, de sponsa duor. IV, 4.

Solido quoque fundamento caret, si Alexandro III, (cfr. cit. cap. 4, 5, 6, de spons. duor. in cpl. I), tribuuntur partes alicuius vacillantis et labilis legislatoris, vel si Lucii III (a. 1181-1185) decisio (cfr. Collect. Lipsiens. tit. 59, cap. 16, apud *Friedberg,* Quinque comp. 206), ab Huguccione vehementer vituperatur. Nam quicumque in cit. cap. 16 verba «*iuravit*» et «*fide mentita*» totumque contextum accurate examinat, haud difficulter admittet Lucium III, l. c., loqui de *sponsalibus de futuro,* non de praesenti, atque consequenter verissimam esse R. Pontificis decisionem. Quare si *Scherer,* 551, not. 31, approbat vituperationem Huguccionis et Lucium III putat *male sese expressisse,* huic censurae subscribere non ausim. *Fahrner* quoque, l. c., 193 sq., genuinum sensum capitis cit. Lucii III non videtur esse assecutus.

Denique quid verum vel falsum sit in antiquis illis et novis disputationibus virorum doctorum, id facile inveniri potest, si seposita nimia multitudine *coniecturarum* historicarum, unice *iuris* quaestio examinetur ad tramites *principiorum,* quae a *catholicis* philosophis et theologis et canonistis de indissolubilitate matrimonii traduntur. Cfr. v. g. *Schiffini* et *Cathrein,* l. c.; *Schmalzgr.,* l. IV, t. 4, n. 24 sq., t. 19, n. 62; *Pesch,* n. 763 sq., 767 sq., 812, 817 sq., (de ultima ratione internae et externae indissolubilitatis matrimonii ex doctrina S. Thomae); *Rosset,* n. 548 sq.; *Sánchez,* l. II, disp. 13 sq., iunct. *Fahrner,* l. c. v. g., 199 sq., ubi paulo aliter disserit.

[22] Dispensationes super matrimonio rato, si quae in casibus *particularibus* a RR. Pontificibus *independenter* a professione religiosa ante Martinum V dicuntur concessae, concludentibus argumentis historicis non possunt probari. Cfr. *Perrone,* III, 505, not. 97. Exemplum quoque ex resp. Gregorii II, (c. 18, C. XXXII, q. 7) allatum nititur meris coniecturis parum fundatis. Neque *Freisen,* 212, efficaciter probat iam Alexandrum III in capitibus a se citatis usum esse hac potestate: nam omnia capita allegata omnino aliter sunt intelligenda. Cfr. cap. 2, X, IV, 13; cap. 13; X, II, 23; cap. 2, 3, X, IV, 15; cap. 3, X, IV, 4; cap. 2, X, IV, 16.

Denique *Fahrner,* l. c., 198, post allegata verba *S. Antonini,* Summa theol. P. III, t. 1, c. 21, § 3: «*Vidi aliquas Bullas Martini V* (a. 1417-1431) *et Eugenii IV,* (a. 1431-1447) *continentes talem dispensationem matrimonii non consummati, contrahentibus postmodum illis cum aliis*», putat ex illo testimonio S. Antonini repetendum esse, quod in libris canonistarum Martinus V dicatur primus concessisse dispensationes super matrimonio rato. Quam opinionem canonistarum hic auctor propter animadversiones a se, l. c., 190 sq., de legibus Alexandri III factas arbitratur *non esse scientificam.* At *Fahrner,* l. c., capitibus Alexandri III eam dat interpretationem, quae a legitimis exceptionibus non videtur esse immunis. Nam in cap. 2, X, de eo qui IV, 13, verba «*ex dispensatione*» pro *obiecto* non habent *solutionem matrimonii rati,* sed relaxationem *impedimenti impedientis ex incestu* contracti. Porro cum Alexander III, eodem cap. 2, agat de sponsalibus *de futuro, non de praesenti,* cit. canonista proficiscitur ab altera suppositione non sufficienter pro-

nes historicae sobrio maturoque iudicio sunt examinandae[23], atque coniecturis subiectivis in hisce rebus historicis et canonicis et dogmaticis non est fidendum.

Cum in Ecclesia Orientali magis magisque invalesceret divortium illegitimum, in Concilio Florentino Eugenius IV graecos post unionem factam de erronea illa praxi corrigenda serio admonuit[24]. Concilium vero Tridentinum, ne videretur directe carpere et condemnare graecos, Sess. XXIV, doctr. de sacram. matr., canonem 7 in mitiorem quidem formam redegit, attamen indirecte ipsis genuinam doctrinam catholicam clare proposuit. Id

bata. Quodsi denique opinatur cap. 4, 5, de spons. duor. IV, 4, et cap. 3, de matrim. IV, 17, in cpl. I, Alexandrum III dedisse dispensationes super matrimoniis ratis, ipse fateri debet fundamentum istius opinionis esse coniecturam, quod Alexander, l. c., «*videatur tolerasse*» «*contra propria sua principia*» solutionem matrimonii rati per subsequens matrimonium consummatum. Cfr. *Roland.,* Summa, 132 sq.; *Fahrner,* l. c., 175. Immo tria illa capita huius coniecturae non solum non suppeditant solidum fundamentum, sed ex sensu obvio potius illius theoriae de solutione matrimonii rati per subsequens matrimonium consummatum continent *reprobationem.* Hinc ex rescriptis Alexandri III nihil videtur posse colligi, quo usum potestatis pontificiae solvendi matrimonia rata extra professionem religiosam solide demonstret. Fieri autem potest ut forte futuro tempore aliquod rescriptum in archivo reperiatur absconditum, quo Romanus quidam Pontifex iam ante Martinum V dedit dispensationem super matrimonio rato, atque cum *Fahrner* omnino consentiendum esse censeo, si practicum usum huius potestatis pontificiae implicitum esse putat in solutione matrimonii rati per professionem religiosam.

Verum omnino admittendum est canonistas iam ante Martinum V reperiri, qui in theoria R. Pontifici vindicarunt ius solvendi matrimonia rata. Cuius doctrinae canonicae vestigium iam videtur insinuare Paucapalea, Summa (ed. *Schulte*) 114 sq., si solummodo verba considerantur: «*Ex dispensatione Ecclesiae*»; at attentis aliis verbis in contextu: «*Post in brevi tibi desponsasti aliam,* **duxisti** *ductamque cognovisti*» videtur potius tradi oppositio inter sponsalia de futuro et alia de praesenti. Cfr. quoque *Fahrner,* l. c., 173, de aliis explicationibus. Iuxta Glossam v. consummatum cap. 7, X, de convers. coniug. III, 32, antiquissimi vindices illius iuris R. Pontificis videntur fuisse Alanus et Vincentius Hispan. (c. a. 1210). Quibus accensendi sunt; *Hostiensis* († a. 1271), *Ioann. Andreae* († a. 1348), *Panormitanus* († a. 1453), aliique, v. g. Durantis, S. Antonius, Turrecremata. At fatendum est nonnullos ex illis viris doctis iis usos esse explicationibus et argumentis — v. g. indissolubilitatem matrimonii rati derivarunt ex constitutione Ecclesiae — quae multis theologis et canonistis haud sine fundamento non placuerunt. Cfr. *Sánchez,* l. II, disp. 13, n. 6 sq., disp. 15, n. 1 sq.; *Schmalzgr.,* l. IV, h. t. n. 24 sq.; *Rosset,* n. 551; *Fahrner,* l. c., 208 sq., 316 sq.

[23] *Freisen,* 823 sq.; *Fahrner,* l. c., 169 sq.; *Sehling,* D. Unterscheid. d. Verloeb., 72 sq.; 82 sq. iunct. *Esmein,* I, 108 sq.

[24] Confessio fid. Mich. Palaeol. in Conc. Lugd. II, a. 1274, oblata;

vero postea ab Urbano VIII, Benedicto XIV et Pio IX etiam apertius factum est cum severa inculcatione praxis huic doctrinae conformis [25].

Directe in Concilio Tridentino, l. c. can. 6, 7, novae *haereses* pseudo-reformatorum de dissolubilitate illegitima matrimonii proscriptae sunt, sicuti can. 5 legitima dissolutio matrimonii rati per sollemnem professionem religiosam, et can. 8 separatio a toro et cohabitatione ob iustas causas contra novatorum doctrinas fuerunt vindicatae [26].

Postquam a cultoribus falsae philosophiae et iurisprudentiae matrimonium ad merum contractum civilem est redactum, ut indissolubilitas vinculi matrimonii sarta tectaque maneret, RR. Pontifices suo officio non defuerunt. Cuius supremi magisterii sollemnes declarationes hisce ultimis annis datae reperiuntur [27] in Syllabo Pii IX (a. 1864) prop. 67 et in Enc. « *Arcanum* », 10 febr. 1880, Leonis XIII, « *Casti Connubii* » Pii XI, 31 dec. 1930.

Art. 1 — De dissolutione vinculi matrimonii

§ 1. De dissolutione vinculi sacramenti matrimonii fidelium

623. Matrimonium consummatum. Vinculum matrimonii *consummati christianorum* valide baptizatorum et *intrinsece*, sive

---

decret. pro Armen.; *Hefele*, VII, 757; *Vering*, Lehrb. d. K. § 282; *Fahrner*, l. c. 263 sq.

[25] Instr. Clem. VIII, 31 aug. 1595, § 5; professiones fidei ab Urbano VIII et Benedicto XIV orientalibus praescriptae apud *Denzinger*, Enchir. n. 873 sq. Benedict. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » 26 maii 1742, § 8, n. 2; Synod. Mont. Lib. (a. 1736), in Collect. Lac. II, col. 413 sq.; Instr. S. C. de Prop. F., 28 iun. 1858, cum not. in Collect. Lac. l. c. col. 595 sq.; Conc. prov. Alba-Iul. 94; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), p. 168 sq.; *Papp-Szilágyi*, Enchiridion, 487 sq.; *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. X, 333 sq., XIV, 318 sq.; *Fahrner*, l. c., 243 sq. 251 sq.; *Perrone*, III, 389 sq., 403 sq., 416 sq. (cum causis particularibus a SS. CC. Inq. et Conc. decisis).

Qui canon. 7 Concilii Tridentini certe non est *mere disciplinaris*, ut falso putarunt Launoy, Sarpi aliique, sed vere *doctrinalis* et *dogmaticus*. Cfr. *Perrone*, l. c., 407 sq.; *Rosset*, n. 588; *Pesch*, n. 584. At recte ipse *Perrone*, 415 sq., *supremum gradum* definitionis infallibilis et dogmaticae, qua doctrina quaedam damnatur ut *haeresis*, tantum tribuit obiecto *directo* Tridentinae definitionis — de errantia Ecclesiae — doctrinam vero *indirecte* proscriptam — de solubilitate matrimonii — solummodo appellat *haeresi proximam*, cuius contradictoriam alii positive vocant dogmati vel *fidei proximam*. Cfr. *Fahrner*, l. c., 256, cum *Hurter* aliisque, v. g. Katschthaler; paulo aliter *Scherer*, 553, not. 36, disserit de valore dogmatico istius canonis.

[26] *Fahrner*, l. c., 243 sq.; *Esmein*, II, 330, sq., 464 sq.

[27] *Fahrner*, l. c., 225 sq.; 257 sq.

mutuo coniugum consensu [28], et *extrinsece* sive per auctoritatem humanam [25], ex iure divino naturali [30] et positivo [31] est absolute indissolubile [32] solaque *morte* unius ex coniugibus solvi potest

---

[28] Quamvis matrimonium indubitanter sit verus quidam contractus, quem homines non prohibiti pro sua libertate inire possunt, tamen essentialia constitutiva huius contractus hominum arbitrio et libertati non sunt relicta, sed lege naturali definita. Quae lex naturalis omnino exigit ut contractus maritalis, initus ad generandam et educandam prolem, sit indissolubilis.

Quodsi mutuo consensu solutio matrimonii fieri posset, destrueretur bonum commune, atque vagi concubitus essent permissi. Cfr. *Pesch*, n. 763 sq., 771 sq.; *Palmieri*, 125 sq.; *Perrone*, 126 sq. Quare indissolubilitas matrimonii ex mutuo consensu non est probanda ex falso illo principio quod matrimonium non sit contractus. Cfr. *Scherer*, 552 iunct. *Gasparri*, II, n. 1318 sq.

Hinc patet nullas esse leges antiquas et modernas codicum civilium, quibus mutuo coniugum consensu permittitur solutio vinculi matrimonialis. Cfr. Novell. 22, cap. 3; *Zhishman*, 97 sq.; cod. civil. Gall. art. 275 sq. (nunc abrogatos); *Allègre*, I, 164 sq., 200, 704.

[29] Quare neque Ecclesia (cfr. Matth. XIX, 3 sq.; cap. 2, 7, X, de convers. coniug. III, 32) neque potestas civilis matrimonium valide contractum et consummatum rescindere possunt, etiam utroque vel uno coniuge consentiente vel tertia quadam persona postulante. Cfr. *Pesch*, n. 817 sq., cod. civ. Hispan. art. 104, Ital. art. 149, ubi indissolubilitas vinculi matrimonii recte sustinetur; aliter in Gallia, Germania, Britannia aliisque regionibus. Cfr. *Allègre*, l. c. 167 sq.; *Hollweck*, D. Civileher. 57 sq., 101, 199 de exorbitantibus dispositionibus codicis civilis Germaniae.

[30] Benedict. XIV, Const. « *Matrimonii* », 11 apr. 1741; Pii IX Syllab. prop. 67; S. C. Inq., 11 iul. 1886; *S. Thom.*, Suppl. q. 67, art. 1, 2, *Perrone*, III, 115 sq.; *Palmieri*, 125 sq., 192 sq., 200 sq.; *Pesch*, n. 767 sq.; *Rosset*, n. 551 sq.; *Schiffini* et *Cathrein*, l. c.; *Leitner*, 579 sq.

[31] Marc. X, 11, 12; Luc. XVI, 18; 1 Corinth. VII, 10, 11. Cfr. in hos textus commentatores s. Scripturae, v. g. *Knabenbauer*, *Cornely*, *Perrone*, III, 161 sq.; *Palmieri*, 170 sq.; *Pesch*, n. 764 sq.

[32] *S. R. Bellarmin.*, l. c. cap. 12 sq.; *Sánchez*, l. II, disp. 13 sq., l. X, disp. 1, 2; *Perrone*, l. c., 150 sq.; *Palmieri*, 200 sq.; *Pesch*, n. 767 sq. Si quis inquirat in ultimam rationem illius *perfectae* seu *absolutae* indissolubilitatis matrimonii consummati *christianorum*, certe non potest repeti ex sola *lege naturali*, ut patet ex libello repudii hebraeorum et privilegio Paulino divinitus concessis (cfr. *Sánchez*, l. X, disp. 1, n. 7, 8, ubi utique *hebraeis, non gentilibus*, libellum repudii permissum fuisse docet), neque unice ex ratione sacramenti novae legis. Nam matrimonium ratum est verum sacramentum et nihilominus per professionem sollemnem vel dispensationem R. Pontificis solvi potest.

Quare praeter indissolubilitatem matrimonii ipso iure naturali statutam (cfr. Pii IX Syllab. prop. 67) *ratio sacramenti et consummatio matrimonii* constituunt causam adaequatam, ob quam *Deus* in *Novo Testamento positive voluit* tribuere matrimonio christiano *perfectam* indissolubilitatem. Cfr. *Vlaming*, II, n. 701. Nam Deus quamvis pro sua potestate absoluta etiam matrimonium consummatum christianorum in certis ca-

(c. 1118)[33]. Quare iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam ne propter adulterium quidem alterius coniugis matrimonii consummati vinculum potest dissolvi, et uterque coniux, haud excepto innocenti qui causam adulterio non dedit, non potest altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere[34].

624. Matrimonium ratum. Si matrimonium *christianorum* valide baptizatorum manserit *ratum*[35], quamvis ex eodem iure divino naturali et positivo *intrinsecam* indissolubilitatem quoad vinculum habeat communem cum matrimonio consummato[36],

---

sibus posset solvere, tamen per aliquam « *revelationem* », de qua disserit Innocentius III in parte historica cap. 14, X, de convers. coniug. III, 32, in toto Novo Testamento nullibi huiusmodi voluntatem manifestavit; immo cum matrimonium consummatum christianorum *perfectius* significaret unionem Christi cum Ecclesia, ei etiam perfectiorem indidit firmitatem. Alii aliter de ista quaestione philosophantur, quibus passim consentiri non potest. V. g. Alanus ex constitutione Ecclesiae repetit indissolubilitatem sponsalium de praesenti, i. e. matrimonii rati. Quae explicatio ab *Esmein*, I, 131 sq., vocatur *potius iuridica;* at habet illud incommodum quod supponat *falsam doctrinam theologicam*, sc.: matrimonium etiam ratum non *ex iure naturae* esse indissolubile. *Scherer* quoque, 558 sq., obscurius et minus accurate hac de re disputat. Pariter ratio absolutae indissolubilitatis matrimonii consummati a *Vermeersch*, De castitate, n. 79, assignata multis est obnoxia legitimis exceptionibus.

[33] Cfr. Roman. VIII, 2, 3; c. 1, C. XXXIV, q. 1; cap. 19, X, de sponsal. IV, 1; cap. 2, X, de secund. nupt. IV, 21.

[34] Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. can. 7; *Palmieri*, 170 sq.; *Perrone*, l. c., 161 sq.; *Pesch*, n. 776; *Knabenbauer*, Comment. in Matth. II, 139 sq.; *Fahrner*, l. c., 11 sq.

Cui definitioni Concilii Tridentini verba Christi apud Matth. V, 31, 32, XIX, 4 sq. non sunt contraria, dummodo loci paralleli, universus textus et contextus accurate examinentur. Nam dimissa pleniore disquisitione ad theologos, certe Christus Dominus l. c. *brevi sollemnique formula* dedit *legem* de matrimonio in Novo Testamento. At contra genuina principia interpretationis legum est, si quis exceptionem in priore parte legibus ab ipso legislatore appositam etiam arbitrarie inserat secundae parti plane distinctae. Nam ex *lege naturae*, non iure mere positivo aut inventione theologorum, propter adulterium unius coniugis alteri parti innocenti permissa est perpetua separatio a toro et cohabitatione. Cfr. *Sánchez*, l. X, disp. 3, n. 4, 5.

[35] Cui rei non obstat *copula ante matrimonium inter coniuges habita* (Pius VII, 22 febr. 1801 ad Vic. Ap. Tunk. in Collect. (Paris.) Const. S. S. n. 962); at per legitimas et certas probationes constare debet consummationem matrimonii *post* celebratas nuptias *non* esse secutam. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Dei miseratione* »; decl. et resp. SS. CC. in Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 961 sq.; decis. S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr., 280 sq. , et passim in ASS.; *Feije*, n. 520 sq., 601; *Giovine*, I, 457 sq., 466 sq., 477 sq.; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 108; *Rosset*, n. 679 sq. *Scherer*, 454, n. 10; *Fahrner*, 310 sq.

[36] Cap. 3, 5, X, de spons. duor. IV, 4; Pii IX Syllab. prop. 67; *Schmalzgr.*, h. t. n. 62; *Palmieri*, 125 sq.

tamen *extrinsece* solvi potest, tum utraque parte rogante tum ad petitionem unius partis *etsi altera sit invita*[37], ex causa proportionata et iusta[38], a Romano Pontifice vi potestatis sibi divi-

---

[37] *Giovine*, I, 456 sq.; *Sánchez*, disp. 15, n. 7; *Gasparri*, II, n. 1130; *De Smet*, n. 331; *Chelodi*, n. 154. At inde non sequitur eandem potestatem etiam esse extendendam ad casum, in quo *utraque* pars solutioni con- *tradicit*, atque adeo *tertia* quaedam persona, ipsis coniugibus *invitis*, postulat matrimonii solutionem. Codex c. 1119 expresse exigit quod utraque pars vel alterutra dispensationem petat. Congruenter quoque c. 1973 statuitur ius petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato *solis* coniugibus competere.

Iamvero usus illius potestatis, qua, contradicentibus partibus, R. Pontifex solveret vinculum matrimonii a constanti praxi Ecclesiae est alienus, neque ullum illius exemplum allegari potest; immo S. C. C., 15 mart. 1727 in ed. *Richt.* C. Tr. 269 sq., n. 113 i. f., huiusmodi instantiam patris sponsae reprobavit. Et profecto talis potestas potius cederet in tyrannicam administrationem et destructionem, non in aedificationem Ecclesiae. Praeterea nullo modo patet quomodo utroque sponso invito possit existere iusta et proportionata causa solutionis matrimonii; qua deficiente, solutio matrimonii non solum esset illicita, sed etiam invalida. Quam sententiam impugnat *Cappello*, II, n. 757, ubi suam contrariam opinionem *certam* habet: cfr. infra hoc cap. not. 42.

[38] Non defuerunt viri docti qui putarent Pontificem etiam *sine iusta causa* saltem *valide* posse dissolvere matrimonium — praesertim si uterque coniux consentiat — v. g. Alanus et Vincentius Hisp., Henriquez aliique. Cfr. *Sánchez*, l. II, disp. 13, n. 6, disp. 15, n. 1 sq.; *Fahrner*, l. c. 331. Quae sententia nunc prorsus improbabilis est dicenda; nititur enim falsa illa opinione, quod indissolubilitas matrimonii rati ex *iure humano* sit derivanda. At nostra aetate non amplius in dubium vocari potest etiam matrimonium *ratum* ex iure naturali et divino esse indissolubile.

In quo divino iure R. Pontifex, in casibus quoque sibi permissis, sine iusta et proportionata causa, v. g. super voto, valide dispensare nequit. Porro talis potestas R. Pontificis cederet potius in destructionem quam in aedificationem Ecclesiae ideoque in potestate a Christo R. Pontifici concessa non continetur.

Denique ita R. Pontifex posset auferre *iura* quaésita alterius partis; at R. Pontificem id valide posse *sine iusta causa* ne in sponsalibus quidem concedebatur, ergo multo minus in matrimonio rato. Cfr. *Sánchez*, disp. 15, n. 1 sq., disp. 16, n. 1 sq., 9; *Schmalzgr.*, h. t. n. 50 sq.; *Giovine*, l. c., 458 sq.; *Gasparri*, II, n. 1130. Qua in re nihil immutatur, quod R. Pontifex in his terris superiori auctoritati humanae non subiciatur; ipse enim manet ligatus *iure divino*, quo sine iusta causa super votis vel matrimoniis ratis valide dispensare nequit. Quamvis igitur in foro externo standum sit decreto R. Pontificis, cuius est de causis iudicare, tamen tum ipse tum eius successores possent et deberent dispensationem super matrimonio rato cassare, quae per errorem, fraudes, dolos, sine causa fuisset obtenta. Cfr. mirum exemplum dispensationis ab Alexandro VI datae apud *Pastor*, Storia dei Papi, III, 345, quae tamen postea non fuit declarata invalida.

Si auctores supra allegati nimis laxarunt habenas, alii nimio rigore

nitus concessae [39]. Hanc dissolutionem vinculi matrimonii rati duplici modo efficit Romanus Pontifex: *a*) per dispensationem datam in casibus particularibus; *b*) per ipsam iuris dispositionem adnectendo vim dissolvendi praecedens matrimonium ratum subsequenti professioni sollemni.

---

ut *unicam* causam dispensationis pontificiae super matrimonio rato admiserunt *ingressum in religionem*. At *Sánchez*, disp. 16, n. 1 sq., cum Barbosa aliisque etiam alias causas sufficere recte docet, ut patet ex constanti praxi Ecclesiae: cui praxi iamdiu servatae consonat Codex, dum sine distinctione exigit *iustam causam*. Quae causae licet nequaquam debeant esse *publicae*, sed *privatae* sufficiant, tamen graves sint oportet; non enim de vinculo iuris humani sed divini dissolvendo agitur. Huiusmodi causae sunt, v. g. impotentia superveniens, infirmitas superveniens, quae usum matrimonii impedit, odium implacabile coniugum, voluntaria et nimis protracta dilatio consummationis matrimonii per alterum coniugem causata, secundum matrimonium ab uno ex coniugibus cum tertia persona attentatum. Denique commemoranda est impotentia antecedens forte *magna* cum *probabilitate* probata, quae licet ad declarandam *nullitatem* matrimonii ex capite impotentiae non sufficiat, tamen R. Pontifici subministrare potest causam sufficientem solvendi matrimonium, quod certo mansit ratum. Cfr. ASS. XXVIII, 543 sq.; *Leitner*, 593 sq.

[39] Controversia de illo iure R. Pontificis inter ipsos catholicos doctores saeculis elapsis agitata (cfr. *Sánchez*, l. II, disp. 14; *Schmalzgr.*, h. t. n. 43 sq.; *Rosset*, n. 705; *Fahrner*, l. c., 316 sq.) nostra aetate iamdiu erat sopita, et sententia affirmans hanc praerogativam Sedis Apostolicae est adeo *certa*, ut contraria opinio nedum probabilitate careat, sed etiam a viro catholico non iam ulla ratione sustineri possit. Talis enim opinio esset iniuriosa et contradictoria praxi *certae* et *constanti* Sedis Apostolicae inde saltem a saeculo 15, et opposita illi sententiae, quae eodem saeculo 15 saltem inter canonistas fuit communis (cfr. *Panormit.*, l. c. in cap. 7, X, de convers. c. III, 32, n. 14; *Giovine*, I, 446) atque nullo magis nostra aetate inter theologos et canonistas catholicos communi consensu comprobata. Cfr. *Benedict. XIV*, Quaest. can. 24, 108, 479; *Perrone*, l. c., 504 sq.; *Palmieri*, 209 sq.; *Gury-Ballerini*, l. c., II, n. 759; *Schulte*, § 52; *Rosset*, n. 706 sq.; *Scherer*, 556; *Fahrner*, l. c., 330 sq.

Quae doctrina de iure R. Pontificis solvendi matrimonia rata, licet expresse et formaliter nondum sit *definita*, tamen imprimis ex praxi Sedis Apostolicae per plura saecula, saltem inde a Martino V constanter et frequenter servata, certissime probatur. Cfr. *Feije*, 829 sq., ubi longum affert catalogum dispensationum.

Nam recte *Suárez*, De virt. et stat. relig. tract. VII, l. 9, cap. 13, n. 7, in simili materia haec statuit principia: « Et haec erat sufficiens probatio — i. e. ex praxi — huius assertionis; nam videmus cotidie fieri ut constitutus in sacris auctoritate Pontificis matrimonium contrahat; impium autem esset dicere in hoc errare Pontificem, *quia, licet in facto particulari posset aliquando errare Pontifex, tamen in tota specie facti, ut sic dicam, et in re adeo gravi et frequenti errare utendo potestate, quam non habet, esset gravis error et valde perniciosus Ecclesiae*; tum etiam, quia non solet dispensare tanquam in re *dubia*, utendo opinione *probabili*; alioquin non tam frequenter nec tam facile dispensaret, sed

625. Solutio per dispensationem. Haec est R. Pontifici reservata et non datur nisi propter *causas in specie* probatas: ipse

---

tanquam certam et indubitatam potestatem habens, sicut dispensat in aliis votis et spiritualibus impedimentis ». Quae si verissima sunt in ista materia, multo magis valent in nostra quaestione, ubi de *valore* sacramentorum, de vitandis *adulteriis*, *polyandria* et *polygamia* in Ecclesia Christi agitur. Quare RR. Pontifices sua constanti et frequenti praxi promovissent generalem errorem in fide et contra bonos mores, si hac potestate non gauderent. Id autem admitti nullo modo potest.

Cui rationi ex praxi petitae accedit auctoritas Congregationis specialis octo Cardinalium cum quatuor auditoribus Rotae et duobus insignibus theologis, qui ex mandato Clementis VIII examinarunt ius R. Pontificis solvendi matrimonia rata suoque suffragio approbarunt. Cfr. *Perrone*, l. c. 531. Quae decisio eo maiorem habet valorem, quod absque ullis dubitationibus theoreticis constans et frequens praxis Curiae Romanae sese eidem omnino conformarit. Cfr. *Benedict. XIV*, Quaest. can. 24.

Porro Benedict. XIV in *universali* Const. « *Dei miseratione* », 3 nov. 1741, etiam ordinat modum procedendi in causis dispensationum super matrimonio rato. Quare si R. Pontifex careret potestate illa dispensandi, in ista Constitutione disciplinari non solum errasset in fide circa limites suae potestatis, sed etiam contra bonos mores stabiliendo formam quandam *legalem* dissolvendi matrimonia valida et celebrandi adulterinas nuptias. Cfr. *Wilmers*, De Christi Ecclesia, 472 sq. (de infallibilitate Ecclesiae in disciplina generali sancienda). Quae argumenta novam vim acceperunt ex formali lege pontificia in Codice sancita ac universae Ecclesiae datae, quibus in legibus condendis R. Pontifex errare non potest.

Tandem confirmatur haec doctrina ex suprema et plena potestate a Christo S. Petro eiusque successoribus concessa. Cfr. Matth. XVI, 18. Qua in potestate certe omnia continentur, quae non solum ad *absolutam*, sed etiam ad *convenientem* existentiam Ecclesiae sunt *necessaria* in ordine ad promovendum bonum spirituale fidelium.

Quae *necessitas* in materia subiecta a priori difficilius ex solis verbis Christi deduci posset. Cfr. *Suarez*, De leg. l. X, cap. 6, n. 9, 19. At si quis attendat vinculum matrimonii rati, sicuti votum vel iuramentum, oriri ex actu quodam *humano*, nec absolutam habere indissolubilitatem et ex *praxi* et *traditione* Ecclesiae a R. Pontifice posse solvi, hanc quoque praerogativam RR. Pontificibus a Christo concessam esse non amplius in dubium vocabit.

Quae adversarii in facto et in iure olim obiecerunt, iam pridem congruam invenerunt solutionem. Cfr. *Perrone*, l. c.

Quodsi R. Pontifici vindicatur potestas solvendi matrimonium ratum, cuius usus non raro vocatur *dispensatio*, iam pridem antiqui et recentiores scriptores catholici illius vocabuli genuinam suppeditarunt notionem et explicationem canonicam. Huiusmodi enim dispensatio super matrimonio rato *non est dispensatio sensu stricto*, i. e. *relaxatio* legis *divinae* in casu particulari, quatenus stante priore matrimonio — sive manente lege — permitteretur secundum, sed est *dispensatio sensu lato*, quatenus R. Pontifex vi potestatis suae *vicariae* directe concedit *gratiam* solutionis vinculi matrimonii rati, unde *consequenter* lex divina

processus ad eam obtinendam necessarius eidem R. Pontifici est reservatus cui est reservata dispensatio, quem tamen conficiendum *committit* locorum Ordinariis, qui, si absque tali commissione agunt, invalide agunt et acta sanatione indigent [40]. R. Pontifex huiusmodi negotium in Curia expedit per S. C. de d. Sacr., quae tamen, si id expedire iudicaverit, potest cognitionem causae pro suo iure ad S. R. Rotam remittere (c. 249 § 3). Salva quoque manet competentia S. Off. in matrimoniis mixtis vel inter dispares cultu (c. 247 § 3).

Processus [41] habet pro scopo obtinere iuridicam certitudinem de duplici condicione sub qua potestas dispensandi a

---

de ligamine, sublata materia, non amplius urget. Cfr. *Suarez*, De leg. l. II, cap. 14, n. 7 sq., l. V, cap. 10, n. 7 sq., l. X, cap. 6.

Quare quae complures viri docti nostra aetate de natura iuridica dispensationis pontificiae super matrimonio rato disputarunt, praecisione theologica et canonica prorsus carent. Cfr. *Fahrner*, l. c., 337 sq.

[40] Cfr. can. 249 § 3 iunct. c. 1963. — Const. « *Dei Miseratione* » Benedicti XIV, 3 nov. 1741, § 15; S. C. C. in caus. Warsav., 16 iun. 1894, in caus. Treviren. 29 iul. 1895, cum voto P. Wernz, in caus. Naunetensi, 29 ian. 1898 cum voto P. Wernz. — S. C. de d. Sacr. Decret. « *Catholica doctrina* » 7 maii 1923, ubi de novo, sapienti ac practica ratione ordinatus est totus processus in Curiis Ordinariorum ex delegatione conficiendus, quoties libellus supplex pro obtinenda dispensatione a matrimonio rato a S. C. fuit acceptus, quod Decret. inscribitur « Regulae servandae » in processibus super matrimonio rato et non consummato. Cfr. AAS. XV, 389. At non desunt exempla in quibus Episcopis a Sede Apostolica facultas concedendi ipsam solutionem matrimonii rati fuit *delegata*. Cfr. S. C. C. 12 mart. 1729 in ed. *Richt.* Conc. Trid., 281 sq., n. 141 i. f.; Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 961 sq. Quae praxis in casibus extraordinariis nondum ab aula recessit. Cfr. S. C. Inq., 28 iun. 1876, in cit. Collect. n. 927.

[41] Licet sit quaestio de *processu*, non tamen agitur de aliqua causa stricte iudiciali, quippe non promovetur actione aliqua iudiciali sive contentiosa sive criminali, sed supplici libello imploratur gratia ex benigna concessione S. Sedis obtinenda ideoque negotium vertitur gratiosum seu administrativum. Nihilominus propter rei gravitatem, factum a quo *pendet* potestas R. Pontificis, iubetur explorari formis processualibus adhibitis perinde ac in causis iudicialibus.

Forma legitima procedendi imprimis requirit ut libellus supplex R. Pontifici, i. e. S. C. Congr. de d. Sacr. sive directe sive — ad vitandas inutiles ambages regulariter melius — *per Episcopum* ab uno vel utroque coniuge porrigatur in quo plena et accurata *facti species* contineatur, et causae omnes exprimantur, quae ad obtinendam dispensationem petitam conducere possunt. Qua informatione extra-iudiciali accepta Sedes Apostolica solet *delegare* Ordinarium oratorum ad conficienda acta iudicialia, *non* ad ferendam *sententiam*; « Regulae servandae » n. 12. Cfr. S. C. C. in cit. c. Warsav., Trevir., Naunet. iunct. ASS. XXVIII, 121 sq. Inde constituitur tribunal — iudex, cancellarius ad acta seu actuarius et defensor vinculi — et praestatur iuramentum. Defensoris vinculi est interesse

R. Pontifice exerceri potest, i. e. matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda; ideoque duplex habet obiectum: 1°) factum inconsummationis; 2°) existentia causae. Instructus processus in Curia

---

examini partium, testium et peritorum; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis aperienda, et partibus, testibus aut peritis proponenda; documenta recognoscere eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit. Inde ius ipsi est quolibet momento acta processus videre et exigere ut alia acta quae ipse suggesserit conficiantur (« Regulae servandae » n. 28 sq.). Iudicis officium in hoc consistit, ut per *probationes iudiciales* constet *de facto* non consummationis matrimonii et de *sufficientia* causarum. Qua in re de *causis* minor solet esse probationis difficultas; at *de facto* non consummationis matrimonii certitudo eadem facilitate obtineri nequit. Plena probatio de isto facto eruenda est ex iurata confessione coniugum, ex inspectione corporali mulieris de integritate virginali, ex depositione testium fide dignorum, praesertim de inconsummatione coarctata tempore — quia coniuges nunquam simul fuerunt — ex testimonio septimae manus in hisce causis necessario — saltem quoad substantiam — adhibendo ad corroborandam confessionem coniugum. Quae inspectio mulieris tanquam superflua est omittenda, si mulier v. g. ab alio viro iam fuerit deflorata vel de coarctatione *evidenter* constet. Cfr. v. g. S. C. C. in c. Nicos., 19 ian. 1889, in c. Viterb. 28 febr. 1891, in c. Oveten. 22 iun. 1894. Item est omittenda si ex inspectione viri plene constiterit de huius incapacitate ad matrimonium consummandum. Demum omitti poterit examen physicum coniugum, si attenta partium et testium morali excellentia, ac serio pensatis eorum animi dispositionibus necnon ceteris adminiculis aut argumentis, Ordinarii iudicio, plenissima iam habeatur probatio de impotentia vel inconsummatione. Cfr. decr. S. Offic. d. 12 iun. 1942.

Porro integritas virginalis licet quandoque sit tantum apparens, non vera, nec semper certum suppeditet argumentum inconsummationis matrimonii, tamen saepe potius iis est praedita qualitatibus, ut inspecta rei natura veram certitudinem creare possit. Cfr. *Eschbach*, Disput. 142. Quodsi una pars sit *contumax*, tamen inconsummatio matrimonii probari potest; at multo difficilior est probatio, immo praesertim si contumacia sit ex parte mulieris, quae ob rationes suspectas declinat omnem inspectionem corporalem, certitudo de inconsummatione obtineri nequit. Cfr. S. C. C. 6 sept. 1890. Acta iudicialia in Curia episcopali rite confecta sine votis theologi et canonistae, (cfr. S. C. C. in cit. c. Warsav. ad 5) necessario annectendis, sed cum voto Episcopi et Defensoris vinculi transmittuntur Romam ad Congregationem, quae mandatum delegationis dedit atque deinde secundum stilum sibi proprium expedit negotium forte cum clausula: Vetito mulieri (viro) transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C. Cfr. v. g. S. C. C. 18 dec. 1869 et 27 apr., 7 sept. 1895.

Modus singulas probationes colligendi accurate describitur in citatis « Regul. servand. » S. C. de d. Sacr. Si utraque vel alterutra pars sit orientalis, competens est S. C. pro Ecclesia Orientali. Processus conficitur secundum Instructionem eiusdem S. Congregationis d. 10 iun. 1935; cfr. AAS. XXVII, 333; Period., XXIV, 201. Si vero agatur de matrimonio,

dioecesana, ad hoc delegata, mittendus est, nulla prolata sententia, ad S. C., a qua profertur sententia *de utroque facto*, sc. inconsummationis matrimonii et existentiae causae ad solvendum matrimonium, addito voto consulendum esse S. Pontifici ut dispensationem impertiatur. Quod consilium si, ut assolet, a R. Pontifice accipiatur, ab ipso per positivum actum solvitur matrimonium; quae solutio ex nova disciplina implicite continet dispensationem *super impedimento criminis* proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si forte in casu intervenerit (c. 1053).

Quae potestas solvendi matrimonium *non consummatum* non restringitur ad matrimonium ratum duorum fidelium, sed extenditur ad matrimonium fidelis cum infideli, ut expresse sancitur c. 1119, quod matrimonium ratione partis fidelis iurisdictioni Ecclesiae subicitur et cum sacramenti ratione non sit praeditum (cfr. n. 42), vinculum est minus firmum quam vinculum matrimonii rati fidelium. Nihil autem refert utrum matrimonium fuerit contractum in infidelitate et subsecuta fuerit unius conversio, an a fideli cum infideli fuerit initum post obtentam dispensationem ab impedimento disparitatis cultus.

626. Solutio per professionem sollemnem. Alio modo R. Pontifex vinculum matrimonii rati solvit, dum iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam per iuris communis sanctionem professioni sollemni tribuit vim praecedens matrimonium ratum [42] solvendi.

---

in quo saltem una pars sit acatholica, competens est S. C. S. Officii, quae acta processualia pro gratia dispensationis concedenda aut neganda remittere solet ad S. C. de d. Sacr.

[42] S. C. de Prop. Fid. in sua Instr., 28 iun. 1858, ad Episcopos prov. Albaiul. denuo monuit errorem et abusum esse legibus imperialibus inductum, sed a Sanctis Patribus reprobatum, si matrimonium *consummatum* fidelium per professionem sollemnem dissolvatur. Cfr. *Rossel*, n. 653, 656 sq. Qui error est plane intolerabilis, si de solutione *vinculi* intelligatur, at pariter reprobandus est, etiamsi sola *separatio* a toro et cohabitatione, propter transitum ad vitam religiosam, habeatur permissa *sine consensu* alterius coniugis (cfr. I Corinth. VII, 5), atque neglectis condicionibus canonicis. Cfr. *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VII, l. 9, cap. 22.

Ex iure schismaticorum nunc quidem requiritur *consensus* alterius coniugis ad professionem monasticam, sed illa legitima secuta vinculum matrimonii ut *dissolutum* habetur, atque coniugi in saeculo remanenti *novae nuptiae* permittuntur. Cfr. *Zhishman*, 773 sq.; *Milas*, 556 sq.

Si antiquae leges romanae imperatorum christianorum (cfr. L. 53, § 3, C. de Episc. I, 3; Novell. 22, cap. 5, Nov. 117, c. 12, Nov. 123, c. 40), coniugibus ad vitam monasticam migrantibus permittunt divortium, id statuunt *etiam* de matrimonio *consummato*. Nam mortem *civilem* professionis religiosae aequiparant morti *naturali*, et *indiscriminatim* de

Quae iuris communis sanctio, post statutum de triennio votorum simplicium professioni sollemni praemittendo (c. 574 § 1) atque post constitutum impedimentum pro valide ingressu in religio-

---

matrimonio loquuntur (cfr. *Suarez*, l. c. n. 1), ideoque intelligendae sunt de iis, quae fiunt de communiter contingentibus, et de factis, pro quibus stat praesumptio, i. e. de matrimonii consummatione, nisi contra praesumptionem specialis probetur exceptio. Porro in citata L. 53, § 3, aliqua decernuntur de *communibus liberis* ex eo matrimonio *natis*, si qui fuerint; unde evidenter matrimonium consummatum in legis sanctione includitur. At in cit. Nov. 117, c. 12, *etiam* ille casus comprehenditur, in quo viri *ab initio* matrimonii cum uxoribus *non* miscentur. Profecto in utroque casu imperatores limites suae potestatis excesserunt. Ipsi enim propter transitum coniugis ad vitam monasticam nequaquam poterant concedere solutionem etiam matrimonii *rati tantum* (cfr. *Suarez*, l. c. n. 1; *Bouix*, De iure regular. I, 530: *Pesch*, n. 817 sq.) multoque minus matrimonii *consummati*, neque ipsa separatio a toro et cohabitatione, *invito* altero coniuge, contra sanctiones canonicas legibus civilibus potuit permitti. Cfr. *Suarez*, l. c. n. 2 sq.

Quare mirum non est quod RR. Pontifices reprobarint illam praxim orientalem. Cfr. Gregor. M. in c. 19, 21, (a. 601), c. 25, (a. 596), C. XXVII, q. 2; Eugen. II, in Synod. Rom. (a. 826), c. 36 = c. 23, C. XXVII, q. 2: «*Si vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter provisa loco constituantur. Nam uxore nolente aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvitur*»; Nicol. M. (a. 863), in c. 1, D. 10. Qui canones pro distinctionibus nunc receptis non adeo expresse semper distinguunt inter matrimonium *ratum* et *consummatum*: at secundum sensum obvium ex communiter contingentibus saltem principaliter intelligendi sunt de matrimonio *consummato*.

Certe cit. c. 19 et 25, C. XXVII, q. 2, verba: «*Vir et uxor una caro sunt*» et «*Dum unum utrorumque corpus coniugii compulatione sit factum*», potius matrimonium consummatum, quam mere ratum aperte indicant. Quodsi etiam matrimonium *ratum* sit comprehendendum, ad summum illud sequitur, quod illo tempore nondum firmiter fuerit stabilita praxis, qua matrimonium ratum dissolvatur professione religiosa, forte *invito* altero coniuge, emissa. Cfr. *Suarez*, l. c. cap. 23, n. 17, i. f. et cap. 24, n. 1 sq., n. 6, ubi *valde modeste* loquitur de *initio historico* huius favoris professionis religiosae, licet aliqua documenta spuria adhuc habeat authentica. Nam profecto nisi per professionem religiosam *solvatur* vinculum matrimonii rati, nulla apparet ratio quo iure unus coniux, altero *invito* et in saeculo remanente in perpetuo ac coacto caelibatu propter vinculum matrimonii perdurans, ad vitam religiosam migrare possit. Tale enim privilegium a Christo vel ab Ecclesia nullibi legitur concessum, et alteri coniugi fieret iniuria. Cfr. *Pesch*, n. 804; *Schmalzgr.*, l. III, t. 32, n. 9, ubi docet Christum intuitu religionis coniugibus sine temporis determinatione concessisse ius ingrediendi Ordinem religiosum, quamdiu matrimonum non sit consummatum; at n. 15, 16, pariter tenet per professionem unius coniugis ita dissolvi praecedens matrimonium ratum, ut alter coniux libere ad alias nuptias transire possit.

Cui doctrinae non obstant verba Alexandri III, per *transennam* dicta in cap. 5, de sponsa duor. IV, 4, in cpl. I: «*Sane quamquam mulieri*

nem in iis qui detinentur vinculo matrimonii etiam mere rati (c. 542, 1°), multo rariorem quam antea habebit applicationem [43].

---

desponsatae et a viro nondum cognitae liceat ad religionem transire, aliam tamen non potest ducere in uxorem ». Nam pauca illa verba Alexandri III, cum decisione principali non necessario conexa, in compilationem authenticam Gregorii IX non fuerunt inserta. Deinde per transitum ad religionem, nondum secuta *professione* sollemni matrimonium ratum non solvitur (cfr. *Schmalzgr.*, l. III, t. 32, n. 17), nec viro in saeculo remanenti validae nuptiae ilico erant permissae. Tandem etiam soluto matrimonio priore, votum simplex castitatis, a viro forte emissum, saltem licitam celebrationem novi matrimonii potuit impedire. Cfr. cap. 2. 7, X, de conv. coniug. III, 32: *Bernard. Pap.*, l. c., 299 (in Summa de matrim.) de controversiis decretistarum, num sponsa de praesenti licite possit ingredi monasterium sponso inconsulto; *Suarez*, l. c. cap. 22, n. 6 sq., cap. 25, n. 16; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 12, iunct. n. 10, (de quibusdam factis historicis explicandis).

Cum antiquo iure coniugibus daretur bimestre ad deliberandum de ingressu in religionem, quo tempore non poterant obligari ad consummandum matrimonium, si nihilominus maritus intra tempus legitimum ad deliberationem concessum per vim, fraudes, dolum, ab uxore extorsisset perfectam copulam carnalem, sine ullo dubio matrimonium erat vere consummatum neque etiam per professionem sollemnem poterat dissolvi. Cfr. *Sánchez*, l. II, disp. 22, n. 3 sq.; *Rosset*, n. 684 sq. aliique communius; aliter *Fagnan.*, in cap. 7, X, de convers. coniug. III, 32, aliique, v. g. *Reiffenstuel*, qui non satis distinxerunt *liberum* consensum in *contractu* a consummatione, substantiam actus a modo indebito, atque explicare non poterant *affinitatem* contractam ex violenta matrimonii consummatione.

At eo in casu uxor nihilominus pro suo iure poterat etiam invito marito profiteri vitam religiosam; maritus autem non habebat ius convolandi ad secundas nuptias. Cfr. Synod. Sciarf. a. 1888), p. 169, ubi id expresse statuitur; *Sánchez*, l. c. n. 5 sq.; *Schmalzg.*, l. III, t. 32, n. 11 sq.; *Rosset*, n. 687 sq.; *Suarez*, l. c. cap. 25; *Fahrner*, l. c., 301 sq.

[43] Illa vis professioni religiosae ratione sollemnis voti perfectae castitatis tributa, nunquam fuit agnita voto sollemni sacro ordini adnexo. Cfr. cap. unic. tit. 6, de voto in Extravag. Ioann. XXII, idem Rom. Pontifex, 1 dec. 1322, « *antiquae concertationi finem* » cupiens imponere sollemni edicto declaravit: « *Quod licet votum sollemnizatum per sacri susceptionem* **ordinis** *quantum ad impediendum matrimonium contrahendum ac dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum, ad* **dissolvendum** *tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum,* **invalidum** *est censendum* ». Cfr. *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 6, n. 6 sq.; *Pesch*, n. 808 sq.; at *Zhishman*, 778 sq., refert longe diversam praxim schismaticorum orientalium, qua matrimonium presbyteri *solvitur*, si ipse cum *consensu uxoris*, transeuntis ad vitam religiosam, ordinatur *Episcopus*. Cfr. *Suarez*, *l. c.* cap. 23, n. 8, 21.

At professio votorum *simplicium* neque ex iuris communis concessione neque ex speciali privilegio, ulli Religioni vel Congregationi religiosae dato, habuit vim dissolvendi vinculum *praecedentis* matrimonii rati (cfr. resp. Pii IX per S. C. super statu regul., 25 ian. 1861), atque

In praxi, si occurrat casus, ne alter coniux diutius cogatur innuptus manere, simul cum recursu ad S. Sedem pro dispensatione impedimenti ingressus in religionem, expedit petere abbreviationem temporis ad emittendam sollemnem professionem. (Cfr. resp. Pii IX ad Episc. mexicanos, 25 ian. 1861, apud *Feije*, n. 519).

Quae sollemnis professio religiosa neque ex iure quodam *na-*

---

decepti sunt ii scriptores, v. g. *Bouix*, l. c., 532 sq., qui huiusmodi efficaciam simplici professioni votorum in Societate Iesu post novitiatum emissae propriam esse existimarunt. Cfr. *Suarez*, l. c. n. 22; *Gury-Ballerini*, II, n. 759; *Feije*, n. 516; *Schmalzgr.*, lib. IV, tit. 6, n. 61 sq.; *Rosset*, n. 663 sq.; *Gasparri*, II, n. 1129.

Pariter professio religiosa certorum ordinum militarium cum solo voto castitatis *coniugalis* vinculum matrimonii rati non dissolvit. Cfr. *Benedicti XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 12, n. 9; *Suarez*, l. c. cap. 25, n. 19. Pariter non dissolvitur matrimonium per professionem factam a *monialibus* in Belgio et Gallia, cum sollemnem professionem non habeant. *De Smet*, n. 336. Cfr. tamen Decr. S. C. de Relig., 23 iunii 1923, n. III, in AAS. XV, 357 sq.

Illa vis professionis sollemnis inde ab Alexandro III, (a. 1156-1181), in compluribus capitibus collectioni authenticae Gregorii IX insertis (cfr. cap. 2, 7, 14, X, de convers. coniug. III, 35), expresse admittitur vel in aliis (cfr. cap. 15, X, de sponsal. IV, 1; cap. 6, X, de frigid. IV, 15), saltem tacite supponitur, postea vero a Conc. Tr. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr. can. 6, sollemniter est definita. Factis quibusdam historicis minus est insistendum; nam quandoque de illorum *authentia* non satis constat, aut non liquet utrum sponsalia fuerint de *praesenti* an de *futuro;* cfr. v. g. etiam c. 27, (qui non est Eusebii Papae, sed desumptus est ex libris paenitent. Theodori Cantuar.), c. 28, (ex epist. S. Gregor. M. scr. a. 597), C. XXVII, q. 2, iunct. dict. Grat., qui vocabulum *desponsationis* potius de sponsalibus quam de matrimonio intelligit.

Denique etiamsi nonnulla *facta* tanquam certa sint admittenda de matrimonio rato, ex paucis illis factis *ius certum* et indubitatum colligi non potest. Cfr. *Suarez*, l. c. cap. 24; *Pesch*, n. 804; *Palmieri*, 203 sq.

[44] Quae sententia de *origine* vel radice *naturali* huius efficaciae professionis sollemnis ab Habert, Collet aliisque antiquioribus auctoribus propugnata (cfr. *Rosset*, n. 670), non raro etiam tributa fuit S. Thomae. Cfr. Suppl. q. 61, a. 2. At patroni huius opinionis confundunt *congruam* quandam *rationem naturalem* legis humanae sive ex natura rei, a S. Thoma petitam, cum *lege* quadam *naturali*. Cfr. *Suarez*, l. c. cap. 23, n. 5, 13; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 6, n. 52, 55; *Palmieri*, 205 sq.; *Rosset*, n. 665 sq.; *Fahrner*, l. c., 296 sq. Praeterea si sollemnis professio adeo esset *ex natura rei* opposita matrimonio rato antea contracto, potius sequeretur subsequentem professionem esse invalidam. Admittenda quoque esset sequela plane falsa, quod professio sollemnis etiam *ex natura rei* a fortiori dirimeret matrimonium contrahendum; nam ad dirimendum matrimonium contrahendum minor requiritur vis quam ad solutionem matrimonii iam contracti.

turali [44] neque ex *positivo* iure *divino* [45], sed ex solo iure ecclesiastico [46] vinculum matrimonii rati dissolvit.

Cuius originis divinae asserendae imprimis nulla est *necessitas*. Nam quod R. Pontifex vi suae potestatis solvendi matrimonium ratum in casibus *particularibus* per *dispensationem* efficit, id per *legem generalem* in favorem professionis religiosae statuere potest. In casu particulari potestatem habet *ex iusta causa;* ubi pro universitate casuum *de iusta causa iam constat* (professio religiosa) nihil prohibet quominus usus potestatis per legem applicetur illi universitati casuum [47]. Praeterea privilegia

---

[45] Istam sententiam tenent: *Sánchez*, l. II disp. 19, n. 3; *Benedictus XIV*, Quaest. can. 546; *Perrone*, l. c., 472 sq.; *Rosset*, n. 672 sq., paucique alii. Cfr. *Fahrner*, l. c., 298; *Palmieri*, qui in prioribus editionibus illud ius divinum propugnaverat, in postrema editione valde moderatius illam sententiam proposuit ac pene extenuavit.

[46] Haec sententia a *Suarez*, l. c. cap. 23, n. 20 sq., non est inventa, sed iam suo tempore praeeuntibus Hostiensi, Ioanne Andreae, Felino, Ancharano, inter canonistas fuit communior et a compluribus theologis recepta. Cfr. *Fahrner*, l. c., 229. Eadem doctrina tenetur a *Fagnano*, l. c. III, t. 32, in cap. 9, n. 8; *Pirhing*, eod. tit. n. 45; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 6, n. 54, aliisque multis canonistis, velut Laymann, Wiestner, Kugler, Garcia, ita ut nostra aetate saltem inter canonistas possit dici communis. Cfr. *Santi*, l. IV, t. 19, n. 33; *De Angelis*, eod. tit. n. 12, et l. III, l. 32, n. 3; *Gasparri*, II, n. 1326; *Leitner*, 193 sq., 588; *Boenningh*. De irregularit. fasc. III, 32 sq.; *Nilles*, in Act. theol. Oenipont. X, 268; *Sebastianelli*, II, 172. Accedit *Chelodi*, n. 153; *Cappello*, II, n. 758; *Vlaming*, II, n. 703 sq. Cui doctrinae ex recentioribus theologis subscribunt: *Billot*, l. c. 397 sq., 404 sq.; *Pesch*, n. 806 sq., aliique v. g. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 703.

[47] *Palmieri*, l. c., 206 sq., fatetur: « *Etsi demus posse R. Pontificem vim tantam tribuere professioni religiosae ut solvat matrimonium ratum, nequit tamen eam vim tribuere, quam ipse deinceps nequeat auferre. Iam vero haec est vis, quam constat competere professioni religiosae* ». Quare hic auctor non negat *possibilitatem legis* pontificiae quae professioni religiosae huiusmodi vim tribuat, at negat *factum*, sc. revera a Deo talem potestatem R. Pontifici esse concessam, ut illam vim etiam a professione religiosa *auferre* possit. At ista *negatio* facti non est fundata. Nam licet professi votorum simplicium in Societate Iesu, immo in quamplurimis Congregationibus religiosis indubitanter habeant substantiam status religiosi vere et proprie secundum interna constitutiva, non per extrinsecum quoddam privilegium, tamen ipsorum professio caret vi solvendi matrimonium ratum.

Porro in Gallia atque passim in aliis quamplurimis regionibus omnes moniales etiam religionum formalium tantum emittunt professionem votorum simplicium, neque ullum dubium existere potest quin R. Pontifex hanc disciplinam etiam in Italiam et Hispaniam extendere valeat. Hinc de facto saltem *feminis* iam nunc maxima ex parte ille favor solutionis matrimonii rati per professionem religiosam est subductus, neque quidquam obstat quominus, sublata professione sollemni, etiam reliquis

iure divino positivo concessa non sunt propugnanda, nisi de iis ex fontibus revelationis divinae constet; at argumenta ab adversariis allata rem intentam non evincunt [48]. Denique professio

---

feminis auferatur. Quae disciplina cum privilegio divino componi omnino non potest, et quod hic auctor vocat simpliciter impossibile, revera a R. Pontifice saltem in quamplurimis regionibus iam est factum.

Ulterius progreditur *Rosset*, n. 678 sq., ubi negat vel ipsam *possibilitatem* talis legis pontificiae; at salva reverentia plane improbabilibus argumentis suam propositionem demonstrare conatur. Nam saltem nostra aetate iam ex longo tempore generalis potestas R. Pontificis solvendi matrimonia rata ex iusta et proportionata causa est adeo *certa*, ut a nullo catholico amplius in dubium vocari possit. Porro omnino liquet transitum unius coniugis ad statum perfectionis per sollemnem professionem religiosam esse huiusmodi causam *iustam* et *generalem in omnibus casibus;* ergo nihil plane obstat quominus R. Pontifex per legem generalem tribuat professioni religiosae vim solvendi matrimonium ratum. Quodsi *Rosset*, n. 678, addit ad *dispensationem* in casibus particularibus super matrimonio rato sufficere *probabilitatem* facultatis R. Pontifici concessae, asserit sententiam omnino erroneam iam supra cum Suarez, immo ab ipso *Rosset*, n. 707 sq. postea refutatam. Altera vero exceptio a *Rosset*, n. 678, allata, quod Papa in illis rarissimis (?) casibus, in quibus ex gravissimis causis dispenset super matrimonio rato, non tam dispenset (?) quam declaret (?) tanquam iuris divini interpres illud non obligare, continet complures assertiones improbabiles.

Nam huiusmodi opinio destruit doctrinam certam, vi cuius R. Pontifex vere et proprie ex iusta causa *solvere* potest matrimonium ratum valide contractum, non tantum *declarare* vinculum matrimoniale in illis circumstantiis *cessasse*. Porro cum sententia *declaratoria* R. Pontificis debeat habere *obiectum* antea existens, hic auctor debet fingere novum et inauditum modum solutionis matrimonii rati, nullo solido argumento comprobatum. Cfr. *Suarez*, l. c. cap. 23, n. 3, ubi in materia analoga professionis religiosae explicationem per sententiam mere declaratoriam invictis argumentis refutat.

[48] Quae argumenta adversariorum pleraque iam a *Suarez*, l. c. cap. 23, n. 14 sq., et cap. 24, et *Schmalzgr.*, l. c. n. 56, aliisque antiquioribus doctoribus soluta sunt. Qua in re haud reticendum est saltem quosdam inter adversarios reperiri, qui in dilemmate inter ius divinum naturale vel divinum aut ecclesiasticum, ideo excludunt ius ecclesiasticum, quia generatim negarunt R. Pontifici potestatem solvendi matrimonium ratum. Quae ratio nunc ut indubitanter falsa est seponenda. At inde a tempore Benedicti XIV adversarii videntur praesertim insistere argumento petito ex canone dogmatico 6 Conc. Trid. Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr., eique cum *Benedicto XIV*, Quaest. can. 546, n. 35, tanquam rationi « *subtili* » magnam tribuere vim. Quae vis argumenti subtilis in antecessum multum imminuitur, quod praeclarissimi viri docti, v. g. Suarez et Schmalzgr., illud omnino non commemorent. Quodsi *Palmieri*, l. c., 206, suspicatur Suarez hoc argumentum non occurrisse, potiore iure dici potest illum canoni isti notissimo talem vim non tribuisse. Porro subtile istud argumentum corruit, si quis attendat etiam can. 9 eiusdem Sess. XXIV, et can. 9 Sess. XIII, atque praeterea in cit. can. 6 Sess. XXIV con-

religiosa matrimonium ratum dirimit solummodo ratione sollemnitatis; secus etiam professio votorum simplicium eandem haberet efficaciam. Quod quam falsum sit supra demonstratum est. At sollemnitas professionis religiosae iure tantum ecclesiastico constituta est; ergo etiam vis illa sollemnitati professionis religiosae indita ex solo iure ecclesiastico est repetenda. Nec iuvat illa exceptio, quod Christus Dominus potuerit alligare professioni religiosae illud privilegium, quamvis Ecclesiae reliquerit potestatem determinandi condiciones validae professionis religiosae. Nam eo in casu penes Ecclesiam esset quidem potestas legibus sapientibus *ordinandi* professionem religiosam atque impediendi, quominus status religiosus non servatis certis condicionibus valide susciperetur, sed Ecclesiae in sententia adversariorum non amplius competeret potestas denegandi professioni religiosae efficaciam dissolvendi matrimonium ratum, postquam status religiosus valide est susceptus. Quod enim *ex iure divino* cum valida professione religiosa est coniunctum, id Ecclesia eadem ratione illi auferre non potest, qua matrimonio valide contracto subducere prohibetur effectum ex singulari iure divino, v. g. ex privilegio Paulino, matrimonio proprium. Certissimum vero est per professionem votorum simplicium in Societate Iesu verum suscipi statum religiosum, non tantum per extrinsecum quoddam privilegium, sed per intrinsecam illius professionis naturam; at aeque certum est hanc professionem religiosam carere vi dissolvendi praecedens matrimonium ratum. Ecclesia igitur privilegium quoddam a Deo, statui religioso, non sollemnitati professionis religiosae datum, illis religiosis

---

sideret voces « per **sollemnem** religiosam professionem » — i. e. per sollemnitatem ab Ecclesia institutam, — denique ex immutabili *veritate* definitionis infallibilis de lege disciplinari et legitima potestate Ecclesiae non falso deducat *immutabilitatem obiecti* illius legis. Cfr. *Billot,* l. c., 408 sq., ubi hanc difficultatem solide refutat.

Quare non videtur recurrendum ad illam explicationem, quasi Deus voluerit ut semper in Ecclesia esset status religiosus et *simul* decreverit ut professio religiosa solveret matrimonium ratum. Nam in ista explicatione non satis videtur distingui *potestas generalis* et *vicaria* sive ministerialis a Christo R. Pontifici concessa a *praecepto* quodam *speciali* pariter a divino legislatore eidem successori R. Pontifici imposito, ut non raro etiam fit in disputationibus de immunitate *personali* inferiorum clericorum. Praeterea *praeceptum* istud *speciale* Christi nullo solido argumento comprobatur atque cum disciplina vigente conciliari nequit; certe vero a *Suarez,* l. c. cap. 23, n. 16, 17, 19, 21, non defenditur. Denique praecepto *speciali* Christi admisso, sententia Suarez a sententia per Palmieri propugnata quoad rem non amplius differret. Cfr. *Pesch,* n. 807.

denegasset; id vero admitti nequit. Quare unice restat illa explicatio, quod professio religiosa ex iure ecclesiastico illa efficacia praedita sit. Quae sententia etiam exinde saltem *commendatur,* quod nostra aetate nullum iam possit esse dubium, quin sollemnis professio religiosa ex solo iure ecclesiastico *dirimat* matrimonium *contrahendum;* ergo si *sollemnitas* professionis religiosae ex iure *divino* ne dirimere quidem potest matrimonium contrahendum, a fortiori ex eodem iure divino non valet dissolvere matrimonium contractum, etsi ratum tantum.

Quod dictum est de dispensatione in casu particulari etiam valet de solutione quae fiat per professionem sollemnem: illa solutio non solum obtinet in matrimonio rato duorum fidelium, sed etiam in matrimonio inter partem fidelem et partem infidelem, si antequam consummetur fidelis sollemnem professionem emittat (c. 1119).

627. Praeterea matrimonium duorum coniugum, qui ante susceptionem baptismi matrimonium valide contraxerunt neque unquam consummarunt, cum per baptismum valide ab utroque coniuge susceptum ipso facto et sine ulla consensus renovatione transeat in sacramentum verum matrimonii [49] iurisdictioni Ecclesiae subiectum, eodem iure regitur atque matrimonium ratum in reliquis fidelibus [50].

628. Scholion I. Probabilius admitti potest matrimonium ante baptismum valide contractum *et* consummatum neque *post* baptismum utriusque coniugis *denuo* consummatum per Romanum Pontificem ex causa proportionata quoad vinculum dissolvi posse [51]. Nam huiusmodi matrimonium per baptismum

---

[49] Supra h. tom. V, n. 41.

[50] *Schmalzgr.,* h. tit. n. 19; *Feije,* n. 601.

[51] Hanc sententiam impugnant: *Feije,* n. 602; *Schmalzgr.,* h. t. n. 58 sq. et praesertim *Benedict. XIV,* Quaest. can. 546; *Rosset,* n. 647; eam vero defendunt: *S. Alphons.* l. c. n. 897, n. 902, 926; *Gury-Ballerini,* l. c. II, n. 759, 789; *Palmieri,* l. c. 221; *Biederlack,* in Act. theol. Oenip. VII, 318, neque alienus est *Braun,* in Arch. f. k. K. XLVI, 400 sq., cum *Antoine, De Iustis* et *Sánchez,* lib. II, disp. 17, aliisque, v. g. *D'Annibale,* Summula P. III, n. 470; *De Smet,* n. 333.

Si haec potestas defenditur in textu ut probabilior, id fit attenta auctoritate doctorum et vi intrinsecorum argumentorum; quae auctoritates et argumenta in quaestione de potestate Rom. Pontificis difficulter pervenire possunt ad inducendam plenam certitudinem; at illa certitudo habetur, si accedat praxis Rom. Pontificis, qui in agnoscendis suae potestatis limitibus errare non potest: pro hac autem praxi non sola adest applicatio cit. const. Gregorii XIII « *Populis et nationibus* » nunc elevatae ad ius commune per c. 1125, sed etiam frequens practicus usus

utriusque coniugis factum est *verum sacramentum matrimonii*, sed ut sacramentum *post* baptismum susceptum est matrimonium *ratum* tantum, nisi nova superveniat consummatio. Hinc R. Pontificis potestas dissolvendi vinculum matrimonii rati sese etiam in hanc speciem matrimoniorum videtur extendere. Qua ratione privilegium concessum a Gregorio XIII in Const. « *Populis ac nat.* » 25 ianuar. 1585, melius videtur explicari quam per theoriam a Pontio, Benedicto XIV aliisque propugnatam[52]. Etenim matrimonium ratum duorum *fidelium conversorum* ex favore a Gregorio XIII, l. c., concesso evidenter solvi posse statuitur. Quae solutio ex privilegio Paulino explicari nequit; ergo unice ex indulto apostolico. Privilegium enim Paulinum agit de matrimonio fidelis conversi cum *infideli discedente*, non *duorum fidelium* baptizatorum.

Quae potestas R. Pontifici vindicata non ita est extendenda, quasi etiam uni ex *duobus* coniugibus conversis ante novam matrimonii consummationem generaliter data sit facultas, *invito* altero coniuge, ingrediendi Ordinem religiosum atque ibidem emittendi *sollemnem professionem cum effectu dissolutionis* matrimonii, ante baptismum contracti *et consummati*. Nam de illa libertate unius coniugis et de ista vi sollemnis professionis ex praxi quadam constanti Ecclesiae vel unico exemplo *certo* a R. Pontifice approbato nullo modo constat. Cfr. mentem S. C. C. in c. Florent., 27 iul. 1727. Porro si RR. Pontifices sollemni professioni religiosae dederunt vim solvendi matrimonia rata, id accipiendum est de matrimoniis ratis, prout ex *communi usu* loquendi intelliguntur, neque favor pontificius arbitrarie extendi potest ad istam speciem omnino *singularem* matrimoniorum ratorum, quae in infidelitate vere fuerunt *consummata*. Nam in

---

per S. Offic., ubi illa potestas R. Pontificis habetur ut principium non amplius discussioni obnoxium.

[52] *Bened. XIV*, in Quaest. can. 546, n. 16, 38, quam in minoribus constitutus conscripserat, et in opere De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 4, 5, sententiae supra propugnatae non adhaeret.

At vel ipse *Braun*, qui in Arch. f. k. K. XLVI 398 sq., auctoritatem Benedicti XIV optimo iure maximi fecit, miram explicationem Const. cit. Gregor. XIII, in Quaest. 546, n. 38, secundum divinationem Pontii datam, postea tacite ab eo derelictam esse fatetur, gravemque notam « *absurditatis* » ibidem a Benedicto XIV, contrariae sibi sententiae inflictam, non posse sustineri aperte concedit. Cfr. quoque disceptationes in caus. Florentin. coram S. C. C., 27 iul. 1727, et 29 mart. 1729, agitata; *Leitner*, 208, ubi dissolutiones matrimoniorum *duorum fidelium conversorum* a Gregorio XIII concessas per rationes vere solidas aliter non valet explicare.

concessione *generali* ea non comprehenduntur, quae magnam habent *specialitatem*. Deinde RR. Pontifices *de facto* uti non solent iuribus adeo controversis, ne sese exponant periculo violandi ius divinum. Quod periculum eo magis in casu imminet, quia R. Pontifex *sine iusta causa* nequit valide solvere matrimonia rata. Quae iusta causa profecto reperitur in ipsa sollemni professione, si *ordinaria* matrimonia rata sint dissolvenda; hinc illa efficacia professioni religiosae *generali* quoque *lege* potuit concedi. At ista causa minus liquet, si forte ex matrimonio in infidelitate consummato adsit numerosa proles legitima, cui providendum est. Quare sententia *Sánchez*, l. VII, disp. 77, n. 1 sq., cui adhaerent *D'Annibale*, l. c. n. 470, not. 20, 21, aliique, et merito contradicunt *Schmalzgr.*, l. IV, t. 19, n. 40; *Feije*, n. 500; *Scherer*, § 136 not. 79; *Rosset*, n. 701 sq.; *Leitner*, 610, certe in casibus particularibus inconsulta S. Sede nequit in praxim deduci. Cfr. *Pesch*, n. 800; *Ballerini-Palmieri*, VI, n. 472, ubi tandem i. f. additur: « *Videndus tamen Schmalzgr., l. IV, t. 19, n. 40, qui infirmat rationes a Sánchez allatas, et reipsa tantisper obscura est controversia* »; *Santi-Leitner*, h. t. n. 21, 26.

629. Scholion II. Quoniam effectus solutionis matrimonii rati est libertas ad novum matrimonium, fundamentum huius libertatis etiam in foro externo patere debet. Si fiat solutio per dispensationem pontificiam in casu particulari datam, sufficienter libertas utriusque contrahentis apparet per allegatum rescriptum dispensationis; si agitur de solutione per professionem sollemnem unius partis, ad vitandum collusionis periculum de duplici facto non consummationis matrimonii et sollemnis professionis valide emissae *certo* atque *authentice* constare debet. Quo duplici facto comprobato, coniugi in saeculo remanenti tradendum est *authenticum documentum* de solutione prioris matrimonii et de statu libero ad novas nuptias celebrandas. Denique in ipso libro paroeciali dissolutio matrimonii contracti per sollemnem professionem religiosam est adnotanda. Cfr. c. 470 § 2, iunct. S. C. C. c. Placent. 3 febr. 1725, c. Neap. 11 apr. 1761, c. Neap. 18 iul. 1772, in ed. *Richt.* C. Tr. 254, n. 148 sq.

§ II. De dissolutione vinculi contractus matrimonialis infidelium

630. Infidelibus in infidelitate manentibus. Matrimonium legitimum, etiam non consummatum, duorum coniugum non baptizatorum iure divino naturali et positivo etiam extrinsece, quamdiu neuter coniux baptizatur, per potestatem humanam sive ecclesiasticam sive civilem vel ex privilegio divino spe-

cialiter concesso quoad vinculum non est solubile. Nam tale privilegium divinum, si unquam extra populum hebraeorum exstitit, certe per Christum fuit abrogatum, neque novus quidam favor hominibus non baptizatis a Christo *directe* fuit concessus, v. g. in privilegio Paulino. Ecclesia in homines non baptizatos caret iurisdictione, neque ullo solido argumento potest demonstrari potestatem civilem in proprios subditos sese etiam extendere ad ipsam matrimonii solutionem [53].

631. Privilegium Paulinum. I. *Ambitus privilegii.* Si *unus* e coniugibus infidelibus [54] post matrimonium in infidelitate rite contractum et consummatum valide baptizetur sive in Ecclesia catholica sive in qualicumque secta christiana [55], is vi privilegii

---

[53] *Sánchez*, l. c. lib. II, disp. 13, n. 3: lib. X, disp. I, n. 7, 8, 9 sq.; supra, h. cap. in notis historicis.

Instr. S. C. Inq., 11 iul. 1866, ad 8, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1353; *Schmalzgr.*, h. t. n. 18; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 546 n. 16. — *De Becker*, De sponsal. et matr., 44, proponit quaestionem num potestas civilis infidelibus saepe dubio matrimonio iunctis, v. g. in libero Statu Congensi, permittere possit secundum certumque matrimonium. Cui quaesito certe affirmativum responsum dari non potest. Nam potestas civilis sane non impeditur quominus pro matrimoniis infidelium *contrahendis* statuat apta quaedam impedimenta etiam dirimentia. Competens quoque est ut per sententias iudiciales, praehabita *certa* probatione, matrimonia nulliter contracta *declaret* invalida. Quae *certae* probationes si non suppetant, etiam iudices civiles permanentibus dubiis tantum ferre possunt sententiam: Ex hactenus deductis non constare de nullitate matrimonii; at nullo modo permittere possunt secundas nuptias.

Nam propter dubia *subiectiva* obiectivus ordo rerum non mutatur; hinc non obstante dubio subiectivo matrimonium consummatum vel ratum duorum infidelium congensium potest esse *obiective validum.* At principes civiles ad solvenda matrimonia rata vel consummata suorum subditorum omnino non sunt competentes. Quare gubernatores vel iudices civiles si, dubio permanente, positive permitterent secundas nuptias sese exponerent manifesto periculo violandi ius divinum sibique vindicarent ius ad solvenda matrimonia, quo prorsus sunt destituti. Cfr. quoque S. C. Inq., 18 maii 1892, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 2185; *Rossel*, n. 521 sq: *Fahrner*, l. c., 340, not. 1; *Scherer*, 572 sq., (de iure principum civilium solvendi matrimonia).

[54] S. Paul. I Corinth. VII, 12 sq. Ibidem secundum graecum textum originalem est legendum: Ceteris autem ego dico, non Dominus, non: « *Nam ceteris ego dico* ». Quae verba cum omnibus graecis et plerisque latinis, exceptis paucis recentioribus scriptoribus ut Estio, Menochio, Palmieri, Billot, Leitner, referenda sunt ad *sequentia*, non ad *praecedentia*, ubi S. Paulus agit de tertia quadam specie fidelium a duabus prioribus distincta. Cfr. *Cornely*, Comment. in I epist. ad Corinth. 179 sq.; *Pesch*, n. 787: *Suarez*, De leg. IX, cap. 2, n. 12.

[55] **Comprehensi sub privilegio,** *a*) **Catechumenus** privilegio Paulino non fruitur (cfr. S. C. de Prop. F. 16 ian. 1803; S. C. Inq. 13 mar. 1901;

divini a Christo immediate concessi [56] et per S. Paulum promul-

---

Perrone, l. c. II, 319), sed requiritur baptismus; nec **fideles,** qui post obtentam dispensationem ab impedimento disparitatis cultus celebrant nuptias cum infideli; secus privilegium in favorem fidei concessum potius cederet in praemium nequitiae et in fraudem sibi tentaminis causa assumendi coniugem. Cfr. S. C. Inq., 5 aug. 1759, ad 4; S. C. Inq., 5 mart. 1852. Ita praeterea expresse c. 1120 § 2.

b) **Sufficit baptismus in secta acatholica.** Ita *Palmieri*, 224 sq.; *Braun*, in Arch. f. k. K. XLVI, 402 sq.; *Tarquini*, in Arch. f. k. K. L, 224 sq. aliique, v. g. Ballerini, Pesch, Billot, Lehmkuhl, Gasparri, Feije, Scherer; aliter *Rosset*, n. 616 sq.; *Vlaming*, II, n. 727, qui id negat saltem ex lege Ecclesiae usum privilegii non iure moderantis. Cuius sententiae affirmantis ratio principalis est, quod fundamentum huius privilegii non sit *vera fides*, secus catechumeni quoque gauderent privilegio Paulino, sed *sacramentum fidei*, i. e. *baptismus*, quo matrimonio maior tribuitur firmitas. Porro teste *Konings*, Theolog. mor. II, 354, Sedes Apostolica, a. 1876, declaravit — at a qua Congregatione, quo die, qua forma, non dicitur — validum fuisse matrimonium, quod Cornelius hebraeus post transitum ad sectam episcopalium et frustraneam interpellationem uxoris infidelis ut secum cohabitaret, cum muliere eiusdem sectae contraxit, quae iam cum suo marito Cornelio voluit amplecti fidem catholicam. Cfr. *Arendt*, La tradizione catt. del Priv. Paolino nel coniuge battezzato in una setta acattolica apud « Gregorianum » IV, 241 sq., 329 sq.

Qui acatholici quoad usum privilegii Paulini sunt tamen in condicione minus favorabili quam catholici. Nam dispensatio ab interpellatione, quae non raro est necessaria, nunquam a R. Pontifice conceditur haereticis. Cfr. *De Angelis*, h. t. n. 11, i. f.

c) **Non habet locum** privilegium Paulinum in matrimonio inter *acatholicum* valide baptizatum et *infidelem* valide inito etiam sine dispensatione, eo quod ille acatholicus extra Ecclesiam catholicam baptizatus fuit et numquam per conversionem pertinuit ad Ecclesiam catholicam, si postea ille acatholicus ad catholicam fidem convertatur. Aliter prima vice propugnatum fuit in ephemeride « L'Ami du Clergé » (a. 1920), 669 et (a. 1921), 6. Quod enim illud matrimonium **nunc** sit validum utpote non obnoxium impedimento disparitatis cultus, est differentia extrinseca pendens a mutabili lege ecclesiastica de comprehensione impedimenti disparitatis cultus, quae nullo modo mutat terminos privilegii Paulini, semper intellecti de *duobus infidelibus* valido matrimonio unitis, quorum *alter* convertitur, *altero* in infidelitate permanente. Cfr. citat. dissert. *Arendt*, in « Gregorianum », ubi usualis haec notio ex Patrum traditione comprobatur; *Verm.-Cr.* Epit. i. c. II, n. 428.

[56] **Origo divina privilegii.** Non desunt auctores qui putant privilegium Paulinum non niti iure *divino* sive immediata concessione Christi Domini a S. Paulo ut *praecone* tantum promulgata, sed potius fundari in iure *mere apostolico* ab ipso S. Paulo vi suae potestatis apostolicae constituto et approbante S. Petro ad universam Ecclesiam extenso. Quae sententia iam adscribitur Panormitano, Alexandro de Nevo, Paludano, S. Antonino (cfr. *Fahrner*, l. c., 280; *Gasparri*, II, n. 1329 iunct. *Rossel*, n. 646 et *Wernz*, in Act. theol. Oenip. XVI, 158); illam defenderunt Patres S. I. e collegio Romano in disputatione c. a. 1588 sq. relatam; in eam inclinat *Gasparri*, l. c. et *Fahrner*, l. c., 184 eamque videntur tueri:

gati ad novas nuptias licite et valide transire potest[57], dummodo alter coniux in infidelitate remanens *aut* discedat et

Lehmkuhl, Theolog. mor. II, n. 709; *Cornely*, Comment. in I ep. ad Corinth. 181. Quicumque ex iure mere apostolico derivant privilegium Paulinum, ii facile admittent etiam R. Pontificis potestatem solvendi ista matrimonia in infidelitate contracta et consummata; at vicissim qui originem privilegii Paulini repetunt ex iure divino, non adiguntur, quemadmodum putat *Scherer*, 562, not. 64, ut R. Pontifici illam potestatem *negent*. Sunt enim non pauci scriptores, v. g. *Pesch*, n. 790, aliique, v. g. *Billot*, qui originem divinam privilegii Paulini sustinent, sed nequaquam cum *Feije* et *Rosset* aliisque in *neganda* illa potestate R. Pontificis conveniunt, quando exercitium illius potestatis pariter redundat in favorem fidei nec iuribus naturalibus, in quibus altera pars insistit, praeiudicium affert.

Quae doctrina de origine mere apostolica privilegii Paulini a *Leitner*, 611, severa censura perstringitur. At hic auctor non videtur satis attendisse patronos huius doctrinae non repetere originem privilegii Paulini ex iure *mere humano*, sed ex *speciali* concessione Christi *Apostolis* facta. Quae concessio specialis sine dubio a Christo fieri *potuisset*, atque si S. Paulus illa praerogativa usus esset, ut doctor infallibilis certe cognovisset *limites* potestatis suae, eiusque iudicio omnino esset standum. Quare universa quaestio reducitur *ad factum*.

Qua in re *origo stricte divina* privilegii Paulini imprimis comprobatur ex multo communiore sententia theologorum et canonistarum. Cfr. *S. Alphons.*, Theol. mor. l. VI, n. 955; *Sánchez*, l. VII, disp. 74, n. 4; *Perrone*, II, 312; *Billot*, l. c., 394; *Pesch*, n. 790, cum aliis recentioribus, v. g. *Feije, Giovine, Palmieri, Leitner, Vlaming*, praesertim vero *Benedictus XIV*, De Synod. l. VI, cap. 4, n. 3. Porro eadem doctrina fere ad verbum deprompta ex Benedicto XIV approbata est a S. C. Inq. in Instr. ad Vic. Apostol. Natal. 11 iul. 1866. Quae Instructio sane non est definitio quaedam ex cathedra; at eius valor a Gasparri, Scherer, Fahrner, l. c., nimium videtur deprimi.

Nequaquam enim ibidem haec quaestio « *per transennam* » vel per quandam « *phraseologiam* » attingitur, sed *ex professo*, antequam ad particulares resolutiones descenditur, tria *principia generalia* stabiliuntur, in quibus *expressis* et *pluries repetitis* verbis docetur origo divina privilegii Paulini « *a Christo Domino concessi et per Apostolum Paulum promulgati* ». Quicumque modice versatus est in negotiis S. C. Inq., probe scit longe alienum esse a praxi huius S. C. in forma *sollemni principiorum generalium* ab initio alicuius Instructionis etiam particularis proponere aliquam doctrinam, quam non habeat certam et in Curia Romana probatam.

[57] **Probatio theologica et canonica.** Qui licitus validusque *transitus ad secundas nuptias* cum *implicita solutione vinculi* prioris matrimonii expressis et formalibus terminis in citato textu S. Pauli non enuntiatur, sed per legitimam illationem cum traditione catholica ex illo deducitur. Nam si parti fideli post discessum physicum vel moralem non permissum esset divortium et novum matrimonium, non « *in pace* » eam vocasset Deus atque « *servituti* » (ligamini) maneret subiecta. Porro S. Paulus in casu parti fideli tribuit facultatem discedendi, neque illam iubet « *manere innuptam* », ut in priore casu v. 10 sq. Cfr. *Palmieri*, l. c. 214 sq., ubi egregie — quod munus est theologi — probationem conficit ex alle-

renuat *cohabitare* cum coniuge fideli *aut* etiamsi in cohabitationem consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum ipse, non eius consanguinei vel domestici, ut declaravit S. C. de Pr. F., 5 mart. 1816, ad 6, in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1323, pertrahat ad mortale peccatum[58]. Quo in casu non

gato loco Pauli. Ex primis saeculis religionis christianae exempla particularia certo comprobata allegari nequeunt, in quibus usus practicus privilegii Paulini locum habuit. Raro quoque Sancti Patres et scriptores ecclesiastici privilegium Paulinum attingunt; at quamvis non semper expressis verbis fideli coniugi ab infideli derelicto novas nuptias concedant, tamen illas etiam non negant (cfr. *Tertull.*, Ad uxor. l. II, cap. 2; *S. August.*, in c. 4 sq., C. XXVII, q. 1), nisi agatur de casibus in privilegio Paulino non comprehensis. Cfr. *S. August.*, in c. 8, 9, C. XXVIII, q. 1. Porro *S. Ioann. Chrysost.*, in homil. 19 in 1 Corinth. VII, n. 3, videtur etiam insinuare solutionem vinculi prioris matrimonii; nam docet: « Melius est *disrumpi* connubium », quod ex sensu obvio magis de solutione vinculi est intelligendum. Cfr. quoque S. August. in ep. 157 ad Hilar. n. 3; *Biederlack*, l. c., 308 sq.; *D'Annibale*, P. III, n. 373, not. 1; *Leitner*, 614 sq., 609; *Freisen*, 825 sq., ubi tamen exceptis legitimis quibusdam animadversionibus certe non dat explicationem genuinam privilegii Paulini.

At clarius auctor Commentarior. in tredecim epist. S. Pauli, qui vulgo nunc vocatur Ambrosiaster et versus finem saeculi quarti tempore Papae Damasi vixit (cfr. *Bardenhewer*, Patrolog., 382), in 1 Corinth. VII, 13 sq. = c. 2, C. XXVIII, q. 2 (falso a Gratiano adscript. S. Gregor.) tradit: « *Per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se iunxerit. Contumelia enim Creatoris* **solvit** *ius matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus*. Cfr. *Arendt*, apud « Gregorianum » l. c., ubi probationem ex traditione accurate colligit.

Vix quidquam de privilegio Paulino colligi potest ex c. 63 Concilii Toletani IV (a. 633), qui secundum sensum obvium potius explicandus est de matrimonio *inito* cum disparitate cultus, sed praeterea etiam alias interpretationes parum fundatas nactus est. Cfr. *Rossel*, n. 607, 611; *Wernz*, h. tom. V, n. 276, not. 54; *Fahrner*, l. c., 162; aliter *Leitner* 614. Potiore iure provocari potest ad c. 72 Conc. Trull. (a. 692), si attendatur sensus contrarius, et ratio habeatur constantis praxis Ecclesiae Orientalis. Cfr. *Zhishman*, 754 sq. Quae doctrina de vi privilegii Paulini postea ab Hincmaro Remensi, Ivone Carnutensi atque praesertim a Gratiano C. XXVIII, q. 1, 2 aliisque doctoribus scholasticis, v. g. Petro Lombardo, Rolando, Bernardo Papiensi, Tancredo constanter tradita tandem in collectione authentica Gregorii IX, cap. 7, 8, X. h. t. (Innoc. III) sollemniter confirmata est; deinceps vero praesertim ex saeculo decimo sexto toties accepit practicam applicationem, ut hac de re quoad substantiam nullum amplius possit existere dubium. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1305 sq.; *Fahrner*, l. c., 149 sq., sq., 271 seq.; *Bened. XIV*, Quaest. canon. 546, n. 34; *Schmalzgr.*, h. t. n. 20; *Sánchez*, l. VII, disp. 73 sq.; *Palmieri*, l. c., 214 sq.; *Feije*, n. 741 sq.; *Rossel*, n. 589 sq.; *Leitner*, 597 sq.

[58] **Condicio et qualitas discessus partis infidelis.** Hic est cardo difficultatis in explicanda vi privilegii Paulini. Profecto cum S. Paulus, l. c., dicat: « *Si* **infidelis** *discedat* », non amplius habetur interpretatio com-

ipso baptismo, sed eo demum momento vinculum prioris

---

prehensiva, sed *extensiva* (cfr. *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 470, not. 20 sq.), si qui verbo *infidelium* etiam *fideles* comprehensos esse putant eo scopo, ut favorem a Gregorio XIII, cit. Const. « *Populis ac nationibus* » concessum, violenter et contra Patristicam traditionem reducant ad meram applicationem privilegii Paulini. Cfr. v. g. *Santi-Leitner*, h. t. n. 27; *Rossel*, n. 647, qui simul confugere debet ad aliam suppositionem parum probabilem, sc. matrimonium in infidelitate contractum et consummatum per solam conversionem utriusque coniugis non solum fieri sacramentum, sed etiam absque nova consummatione *post* baptismum habere indissolubilitatem matrimonii consummati duorum christianorum.

At ista interpretatio extensiva est in se non fundata et praeterea impingit in illam difficultatem, quod R. Pontifex omnino non possit dare interpretationem extensivam *iuris divini*. Nam ipse nequit ius divinum condere, augere vel minuere. Quare omnes illi viri docti, qui admittunt privilegium Paulinum iure divino esse constitutum et simul defendunt *eiusdem privilegii Paulini extensionem*, proponunt assertiones logice et dogmatice parum conexas vel utuntur terminologia haud felici. Cfr. *Fahrner*, l. c., 271 sq.

Discessus **physicus** *vel* **moralis.** Restricto discessu ad *infidelem*, nemo negat ad usum eiusdem privilegii ex parte coniugis fidelis omnino sufficere discessum *physicum* coniugis infidelis ex qualicumque *motivo perverso*, v. g. ex odio fidei vel turpi lucro, liberioris vitae amore factum, cui pars fidelis *iustam* causam temporaneam vel perpetuam, v. g. per adulterium, non dedit. Cfr. S. C. Inq., 5 aug. 1759, ad 2; S. C. Inq. 11 iul. 1866 ad 1. *Moralis* quoque discessus coniugis infidelis sufficit, si is absque Creatoris contumelia cum coniuge fideli cohabitare detrectat. Cfr. cap. 8, X, h. t.; S. C. Inq. 11 iul. 1866 ad 2-5 iunct. c. 1121.

At controversia est: 1°) Num ille quoque coniux infidelis possit dici *moraliter* discedere, si *converti* quidem *nolit*, sed vere actuque, non ficte atque ex mera velleitate, pacifice saltem cohabitare consentiat. Quae controversia *ex parte* coniuncta est cum illa de *obiecto* interpellationis, de qua iam nunc dicendum est citra dispensationem pontificiam omnino requiri interpellationem de *duplici* obiecto, sc. num coniux infidelis velit converti, an saltem pacifice cohabitare. Cfr. S. C. Inq., 8 iun. 1836, 10 dec. 1885, iunct. cit. can. 1121. 2°) Restat vero altera *pars* controversiae, num ex privilegio Paulino ad verificandum discessum physicum necessario in parte infideli requiratur *malitia* sive mala fides.

I. Non desunt doctores, qui videntur tenere omnino requiri *maliliosum discessum*. Cfr. *Biederlack*, l. c. VII, 307 sq.

Quae sententia sua difficultate non caret, atque ea, quae *exempli* causa de casibus communiter contingentibus dicuntur, non satis videntur distinguere *a taxativa* sive exclusiva enumeratione. Certe S. C. Inq. ad quaesitum: « *Quidam ad fidem nuper conversi interpellant coniugem infidelem, an velit converti vel saltem habitare pacifice. Respondet illa se quidem velle, sed detineri a secundo marito vel a creditore, qui illam abire non sinunt. Quaeritur, utrum in hoc casu coniux conversus possit ad alias transire nuptias* », d. 12 iun. 1850 respondit: « *Affirmative, nempe conversum, de quo agitur, si non est legitime ab Apostolica Sede dispensatus, teneri ex divino praecepto ad faciendam in praesenti casu una vice interpellationem alteri coniugi; posse autem pluries ex mera caritate. Expleta autem a converso hac divinitus iniuncta condicione, si*

matrimonii in infidelitate contracti dissolvitur, quo pars

---

pagana uxor ad ipsum non redierit intra iustum aliquod et rationabile temporis spatium, posse praefatum conversum licite et valide alias inire nuptias cum muliere tamen christiana, dummodo vir non sit causa *impedimenti, quo mulier detineatur* ».

In hoc responso habetur mera applicatio privilegii Paulini; nam statim ab initio excluditur casus *dispensationis* ab interpellatione. Porro mulier *voluit cohabitare*, neque ullo verbo insinuatur, nisi quis velit divinare, hanc voluntatem fuisse fictam, vel mulierem ex malitia praetulisse separationem physicam a legitimo marito. Quare S. C. Inq. *malitiam* in discessu physico partis infidelis non videtur requirere. Cuius decisionis ratio intrinseca videtur esse illa, quod ex principio iuridico: « *voluntas non sufficit, ubi facto opus est* ». At non obstante bona voluntate mulier *de facto* non rediit, unde maritus mansisset subiectus servituti coacti caelibatus nec in pace vivere potuisset. Praeterea verbum generale S. Pauli (discedit), si iungatur *motivis* privilegii Paulini non videtur absoluta necessitate exigere in omnibus casibus *malitiosum* discessum physicum coniugis infidelis, si post interpellationem legitimam *de facto* non redeat.

Proposita doctrina multo magis videtur confirmari ex resp. S. C. Inq. 22 nov. 1871 et 8 iul. 1891 in cit. Collect. n. 1356, 1362. In ultimo casu mulier catechumena cuiusdam fidelis, quam iste in sua propria infidelitate duxit, ab eo per vim ablata est, ita ut nulla spes eam redimendi vel recuperandi affulgeret. « *Mulier quidem vult converti et vellet cum eo cohabitare, sed nec religionem colere nec cohabitare potest* ». Ad quaesita: « 1. *An talis fidelis privilegio Paulino uti possit et aliam uxorem ducere, ne scilicet caelebs manere cogatur. 2. Si ipse eam vendidit et nullo modo eam redimere potest, an item privilegio uti possit* », eadem S. C. respondit: « *Ad 1. Quatenus prima uxor in infidelitate permaneat, permitti posse ut matrimonio cum secunda muliere coniungatur. Ad 2. Quatenus uxorem vendiderit ante baptismum, affirmative* ». Cfr. *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 473 sq., 475, not. 13, n. 476, not. 19 iunct. *Sánchez*, l. VII, disp. 74, n. 15, 16 (de interpellatione). Ergo discessus physicus spectatur in facto, quod etiam verificatur cum coniux infidelis contra suam voluntatem impeditur a cohabitatione, modo *fidelis* non sit causa impedimenti.

II. Si pars infidelis pacifice quidem et sine ulla contumelia Creatoris cum parte fideli cohabitare velit actuque cohabitat, sed converti constanter renuat, pars fidelis postquam per sufficiens tempus exspectavit conversionem coniugis infidelis, monitione praemissa non prohibetur discedere a toro et cohabitatione cum parte infideli (cfr. *Sánchez*, l. VII, disp. 76, n. 1 sq.); at vivente coniuge infideli novum matrimonium cum solutione vinculi prioris coniugii nullo modo inire potest.

Quae doctrina continetur Decretali Clem. III (a. 1187-1191) in cap. 1 de conv. inf. III, 20 in cpl. II et resp. S. C. Inq., 29 nov. 1882 ad 3 cum verbis Synod. Limensis III a Sixt. V approbatae in cit. Collect. n. 1358; manifeste quoque traditur a *Petro Lombardo*, Sent. l. IV, d. 39, c. 5; *Bernardo Pap.*, l. c., 291; *Tancredo*, l. c., 45; *S. Raymundo*, l. c. tit. de dispar. cult., qui expresse provocant ad cit. cap. 1 Clem. III; a *S. Thoma*, Comment. in IV lib. sent. dist. 39, q. 1, art. 5; *Schmalzgr.*, h. t. n. 34 sq.; *Feije*, n. 490; *Fahrner*, l. c., 154 sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 474.

fidelis novum matrimonium valide celebravit[59]. Debet autem matrimonium contrahere *cum parte catholica* (cc. 1123, 1124);

Profecto coniux conversus eodem gaudeat iure necesse est, quo potitur coniux fidelis, si ipsius compars labatur in haeresim, a qua sese quoad torum et habitationem separare potest. Cfr. cap. 7, X, h. t. At in hoc iure coniugis conversi asserendo a duplice exaggeratione est abstinendum: *a)* Imprimis nequaquam illi tribuenda est facultas ilico post baptismum sine monitione partis infidelis quasi insalutato hospite discedendi. Id enim neque ex verbis S. Pauli et S. Augustini colligi potest nec iustitiae et caritati est conforme. Immo S. C. Inq., 29 nov. 1882, ad 3, talem praecipitatam separationem a coniuge infideli sine iusta gravique causa factam evidenter reprobat, sed *obligationem* absolutam ad *perpetuam* cohabitationem in quocumque casu non imponit atque sapienter iudicium reservat Superioribus ecclesiasticis. Cfr. *D'Annibale,* l. c. *b)* Multo minus admitti potest altera exaggeratio, quasi negata conversione et admissa pacifica cohabitatione partis infidelis, nihilominus coniux fidelis etiam libere ad alias nuptias transire possit cum effectu solutionis vinculi prioris matrimonii. Nam talis sententia in verbis Apostoli atque cap. 8, X, h. t. constantique praxi et doctrina Ecclesiae non habet solidum fundamentum atque duce S. Thoma a plerisque theologis et canonistis merito reicitur. Cfr. *Sánchez,* l. VII, disp. 74, n. 8; *Pesch,* n. 788; *Rossel,* n. 604 sq. Quae opinio non magis commendatur, si cum *Sánchez,* l. c. n. 9 sq. aliisque per viam quandam indirectam inducitur, quasi Ecclesia coniugibus conversis in regionibus christianorum cum infidelibus et speciatim cum hebraeis absolute et generaliter prohibuerit omnem cohabitationem. Qua ex prohibitione deinde deducitur ius transeundi ad novas nuptias, si coniux infidelis solummodo nolit *converti.* At prohibitio ista etiam specialis quoad hebraeos certe in disciplina *vigente* non existit neque in iure antiquo est fundata, ut constat ex allegato cap. 1, III, 20, Clem. III in cpl. II et Tancredo aliisque scriptoribus medii aevi, nisi in casu particulari interveniat mere ficta promissio pacificae cohabitationis ex parte coniugis infidelis. Cfr. S. C. Inq., 28 nov. 1894 in ASS. XXIX, 564, *Wernz,* V, n. 276, not. 54; *Fahrner,* l. c., 162 sq.; *Scherer,* 561, not. 63 i. f.; *Rosset,* n. 607, 611: aliter *D'Annibale,* l. c. P. III, n. 474, not. 11, n. 475, not. 15, n. 476, not. 27 sq. cum non paucis scriptoribus de illa *prohibita* cohabitatione disserit. Cfr. quoque *Pesch,* n. 798. Qui scriptores saltem plerique videntur penitus ignorasse aut non attendisse cit. Const. Clementis III.

Quae *secunda* condicio de cohabitatione, si a coniuge infideli *sola* denegetur, parti fideli usum privilegii Paulini reddit expeditum. Nam cum vir fidelis haberet mulierem infidelem in ipsius viri infidelitate ductam, quae quidem voluit converti, sed nullo modo cum eo habitare consensit, ad quaesitum: « *An vir uti privilegio Paulino et facta interpellatione de cohabitandi voluntate ad alias nuptias transire possit* », S. C. Inq., 8 iul. 1891, respondit: « *Affirmative ad utramque partem, dummodo uxor in infidelitate maneat* ».

[59] Cfr. c. 3, 4, D. 26 (S. Ambros. et Innoc. I); c. 13, D. 34 (Innocent. I); cap. 8, X, h. t.; S. C. C. in c. Florent. 27 iul. 1727 ad 1 et 2; S. C. Inq. 5 aug. 1759 ad 6; *Sánchez,* l. VII, disp. 75; *Schmalzgr.,* h. t. n. 24 sq.; *Benedict. XIV,* Quaest. can. 546, n. 6; *Giovine,* I, 514 sq.; *Feije,* n. 498; *Fahrner,* l. c., 146 sq.

invalide autem contraheret cum parte infideli, illicite cum parte acatholica. Raro Ecclesia et cum maxima difficultate in hoc casu dispensat ab impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis, nec generalis facultas in his impedimentis dispensandi hoc casu adhiberi potest (cfr. Collect. n. 1340, 1356, 1357), sed requiritur specialis facultas, quae nonnunquam datur sive ad tempus sive ad certum numerum casuum.

II. **Privilegii perduratio.** Ius discedendi novasque celebrandi nuptias coniux fidelis non amittit, licet post susceptum baptismum cum parte *infideli denuo* matrimonium consummarit vel ratum habuerit, si coniux infidelis mutata voluntate deinde sine rationabili motivo discedat vel non amplius absque contumelia Creatoris cohabitare velit (c. 1124)[60]. Nam etiam hisce in casibus verificantur condiciones privilegii Paulini; *favor* igitur *fidei* non est negandus, ne parti fideli et *deceptae* propter nequitiam coniugis infidelis nova addatur *afflictio,* et *servitus* caelibatus coacti imponatur.

At ius discedendi partis fidelis penitus extinguitur, si coniux infidelis postea mutata voluntate in melius baptismum revera suscipiat vel suscipere intendat. Cfr. cap. 8, X, h. t. iunct. S. C. Inq. 11 iul. 1866 ad 8.

III. **Interpretatio favorabilis.** In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris (c. 1127) seu iudicandum est in favorem libertatis partis fidelis, in ordine ut novum matrimonium ipsi permittatur aut in novo iam contracto permanere liceat. Quod dubium potest versari aut circa matrimonium in infidelitate contractum, aut circa personam primae uxoris, aut circa validitatem baptismi ab una parte recepti, aut circa sincerum responsum ad interpellationem datum, aut circa sufficientiam causae ad dispensandum ab interpellationibus aut ab expectando responso excusantis. Speciatim de dubio circa baptismum et de dubio circa matrimonium in infidelitate contractum plures adsunt S. Offic. declarationes, ex quibus iam videtur inferri baptismum et matrimonium dubium, post diligentem inquisitionem factam ad dubium solvendum, esse habendum pro valido vel invalido prout validitas vel invaliditas viam aperiat baptismo

---

[60] S. C. Inq., 5 aug. 1759 ad 1 et 20 (27) sept. 1848 et 11 iul. 1866 ad 1; *Zitelli,* 119 sq.; *Leitner,* 607 sq. Quibus decretis S. C. Inq. etiam conformandum est statutum Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 169: « *Simul ac copula habet locum inter coniugem recenter conversum et consortem eius, qui recusat se convertere, confirmatur matrimonium, nec amplius licet illud dissolvere* ».

et usui privilegii Paulini, salvis terminis essentialibus huius privilegii [61].

[61] S. C. Inq. ad duo dubia: 1. *Matrimonium dubie baptizati cum non baptizata estne validum? 2. Si affirmative ad 1, poteritne pars dubie baptizata uti privilegio fidei post reiterationem baptismi, et viceversa poteritne pars non baptizata uti privilegio post baptismum, si pars dubie baptizata nolit converti aut pacifice cohabitare?* » 7 iul. 1880, respondit: « *Ad 1) matrimonium habendum esse uti invalidum ob impedimentum cultus disparitatis. Ad 2) provisum in primo* ». Cfr. quoque S. C. Inq., 5 iul. 1853.

Eadem S. C. Inq., 18 maii 1882, respondit: « *Si vero pars una convertatur post conversionem alterius, et examinato casu particulari supersit dubium, stet pro nullitate matrimonii in favorem fidei* », atque suae decisioni, 26 april. 1899, addidit: « *Mens est, ut in dubio iudicium sit in favorem fidei* ». Cfr. quoque S. C. Inq., 18 maii 1892 et 8 iun. 1824 et 29 nov. 1882 in cit. Collect. n. 1332, 1358, 2185 et in ASS. XXIV, 640 sq.; S. C. Inq., 16 iun. 1895, in ASS. XXIX, 565 sq., ubi in casu matrimonii in infidelitate cum dubio valore contracti dedit facultatem dispensandi partem infidelem ab interpellatione cum clausula: « *Quatenus opus sit* »; *Leitner*, 606 sq.; *Vermeersch*, l. c. n. 28 sq.

Quae responsa S. C. Inq. de favore fidei in casibus dubiis de se plana sunt, at minus obviae sunt rationes quibus innituntur. Nam imprimis sane Benedict. XIV, Const. « *Probe te* », 15 dec. 1751, § 27 docet: « *Quodsi in re dubia in favorem fidei pronuntiandum esse constans regula est, quis est etc.* »; at istam regulam ibidem non applicat huic quaestioni, sed alteri multo diversae, i. e. de iure aviae offerendi infantem ad baptismum. Praeterea est difficultas philosophica. Nam in casu dubii et opinionum probabilium versamur in ordine *subiectivo*, quo *obiectivus* ordo veritatis non immutatur, nec propter dubia subiectiva et rationes probabiles res obiective falsa in favorem fidei transit in rem obiective veram, i. e. matrimonium hucusque validum in matrimonium invalidum. Denique occurrit exceptio iuridica de natura sententiae iudicialis. Nam sententia iudicis de nullitate matrimonii natura sua est *declaratoria*, i. e. id manifestat, quod iam antea obiective existit. Permanente igitur dubio, unica sententia rationabilis iudicis est: in casu non constare de nullitate matrimonii. Qua sententia certe effici nequit ut matrimonium, non obstantibus dubiis, forte obiective validum *rescindatur*. Quare ad alias explicationes videtur recurrendum, sc. quod sub extrinseca forma *iudicii* in casibus istis dubiis ob favorem fidei sive vi privilegii Paulini sive — ut alii forte explicant — indulto apostolico concedatur *solutio* matrimonii dubii. Qua in re nihil habetur mirum, cum R. Pontifex sub extrinseca specie *declarationis* possit dare *etiam veram dispensationem*. Cfr. v. g. declarationem Benedicti XIV pro Hollandia et praesertim decret. S. C. Inq., 2 iun. 1892, quo matrimonia clandestina haereticorum in insula Melitensi etiam ante 12 ian. 1890 (certe invalide) contracta ex benignitate apostolica fuerunt declarata valida, i. e. fuerunt *sanata*.

Similiter R. Pontifex potest vere *dispensare* super matrimonio rato propter *dubiam potentiam* unius partis. Quo in casu matrimonii vinculum vere *solutum* est, licet fortasse coniux ille *revera potens* fuisset; at vicissim mera sententia iudicialis nullitatis matrimonii, etiam a R. Pontifice lata ex capite impotentiae, *obiective non existentis*, certissime esset falsa et irrita. Cfr. Pauli III Const. « *Altitudo* » 1 iun. 1537 — de conversis non *recordantibus* quamnam uxorem primam duxerint —; S. Pii V Const. « *Romani* », 2 aug. 1571 iunct. S. C. Inq., 22 nov. 1871, resp. ad 1 quaes. — de prima uxore legitima non nota et difficulter invenienda —; Urbani VIII responsa Card. Lugo data apud *Feije*, l. c. n. 486. Qui auctor, l. c., in ordine ad usum privilegii Paulini non satis distinguit matrimonia *certo nulla* a matrimoniis vere *dubiis*. Praeterea Sedes Apostolica nunquam admisit generale principium in aliqua regione, ubi corruptissimi vigent mores, quo statuitur quasi a priori omnia matrimonia etiam cum prima uxore habenda esse invalida. Cfr. S. C. de Prop. F., 5 dec. 1631; Instr. S. C. Inq., 18 dec. 1872 ad Vic. Ap. Ocean. centr. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1308, 1300. Deinde quod est « fere moraliter certum », id non est simpliciter certum. Tandem Paulus III, l. c., nequaquam supponit omnia matrimonia illorum infidelium esse *nulla;* secus plane inepte statuisset quod infideles conversi, si recordarentur quaenam fuisset prima ipsorum uxor, aliis dimissis illam deberent *retinere;* nam certe uxor illegitima non est retinenda. Similiter, nisi quis velit fingere contradictionem inter Paulum III et S. Pium V, nequit admittere S. Pium V omnia matrimonia istorum infidelium certo reputasse invalida, neque ullus singularis favor istis barbaris fuisset concessus; etenim *nullitate* prioris matrimonii *certo* probata, plena est libertas ex natura rei et sine speciali favore transeundi ad secundas nuptias. Cfr. S. C. Inq., 20 iun. 1866, 18 maii 1892 ad 1.

IV. **Effectus privilegii Paulini.** Effectus *immediatus* est permissio transitus ad novas nuptias cum parte fideli; deinde *me-*

Quare doctor Lovaniensis, l. c., 360, not. 1, ab incohaerentia sibi a *Biederlack*, l. c., 319, opposita per simplicem negationem sese non videtur sufficienter extricasse.

Illud autem certo modo infertur ex c. 1127, conformi praecedentibus responsis S. Officii, sc. quod praesumptio pro matrimonio in casu dubii, de qua agit c. 1014, cedit praesumptioni fidei seu libertatis infidelis ad fidem conversi; at sicut illa praesumptio pro matrimonio dicitur valere donec contrarium probetur, ita praesumptio in favorem fidei, si sustinetur contra *obiectivum* ordinem veritatis forte postea certo modo cognitum, videtur debere intervenire potestas R. Pontificis, prius matrimonium, quatenus opus sit, solventis. Cfr. *De Smet*, n. 355; *Arendt*, Ephemer. Lov. I, 180 sq.

• In matrimonio vero contracto a duobus acatholicis dubie baptizatis, in casu dubii insolubilis circa baptismum non posse permitti alterutri parti ad fidem conversae usum privilegii vi canonis 1127 respondit S. C. S. Offic. d. 10 iun. 1937; debet enim semper vitari periculum violandi ius divinum, quod certo violaretur si de facto uterque coniux fuerit baptizatus et matrimonium sit iam consummatum. Si vero agatur de matrimonio partis non baptizatae cum parte acatholica dubie baptizata, in casu dubii insolubilis de baptismo recurrendum erit in singulis casibus ad S. Officium; Ordinarii enim nequeunt permittere alterutri parti ad fidem catholicam conversae usum privilegii Paulini vi canonis 1127; cfr. AAS. XXIX, 305; Period. XXVI, 472.

diate ex tali novo matrimonio sequitur abruptio vinculi prioris matrimonii[62].

At si coniugem conversum ad fidem et altera pars sequatur, antequam propter causas praedictas ille novum *legitime* duxit coniugem, partem postea conversam denuo recipere tenetur[63]. Vicissim facta dissolutione vinculi matrimonialis per novas nuptias a coniuge fideli valide celebratas — vel per alium modum legitimum v. g. per mortem vel dispensationem R. P. saltem super matrimonio rato — etiam alter coniux tum in infidelitate, tum si postea ad fidem catholicam convertatur, *licite* et *valide* novum matrimonium contrahere potest[64].

Nam soluto *vinculo* coniugali ex natura rei parti infideli impedimentum ligaminis non amplius obstat; aliud vero impedimentum dirimens vel prohibens ex hoc capite nulla lege, sive divina sive ecclesiastica sive civili reperitur statuta.

Pars fidelis illegitime derelicta, quae per transitum ad alias nuptias *statum non mutavit,* manet obstricta vinculo prioris matrimonii atque isto statu perdurante coniux *infidelis* valide nequit celebrare novum matrimonium[65]. At etiamsi coniux fidelis, *perperam desertus, legitime* suscipiat sacros ordines *vel* emittat sollemnem professionem religiosam — qui casus iure Codicis est parum practicus — solutio vinculi matrimonii in infidelitate antea contracti in priore casu sacrae ordinationis certe[66] non obtinet, immo etiam in altero casu professionis sollemnis probabilius non est asserenda[67].

---

[62] *Arendt,* Ephemerid. Lov. I, 178, ponit *natura* prius esse dissolutionem prioris matrimonii, qua aufertur impedimentum ligaminis; cum tamen illa dissolutio *extrinsecus ex Dei lege obtineat* non multum videtur referre quid dicatur esse natura prius; nam sicut novo matrimonio ex iure naturae opponitur ligamen, ita ex iure naturae liberationi a priore ligamine opponitur ipsius indissolubilitas.

[63] Cap. 8, X, h. t.; S. C. C. in cit. c. Florent.; S. C. Inq., 11 iul. 1866, ad 8; *Benedict. XIV,* Quaest. canon. 546, n. 11 sq.; *Feije,* n. 499.

[64] S. C. Inq., 16 sept. 1824 et 15 sept. 1858, in cit. Collectan. n. 1328, 1349; *Schmalzgr.,* h. t. n. 28 sq.; *Benedict. XIV,* l. c. n. 12. Quare hac in re derelinquenda est sententia illorum, qui adversabantur novis nuptiis partis *infidelis* etiam *post* ipsius conversionem. Cfr. *Sánchez,* l. VII, disp. 77; *D'Annibale,* l. c. n. 476; *Rosset,* n. 619 sq. Multo magis Innocentius IV, Hostiensis, Ioann. Andr., falso docuerunt coniugem *fidelem,* qui propter discessum partis infidelis legitime transiit ad novas nuptias, *teneri,* soluto hoc novo matrimonio per mortem alterius partis, denuo admittere ad consortium matrimoniale priorem coniugem infidelem, si tunc ad fidem reducatur. Nam cum prius matrimonium sit *exstinctum,* talis admissio fieri omnino *non potest,* nisi novo matrimonio celebrato, ad quod celebrandum nulla existit obligatio vel coactio. Cfr. *Sánchez,* disp. 75, n. 10.

[65] Cap. 8, X, h. t.; S. C. C. in c. Florent. 1 iul. 1679, 13 apr. 1680 et in altera cit. caus. Florent., 27 iul. 1727; *Sánchez,* l. VII, disp. 75, n. 4 sq.

632. Modus probationis de mala voluntate partis infidelis. Si coniux conversus etiam post matrimonii in infidelitate consummationem velit uti privilegio Paulino et transire ad novas nup-

---

[66] *Sánchez,* disp. 76, n. 1 sq., 10 sq.

[67] Cfr. supra not. 51 hoc cap. *Benedict. XIV,* Quaest. can. 546, n. 35; *Rossel,* n. 701 sq., cum *Schmalzgr., Kugler, Santi-Leitner, Feije, Scherer,* aliisque; aliter *Sánchez,* l. VII, disp. 76, n. 9, cum aliis v. g. *Pesch,* n. 800. Qua in controversia imprimis adversarii non conveniunt in assignanda *causa* illius vis professioni religiosae attributae. Alii, v. g. *Sánchez,* l. c., illam repetunt ex *divino* iure *positivo* — neque in sacris litteris neque in constanti traditione Ecclesiae fundato — alii v. g. *Pesch,* l. c., pro suis principiis ex concessione R. Pontificis. Quod ius R. Pontificis directe concedendi solutionem talium matrimoniorum etiam in casibus particularibus hucusque est controversum. Quo in casu RR. Pontifices huiusmodi iuribus uti non solent, saltem per *leges universales,* praesertim si interveniat quaestio de *causa iusta* et proportionata.

Porro licet quis potestatem R. Pontificis hac in re tanquam *indubitatam* admittat, nondum sequitur quod R. Pontifex *de facto* professioni religiosae tribuerit singularem illam vim solvendi *haec* matrimonia *consummata,* quam contulit in ordine ad matrimonia *rata.* Nam illud argumentum petitum ex maiore *firmitate* matrimonii rati, quod simul est sacramentum, iam in se est ancipitis valoris; versamur enim in comparationibus rerum diversi ordinis, quae claudicare solent. Quodsi in sacramento rato matrimonii recte admittatur *excessus in firmitate vinculi* (cfr. *Biederlack,* l. c., 315 sq.), ad solvendum *debilius* vinculum in infidelitate contractum, potest esse propter *consummationem* et prolem *defectus* quidam in *causa iusta* et proportionata, sine qua dispensatio R. Pontificis super vinculo iuris divini est invalida. Cfr. matrimonium cum dispensatione super disparitate cultus celebratum et a favore privilegii Paulini exclusum. Cfr. quoque S. C. de Prop. F., 5 dec. 1631. Deinde huius solutionis vinculi nulla est intrinseca *necessitas;* nam vinculum *matrimonii* consistere potest cum vinculo *professionis.* Quare Deus vel R. Pontifex per solutionem vinculi in casu *unice* concederet favorem parti *infideli* et *contumaci,* ut is licite et valide possit transire ad novas nuptias. Id autem vix est credibile. Denique in huiusmodi quaestionibus iuris positivi et tanti momenti extensiones ad casus analogos et similes sunt periculosae (cfr. R. I. 28 in Sext.), praesertim si non leves interveniant *differentiae,* uti accidit in casu. Etenim si *duo coniuges fideles* contraxerunt matrimonium, unus ante consummationem libere et sine interpellatione potuit ingredi in religionem, altero invito et ad cohabitationem promptissimo. Id in casu nostro fieri omnino non poterat; immo si tempore novitiatus pars infidelis converteretur, pro suo iure alteram partem ad se revocare poterat.

Profecto si certo et authentico iudicio Ecclesiae constaret in *lege generali* de vi professionis religiosae solvendi matrimonia sensu stricto rata fidelium etiam hunc casum esse comprehensum, omnis controversia esset dirempta. Nam R. Pontifex, quemadmodum ex cathedra loquens

tias, *antea* omnino necessaria est *interpellatio*[68]. Quo nomine

---

infallibiliter declarat ius divinum, ita etiam in condendis *legibus universalibus* disciplinae immunis est ab errore circa limites suae potestatis spiritualis, ut nihil in iisdem legibus statuat contra fidem et bonos mores. At huiusmodi iudicium certum et authenticum hucusque non est promulgatum.

[68] Quae necessitas interpellationis partis infidelis est corollarium ex doctrina S. Pauli atque Innocentii III, cap. 8, X, h. t. Inde enim constat fidelem coniugem non posse transire ad novas nuptias, nisi infidelis « *discedat* » vel *renuat* cohabitare sine contumelia Creatoris; at de ista voluntate partis infidelis saltem regulariter constare non potest sine interpellatione; hinc ex statuta necessitate discessus ad novas nuptias ineundas etiam ex natura rei sequitur necessitas interpellationis. Quodsi S. C. de P. F., 5 mart. 1816, in resp. ad 1, non expressis verbis illam necessitatem interpellationis ad legitimam dissolutionem prioris matrimonii — seclusa dispensatione apostolica — repetat *ex iure divino*, id aperte factum est a S. C. Inq., 12 iun. 1850: « *Affirmative, nempe conversum, de quo agitur, si non est legitime ab Apostolica Sede dispensatus, teneri* **ex divino praecepto** *ad faciendam in praesenti interpellationem alteri coniugi... Expleta autem a converso hac* **divinitus** *iniuncta condicione etc.* ». Cfr. *Feije*, n. 487 sq., 493; *Laemmer*, in Arch. f. k. K. XI, 246 sq.; *Sánchez*, l. VII, disp. 74, n. 12 sq.; *Putzer*, l. c. 200; *Biederlack*, l. c., 320.

Aliter ex parte *D'Annibale*, l. c. n. 476, ubi *ex iure divino* repetit necessitatem interpellandi coniugem infidelem, an velit *converti;* et alteram quaestionem, num velit pacifice *cohabitare*, ex *solo praecepto ecclesiastico* impositam esse arbitratur. Cuius assertionis quoad *secundam* partem non affert solidas rationes. Nam exinde arguit quod ea lege, qua competat *ius* permanendi in matrimonio, eadem lege ex adverso oriatur *obligatio* interpellandi; at *ius* permanendi videtur derivandum ex iure mere *humano;* ergo etiam *obligatio* interpellationis in iure divino non fundatur. Qui syllogismus nititur aequivocatione. Nam pars conversa, licet servatis servandis *possit* sese separare a *toro* et cohabitatione, si coniux infidelis vere pacifice quidem cohabitet, sed pertinaciter nolit converti, tamen in illo casu ex *iure divino* impeditur a *novis nuptiis* valide celebrandis. Cfr. Clem. III, cap. 1, de convers. inf. III, 20, in cpl. II.

Porro interpellatio, de qua agitur, est praecise illa in ordine ad novum *matrimonium contrahendum*. Cfr. S. C. de Prop. F., 3 ian. 1777, ad 4. Quare argumentum contra adversarium retorqueri potest. Quodsi idem auctor argumentum repetit ex *varietate disciplinae*, nititur falso supposito historico et iuridico de prohibita cohabitatione coniugis fidelis cum infideli, etiamsi parti fideli nullum immineat periculum. Cfr. quoque S. C. Inq., 7 aug. 1891, in ASS. XXIX, 639 sq. iunct. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 1. Tandem *D'Annibale* immerito ex *frequentia* dispensationum deducit originem humanam interpellationis de cohabitatione; secus ob frequentes dispensationes super matrimoniis ratis vel votis etiam in hisce causis admittenda essent vincula mere humana. Immo auctor ista ratione priorem partem propriae assertionis destruit; nam aeque frequenter, immo forte frequentius dispensatur ab *utraque interpellatione* quam a sola secunda; at ipse primam interpellationem niti *iure divino* omnino sustinet.

Scherer, 563, not. 68, ex facto *dispensationis* super interpellationibus

intelligitur actus legitimus, quo coniux ad fidem christianam con-

---

deducit illas simpliciter non fundari *in iure divino* atque tempore medii aevi non fuisse in usu tanquam condiciones praevias ad novas nuptias neophytorum. Quae argumentatio non videtur esse solida. Etenim R. Pontifex multiplici modo non solum super vinculo iuris humani, sed etiam divini, v. g. super votis, matrimoniis ratis, potest dare dispensationem. Praeterea *Scherer* ipse fatetur saltem in quibusdam dispensationibus pontificiis super interpellationibus *implicite* contineri dispensationem sive *solutionem* matrimonii in infidelitate consummati. Quae dispensatio certe non versatur in iure *mere humano*.

Denique in difficultate de praxi medii aevi nimia vis tribuitur argumento valde debili ex partiali quodam silentio petito, atque non satis attenditur distinctio interpellationis *iudicialis* et *extra-iudicialis* vel privatae. Quae interpellatio extra-iudicialis vel privata de se omnino sufficiens certe tempore medii aevi etiam in praxi fuit recepta. Cfr. *Goffred. de Trano*, h. t. n. 10; *Sánchez*, l. c. n. 17 sq.; *Esmein*, I, 246, sq.; *Fahrner*, l. c. 279, not. 2.

At illud huic auctori facile est concedendum illos scriptores versari in difficili condicione, qui contra tenorem verborum *omnes* illas dispensationes volunt reducere ad meras *declarationes* iuris divini, aut admissis *veris* dispensationibus super interpellatione tandem aliquando admittant necesse est veram dispensationem R. Pontificis super *lege divina* de interpellationibus. Quare in asserenda vel neganda potestate R. Pontificis dispensandi super vinculo iuris divini solummodo discrepant quoad *obiectum proximum*.

Quodsi *interpellatio* saltem regulariter iure divino in usu *privilegii Paulini* sit *praescripta*, duplex quaestio distincta eadem certitudine non est soluta, sc: 1) num in casibus quibusdam extraordinariis etiam *sine* ulla interpellatione moraliter certo constare possit de discessu coniugis infidelis, et 2) num ista *sollemnitas* interpellationis tanto rigore sit *praescripta*, ut etiamsi *obiective* — ut accidit in morte — pars infidelis *vere discesserit*, immo aliunde sine interpellatione de illo discessu sive de prava voluntate non cohabitandi sine contumelia Creatoris certa habeatur notitia, *sola omissio* interpellationis sufficiat, ut secundum matrimonium *invalide* celebretur.

Priori quaestioni saltem *in theoria* videtur posse dari affirmativum responsum, cum quandoque eae possunt esse circumstantiae, ut etiam ex factis sine interpellatione de voluntario discessu infidelis sufficienter constet. Cfr. S. C. de Prop. F., 17 ian. 1836, ad 2; S. C. Inq., 1 iun. 1760; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 434 sq.; *Sánchez*, l. c. n. 13; *Biederlack*, l. c.; *Putzer*, l. c. 200; *Pesch*, n. 793. Quae sententia certe applicari nequit, si pars fidelis est *dubia* de obstinatione coniugis infidelis, ut fatentur *Sánchez*, l. c. n. 12 et *Ballerini-Palmieri*, n. 436. Deinde *Sánchez*, l. c. n. 15, multo magis limitat suam sententiam, quod in compluribus casibus ex *meris factis* sufficiens notitia de pertinacia infidelis absque monitione non possit haberi. Immo si, l. c. n. 11, cum aliis viris doctis (cfr. *Laemmer*, l. c., 247), opinatur illam notitiam necessariam aliunde sine interpellatione colligi posse ex *generali* quadam *praesumptione* de pertinaci voluntate coniugum infidelium non amplectendi religionem christianam vel saltem pacifice cohabitandi, suae sententiae dat extensionem non satis fundatam. Nam talis

versus petit declarationem a coniuge infideli: 1) Non solum an converti velit ac baptismum suscipere, sed 2) etiam supposito

---

praesumptio in ipsa sua *generalitate* est arbitraria, quae factis particularibus manifeste refutatur nec a Sede Apostolica admittitur. Cfr. v. g. S. C. de Prop. F., 20 mart. 1836; S. C. Inq., 23 nov. 1769, 16 sept. 1824, 12 iun. 1850; S. C. C., 23 ian. 1603; *D'Annibale*, l. c. n. 476, n. 24. Praeterea mera praesumptio, v. g. ex divortio legali vel secundo matrimonio civili non suppeditat *certam* notitiam de discessu neque eximit ab obligatione interpellationis (cfr. S. C. Inq. 18 iun. 1884) et sine dubio deberet cedere veritati, si de contraria voluntate infidelis constaret.

Quare *in praxi* aut interpellationes sunt faciendae aut legitimae dispensationes saltem ad cautelam sunt petendae a Sede Apostolica vel eius Delegatis: porro in c. 1121, tanquam unica causa excusans ab interpellatione ponitur *declaratio* in contrarium S. Sedis. Cfr. S. C. Inq., 11 aug. 1859 et praesertim 18 iun. 1884, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1351 et n. 1360; *Putzer*, l. c.

Simili modo *alteri* quaestioni videtur esse respondendum. Nam *interpellatio* ex *natura rei* certe non est *sollemnitas* substantialis ad valorem actus requisita, sed medium regulariter necessarium ad *probandum factum* discessus infidelis, quemadmodum *probatio* requiritur, ut certo constet de *facto mortis*. Quo in casu valor matrimonii non pendet a *probatione mortis* bene facta vel neglecta, sed ab obiectiva veritate mortis. Quare idem videtur dicendum in casu nostro. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, n. 435 sq., cum *D'Annibale*, aliisque; aliter *Rosset*, n. 628 sq. aliique. At isti auctores non satis distinguunt *factum obiectivum discessus* ab eius *probatione* per interpellationem; neque ex textibus allegatis efficaci modo probant absolutam *nullitatem* actus. Id potissimum valet de resp. S. C. de Prop. F., 17 ian. 1839, ad 1. Nam non raro Sedes Apostolica concedit aliquam sanationem ad cautelam. Insuper *Rosset* aliique, qui omnia acta S. Sedis volunt reducere ad strictum usum privilegii Paulini, in illa ipsa *sanatione in radice a R. Pontifice* facta invenient singularem difficultatem.

Nam si interpellatio ex iure divino requisita ad *valorem* secund. nupt. fuit omissa, quomodo R. Pontifex illa secunda matrimonia nulliter contracta potuit *sanare in radice?* Id profecto fieri non potuit, nisi matrimonia in infidelitate *valide* contracta *praevie* essent *soluta*. At unde repetenda est haec vis matrimonii in radice sanati prioritate naturae etiam solvendi matrimonium primum, si potestas R. Pontificis excluditur? Tandem si *sola omissio* interpellationis forte coniuncta cum obiectiva *pertinacia* partis infidelis adeo evidenter obstaret *valori* matrimonii secundi, non apparet ratio quare S. C. de Prop. F. in Instr. (a. 1883), de iud. eccl. circ. caus. matr. § 45, statuerit: «*Quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed Ordinarius iudicium suspendere debebit et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum sit, indicabit*». Cfr. *Putzer*, l. c., 200 sq.

Cui normae certe in praxi standum est, cum absque interpellatione de obstinatione partis infidelis *aliunde* non tam facile certo constet, ideoque tandem recurrendum sit ad dispensationem Sedis Apostolicae ab

quod nolit converti, an velit cum coniuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris (c. 1121 § 1) [69].

Quae *duplex* interpellatio facienda est 1) *post baptismum* coniugis fidelis, nisi a S. Sede Apostolica obtineatur dispensatio [70]; 2) iuxta *formas ab Ecclesia* praescriptas. Quare debet esse *directa* non mere obliqua [71]; porro debet esse facta in forma authentica et auctoritativa, de auctoritate sc. Ordinarii instituenda, et quidem vel forma stricte *iudiciaria* — sc. infideli ad tribunal Ordinarii citato et formaliter interpellato — vel saltem via summaria et extra-iudiciali, sed redigendo in acta responsionem [72]. At forma privata, sc. per ipsam partem conversam, ad valorem sufficit, immo etiam ad liceitatem, si circumstantiae non

---

interpellatione facienda. Cfr. S. C. Inq., 11 aug. 1859, 18 iun. 1884; *D'Annibale*, l. c. n. 476, not. 28.

In iure Codicis *Verm.-Cr.* II, n. 430, insistendum putat in verbis c. 1121 § 1, (Antequam... *valide* contrahat) et c. 1125 § 2, — *valent*, si nequeat — ad negandam validatem secundi matrimonii ex *inhabilitate per Ecclesiam inducta*: quae inhabilitas, qua ab Ecclesia restringeretur ambitus privilegii fidei, difficulter poterit persuaderi ei, qui consideret in ipso Codice concedi favorem iuris etiam in casu dubii eidem privilegio, immo favorem extendi ad casum in quo condiciones privilegii non verificantur, velut cum dispensat ab interpellatione et reapse discessus obiective non existit. Quare si quis attendat in c. 1124, existente condicione discessus infidelis, coniugi fideli asseri ius ad novas nuptias, non facile admittet iure Codicis non solum condicionem discessus sed etiam *modum* probationis illius requiri ad valorem secundi matrimonii. Cfr. *Chelodi*, n. 158.

[69] Cap. 8, X, h. t.; S. C. C., 23 ian. 1603; S. C. de Prop. Fid., 5 mart. 1816 et 17 ian. 1836; S. C. Inq., 14 dec. 1848, 12 iun. 1850, 20 iun. 11 iul. 1866, 8 iul. 1891, 26 apr. 1899; *Rosset*, n. 823; *Leitner*, 601 sq. Cfr. quoque S. C. Inq. 3 ian. 1777, in Collect. (Paris.) Const. S. Sed., ubi ad 4 quaesitum respondetur: *Negative*, i. e. *non* sufficere semel hortari partem infidelem ut fiat christiana, nihil dicendo de matrimonio, ita ut si hac vice nolit converti, parti fideli licitum sit ad novas nuptias transire. Quod resp. ad 4 in Collect. S. C. de Prop. F., n. 1315, non refertur.

[70] S. C. Inq., 13 apr. 1859, 3 iun. 1874, 13 mart. 1901. Quod requisitum ex solo iure *ecclesiastico* exigitur, *dummodo suscepto baptismo a parte fideli constet infidelem in suo discessu perseverare;* secus in cit. resp. S. C. Inq., 3 iun. 1874, quoad praeteritum non datum fuisset responsum coniuges non esse *inquietandos*, si *ante* baptismum interpellatio facta sit. Cfr. *D'Annibale*, l. c. n. 476, not. 28. In locis ubi pauci sunt fideles Vicariis Apostolicis non ita difficulter datur facultas ad certum numerum casuum vel ad determinatum tempus ut possint ex gravi causa, onerata ipsorum conscientia, permittere interpellationes ante baptismum iis, qui iam ad baptismum sunt proxime praeparati. Cfr. seq. not. 79.

[71] S. C. Inq., 29 nov. 1882, ad 4; *Rosset*, n. 626.

[72] S. C. Inq., 11 iun. 1760, 16 sept. 1824; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. XIII, cap. 21, n. 4; *Leitner*, l. c., 601 sq.; *Scherer*, l. c., 563 sq.; *Putzer*, l. c., 302 sq.

permittant aliam interpellationem[73]; eo autem in casu curandum est, ut per duos testes aut documentum authenticum aut alium modum legitimum de interpellatione constet, ne postea matrimonium secundum impediri, vel eius valor in dubium vocari possit (c. 1122). Denique *unica* interpellatio sufficit atque *pluries* fit ex mera caritate[74]. Dilato matrimonio secundo per notabile tempus ex parte coniugis fidelis post *interpellationem* factam, *nova* interpellatio non est necessaria, quatenus factae interpellationi negativum datum sit responsum deinceps non retractatum; at post *annum* in casu *dispensationis* obtentae ab initio, iterum est facienda ex pontificiis responsis[75].

Facta interpellatione sive in forma iudiciali sive in forma extra-iudiciali vel privata sedulo disquirendum est, num responsio affirmativa partis infidelis saltem cohabitandi absque contumelia Creatoris sit *seria*, non *ficta*. Quodsi certis argumentis etiam extra-iudicialiter de mala partis infidelis voluntate constet, affirmativa responsio pro negativa est habenda, et parti conversae transitus ad alias nuptias permitti potest. In casibus vero particularibus, in quibus haec certa argumenta desint, recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ut dispensatio ab interpellationibus obtineatur[76].

Idem est tenendum, si coniux infidelis interpellatus *nihil respondeat*, licet *facile* respondere *possit*, vel se abscondat ne interpellari possit, vel futiles dilationes petat, dummodo attentis omnibus circumstantiis inde certo colligi possit, quod neque converti neque pacifice cohabitare velit; nam ex R. I. 31, in Sext., qui certus est, eum certiorari ulterius non oportet. Si res dubia maneat, similiter dispensatio ab interpellatione est petenda[77].

633. *Dispensatio ab interpellatione.* R. Pontifex sua *dispensatione* super *utraque* interpellatione efficere potest, ut pars fidelis omissa qualicumque monitione coniugis infidelis licite et valide celebret novum matrimonium cum tertia persona[78]. A

---

[73] S. C. de Prop. F., 21 iul. 1821; *Rosset*, n. 624, iunct. n. 633; *Esmein*, l. c.; *Goffred. de Trano*, l. c. (de praxi medii aevi).

[74] S. C. Inq., 12 iun. 1850.

[75] S. C. de Prop. F., 26 iun. 1820.

[76] S. C. Inq., 29 nov. 1882, ad 2, 3 et 28 nov. 1894 et 16 aug. 1895; *Rosset*, n. 627.

[77] S. C. de Prop. F., 5 mart. 1816, ad 1, 3; S. C. Inq., 11 aug. 1859; *Feije*, n. 495.

[78] Gregor. XIII Const. «*Populis ac nationibus*» 25 ian. 1585; Benedict. XIV Const. «*In suprema*» 16 ian. 1745; S. C. Inq., 16 aug. 1895, in ASS. XXIX, 564 sq.; S. C. de Prop. F., 3 ian. 1777; *Feije*, n. 488; *Leitner*, 602 sq.; *Rosset*, n. 634 sq.; *Putzer*, 206 sq.

fortiori ex dispensatione pontificia pars fidelis potest coniugem infidelem *unice* interpellare num velit *converti*, atque responso negativo accepto sine interpellatione de voluntate pacifice cohabitandi ilico transire ad licitas et validas nuptias secundas[79].

Quae dispensationes a Sede Apostolica non conceduntur multoque minus ab ipsius Delegatis indulgeri possunt, nisi *iustae* adsint *causae*, de quibus saltem *summarie* et *extra-iudicialiter* constare debet[80].

---

[79] S. C. Inq., 5 aug. 1759, ad 5, et 4 iul. 1855, et 20 iun. 1866; S. C. de Prop. F. 26 sept. 1837. Cfr. quoque facultates Vicar. Apost. vel Episcopis et missionariis diversarum regionum concessas, v. g. in Collect. (Paris.) Const. S. S. 18 sq., n. 11; *Putzer*, 197 sq.; *Feije*, l. c.

S. C. de P. F. in Formula facultatum — tum *maiore* tum *minore* — hoc pacto facultatem concedit:

«Dispensandi super *interpellatione* coniugum in infidelitate relictorum pro *casibus ordinariis*, dummodo sc. adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extra-iudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse».

«Itemque dispensandi super *interpellatione* coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extra-iudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti *gravis damni* aut coniugi iam ad fidem converso aut christianis inferendi periculo».

«Permittendi ut accedente gravi causa, *interpellatio* coniugis infidelis *ante baptismum* partis, quae ad fidem convertitur, fieri possit; necnon, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extra-iudiciali constet interpellationem fieri non posse vel fore inutilem». Cfr. *Vermeersch*, Comment. in dictas Formulas, *Periodica*, XI, (138).

[80] Huiusmodi causae, resumendo ea quae habentur in Instructionibus et Formulis facultatum, sunt: 1) Si conversus maritus non *recordetur* quaenam fuerit prima uxor legitima. Cfr. cit. Pauli III Const. «*Altitudo*». 2) Si ignoretur, ubi coniux infidelis degat. 3) Si pars infidelis versetur in longinquis regionibus, ad quas tutus accessus non patet. Cfr. cit. Gregor. XIII Const. «*Populis ac nat.*»; S. C. Inq. 29 nov. 1882. 4) Si timeatur ne ex interpellatione graves molestiae vel persecutiones immineant parti conversae vel christianis. Cfr. S. C. Inq., 23 nov. 1769; cit. facult. apost. 5) Si *serio* dubitatur num neophytus aliquam ex suis uxoribus vero consensu matrimoniali duxerit. Cfr. S. C. Inq., 8 iun. 1836, 18 maii 1892. 6) Si prima uxor legitima *nota* non sit simulque sit difficillimum eam reperire. Cfr. cit. S. Pii V Const. «*Rom. Pontificis*» iunct. S. C. Inq. 22 nov. 1872.

Quae causae in formulis facultatum hac *generali* clausula exprimi solebant: «*Iustae autem huiusmodi causae tunc aderunt, cum ex processu saltem summario et extra-iudiciali moraliter constet coniugem infidelem interpellari* non posse *aut interpellationem* inutilem *vel* graviter

Facultates vero dispensandi super interpellationibus, si *delegatae* fuerint pro *determinatis* regionibus vel certis casibus, nequeunt sine indulto apostolico *extendi* ad *alias regiones* vel similes casus non expressos, etsi paritas rationis idem videatur suadere[81]. Quibus extensionibus non satis fundatis etiam illa videtur esse adnumeranda, quod in regionibus *christianorum* sine indulto apostolico interpellatio partis infidelis limitata dicitur ad quaestionem: num infidelis velit converti. Quae assertio *generalis* nititur suppositione solide non probata[82].

In iure Codicis c. 1125 ad universum orbem extenduntur declarationes et dispensationes, quas olim pro peculiaribus locis dederant Paulus III, Const. «*Altitudo*» 1 iun. 1537, S. Pius V, Const. «*Rom. Pontificis*», 2 aug. 1571, et Gregorius XIII, Const. «*Populis*», 25 ian. 1585. *Prima* et *secunda* respiciunt infideles *polygamos* plures habentes uxores; *tertia* spectat ad quoslibet infideles[83*]. Paulus III illis polygamis concedit, ut possint unam quamlibet ex pluribus uxoribus eligere, cui nubant, si non recordantur quam primam acceperint. S. Pius V declarat dictos polygamos quamlibet ex uxoribus, quae una cum ipsis baptizetur, posse retinere, tametsi recordentur quaenam prima fuerit. Gregorius XIII concedebat facultatem dispensandi cum infidelibus conversis, ut infideli coniuge relicto, novum cum quovis fideli possent inire coniugium, modo saltem summarie et extra-iudicialiter constaret coniugem infidelem absentem moneri non

---

periculosam *futuram esse*». Cfr. Instr. S. C. Inq., 4 febr. 1891, ad Vic. Apost. Iapon. merid. in ASS. XXVI, 62 sq.; S. C. Inq., 16 aug. 1895, l. c., XXIX, 565 sq.; *Rosset*, n. 637 sq.; *Leitner*, 602 sq., 605, ubi necessitatem causarum in hisce dispensationibus Sedis Apostolicae ita probat: «*Nam etiam Papa hac in re, cum dispenset in lege Superioris* (i. e. Dei), *causis est adstrictus*». At si R. Pontifex tantum *interpretatur* ius divinum, vera *dispensatio* in lege divina non habetur. Cfr. quoque *Benedict. XIV*,, De Synod. dioeces. l. VI, cap. 4, n. 5; *D'Annibale*, l. c. n. 476; *Putzer*, l. c., 206 sq.

[81] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 3; *Feije*, n. 481, 488; *Putzer*, 197 sq. Cfr. S. C. Inq., 5 iun. 1855, ubi expresse concessit *extensionem* facultatis (n. 11) dispensandi etiam cum mulieribus in *simultanea* polyandria ante conversionem viventibus, licet S. C. de Prop. F., 14 ian. 1793, et S. C. Inq. 12 iunii 1850, iam declarassent in eadem facultate, quae statuta essent de viris etiam intelligenda esse de feminis, quae per illegitima divortia plures *successive* habuerunt maritos.

[82] *Rosset*, n. 606 sq., 611; *Scherer*, 164, not. 69, aliique; aliter *Putzer*, 201; *Feije*, n. 490, aliique.

[83*] Cfr. de Constitutionibus c. 1125 Period. XX, 108*; *Woods*, The Constitutions of c. 1125; de Constit. «Romani Pontificis» S. Pii V cfr. Period. XXVII, 295.

posse aut monitum tempore praefixo suam voluntatem non manifestasse. Ex quibus concessionibus, in casibus Const. Pauli III et S. Pii V, ipsa iuris dispositione evanescebat necessitas interpellationis et solum in casibus ad quos refertur Const. Gregorii XIII, pro circumstantiis in ea commemoratis, coniux conversus ab interpellationibus erat vi facultatis datae dispensandus. Cum ergo illa indulta transierint in *ius commune* Codicis, habemus ex iure communi Codicis in duplici casu Const. Pauli III et S. Pii V sublatam necessitatem interpellationis, et in casibus Const. Gregorii XIII ubique terrarum concessam facultatem ab interpellationibus dispensandi.

634. Effectus dispensatae interpellationis. Singularis *effectus* dispensationis ab interpellationibus hisce verbis a S. C. Inq., 4 febr. 1891, in cit. Instr. ad Vic. Ap. Iapon. merid. describitur: «*Matrimonium vero eius, cum quo dispensatum fuerit, etiamsi postea innotuerit coniugem infidelem suam voluntatem* **iuste impeditum declarare non potuisse** *et ad fidem etiam tempore initi matrimonii* **conversum fuisse,** *nihilominus numquam rescindi, sed validum esse debebit*». Quae doctrina nititur claris verbis Gregor. XIII, Const. «*Populis ac nation.*», atque Benedict. XIV, Const. «*In suprema*», quam etiam ut doctor privatus in opere De Synod. dioeces. l. XIII, cap. 21, n. 5 aperte tradit: *Primum matrimonium eo ipso momento et quidem irrevocabiliter solutum remanet, quo coniux* conversus ad *alias nuptias cum fideli transivit,* **sive** *quia in hanc libertatem vindicatus fuerit* **iure divino,** *propterea quod infidelis coniux iudicialiter interpellatus evangelicae veritati aut innocuae cohabitationi se denegaverit,* **sive** *quia peculiares rerum circumstantiae viam aperuerunt* **indulto apostolico,** *quod quidem indultum, cum nulli* **condicioni** *sit alligatum, secundi matrimonii validitatem et firmitatem perpetuo asserit et reditum intercludit ad prima connubia, etiamsi quis probare contenderet primo coniugi interpellato non fuisse liberum respondere vel eum iam* **tunc** *christianae religioni amplectendae paratum fuisse,* **immo ante** *illum diem, quo secundum matrimonium a coniuge converso celebratum fuit, ipsum quoque Christo nomen dedisse et* **baptismum suscepisse**[83].

635. Explicatio iuridica effectus. Supposito effectu explicato,

---

[83] Quo in textu, si quis perpendat oppositionem inter verba «*iure divino*» et «*indulto apostolico*», potius videtur contineri doctrina de potestate R. Pontificis, quae non raro a Benedicto XIV negari dicitur. Cfr. quoque *Bucceroni*, Casus conscient. II, 225 sq.; *Braun*, in Arch. f. k. K. XLVI, 400 sq.

unica restat difficultas, quaenam sit *natura iuridica* illarum dispensationum super *interpellationibus*:

Omnes doctores concedunt R. Pontificem *posse* solvere matrimonium in infidelitate contractum et tum *ante* baptismum unius coniugis tum *postea* nunquam consummatum; concordes quoque sunt in *neganda* potestate R. Pontificis solvendi matrimonium, si *uterque* coniux in infidelitate maneat, vel *post* conversionem *utriusque* coniugis matrimonium denuo consummetur. Cfr. S. C. Inq. 9 apr. 1850, in Collect. (Paris.) Const. S. S. n. 964; *Feije*, l. c. n. 601, 602: Arch. f. k. K. XLVI, 394.

At fuerunt auctores [84], qui ducibus et magistris Pontio et Benedicto XIV, opinati sunt universas illas « *dispensationes* » Rom. Pontificum ab interpellationibus esse nihil aliud quam totidem « *declarationes* » privilegii *divini* per S. Paulum promulgati; consequenter negarunt R. Pontifici competere potestatem solvendi matrimonium in infidelitate contractum et consummatum, si per conversionem *unius tantum* coniugis factum est mixtum, sive post conversionem manserit *ratum*, sive denuo fuerit *consummatum*. Immo saltem plerique eorundem auctorum censuerunt etiam matrimonium in infidelitate contractum *et* consummatum, quod post conversionem *utriusque* coniugis manserit *ratum* [85], pariter a R. Pontifice solvi *non* posse. Quare praeter privilegium Paulinum, *iure divino immediate* concessum, non admittebant alium quendam modum solvendi *huiusmodi* matrimonia in *potestate R. Pontificis* fundatum.

Alii auctores [86] cum *Navarro* existimarunt nequaquam omnes et singulas illas dispensationes esse meras *declarationes privilegii Paulini* [87], sed saltem quasdam *implicite* continere *solu-*

---

[84] *Schmalzgr.*, h. t. n. 58 sq., cum *Vázquez, Pontio* aliisque; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 241, 546, De Synod. dioeces. l. VI, cap. 4, n. 3 sq., 5, l. XIII, cap. 21, n. 4 sq.; *Perrone*, II, 311 sq.; *Feije*, n. 486 sq., 602; *Braun*, in Arch. f. k. K. XLVI, 493 sq.; *Rosset*, n. 639 sq.; *Leitner*, 610 sq., cum *De Angelis*, aliisque v. g. *Laemmer, Giovine*.

[85] *Braun*, l. c., 400 sq., *hac in re* cum suis adversariis, v. g. cum *Palmieri*, expresse consentit.

[86] *Sánchez*, l. II, disp. 17, cum cit. dissert. prof. colleg. Rom. c. a. 1588, aliisque antiquioribus doctoribus; *S. Alphons.*, Theolog. mor. l. VI, n. 897, 957, aliique scriptores recentiores v. g. *Palmieri, Biederlack, Lehmkuhl, Gasparri, Billot, Scherer, Bucceroni, Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. VI, n. 444 sq., *Fahrner*, l. c., 208 sq.

[87] Quae verba satis insinuant *aliquas* dispensationes ab interpellationibus sive expresse sive tacite concessas solummodo ad *cautelam* dari, in se autem habendas esse tanquam *declarationes* ab auctoritate publica Ecclesiae datas, ut *authentice* constet de re aliunde iam *certa*. Cfr. *D'Annibale*, l. c. n. 476.

tiones istorum matrimoniorum, quae ex indulto a *Romano*
Pontifice concesso, non ex privilegio Paulino sint explicandae.
Posterior sententia videtur esse *probabilior* [88], saltem si li-

---

Huc videtur omnino referendum esse resp. S. C. Inq., 11 aug. 1859,
quo Episcopis tanquam Delegatis Sedis Apostolicae datur facultas dis-
pensandi ab interpellationibus, « *quando adest certitudo, quod infidelis*
nec converti nec cohabitare velit pacifice cum coniuge ad fidem con-
verso ». Nam ex R. I. 31, in Sext.: « *Eum qui certus est, certiorari ul-*
terius non oportet ». At in re adeo gravi iudicium auctoritatis supremae
sive per se sive per delegatos merito interponitur; nam homines *privati*
vel iudices inferiores forte nimis facile admittunt *certitudinem* aliunde
acquisitam, ubi vera certitudo de obstinatione coniugis infidelis in om-
nibus casibus non adest. Certe, v. g. *Sánchez*, l. VII, disp. 74, n. 13,
admisit *certitudinem* aliunde habitam ex praesumptione generali non
satis fundata, ut supra (not. 68) iam demonstratum est, et ipsius expli-
catio cit. Const. S. Pii V non est accurata (cfr. S. C. C., 23 iun. 1603; S. C.
Inq. 22 nov. 1871, et 18 maii 1892). Solide quoque probata non sunt
quae in eundem sensum disputat *Ballerini-Palmieri*, n. 439, 441, ubi
etiam provocatur ad praxim quandam antiquitus in Hispania et Curia
neapolitana vigentem, sed Romae a S. C. C. nequaquam simpliciter
approbatam, quod cuicumque patet qui *integrum* textum legit apud
Pignatelli, Consult. can. t. IV, consult. 189, n. 7 sq. Cfr. quoque *Benedict.*
XIV, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 6.

Porro eadem est vis dispensationis ab interpellatione, si *serio du-*
bitatur utrum adfuerit matrimonium an concubinatus (cfr. S. C. Inq.,
8 iunii 1836 et 18 maii 1892), vel maritus conversus non recordetur
quamnam uxorem in infidelitate *primam* et *legitimam* duxerit (cfr. Pauli
III Const. « *Altitudo* »; S. Pii V cit. Const. « *Romani Pontificis* » iunct.
S. C. Inq., 22 nov. 1871). Nam hisce in casibus interpellatio per se est
prorsus inutilis atque superflua, cum pars conversa stante illo *dubio*
etiam sine interpellatione *propter favorem fidei* ad novas nuptias trans-
ire possit. Cfr. cit. Const. Pauli III, S. Pii V, Urbani VIII, S. C. Inq. 18
maii 1892, 26 apr. 1899, ubi tamen verba « *post formalem interpellatio-*
nem » ex stilo Curiae Romanae, non de mera *formalitate*, sed de propria
et expressa legitimaque interpellatione sunt intelligenda; *D'Annibale*, l. c.;
Bucceroni, Supplementum pr. bibl. *Ferraris*, v. Privileg. Paul. n. 19 sq.

[88] Quae modestior forma assertionis est praeferenda. Nam certe Se-
des Apostolica secundam sententiam hucusque directe et authentice non-
dum approbavit, saltem modo publico. Attenta quoque duplici contro-
versia de stricta vel latiore significatione *discessus* coniugis infidelis
atque de interpretatione *dispensationis* ab interpellationibus illud iu-
dicium authenticum brevi tempore nondum videtur esse expectandum.
Quare haec controversia nondum « *obiecto caret* », sed eius solutio etiam
unice non pendet ab origine *divina* privilegii Paulini. Cfr. *Scherer*, 561
sq. iunct. *Leitner*, 610, not. 5.

Ex altera parte adversariis quoque cavendum est ne suam senten-
tiam ut *certam* atque adeo in Congregationibus Romanis *unice* receptam
defendant. Nam S. C. de Prop. F., 5 dec. 1631, in Instructione quadam
missionariis danda dixit corrigendum esse modum loquendi per *nega-*
tionem potestatis dispensandi in Summo Pontifice — quoad haec ma-
trimonia — et loco verborum « *non posse concedi* » scribendum esse

mitetur ad principalem assertionem [89] suorum patronorum. Nam Gregorius XIII in cit. Const. « *Populis ac nationibus* » concedit missionariis « *facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum regionum* (Brasiliae) *et serius ad fidem conversis, qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non expectato, matrimonium cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae sollemnizare et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant, dummodo constet etiam summarie et extra-iudicialiter coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse. Quae quidem matrimonia etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti se-*

« *non esse concedendam facultatem petitam* ». Nostra quoque aetate haec sententia adversariorum in Congregationibus Romanis nequaquam habetur *certo* definita, sed censetur esse « *in studiis* ». Immo quamplurimi viri docti nunc Romae potius sententiae in textu propugnatae adhaerent. Quare v. g. *Feije, Rosset, Leitner,* in suum favorem nimium videntur insistere verbis SS. CC., praesertim S. C. Inq.; Sedes Apostolica permisit liberam disputationem in utramque partem ut veritas pateat, dummodo argumentis, non dicteriis pugnetur. Hactenus P. *Wernz*: cuius sententiam, praesertim post Codicem, non iam ut probabilem vel probabiliorem, sed potius ut *certam* plerumque proponunt doctores, velut *Verm.-Cr.* Epit. i. c. II, n. 426, 429, 434; *Vlaming*, II, n. 730; *De Smet*, n. 355; *Chelodi*, n. 160; *Cappello*, II, n. 792, etc., quibus libenter assentimur.

[89] Quibus verbis suadetur hac in re non esse subscribendum *omnibus assertionibus* virorum doctorum, quibuscum in genere communis causa sustinetur, v. g. Sánchez de discessu *malitioso*, de *unica* interpellatione circa conversionem ex iure *divino* requisita, de *prohibita* cohabitatione cum paganis et praesertim hebraeis atque de consequente *libertate* transeundi ad *secundas* nuptias. Multo minus *omnes rationes* ad demonstrandam illam sententiam allatae vere *efficaces* sunt dicendae. V. g. professores collegii Romani in citata disputatione Sixto V oblata (cui *Vázquez* videtur noluisse subscribere; cfr. S. C. de Prop. F., 5 dec. 1631), arguunt quod Moyses ex *propria auctoritate* hebraeis permiserit libellum repudii, atque inde deducunt a fortiori R. Pontificem habere talem potestatem. Quod argumentum *proficiscitur* a falsa doctrina Salmeronis vel potius *Laynez* (cfr. Disput. Trid. Laynez, quas ed. Grisar, I, 21, 53 sq.) de lege Moysis, per *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 2, merito solideque refutata; praeterea in se non est peremptorium, cum in *rebus positivis* huiusmodi conclusiones ex Vetere Testamento ad novam legem et vicissim sint exigui valoris; denique *nimium* probat, cum eodem argumento posset demonstrari R. Pontifici saltem in casibus extraordinariis solutionem matrimonii consummati esse permissam. Cfr. *Rosset*,

cundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus ».

Qua in Const. Gregorius XIII *decrevit* nova matrimonia sine ulla interpellatione ex apostolica *dispensatione valide* inire posse, etiamsi tempore contracti matrimonii secundi *utraque pars iam* suscepisset baptismum. Qui casus in privilegio Paulino non continetur, vi cuius novae nuptiae coniugi *fideli* solummodo per-

---

n. 651, 713 sq. Deinde probabilis non est ulterior ratio eorundem professorum petita ex origine *mere* apostolica, *non divina* privilegii Paulini, ut supra (nota 56) iam expositum est. Porro solida dici nequit probatio, si ex paritate cum *votis* et *iuramentis* arguitur. Nam in rebus positivis argumenta ex simili materia claudicant. Praeterea si unice insistatur vinculo ex *humana voluntate* orto, tandem etiam matrimonium consummatum *fidelium* a R. Pontifice solvi posset; si vero etiam ratio habeatur consummationis et prolis ad consensum matrimonialem accedentis, iam insignis existit differentia inter matrimonium et votum atque iuramentum. Tandem matrimonium principaliter est ordinatum ad bonum commune, votum vero et iuramentum ad bonum privatum; hinc in ordine ad dispensationem et solutionem non est par ratio. Cfr. *Rosset*, n. 652. Quodsi denique iidem doctores vel ipsam obscuriorem epistolam *Gregorii III* ad S. Bonifacium pro se allegant, magis coniecturae infelici quam solido argumento insistunt.

Aliis argumentis etiam minor vis est tribuenda, si quis attendat iterata responsa S. C. Inq. in casibus *vere dubiis* de *valore* matrimonii cum prima uxore celebrati. Cfr. S. C. Inq., 8 iun. 1836, 22 nov. 1871, 18 maii 1872; *Ballerini-Palmieri*, n. 454, (de Brevi S. Pii V).

Denique solida ratio non suppeditatur ex iis quae *Ballerini-Palmieri*, n. 449, narrat de exitu celeberrimae causae Florentinae, in S. C. C. 27 iul. 1727 et 29 mart. 1729 discussae (iunct. disput. Ursayae) per aliquam dispensationem pontificiam. Nam quamvis fide digna sint, quae ex libris hospitii Romani catechumenorum de duobus coniugibus Abraham et Blancha referuntur, tamen *factum principale*, sc. R. Pontificem in illa causa tandem sua auctoritate per aliquam dispensationem solvissse prius matrimonium nullo documento historico directe et certo probatur. Nam omnes illae assertiones de dispensatione quadam viva voce ex audientia SS.mi data, si res accurate examinetur, nituntur *meris coniecturis* plus minusve speciosis, quibus alii pari iure alias opponunt coniecturas. Quodsi *Ballerini*, l. c., Benedictum XIV accusat quasi malae fidei et praeconceptae opinionis, eo quod « *ignorare hoc Lambertinius non poterat* », argumentum potius videtur esse invertendum. Nam si Benedictus XIV, in opere suo, De Synod. dioec., etiam secundis curis tempore sui pontificatus publicato, omnino tacet de ista dispensatione pontificia, id non praeconceptae opinioni tanti viri est tribuendum, sed potiore iure concluditur huiusmodi dispensationem in caus. Florent., in qua Benedictus XIV in minoribus constitutus tamen insignem partem habuit, de facto nunquam fuisse concessam. Quare in re adeo gravi integra quaedam theoria super facto parum probato non videtur esse aedificanda, sed ad alia argumenta solidiora est recurrendum.

mittuntur, si *pars infidelis* discedat [90]. Quare non est recurrendum ad privilegium Paulinum a Gregorio XIII non allegatum, sed ad *plenitudinem potestatis* pontificiae *iustasque causas* [91] et *minorem firmitatem* vinculi istorum matrimoniorum, quibus R. Pontifex insistit. Quae minor firmitas forte in dubium vocatur, si matrimonium simpliciter ratum fidelium comparetur cum matrimonio in infidelitate consummato ante conversionem *unius* tantum coniugis. At nemo profecto negabit matrimonium *duorum conversorum* ante baptismum, non postea consummatum, propter rationem sacramenti in utroque coniuge esse fortius vinculum quam matrimonium in infidelitate consummatum, quod per conversionem *unius* tantum coniugis certe non in *utroque*, immo in *neutro* factum est sacramentum. Hinc cum Gregorius XIII solverit vinculum *huiusmodi* matrimonii pro eo tempore, quo iam *uterque fuisset christianus*, *a fortiori* potuit solvere vinculum imperfectius in casu, in quo unus tantum coniux amplexus erat religionem christianam.

Praeterea si Gregorius XIII solummodo *declarasset* privilegium Paulinum divinitus concessum, posuisset actum *magisterii*, non *regiminis ecclesiastici*, quo per sollemnem interpretationem docuisset *veritates* in iure divino contentas.

Quae interpretatio iuris divini vera esse debebat *ubique* nec restringi poterat ad Brasiliam; adversarii autem omnino tenebant — et recte quidem — declarationes factas a Gregorio XIII non posse sine speciali concessione *extendi* ad alias regiones; concedant igitur necesse est in cit. Const. Gregorii XIII non contineri meram *declarationem* iuris divini, sed haberi actum *regiminis ecclesiastici*, quo pro determinata regione speciale quoddam privilegium a Sede Apostolica indultum est. Cuius privilegii

---

[90] *Ballerini-Palmieri*, n. 445 sq.; *Pesch*, n. 796; *Palmieri*, 220 sq.; aliter *Rosset*, n. 647 sq.; *Leitner*, 612 sq.; *Feije*, n. 602, argumentis parum efficacibus verba Gregorii III explicare conantur, atque praesertim *Rosset*, n. 647, utitur prorsus falso argumento circuloque vitioso, si matrimonium duorum conversorum ante baptismum, non postea consummatum simpliciter aequiparat matrimonio a duobus fidelibus contracto et consummato, ut inde quasi a limine repellat potestatem pontificiam seseque a priori extricet a difficultate explicandi *factum* in Const. Gregorii XIII certissime admissum de solutione matrimonii duorum conversorum in infidelitate tantum consummati.

[91] Quam *graves* sint illae causae, patet ex enumeratione ab ipso *Rosset*, n. 637 sq. factae; certe non sunt inferiores illis, ob quas R. Pontifex concedere solet solutionem matrimonii rati. Cfr. quoque Collect. S. C. de Prop. F., n. 1313, 1350, 1358, 1360; *Leitner*, 605, de gravibus causis requisitis, si R. Pontifex dispenset in lege Superioris; *Bucceroni*, Supplementum ad *Ferraris*, l. c. n. 23.

obiectum aliud rationabiliter assignari non potest, nisi ipsa solutio istorum matrimoniorum. Nam dispensatio sensu stricto ab interpellatione *impossibili* non habet congruum obiectum, et in explicando textu Gregorii XIII confundi non debet *condicio* indulti pontificii cum ipsius *obiecto* [92].

Denique eadem doctrina confirmatur ex indultis apostolicis [93], quibus non obstante *certitudine* de *prima uxore* legitima datur facultas «*dispensandi cum gentilibus et infidelibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti*» [94]. Quae facultas cum explicatione privilegii Paulini ab

---

[92] *Ballerini-Palmieri*, l. c.; Disputatio cit. prof. colleg. Rom. i. f. Hinc *Rosset*, n. 647, non videtur attendisse ad *ultima verba* illius Disputationis, si putat ibidem non allegari dispensationes S. Pii V et Gregorii XIII.

Aliter *Leitner*, 599, iunct. 605, ubi videtur admittere aliquam dispensationem R. Pontificis ab uno vel duplici *praecepto divino* interpellationis, immo 608, explicat Const. Gregor. XIII de dispensatione ab interpellatione impossibili, ubi pars infidelis proprie (?) iam ante (?) baptismum perfecit separationem. At ista suppositio gratuito fingitur. Multo minus probabilis est interpretatio *Benedicti XIV*, Quaest. can. 546, n. 38, ubi putat Gregorium XIII in cit. Const. decrevisse, ut *fides non praestaretur* coniugi *post* contractum novum matrimonium alterius partis comparenti et asserenti se iam ante tempus, quo illud contractum sit, baptismum suscepisse. Quae fides, forte in certis casibus particularibus, sed non *generaliter* in *omnibus* legitime negari potest, nisi quis recurrat ad meram *divinationem* Pontii atque Gregorio XIII tribuat *decretum generale* super divinatione fundatum. Quare mirum non est quod Benedictus XIV postea in opere De Synod. dioec. hanc explicationem Const. Gregorii XIII *tacite dimittat*. Cfr. *Braun*, in Arch. f. k. K. XLVI, 400. Pariter solida non est altera explicatio *Benedicti XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 5, ubi tenet Gregorium XIII missionariis tantum concessisse facultatem dispensandi super rigore *iudicialis formae* in facienda interpellatione. Quae explicatio ab ipso *Feije*, n. 489, omnino reicitur. Praeterea haec interpretatio supponit in iure *antiquo* strictam *formam iudicialem* in interpellatione fuisse praescriptam. Id vero omnino non obtinuit. Cfr. *Esmein*, I, 297. Hinc Gregorius XIII dedisset dispensationem a lege canonica certo non existente aut adeo exigui momenti, ut illa sollemnissima provocatio ad plenitudinem potestatis pontificiae non habuisset sensum.

Quae *Feije*, n. 495 sq., 692, et *Braun*, l. c., 398 sq., aliique ad explicandam Gregorii XIII Const. docent, tandem recidunt in *interpretationem extensivam privilegii Paulini*, quae aut in se admitti non potest aut reducenda est ad sententiam in textu propugnatam.

[93] Antiqua Formula I facult. S. C. de Prop. F. n. 11; S. C. Inq. 28 mart. 1860, 20 iun. 1866, 18 maii 1891; *Putzer*, l. c. 197 sq.; *Feije*, n. 481, 488.

[94] S. C. de Prop. F., 5 dec. 1631; S. C. Inq. 8 iun. 1836, 12 iun. 1850, 11 iul. 1866, ad 8, ubi omnino negatur ius eligendi unam ex aliis uxo-

adversariis data conciliari nequit; nam si prima uxor, certo legitima, absque contumelia Creatoris cohabitare serio vult, sed converti renuit, coniux fidelis ex iure divino vi privilegii Paulini nequit transire ad *novas nuptias*, sed solummodo ob iustas causas sese potest separare a *toro* et *cohabitatione*[95].

Quae adversarii, v. g. Rosset, Feije, Leitner, huic sententiae opponunt, partim in praecedentibus iam sunt soluta, partim vi probandi omnino carent[96].

636. Directa solutio matrimonii legitimi. R. Pontificem ex iusta causa, maxime *in favorem fidei et religionis*, seu intuitu boni multo excellentioris, habere potestatem dissolvendi matrimonium *legitimum* etiam consummatum, independenter a privilegio Paulino quod communior sententia habet ut divinum, iam nunc passim traditur a doctoribus atque proponitur ut res omnino *certa et tenenda*[97].

Certam illam potestatem convincit argumentum a *Gasparri*, I, n. 1359, adhibitum, videlicet: « si RR. Pontifices nunquam aut fere nunquam, non obstante gravitate causarum, dispensaverunt, hanc potestatem non immerito denegabimus; sed si saepius et a pluribus saeculis dispensaverunt, hanc potestatem in eis admittere debemus, quia temerarium foret in quaestionem adducere an id recte iusteque egerint. Hac eadem ratiocinatione, sc. ex facto saepius repetito, hodie *omnes* R. Pontifici recognoscunt potestatem dispensandi in matrimonio rato fidelium. Atqui RR. Pontifices saepius et a pluribus saeculis dispensaverunt etc. ».

---

ribus, si *prima vult converti*, ne religio christiana, sancta et immaculata, fiat praetextus libidini.

[95] Pauli III Const. « *Altitudo* »: « *Qui vero recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis eam retineant* »; S. C. Inq., 8 iun. 1836, 23 nov. 1883, 10 dec. 1885; *Putzer*, l. c., 201 sq. Cfr. supra, h. cap. n. 631, de doctrina Clementis III in cap. 1, de convers. infid. III, 20, in cpl. II, S. Thomae, S. Raymundi aliorumque auctorum.

[96] Cfr. *Rosset*, n. 641 sq., ubi vel ex ipsa sacra Scriptura et Innocentio III arguit; at primum argumentum nimium probat, quia secus ipsum privilegium Paulinum et ius R. Pontificis solvendi matrimonium ratum essent neganda; alterum potius contra *Rosset* retorqueri potest. Qui auctor eo minus hunc secundum modum solvendi matrimonia in infidelitate consummata negare potest, cum ex *duplici fonte* repetat solutionem matrimonii rati, sc. ex iure *divino* in professione sollemni, in aliis casibus ex *potestate R. Pontificis*.

[97] Cfr. apud *Cappello*, II, n. 790, longam enumerationem doctorum. Ex dictis in n. 630 satis apparet hanc potestatem R. Pontifici non vindicari, nisi per conversionem unius coniugis illud matrimonium iurisdictioni Ecclesiae subiciatur.

Ita *Gasparri*, qui minorem probat ex casibus triplicis Constitutionis pontificiae Pauli III, S. Pii V et Gregorii XIII, de quibus in n. praecedente. Porro facultas facta illis Constitutionibus iamdiu transierat in praxim ordinariam et iurisprudentiam fixam et constantem, cum passim daretur in Formulis facultatum quae missionariis concedebantur. Nunc autem cum facultas illis Constitutionibus facta per c. 1125 transierit *in ius commune* ubique terrarum vigens, maiorem quamdam obtinuit sollemnitatem et firmitatem, cum sola inspecta illa forma legis universalis merito asseratur R. Pontificem in legibus universalibus infallibilitatis praerogativa donari. Cui praxi *indirectae* ultimo tempore accessit praxis *directa* solvendi matrimonium in infidelitate contractum, tametsi consummatum, et permittendi novum matrimonium; quae praxis directa et expressa, licet non contineatur in multis casibus publici iuris factis, tamen in hac materia etiam pauci casus rem certam faciunt, cum, stante nota controversia, supponant prius definitum fuisse principium de certa potestate Rom. Pontificis, licet ob rationes prudentiae principium ipsum authentice non fuerit publicatum.

Quod argumentum *ex praxi* confirmatur ex hoc, quod in litteratura et iurisprudentia ecclesiastica non proponitur tanquam absolute indissolubile et penitus subtractum dispensationi ecclesiasticae nisi matrimonium *ratum* et *consummatum*, i. e. solum ita proponitur vinculum per contractum sacramentalem utriusque coniugis baptizati inductum, cui accessit copula carnalis. (Cfr. cap. 7, X, de convers. coniugat. et c. 1118). Iam vero matrimonium consummatum duorum infidelium, per conversionem unius partis non factum est *ratum*, sed mansit matrimonium *legitimum*.

Praeterea Gregorius XIII loquens in memorata Const. « *Populis* » de matrimoniis infidelium etiam consummatis, tanquam rationem suae Constitutionis per quam vere tribuebatur, ex dictis, facultas solvendi matrimonium consummatum infidelium, adducit principium generale, cuius illa facultas non erat nisi particularis applicatio: « *Nos attendentes* huiusmodi connubia, inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata *censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint* ». Ergo quandocumque adsit necessitas obtinendi boni multo excellentioris, quale profecto est bonum religionis et infidelium, quando per conversionem unius coniugis incipit illud matrimonium subici iurisdictioni Ecclesiae, et tandiu illa potestas in Rom. Pontifice perseverat, donec illud matrimonium per baptismum utriusque

partis factum est *ratum* eique sic rato accesserit copula coniugalis.

637. Scholion I. De matrimonio acatholici cum infideli. Ex c. 1070 § 1 matrimonium baptizati in secta acatholica cum parte infideli contractum est validum, cum ipsi non amplius obstet impedimentum disparitatis cultus. Porro tale matrimonium, tametsi acatholicus supponatur valide baptizatus, de quo haud raro aderunt dubia non omnino infundata, nequaquam est matrimonium *ratum* seu sacramentum (cfr. supra n. 42); ideo re ipsa nihil differt a matrimonio *legitimo* duorum infidelium. Si Rom. Pontifex potest solvere matrimonium ratum et consummatum duorum infidelium, dum unus convertitur, ex logica consequentia infertur etiam posse solvere matrimonium illius acatholici cum infideli, si v. gr. ille acatholicus convertatur et sub condicione rebaptizetur. Atque ita pro certo tenet *Arendt* in Ephem. Lov. I, 183. Nec videtur dubitandum quin adesse possit iusta et proportionata causa boni multo excellentioris ad tale matrimonium dissolvendum. Talis esset casus, si illud matrimonium, praesertim culpa infidelis, iam dissociatum est et intercessit civile divortium nec amplius instaurari potest — v. gr. uterque coniux aut unus saltem aliud civile vinculum contraxit — tuncque acatholicus conversus cogeretur vivere in perpetuo caelibatu, quod esset gravissimum impedimentum conversionis. Cfr. rationes allegatas a S. Pio V et Gregorio XIII in Constitutionibus in Appendice Codicis allegatis.

In casu proposito non posse esse quaestionem de privilegii Paulini applicatione nimis evidens est.

Animadvertendum autem est *favorem iuris*, quo gaudet privilegium fidei (c. 1127) non referri solum ad privilegium Paulinum, sed in genere ad solutionem matrimonii legitimi seu non sacramentalis, ut apparet ex praecedente c. 1125, quando tale matrimonium est solvendum in ordine ad conversionem ad veram fidem.

638. Scholion II. Quemadmodum antiquae leges hebraeorum, graecorum, romanorum aliorumque populorum permiserunt *divortia plena*, ita etiam moderni codices [98] civiles veram vinculi matrimonii etiam consummati solutionem [99] ob *certas causas a lege civili determinatas* [100] fieri posse saltem interveniente auctorita-

[98] Cfr. supra h. cap. n. 622; *Melata*, De iure matrim. civili, 63 sq., 70, 74 sq., 78, 83 sq., 88 sq.; *Scherer*, 567 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 159; *De Smet*, n. 371 sq.

[99] Quae leges civiles, cum iuri *naturali* et *divino* opponantur, in se sunt irritae et ad summum habent vim *legum permissivarum*, quibus certis delictis, v. g. concubinatui vel adulterio, in foro civili conceditur immunitas *a poenis*. Qua ratione antiquiores quidam theologi studuerunt leges imperatoris Iustiniani atque adeo Moysis de divortiis et libello repudii adnumerare *legibus mere permissivis*. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 4, n. 9, 10, cap. 6, n. 8 sq.; *Sánchez*, l. X, disp. 1, n. 12. Quodsi legislatores quidam civiles ex theoriis quibusdam philosophicis divortia suis subditis indulserunt, *falso, non vero, iuri naturali* simulque insigni sophismati innitentes condiderunt istas leges. Nam quod iure naturali statutum est de solubilitate *aliorum* contractuum per summam inconsequentiam transtulerunt ad contractum matrimonii, pro natura sua *singulari* plane indissolubilem. Porro leges illae divortii iam ipso iure naturali damnatae etiam impingunt in ipsum *positivum ius divinum*. Consequenter sub alio quoque respectu graviter laedunt *subditos catholicos*, quibus contra fidei et morum canones obtrudunt ius divortii, erroribus dogmaticis et pravis consuetudinibus acatholicorum introductum. Cfr. *Hollweck*, D. Civileher. d. b. G., 210 sq., 9 sq.; *Allègre*, I, 164 sq.

[100] Quibus in *causis* assignandis magna est *varietas* legum civilium, unde denuo patet spreta lege divina indissolubilitatis matrimonii arbitrium humanum in re adeo gravi *arbitrarios* quoque statuere terminos. Quod arbitrium attigit summum gradum, si attendantur leges diversaeque praxes fori civilis in permittendo divortio coniugibus *matrimonio mixto* unitis.

Profecto per se standum esset iuri *partis catholicae;* at maxima confusio inducitur, si absque solidis fundamentis causae divortii mox simpliciter ex iure coniugis *acatholici*, mox secundum principia religiosa *mariti* vel *actoris* vel *rei* dicuntur definiendae. Cfr. *Scherer*, 570, 576 sq. de miris istis legibus et confusis disquisitionibus iuristarum. At « *durum* » non est appellandum, quod *certo iure divino* sancitur.

Facile principes in admittendis multis causis divortii sunt *mahomedani* et *Status foederati Americae septentrionalis.* Summa olim fuit difficultas in *Anglia* obtinendi divortium; etenim usque ad a. 1857 sententia divortii fuerat reservata parlamento regni, sed nunc divortiis maior concessa est facilitas. Ex art. 227 codicis Napoleonis I, divortium plenum habuit locum *ipsa iuris dispositione,* si unus ex coniugibus ob delictum damnabatur ad *mortem civilem, aut* per *sententiam* magistratus legitime pronuntiatam obtineri potuit non solum propter *causas* in iure determinatas ad instantiam *unius* coniugis, sed etiam *mutuo consensu* absque ulla causa. At nunc in *Gallia* post abrogationem mortis civilis et divortii ex *mutuo consensu* (art. 233), unice in lege, 27 iul. 1884 lata, permittitur divortium ob causas determinatas. Cfr. *Allègre*, I, 117 sq., 192 sq.; *Rosset*, n. 4063 sq. In *Belgio* propter sublatam iam in ipsa constitutione regni mortem civilem, etiam divortium ex illo capite, sed *non ex mutuo consensu*, est abrogatum. Cfr. art. 233. *De Smet*, n. 382. In *Helvetia* non solum ex causis in iure civili enumeratis divortium est permissum, sed iudici civili satis ampla datur potestas pro suo prudenti arbitrio ad instantiam *unius* vel *utriusque* coniugis decernendi solutionem matrimonii penitus perturbati. *Russia, Graecia, Serbia, Rumenia, Germania, Hungaria, Dania, Norvegia, Suecia,* pariter divortium in casibus a iure expressis admittunt. Cfr. *Melata*, l. c.; *Scherer*, 568 sq.; *De Smet*, n. 380.

te publica [101], non mere privata, *regulariter* [102] statuunt, sed vicissim speciales modos solutionis vinculi matrimonialis *iure canonico* approbatos, sc. per privilegium Paulinum, sollemnem professionem religiosam, dispensationem pontificiam agnoscere non *solent* [103]. Ecclesia quoque ex sua parte sententias divortii sive a tribunalibus civilibus sive ab aliis dicasteriis acatholicis in favorem catholicorum vel schismaticorum vel haereticorum vel infidelium incompetenter latas non agnoscit, sed tum decisiones de merito causae tum ipsa iudicialia acta *omni valore iuridico* carere declarat [104].

---

[101] Leges civiles quamvis non tolerent divortium ex *mera conven-*
tione privata factum, tamen in ordinanda interventione auctoritatis pu-
blicae non sunt omnino concordes. Ex iure communiter vigente requi-
ritur *sententia competentis iudicis* civilis, qua matrimonium rescinditur.
At olim in *Gallia* iudex civilis solummodo decrevit locum esse proce-
dendi ad sententiam divortii, syndicus vero huic decreto innixus pro-
nuntiavit ipsum divortium, ut ab illo magistratu matrimonium *solveretur*
coram quo fuit *contractum*.

Qui articuli, 264 sq. cod. Napol., nova lege 18 apr. 1886 in Gallia
abrogati sunt, atque ipsi iudices civiles nunc immediate ferunt senten-
tiam divortii. Cfr. *Allègre*, I, 199 sq.

In nonnullis civitatibus *Germaniae* principes quidam acatholici vi
sui summi episcopatus sibi vindicarunt ius — nunc saltem per novum
cod. civil., §§ 1564 sq. sublatum — per modum alicuius dispensationis
dissolvendi matrimonia etiam consummata. Cfr. *Fahrner*, l. c., 340;
Scherer, § 136, not. 94, 111; *Hollweck*, l. c., 221, 225; Arch. f. k. K. LXV,
474 sq.

[102] Cfr. supra h. cap. not. 16. In *Gallia* inde a d. 18 maii 1816, quo
contra sanctiones codicis Napoleonis sollemnis lata est lex: « *Divortium*
est abrogatum », usque ad nefastam legem 27 iul. 1884, etiam in foro
civili solutio vinculi matrimonialis fuit exclusa. Quae indissolubilitas
matrimonii nunc quoque retinetur in legibus civilibus *Hispaniae*, *Italiae*,
Brasiliae, *Columbiae* atque aliis quibusdam civitatibus Americae latinae,
v. g. in *Republica Argentina*. Cfr. *Melata*, l. c., 63 sq., 70, 90 sq.

[103] Cfr. v. g. cod. proced. civil. in German. § 15; *Hollweck*, l. c., 225
sq.; *Leitner*, 615; *Scherer*, 572, 576. Quare si in foro ecclesiastico una
ex tribus illis solutionibus matrimonii locum habeat, *alio quodam titulo*
obtinendum est divortium. At, v. g. in *Russia*, vis privilegii Paulini sol-
vendi matrimonia in infidelitate contracta quoad substantiam admitte-
batur. Cfr. *Milas*, l. c., 549 sq., 554 sq.

[104] S. C. C., 15 ian. 1724; Instr. S. C. Inq. 20 iun. 1883, n. 43, 44, et
S. C. de Prop. F. (a. 1883), n. 44, 45; Conc. plen. Baltimor. III (a. 1884),
n. 124; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 22, n. 4; *Rossel*,
n. 4067 sq.

Art. 2. De separatione a toro et cohabitatione [105*]

§ I. De separatione perpetua a toro et cohabitatione

639. I. Separatio ob adulterium. Separatio etiam perpetua *a toro et cohabitatione*, sed manente *vinculo* matrimonii licite fieri potest [106] *propter adulterium* unius coniugis ex iure divino na-

---

[105*] Causae separationis coniugum recensendae sunt inter causas
nunquam transeuntes in rem iudicatam, de quibus in cc. 1903 et 1989;
Comm. Cod. 8 apr. 1941. Nam status coniugatorum est status immobilis
subiectionis ex lege naturali matrimonii et iure canonico et civili ad
onera matrimonii.

[106] Antiqui populi, v. g. hebraei, graeci, romani cum de iure per-
mitterent divortia plena quoad vinculum matrimonii, non habuerunt
expressas leges de sola separatione a toro et cohabitatione in ipso iure
naturali fundata, sed severis *poenis* in iure *criminali* contra adulterium
statutis fuerunt contenti. Cfr. *Schegg*, Bibl. Archaeolog., 643 sq., 698;
Walter, Deutsche Rechtsg., n. 732 sq., Gesch. d. r. R., n. 809 sq.

Quae res immutari coepta est, cum Christus Dominus reprobata vin-
culi matrimonialis dissolutione disertis verbis, saltem in casu adulterii,
positive *permitteret* parti innocenti perpetuam separationem a toro et
cohabitatione. Cfr. Matth. V, 31, 32; XIX, 9. Quam doctrinam S. Paulus
I Corinth. VII, 11, 12, fideliter secutus ex praecepto Domini uxorem —
etiam iuste — discedentem iubet manere innuptam *aut* viro suo recon-
ciliari. Cum ex natura rei et ipsis verbis Christi illa separatio a toro et
cohabitatione parti innocenti concessa nitatur *permissione*, non *iussu*,
saltem regulariter non existit *obligatio* coniugis innocentis *dimittendi*
partem culpabilem, dummodo vitetur scandalum atque periculum con-
sensus in turpitudinem partis sontis. Cfr. *Sánchez*, l. X, disp. 13;
Schmalzgr., h. t. n. 118 sq.; *Rosset*, n. 3902 sq. Quare si qui auctores
antiqui et doctores scholastici absolute videntur urgere *obligationem* di-
mittendi partem adulteram, aut rigidius loquuntur, aut salvis limitatio-
nibus supra insinuatis intelligendi sunt. At mitior doctrina non solum
a S. August. c. 5, C. XXVIII, q. 1, traditur, sed vel ipse Hermas in c. 7,
C. XXXIV, q. 1 et 2 aliique v. g. c. 1 sq. C. XXXII, q. 1, nequaquam nimium
rigorem defendunt; nam de adultera disserunt, quae *paenitentiam* agere
detrectat. Quae disciplina *paenitentiae publicae*, praesertim delictis *ido-*
lolatriae et *adulterii* iniunctae, etiam suppeditat explicationem quare
complura Concilia particularia in antiqua Ecclesia videantur maiore ri-
gore statuere *obligationem* dimittendi partem adulteram. Cfr. v. g. c. 65,
70 Conc. Illiber. (a. 300-366); c. 8 Conc. Neocaes. (a. 314-324); c. 7 Conc.
Tolet. I (a. 400); c. 9 Conc. Tarracon. (a. 516); *Hefele*, I, 185 sq., 247 sq.,
II, 676 sq.; *Freisen*, 831 sq. Praeterea Concilia quandoque expresse agunt
de maritis *consciis* atque conniventibus adulteriis uxorum et de *clericis*
coniugatis, in quibus facilior fuit ratio scandali. Hinc Ecclesia Orientalis
usque ad nostram aetatem retinet eam disciplinam, ut presbyteros, qui
uxores suas adulteras pro convenientia ipsis suggesta de facto non di-
mittunt in perpetuum, sed cum eis convivere pergunt, ab omnibus func-
tionibus sacris cessare iubeat. Cfr. Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), 140.

turali [107] et positivo [108], cui accedit ius ecclesiasticum [109], ab innocente coniuge, sive marito sive uxore, etiam invita altera parte. Nam in fidelitate servanda maritus et uxor *pari iure* et *obligatione* coniunguntur [110].

Quod *adulterium*, ut ius tribuat coniugi innocenti denegandi debitum coniugale atque instituendi divortium a toro et cohabitatione, debet esse: *a*) *formale*, non materiale, i. e. ex libera adulterandi voluntate, non ex oppressione, fraude, ignorantia patratum [111]; *b*) *consummatum* in sua specie, non mere incohatum, v. g. per turpes amicitias [112]; *c*) altero coniuge *invito factum*, non ipso excitante, expresse vel tacite consentiente, approbante mi-

Post abrogatam paenitentiam publicam toto medio aevo illa praxis fuit retenta, ut pars innocens salvo vinculo matrimonii *potuerit* dimittere coniugem adulterum, nisi *voluerit* reconciliari. Cfr. c. 10 Synod. Herford. (a. 673); Synod. Paris. (a. 829), l. III, c. 2, et Synod. Wormat. (a. 829); Gratian. C. XXXII, q. 1, 7; C. XXXIV, q. 1 et 2. A qua disciplina regulari etiam cap. 3, X, de adulter. V, 16 (=*Herm.* in c. 7, C. XXXIV, q. 1 et 2, non can. desumpt. ex Conc. Arelat.) et cap. 25, X, de iureiur. II, 24, non sunt aliena. Cfr. *Leitner*, 619, de casu excepto.

[107] Quemadmodum distinctio inter divortium quoad vinculum et quoad torum et cohabitationem in praxi ecclesiastica constanter fuit retenta, ita etiam duplex separatio a toro et cohabitatione in ipsa *natura rei* fundata, sc. *perpetua* et *temporanea* iam diu ante Concilium Tridentinum per praxim Ecclesiae nacta est approbationem, donec tandem ab eodem Concilio, l. c. can. 7, 8, *duplex error* pseudo-reformatorum de solutione vinculi matrimonialis propter adulterium atque de illicita separatione a toro et cohabitatione fuerit sollemniter, saltem indirecte, proscriptus, ipsaque Ecclesia ab errore directe vindicata: « *Si quis dixerit Ecclesiam errare* (*cum docuit et docet...*) can. 7; (*cum separationem... fieri posse decernit...*) » can. 8. Cfr. *Perrone*, III, 430 sq.; *Rosset*, n. 3853 sq.; *Esmein*, II, 330 sq.

[108] *Sánchez*, l. X, disp. 3, n. 4; *Rosset*, n. 3863 sq., aliique communiter contra paucos doctores antiquos, qui ad *solum positivum* ius divinum recurrunt. Nam frangenti fidem fides servanda non est; sed ex natura matrimonii coniuges sibi mutuo debent servare fidem quoad torum et cohabitationem; ergo si unus hanc fidem laedat, alteri divertere licet.

[109] Matth. V, 31, 32, XIX, 9; cap. 9, X, de spons. IV, 1; cap. 19, X, de convers. coniug. III, 32.

[110] S. Paul. I Corinth. VII, 10, 11; c. 4 (S. Ambros.) C. XXXII, q. 4; c. 20 (S. Hieron). c. 23 (Innocent. I, a. 405), C. XXXII, q. 5; cap. 4, 5, 8, X, h. t.; *Bernard. Pap.*, l. c. 184 sq.; *Tancred.*, l. c. 87; *Schmalzgr.*, h. t. n. 98 sq.; *Rosset*, n. 3855; *Freisen*, 841.

[111] Cfr. c. 3 sq., C. XXXII, q. 5; cap. 6, X, de eo, qui cogn. IV, 13. Inter exceptiones legitimas *vis condicionalis*, quae non pertingat ad absolutam violentiam, iuxta aliquos, aliis contradicentibus, non continetur. Cfr. *Sánchez*, l. X, disp. 5, n. 13 sq.; *Rosset*, n. 3880.

[112] *Schmalzgr.*, h. t. n. 99 sq.; *Rosset*, n. 3870 sq.

nimeque impediente, cum *facile* impediri posset [113]; *d*) expresse vel tacite *non condonatum* [114], *e*) adulterio alterius partis *non compensatum* [115], *f*) denique a coniuge innocente saltem per praesumptiones violentas *certo probatum* [116].

Ex c. 1129 § 2 conversatio maritali affectu censetur *tacita* condonatio, in quantum a coniuge innocente libere et spontanee habeatur cum coniuge culpabili *post cognitum* ipsius adulterium. Quousque adulterium ignoratur ius divortii non amittitur a coniuge innocente; nihilominus in foro externo praesumitur, simplici iuris praesumptione, iniuriam condonasse « *nisi intra sex menses coniugem adulterum aut expulerit aut dereliquerit vel legitimam accusationem fecerit* »: elapsis sex mensibus *a die cogniti adulterii*, quin derelictio vel accusatio intercesserit, in foro externo debebit probare se, durante semestri, aut obsequia coniugalia non exhibuisse, aut id ex vi, metu, aut ex ignorantia sui iuris divertendi fecisse.

Sodomia quoque coniugis cum *tertia* persona [117] et *bestialitas* merito aequiparantur adulterio atque sunt legitimae causae separationis *perpetuae* a toro et cohabitatione [118]. Nam ma-

[113] Cap. 1, X, de eo, qui cogn. IV, 13; R. I. 27 in Sext.; Instr. C. Rauscher § 207; *Sánchez*, l. c. n. 3 sq.: *Rosset*, n. 3888, qui tamen n. 3889 sq. tradit doctrinam in se minus probatam et cap. 4, 5, X, h. t. non conformem, si ius divortii illi coniugi negat, qui fuit causa saltem remota et *indirecta* adulterii alterius partis, v. gr. ob subtractionem amoris, alimentorum, vel ob debiti coniugalis negationem. Cfr. quoque Arch. f. k. K. XXI, 82 sq.

[114] Instr. C. Rauscher § 207; *Sánchez*, l. c. n. 19 sq.; *Rosset*, n. 3892 sq.; *Scherer*, 586, not. 37. Quae condonatio debet esse vera, non ficta, libera et spontanea; non vi metuque extorta, sed ut valida sit suumque producat effectum, a parte adultera non est necessario acceptanda; etenim non fit in *commodum partis adulterae* et habet vim *remissionis* iniuriae, quae non indiget acceptatione.

[115] Cfr. c. 1 (S. August.) C. XXXII, q. 6; cap. 4, 5, X, h. t.; cap. 6, 7, X, de adult. V, 16; *Sánchez*, l. c. n. 2, 20, 23; *Rosset*, n. 3876 sq.

[116] Cap. 27, X, de testib. II, 20; cap. 12, 13, X, de praesumpt. II, 23; cap. 36, X, de iureiur. II, 24; cap. 5, X, de purg. can. V, 34; cap. 6, X, de adulter. V, 16; S. C. C., 27 ian. 1866; Instr. C. Rauscher § 229, 232, 233, 242; *Sánchez*, l. X, disp. 12; *Rosset*, n. 3874 sq.; *Schulte*, Ehepr. § 59, VII.

[117] Quae sententia nequit extendi ad sodomiam cum proprio coniuge, quae solummodo dat causam *temporaneae* separationis, i. e. donec pars culpabilis fuerit emendata; etenim in casu non habetur perfecta divisio carnis cum altero, unde ius ad perpetuam separationem oritur. Cfr. *Rosset*, n. 3873.

[118] *Sánchez*, l. X, disp. 4 aliique communiter v. g. *Rosset*, n. 3867 sq.; *S. Alphons.*, l. c. l. VI, n. 962; *De Smet*, n. 255; aliter *Perrone*, III,

trimonium eo tendit, ut coniuges fiant una caro. Quam fidem coniux perfecte frangit, qui bestialitatem vel sodomiam cum tertia persona exercet; nam carnem suam dividit cum alio.

640. II. *Iure praecedente etiam* ob **haeresim** vel **apostasiam a fide** unius coniugis separatio a toro et cohabitatione perpetua, etiam secluso gravi periculo vel scandalo, per iudicis sententiam perpetuum divortium statuentem ita *permittebatur*, ut pars innocens coniugem haereticum vel apostatam post conversionem recipere non amplius *teneretur*[119]; quamvis si coniux innocens post sententiam iudicis latam maneret in saeculo, licet non ex debito necessitatis, at certe ex debito honestatis coniugem conversum denuo admittere ad vitae maritalis consortium eique reconciliari tenebatur[120]. Immo si separatio a toro et cohabitatione facta esset *privata auctoritate*, pars fidelis omnino *obligabatur* iterum recipere coniugem conversum[121]. Codex aliqua saltem ratione admittit hanc causam posse esse perpetuam, in quantum supponit *posse* ab Ordinario decerni in *indefinitum* tempus et si talis Ordinarii sententia intercessit, coniux divertens non tenetur cohabitationem repristinare, nisi novo Ordinarii decreto post alterius coniugis conversionem ad id adigatur: quae coactio non videtur esse Ordinario permissa dum separationis causa perseverat.

641. Pariter iure praecedente **mutuo liberoque consensu** coniugum eadem separatio perpetua erat permissa, si aut maritus susciperet *ordines sacros*, aut alteruter vel uterque coniux amplecteretur *statum religiosum*[122]. Quae facultas separationis, in ipso Evangelio fundata (cfr. Matth. XXI, 29) non est per Codi-

---

424 sq.; *Scherer*, 587 aliique, quorum rationes ab antiquis et recentioribus scriptoribus solide refutantur. Certe ex *morum gravitate* potius argumentum repeti potest, quod propter duo nefanda delicta, adeo matrimonio contraria, pariter permittatur separatio perpetua. Cfr. quoque Instr. Eystett. 433.

[119] Cap. 6, X, h. t.; Instr. Eystett., 433. Quod cap. 6, X, h. t. cum *Santi*, h. t. n. 41, non poterat dici « *correctum* » per cap. 7, X, h. t. et cap. 21, X, de conv. coniug. III, 32; etenim talis correctio unius capitis per alia in *eadem* collectione authentica, immo in *eodem* titulo, principiis iuridicis de interpretatione *unius* collectionis authenticae non est conformis. Cfr. *Rosset*, n. 3962 sq., 4048 sq., cfr. Instruct. Eystett., ed. 5, (1902), n. 551.

[120] *Sánchez*, l. X, disp. 15; *Pirhing*, h. t. n. 29 sq. aliique; paulo aliter *Schmalzgr.*, h. t. n. 148 sq.

[121] Cap. 6, 7, X, h. t.; cap. 21, X, de convers. coniug. III, 32; *Rosset*, n. 4048.

[122] Cfr. l. III, t. 32 de convers. coniug.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 98; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 12, n. 10 sq.; *Rosset*, n. 3914 sq.

cem sublata, sed necessaria, ob iustas causas, reddita est dispensatio. Idem dicatur de iure, quo coniux *innocens*, etiam invita altera parte, — quae v. g. propter adulterium dedit iustam causam *perpetuae* separationis — gaudebat ut posset suscipere ordines sacros vel amplecti statum religiosum. Quod ius parti *culpabili* non competebat, nisi coniux innocens, penes quem est potestas sontem compartem revocandi, suum praestaret *expressum* vel *tacitum* consensum (c. 1130)[123].

642. Qua auctoritate fiat separatio ratione adulterii. *a*) Coniux innocens *privata auctoritate* nequit perficere separationem *perpetuam* a toro et cohabitatione, si *adulterium* alterius partis sit *dubium*, et probationes delicti non excedant probabilitatis limites. Quo in casu, implorata iudicis ecclesiastici interventione, eius sententia omnino est expectanda[124]. Nam alter coniux in dubio sua *possessione* iniuste privatur. *b*) Si adulterium est *certum* et *vere notorium*, coniux innocens nullo iure impeditur quominus a toro et cohabitatione adulteri statim — saltem provisorie — divertat[125]. Etenim ius ad separationem oritur ex *natura* contractus matrimonialis et lege evangelica; ergo si factum adulterii est *notorie* verificatum, separationi saltem *provisoriae* nihil amplius obstat. At cum de ipsa notorietate facti facile possint existere illusiones, ideo sine sententia iudicis ecclesiastici ad separationem *definitivam* et *perpetuam* consultius non est procedendum. c) In casu adulterii *certi*, sed *occulti*, coniugi innocenti in *foro conscientiae* et *secluso* scandalo permissa est separatio etiam a cohabitatione ex privata auctoritate instituenda: tamen ordinarie in foro *externo*, ut vitentur scandala molestaeque partis culpabilis quaerelae, iudicis ecclesiastici officium est implorandum[126]. Insuper, parte culpabili ad iudicem provocante, pars innocens, si crimen occultum le-

---

[123] Cap. 15, 19, 21, X, de convers. coniug. III, 32; cap. 6, X, h. t. *Schmalzgr.*, h. t. n. 122 sq.; *Rosset*, n. 3945 sq., 4033 sq., 4056; *Feije*, n. 528; *Scherer*, 585, not. 31. Cfr. S. C. C. in caus. alleg. a *Richter*, l. c., 289, n. 155 sq.

[124] Cfr. cap. 4, 5, X, h. t.; cap. 9, X, de sponsal. IV, 1; cap. 2, X, ut lite II, 16; Instr. C. Rauscher §§ 205, 207, 241; *Sánchez*, l. X, disp. 12, n. 42; *Schmalzgr.*, h. t. n. 110; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 546, n. 9; *Rosset*, n. 4004 sq.; Arch. f. k. K. XXXVI, 406 sq.

[125] *Sánchez*, disp. 12, n. 13 sq., 25 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 111; *Rosset*, n. 3945, 4006 sq., 4019, 4032; *Scherer*, 580 sq. cum non paucis antiquioribus scriptoribus.

[126] Cfr. cap. 4, 5, 6, X, h. t.; cap. 10, X, de rest. spol. II, 13; *Sánchez*, disp. 11, n. 7, disp. 12, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 112 sq.; *Rosset*, l. c.; *Feije*, n. 527 sq.

gitime probare non possit, periculo se exponit ne compellatur ad vitam maritalem denuo instaurandam et inde conflictus exurgat inter forum internum et forum externum.

643. Effectus separationis ob causam adulterii. Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate *legitime* discesserit:

a) nulla unquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae coniugalis consortium, adeo ut servatis de iure servandis, statum matrimonio contrarium libere suscipere possit;

b) potest tamen adulterum admittere aut etiam revocare, nisi de ipsius consensu ille statum, matrimonio contrarium, iam susceperit.

§ II. De separatione temporanea a toro et cohabitatione

644. Doctrina catholica. Ecclesia catholica non errat cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad *certum incertumve* tempus fieri posse decernit, quemadmodum a Concilio Tridentino, Sess. - XXIV, doct. de sacram. matr. can. 8 contra errores pseudo-reformatorum *definitum est*. Quo in canone Ecclesia interpretata est *ius divinum;* hinc si in certis casibus permittit vel praescribit separationem a toro et cohabitatione, non *condit* novum quoddam ius, sed potius *ius divinum applicat*[127].

645. Causae separationis temporaneae a toro et cohabitatione generatim sunt gravia pericula *animae* vel *corporis*, quamdiu durant. Quae pericula possunt quandoque esse adeo gravia et proxima, ut non solum separatio temporanea sit *permissa*, sed etiam *praescripta*. Huc spectant:

I. Compartis *apostasia* a fide, vel lapsus in *haeresim* vel *schisma*, per adscriptionem alicui sectae sive infidelium sive

[127] Cuius canonis 8, sicut praecedentis can. 7 *obiectum directum* est condemnatio falsae *doctrinae* de *errantia* Ecclesiae (« *si quis* **dixerit** *Ecclesiam* **errare** »), *indirectum* vero sunt *perversae assertiones* pseudo-reformatorum de separatione a toro et cohabitatione.

Quae doctrina falsa directe damnata est *haeresis*, indirecte proscriptae assertiones sunt *haeresi proximae*. Cfr. *Perrone*, III, 410, 414 sq., 415; *Esmein*, II, 303 sq.; aliter *Scherer*, 580, n. 10, qui opinatur in can. 8 non contineri « *dogma fidei* », sed « *placitum iuris* ». Quae assertio parum accurata etiam ex disquisitionibus historicis *Freisen*, 837, non probatur. Cfr. quoque Instr. S. C. Inq., 6 iul. 1817, ad Praef. mission. Martinicae etc. de lege civili divortii.

haereticorum, non simplex factum negatae alicuius veritatis fidei — dicebatur iure praecedente *fornicatio spiritualis* —. Cfr. *Rosset*, n. 3962, 4048; *S. Thom.* IV, d. 35, q. 1, a. 1.

II. Si alter coniux prolem acatholice educaverit, quod delictum directe quidem est contra bonum *prolis*, indirecte vero etiam est contra bonum fidei.

III. Si alter coniux vitam criminosam et ignominiosam ducat, quae causa variis modis et animae et corpori alterius coniugis afferre grave nocumentum potest seu damnum simul spirituale et temporale.

IV. In genere quodcumque *grave periculum animae*, quod habetur in omnibus illis casibus, in quibus unus coniux alterum ad peccata mortalia contra *fidem* vel *bonos mores* committenda cum gravi periculo inducere tentat. At propter *alia* delicta coniugis, quae in grave periculum animae alterius partis non redundant, separatio non est permissa, nisi forte ad tempus correctionis causa, aut nisi coniux innocens incidat in periculum *gravis poenae* vel *diffamationis*[128].

V. Pariter quodcumque grave periculum quod *corpori*, i. e. vitae vel valetudini oriatur ex insidiis vitae structis[129], saevitiis[130], morbis contagiosis[131] aliisque causis merito aequiparatis, v. g. ex amentia et furore[132], ex malitiosa desertione sive affectata absentia[133], ex molesta cohabitatione ob frequentes gra-

[128] Cap. 2, X, h. t.; Instr. C. Rauscher § 208; *Schmalzgr.*, h. t. n. 141, 159 sq. *Sánchez*, l. X, disp. 17, n. 1 sq., 14 sq.; *Rosset*, n. 3977 sq.

[129] Cap. 1, X, h. t.; cap. 13, de rest. spol. II, 13; *Schmalzgr.*, h. t. n. 142.

[130] Cap. 8, 13, X, de rest. spol. II, 13; S. C. C., 16 maii 1789 et 28 iul. 1804, unde constat coniugem innocentem compelli non posse ad restaurandam vitae maritalis consuetudinem, nisi altera pars dederit *indubia* emendationis signa et *sufficientem* de securitate cautionem; Instr. C. Rauscher § 208; *Sánchez*, l. X, disp. 18, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 143, 163 sq.; *Rosset*, n. 3982 sq.; *Scherer*, 588.

[131] Cap. 1, 2, X, de coniug. lepros. IV, 8. Quae capita licet videantur severiori favere sententiae, ex praxi Ecclesiae acceperunt legitimam interpretationem a laxitate et rigore pariter alienam. Cfr. S. C. C. 11 mart. 1786 in ed. *Richt.* C. Trid., 290, n. 158; *Ferraris*, v. Divortium n. 33; ASS. I, 215; *Leitner*, 621 sq.; *Rosset*, n. 3991 sq.; *Wernz*, V, n. 489.

[132] *Schmalzgr.*, h. t. n. 178 sq.; *Sánchez*, disp. 18, n. 47 sq. Si antiqui scriptores de amentia varias adhibent distinctiones, profecto nostra aetate regulariter magis consultum est caritati, si coniux amens, non in propria domo retinetur, sed ordinatae traditur curae in hospitiis specialibus Cfr. *Familler*, Pastoralpsychiatrie, q. 171, p. 97 sq.

[133] Conc. Tr. l. c. can. 5; S. C. C. 31 iul. 1869 in ASS. V, 3 sq. et S. C. C. 23 ian. 1875; Instr. C. Rauscher § 209; ASS. l. c. 12; *Leitner*, 621; *Santi*, l. II, t. 6, n. 8 sq.

vesque rixas[134], — at non ob levia[135] quaeque incommoda —, ex periculo gravis poenae vel infamiae incurrendae, v. g. si una pars habeatur *complex* criminum alterius coniugis[136].

646. Qua auctoritate facienda. Separatio a toro *et* cohabitatione etiam mere temporanea, sed diuturna, cum sit res publica et naturae matrimonii contraria, non obstante iusta et proportionata causa sine interventione Ordinarii loci propria auctoritate fieri nequit, nisi *praeter* certitudinem causae periculum sit in mora[137]. Quare abusibus est adnumerandum, si fideles, contempta auctoritate ecclesiastica, contenti sunt separatione a toro et cohabitatione in foro civili obtenta[138]. Qui contemptus eo magis castigatione dignus est, cum ex disciplina vigente in hisce causis nequaquam *sollemnis* vel *ordinarius* processus canonicus adhiberi *debeat*, sed *summarius* sufficiat[139], immo *extraiudicialis* seu administrativus procedendi modus admittatur[140*], ut apparet ex modo loquendi Codicis in c. 1131, « *Auctoritate Ordinarii* ».

---

[134] Conc. Trid. l. c. can. 5; S. C. C., 31 iul. 1869.

[135] S. C. C., iun. 1789 apud *Richter*, l. c. n. 159; S. C. C., 27 febr. 1864, in ASS. I, 213 sq. iunct. II, 137 sq.

[136] Cap. 2, X, h. t. iunct. *Sánchez*, disp. 18, n. 21; *Schmalzgr.*, h. t. n. 142; *Rosset*, n. 3998 sq., ubi recte reicit sententiam *Grandclaude*, qui putavit etiam in foro ecclesiastico esse sufficientem causam separationis, art. 232 cod. civ. Gall. admissam, si alter coniux condemnetur ad poenam ignominiosam.

[137] Cfr. cap. 4, 5, 6, 7, X, h. t.; Sixti V Const. « *Ad compescendam* » 30 oct. 1586; Conc. prov. Prag. (a. 1860), in Collect. Lac. V, col. 523; cap. 8, 10, 13, X, de rest. spol. II, 13; Instr. C. Rauscher § 236; *Rosset*, n. 4026 sq.

[138] Conc. plenar. Baltimor. III, (a. 1884), n. 126; *Rosset*, n. 4014, 4020 sq.

[139] ASS. V, 6 sq., 35 sq.; S. C. C. in cit. caus. Imol., 11 mart. 1786 sq., apud *Richter*, l. c., 290 et in c. Bavar. 23 iun. 1875; Instr. Card. Rauscher, § 243; *Sánchez*, l. X, disp. 19; *Scherer*, 591.

[140*] Ita declaravit authentice Comm. Cod. d. 25 iun. 1932. Iuxta hanc declarationem Ordinarius utetur regulariter forma administrativa, cum haec generatim sufficiat ad rite definienda negotia huius generis. Ordinarius tamen poterit decernere ex officio usum formae iudicialis quoties debitam causae cognitionem id exigere iudicaverit. Item forma iudicialis erit adhibenda si utraque vel alterutra pars ministerium iudicis invocet ad ius suum persequendum.

Forma vero adhibita in primo gradu eadem erit tenenda etiam in secundo, et sic fiet vel appellatio ad iudicem superiorem vel recursus ad S. C. de d. Sacr., prout forma iudiciali vel administrativa fuerit res in primo gradu decisa. Cfr. AAS. XXIV, 284; Period., XXI, 286.

647. Effectus separationis temporaneae. Postquam a iudice ecclesiastico sententia separationis temporaneae rite lata est, suos producit *canonicos effectus* in foro ecclesiastico quoad coniugum iura et officia[141].

Quare coniux, legitime separatus a consuetudine vitae cum altero coniuge, liber efficitur et consequenter ab obligatione reddendi coniugale debitum. Qui effectus est dumtaxat temporaneus; quare cessante causa, cessat ius ad separationem: et si Ordinarius praefixerit tempus, eo elapso denuo vita coniugalis est instauranda, nisi obtenta fuerit prorogatio; si vero Ordinarius terminum determinatum non praefixerit obligatio instaurandae cohabitationis non urget, nisi interposito ea de re decreto Ordinarii.

Quod ad *filios* attinet, ex c. 1132 « *instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, aliud decreverit* »[142].

De restitutione dotis post divortium et expensis solvendis pro educatione prolis aliisque effectibus mere temporalibus et civilibus nunc tribunalia civilia pro sua legitima competentia decernunt.

648. Scholion I. De separatione *a solo toro* Codex non agit. Ea est res privata, non publica. Ea certe *ad tempus* fieri potest aut mutuo consensu coniugum, ex studio perfectionis secundum consilium Apostoli, aut etiam auctoritate propria unius coniugis, altera parte invita, secundum regulas traditas a moralistis, v. gr. si adulterium alterius partis moraliter certum est — non mere probabile — licet occultum, vel maritus laboret syphili[143].

649. Scholion II. Moderni codices civiles, cum valde liberales sint in concedendo divortio *pleno*, quandoque v. g. in *Helvetia* ex lege a. 1876, art. 47, separatio a toro et cohabitatione non amplius potest a iudice civili decerni, nisi ad biennium in

---

[141] Cap. 2, X, de convers. infid. III, 33; Benedict. XIV Constit. « *Probe* » 15 dec. 1751, § 18; *Sánchez*, disp. 20, n. 4: *Schmalzgr.*, h. t. n. 182; *Rosset*, n. 4057 sq.; ASS. II, 138.

[142] Cfr. cap. 3, 4, X, de don. IV, 20, iunct. cap. 20, X, de consuet. I, 4; *Sánchez*, disp. 20, n. 1 sq., 5 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 9, n. 5; *Santi*, h. t. n. 57; *Hollweck*, D. Civileher., 239 sq.

[143] I Corinth. V, 10, 11; Conc. Trid. l. c. can. 8; *Sánchez*, l. X, disp. 12, n. 1 sq.; *Rosset*, 3850, 4004, 4222 sq.; *Leitner*, 622; *Ferreres*, Theol. moralis, I, n. 503 sq., II, n. 1144.

causa *divortii pleni* ex sufficientibus rationibus non probati. In aliis regionibus, v. g. in *Gallia*[144], *Germania*[145], *Hungaria*[146] separatio a toro et cohabitatione perpetua ex causis in iure expressis[147] loco divortii pleni postulari permittitur, quae practice a concessione divortii pleni non multum differt, cum vel ipsi parti *culpabili* soleat indulgeri facultas, v. g. in Gallia, saltem post elapsum triennium, immo in Germania quolibet tempore, postulandi commutationem sententiae separationis in veram dissolutionem vinculi matrimonialis. Cum in *Italia, Hispania, Brasilia* vinculum matrimonii civilis habeatur indissolubile, in foro civili retenta est separatio perpetua a toro et cohabitatione, sed ex causa *adulterii* in Italia (art. 151 sq.) et in Hispania (art. 104 sq.) mira statuitur disparitas inter uxorem et maritum, qui mitius tractatur.

---

[144] Cod. civ. art. 306 sq., iunct. leg. 27 iul. 1884, 8 febr. 1893; *Allègre*, l. c. I, 203 sq.

[145] Cod. civ. §§ 1575, 1576; *Hollweck*, l. c. 231 sq.; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad § 1575.

[146] Lex matrim. a. 1894, § 104 sq.; *Laurin*, Introd. in ius matrim., 119 sq.

[147] Quae causae solent esse eaedem, ob quas leges civiles admittunt actionem iudicialem ad petendam ipsam *solutionem* vinculi (cfr. v. g. cod. civ. Gall. art. 306; *Hollweck*, l. c.); at nequaquam semper conveniunt cum causis *canonicis* separationis (cfr. *Lehmkuhl*, l. c. ad §§ 1565 sq.), quae interdum latius patent.

PARS SEXTA

DE MATRIMONIO INVALIDO ET DE SECUNDIS NUPTIIS

CAPUT I

De convalidatione matrimonii

650. Fontes: Cfr. font. cit. in cap. 19, P. II; Decret. Greg. IX, l. IV, tit. 16, de m. c. c. interd. Eccl. — Const. Bened. XIV, «*Etsi*» 30 sept. 1755, cum decret. 27 sept. 1755; Pius X, «*Sapienti consilio*» 29 iun. 1908 et Ordo servandus in SS. Congregationibus; S. C. C. in caus. Prag. 18 sept. 1723, in caus. Florent. 28 sept. 1746; S. C. C., 22 iun. 1844, in Caus. select. S. C. C. ed. *Lingen et Reuss*, 884 sq.; ASS. I, 129 sq., 182 sq., II, 19, 52 sq.; Collect. S. C. de Pr. F. n. 1566 sq., 1451 sq.; Instr. Card. Rauscher §§ 88 sq. 192; Synod. Sciarf. syror. (a. 1888), p. 185 sq., iunct. Collect. Lac. II, col. 170 sq., 530, 550.

Scriptores: *Schmalzgr.*, l. IV, tit. 16, n. 253 sq.; *Sánchez*, l. II, disp. 34 sq., lib. VIII, disp. 7; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 87, de Synod. dioec. lib. XIII, cap. 21, n. 7, relat. in caus. cit. Prag. = Quaest. can. 174; *Giovine*, II, 266 sq., I, 595 sq.; *Van de Burgt*, De disp. matr., 91 sq.; *Feije*, n. 759 sq.; *Schulte*, § 47; *Gasparri*, II, n. 1383 sq.; *Rosset*, n. 2973 sq.; *Leitner*, 477 sq.; *Scherer*, II, 499 sq.; *Schnitzer*, 543 sq.; *Braun*, in Arch. f. k. K. XLIII, 3 sq. contra explic. sanat. matr. in rad. in Act. theol. Oenip. III, 473 sq.; *Esmein*, II, 480 sq. Cfr. quoque ex theologis: *S. Alphons.*, l. VI, n. 1109 sq.; *Gury-Ballerini*, II, n. 794 sq., 832, 891 sq.; *Perrone*, II, 155 sq.; *Palmieri*, 299 sq.; *Lehmkuhl*, II, n. 823 sq., n. 1051 sq. — *Cappello*, II, n. 84 sq.; **Chelodi**, n. 163 sq.; *Vlaming*, II, n. 755 sq.; **De Smet**, n. 720 sq.; *Ferreres*, n. 861 sq.

Praenotiones

651. Conexio materiae. Non raro accidere potest ut matrimonium, non obstante *bona fide* saltem unius partis et legitima forma servata, propter impedimentum dirimens postea detectum inveniatur nullum atque irritum sive in foro *interno* sive etiam in foro *externo*. Quo in casu difficili summaque prudentia tractando complura praesto sunt remedia solvendi difficultatem,

veluti declaratio nullitatis, cohabitatio ut frater et soror, dissimulatio, convalidatio. Ex his remediis: *a*) ad *declarationem nullitatis* recurrendum est quando coniugium est insanabile ob indispensabilitatem impedimenti; cum animi coniugum sunt prorsus dissociati, nec affulget spes reconciliationis; cum adest periculum perversionis unius partis; tandem cum graves causae exigant ut novae nuptiae celebrentur [1]; *b*) *dissimulatio* supponit utriusque coniugis bonam fidem, in qua coniuges relinquuntur, cum praevidetur ex monitione gravia incommoda esse secutura, praesertim peccata formalia et scandala [2]; *c*) *cohabitatio* uti frater et soror est res in se periculis plena, ad quam proinde non est confugiendum nisi in extraordinariis adiunctis, cum alia remedia non suppetant; *d*) medium ordinarium et frequentissime applicandum, ceterisque de se praeferendum, est *convalidatio* matrimonii invalide contracti. Idem obtinet, si sponsi, spretis Ecclesiae legibus, *mala fide* irritam coniunctionem maritalem attentarunt et postea Deo et Ecclesiae denuo reconciliari cupiunt [3].

652. Definitio. Convalidatio matrimonii est *actus*, quo matrimonium antea sub legitima specie et forma, sed nulliter celebratum, ita restauratur, ut suum consequatur valorem [4]. Quae convalidatio sensu stricto fit imprimis in matrimonio *putativo*, at non excluditur, si utraque pars fuit in mala fide, dummodo matrimonium saltem habuerit aliquam speciem et figuram matrimonii. Ubi vero externa forma et species matrimonii plane defuit, ita ut agatur de fornicaria coniunctione, convalidatio proprie dicta non habet locum, sed potius prima matrimonii celebratio. Porro si matrimonio antea *valide* sed *illicite* contracto sua quoque restituitur *honestas*, pariter vera convalidatio non habetur multoque minus existit, si matrimonio invalido, non ipse valor, sed tantum *effectus* quidam matrimonii legitimi per iuris fictiones restituuntur.

---

[1] *Chelodi*, n. 163.

[2] Antiquitus, ut patet ex cap. 6, X, de consang. IV, 14, dissimulatio potuit continere implicite dispensationem; at ex modo loquendi *nunc* recepto in Curia Romana dissimulatio non involvit dispensationem, sed potius significat actum in sua nullitate, coniuges vero in bona fide relinqui. Instr. Card. Caprara, 25 april. 1803, P. I, n. 3, apud *Rosset*, n. 2797; *Feije*, n. 598.

[3] *Feije*, n. 595 sq.; *Van de Burgt*, De dispens. matrim. 91 sq.; *Gasparri* aliique auctores citati in fontibus.

[4] Instr. S. C. Inq., 16 sept. 1824, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1463; *Rosset*, l. c. n. 2973 sq. Quae convalidatio potest fieri per *cooperationem coniugum* in renovatione consensus; at quandoque matrimonio restituitur

653. Divisio. Convalidatio matrimonii dividitur: I. In convalidationem matrimonii irriti ex defectu *consensus* vel *formae* ecclesiasticae; et in convalidationem matrimonii irriti ex *inhabilitate personarum*. II. In convalidationem per simplicem consensus *renovationem* aut per *ordinariam dispensationem* cum renovatione consensus aut per extraordinariam dispensationem sine renovatione consensus, i. e. per *sanationem* matrimonii in *radice* [5].

§ I. De convalidatione matrimonii invalidi ex defectu consensus vel formae

654. Defectus consensus. Si matrimonium fuerit *invalide* celebratum propter *defectum* substantialem *consensus*, v. g. in casu vis et metus, fictionis, erroris, postquam causa deficientis consensus cessavit, convalidatio matrimonii tantum fieri potest per absolute *novum* consensum, sive ab *utroque* coniuge sive ab una saltem parte datum, prout defectus ex utraque vel ex alterutra tantum parte se habeat; neque sufficit consensus mere *confirmatorius* prioris invalide dati, qualis plerumque dabitur in eo qui sui coniugii nullitatem ignorat. Nam ex una parte consensus coniugum ad valorem matrimonii requisitus a nulla potestate humana suppleri potest (c. 1081 § 1); ex alia parte consensus utriusque coniugis habilis ex natura rei sufficit, et, deficiente causa quae illum vitiavit, iam nihil impedit quominus novus consensus validus a noscente sui matrimonii nullitatem poni possit nec ex iure positivo alia condicio ad valide consentiendum requiritur. Quodsi defectus consensus in una tantum parte adfuit, *ex natura rei* in alia parte quae consenserat non requiritur novus consensus, sed consensus semel datus perseverat quandiu non fuerit efficaciter revocatus; in contractu autem matrimoniali non requiritur *physica* coëxistentia consensus utriusque coniugis, sed sufficit coëxistentia *moralis*, quae datur cum novus consensus unius partis accedit consensui alterius partis efficaciter non revocato ideoque moraliter perseveranti; ex iure autem *positivo* in casu defectus consensus *unius* dumtaxat

---

valor *sine renovatione consensus* ex parte coniugum per solam *sanationem in radice* a Superiore ecclesiastico factam. Ex hoc autem quod hodie facilius quam praeterito tempore detur sanatio in radice apparet medium dissimulationis, quo coniuges relinquuntur in peccato materiali et privati gratia sacramenti matrimonii minus esse adhibendum.

[5] Non pauca, quae referuntur ad *historiam* convalidationis matrimoniorum et controversiarum hac de re inter doctores agitatarum, reperiuntur congesta in ASS. II, 52 sq. et *Bened. XIV*, Inst. eccl. 87, v. g.

partis, praevia *certioratio* de *nullitate* cum renovatione consensus in altera parte non requiritur ad convalidandum matrimonium [6].

Defectus consensus potuit esse *mere internus*, v. gr. in consensu ficto, cum fictio nullo modo externe revelata fuit, et potest esse *externus* ita ut ille defectus in consensu etiam externe prodierit.

Si defectus in consensu fuerit mere internus, satis est ut pars sive unica sive utraque, quae vere non consenserat, suum novum consensum ponat etiam mere interne [7] vel per exercitium officii maritalis, liberam cohabitationem, aliaque media, quae inter coniuges animi maritalis signum esse solent (c. 1136 § 2). Externa manifestatio in prima matrimonii celebratione facta, si ipsi nunc accedat ideoque ipsi respondeat verus internus consensus, satis est ex natura rei ut nunc habeatur internus animi consensus externe manifestatus, quo matrimonium perficitur. Id nonnulli antiquiores canonistae negabant. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1417; *Rosset*, n. 2975.

Si autem defectus fuit etiam externus, novi consensus externa manifestatio requiritur. Quae externa manifestatio debet fieri *in forma publica*, si matrimonii nullitas sit publica seu in foro externo probari possit, v. gr. per duos testes qualitatibus requisitis praeditos [8]. Quae nova celebratio, adhibita iterum forma iuridica, iure positivo merito exigitur: secus enim in foro externo constaret de matrimonii initi nullitate, et in eodem foro non ignoraretur convalidatio ideoque valor matrimonii et legitimitas maritalis vitae, quam coniuges publice ducunt.

Atque inde explicatur quod matrimonia, quae ex *publico* metu iniusto vel errore substantiali inita fuere, etiam post plurimos annos liberae cohabitationis et maritalis vitae nulla passim declarantur in tribunalibus ecclesiasticis, non obstante privata et diuturna ratihabitione [9].

655. Defectus formae. Si matrimonium *unice* invalidum sit propter non servatam *formam* substantialem celebrationis, convalidandum est per novam celebrationem coram parocho et duobus saltem testibus, nisi agatur de personis exceptis aut obtineatur dispensatio a forma aut matrimonium in radice sanetur.

---

n. 62 sq. Alia iam praeoccupata sunt in notis historicis propositis in cap. de dispensationibus matrimonialibus.

[6] Instr. C. Rauscher § 93; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 185 sq.; *Sánchez*, lib. IV, disp. 18, n. 2; *Gury-Ballerini*, n. 832, ubi rigidiorem Benedict. XIV sententiam in cit. Inst. eccl. 87, n. 69, fundamento solido et auctoritate Sánchez destitutam esse recte asserit; *Feije*, n. 760, 761; *Rosset*, n. 2980 sq.; *Gasparri*, II, n. 1415.

[7] Decis. S. C. C. allatae in caus. dec., 13 iul. 1725, in ed. *Richt.* Conc. Tr., 243 sq., n. 82; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 87, n. 62; *Sánchez*, l. c. lib. II, disp. 37, iunct. *Gury-Ballerini*, II, n. 832; *Gasparri*, II, n. 1415 sq.; *Rosset*, n. 2975 sq.; ASS. II, 19, 52 sq.

[8] Sub iure ante decretum « *Ne temere* » vigente, coniuges qui in loco iuri *Tridentino* subiecto clandestine matrimonium celebrassent, si postea migrassent in locum a capite « *Tametsi* » exemptum atque acquisivissent domicilium, certe ibidem per solum consensum novum *verbis* vel *factis*, post cognitam nullitatem prioris matrimonii datum, poterant matrimonium clandestinum convalidare. Quae doctrina evidenter deducebatur ex decis. S. C. Inq., 31 aug. 1887, ab eadem S. C. etiam in aliis casibus repetita. Cuius decisionis illa erat ratio interna, quod ex iure *positivo* Ecclesiae saltem ordinarie ad convalidandum matrimonium clandestinum requirebatur in utroque coniuge praevia cognitio *nullitatis* prioris matrimonii atque *consensus renovatio*. Etenim Ecclesia priorem illum consensum, de se naturaliter validum, saltem regulariter nolebat admittere ut *iuridice efficacem*, nisi duabus illis condicionibus impletis de cognitione nullitatis et renovatione consensus. Cfr. R. I. 17, in Sext.: « *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit* »; clausulas in rescriptis dispensationum; cap. unic. de desp. imp. IV, 2, in Sext.; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 87, n. 68; *Gasparri*, II, n. 1395. At exinde non sequitur renovationem consensus cum cognitione nullitatis prioris matrimonii, quae sine dubio in convalidatione est iure naturae necessaria, *si* uterque vel alteruter coniux ab initio *omnino non habuit consensum*, ex natura rei sive iure naturali requiri etiam in omnibus *aliis* casibus convalidationis, ut voluit *Sánchez*, l. VIII, disp. 35, n. 2, quem non pauci scriptores secuti sunt, v. gr. *Schmalzgr.*, l. IV, t. 16, n. 257 sq. aliique. Cfr. *Rosset*, v. 2994, 2362 sq.

Quae sententia Sánchez nequit conciliari cum praxi Ecclesiae *sanandi* matrimonia in *radice*, *dispensandi* in casibus particularibus ordinariae convalidationis a renovatione consensus, concedendi antiquitus ante Concilium Tridentinum dispensationes matrimoniales sine onere renovationis consensus, ut recte tenet *Gasparri*, II, n. 1395, cum Lehmkuhl, D'Annibale, Feije, S. Alphonso, aliisque, v. g. *Rosset*, n. 2995 sq.; *Leitner*, 481; *Gury-Ferreres*, Comp. t. m. II, n. 901. Si *Scherer*, l. c. 500, not. 6, docet *Gasparri* perperam asserere *iure naturae* matrimonium nulliter contractum, sublato impedimento ex forma vel inhabilitate personarum per se convalidari sine renovatione consensus, a suo adversario vix est alienus. Nam tandem aliquando *Scherer*, l. c., fatetur id posse fieri in casibus extraordinariis ex speciali dispositione legislatoris, sed quod *ex natura rei est impossibile*, id etiam legislator speciali sua dispositione nequit reddere possibile; ergo etiam Scherer admittat necesse est illam conditionem renovationis consensus niti iure mere ecclesiastico. Ex altera parte *Gasparri*, II, n. 1395 sq., minime docet *soli* iuri naturali standum esse, sed iuri communi et speciali rescripti clausulae, quibus *regulariter* renovatio consensus exigitur. Idem patet ex impedimenti aetatis exemplo in impubere ex cap. unic. de despons. IV, 2, in Sext. a *Scherer*, l. c. et *Gasparri*, II, n. 1409, 1411, magna cum concordia allato.

[9] Cfr. Benedictum XIV, Quaest. can. 317; Inst. eccl. 87, n. 63 sq.; S. C. C. in c. Panormit., 30 sept. 1719, in Hispalen., 20 iul. 1609, in Constan-

Ad dispensationem a lege sollemnitatis vel ad sanationem in radice recurrendum est, quando una pars recusat pertinaciter novam celebrationem, tametsi consensum datum non retractet.

Nova celebratio *secrete* fieri potest, si *occulta* sit nullitas matrimonii; at *publica* requiritur renovatio consensus, si matrimonii nullitas sit *publice nota*, neque aliis modis scandala vitari possint. Quodsi possibilis est vitatio scandali sine publica celebratione, occultam et secretam potest permittere ipse Ordinarius, quamvis plerumque erit necessaria divulgatio convalidationis iam factae ad efficaciter praecavendum scandalum.

§ II. De convalidatione ordinaria matrimonii invalidi ex inhabilitate personarum

656. Matrimonium invalidum propter **inhabilitatem** personae *iure divino* constitutam, v. gr. ob impedimentum ligaminis vel impotentiae perpetuae, etiam sublato impedimento v. gr. ligaminis per mortem vel impotentiae per miraculum vel operationem chirurgicam *cum mortis periculo*, tantum per absolute novum consensum legitime datum via ordinaria convalidari potest. Quae necessitas renovandi consensum etiam in hoc casu *ex iure ecclesiastico*, non ex iure divino et naturali, est repetenda [10].

---

tinop. 16 dec. 1634; S. R. Rota in Veszprimien. 2 iun. 1911, in Tarvisiana, 11 mart. 1922, in Parisiensi, 26 febr. 1910, ubi matrimonii nullitas fuit declarata respective post 22, 23, 32 cohabitationis annos.

[10] *Feije*, n. 82, iunct. n. 440, 446, 761; *Zitelli*, 115, aliique putaverant ex ipso iure *naturali* requiri renovationem consensus propter singularem efficaciam, quam exerceat impedimentum iuris *divini* in ipsum consensum. Quae sententia in sua generalitate solida ratione erat destituta; nam, non obstante impedimento ligaminis, consensus *naturalis* existere potest, qui tamdiu *manet* quamdiu non vere fuit *revocatus;* remoto igitur impedimento ligaminis, ex natura rei nihil amplius obstat quominus ille consensus etiam fiat *efficax* sive vim iuridicam habeat ad efficiendum vinculum matrimoniale. Quare in suppositione facta non habetur impedimentum ex *defectu consensus*, velut in impedimento erroris vel vis et metus vel fictionis vel deficientis condicionis vel defectus omnimodae externae manifestationis etc., sed consensus *in se* habet omnia elementa constitutiva, et sola deest *habilitas personarum*. Cfr. *Suarez*, De leg. l. V, cap. 14, n. 4. Hinc si matrimonium sit nullum ex capite impotentiae vel ligaminis, nequaquam censetur irritum « *ex defectu consensus* ». Cfr. S. C. C. in c. Valentina, 15 apr. 1752. Denique haec sententia manifeste comprobatur ex responso S. Paenitentiariae in casu Parisiensi — et etiam in aliis — 25 apr. 1890 dato et prima vice a *Gasparri* publicato, quo consensus ab initio propter impedimentum ligaminis nulliter datus, sed perseverans *post mortem prioris coniugis sine* renovatione consensus — inde ab hoc momento —

Si personae sint inhabiles propter impedimentum *iuris ecclesiastici*, ad convalidandum matrimonium unice ex tali impedimento nullum, imprimis requiritur ut petatur et obtineatur dispensatio super impedimento dispensabili, nisi iam impedimentum ipsum cessavit. Cessante impedimento vel per dispensationem sublato atque ita partibus factis habilibus ad contrahendum, iam nihil obstat quominus hae ponere possint consensum iuridice efficacem, immo *ex natura rei* iam nihil obstat quominus, si consensus antea ab ipsis praestitus perseverat, statim vi talis consensus naturaliter validi et perseverantis habendae essent coniugali vinculo ligatae: consensus autem praesumitur perseverare donec constet fuisse revocatum. At ex positiva *iuris ecclesiastici* dispositione consensui naturaliter valido et perseveranti post cessationem impedimenti vel *ordinariam* ipsius dispensationem iuridica efficacia denegatur et ad hoc ut matrimonium convalidetur exigitur consensus *novus*, quo uterque coniux — si uterque conscius est impedimenti — aut saltem ille qui impedimenti conscius est, cum alter certiorari non potest [11], intendat iterum consentire in matrimonium, *sciens* illud hucusque fuisse *nullum* (cc. 1133, 1134).

---

sanatur atque proles suscepta, excepta tamen prole in *adulterio concepta*, *legitimatur*. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1137. Cui doctrinae a S. Paenitentiaria adoptatae interim etiam theologi et canonistae communi consensu videntur calculum adiecisse. Cfr. v. g. *Leitner* 487 sq.; *Gennari*, 721.

[11] Per hanc iuris dispositionem solutio data est facilis antiquae difficultati, quae occurrebat in convalidando matrimonio per ordinariam dispensationem, cum obligatio utrique parti imponeretur renovandi consensum. Sane antiquo iure super impedimento *occulto* — haud raro uni tantum parti noto — dispensatio concedebatur adiecta clausula: « dicta muliere (vel viro) de nullitate prioris consensus *certiorata*, sed ita caute ut latoris delictum nunquam detegatur ». Quae clausula, ad valorem dispensationis per modum condicionis *essentialis*, non ad modum merae monitionis seu instructionis apposita (cfr. v. gr. *Rosset*, n. 3002) haud paucas latori dispensationis offerebat difficultates pro certioratione alterius compartis et doctores toti erant in excogitandis modis et formulis, quibus illa certioratio fieri posset sine periculo. Non raro tamen fatebantur nullam ex adinventis formulis passim tradi solitis plene satisfacere (cfr. *Rosset*, n. 3507, ubi quinque recepti modi enumerantur); quare iure antiquo in praxi unicum medium omnino tutum fuit recursus ad S. Sedem pro remissione clausulae vel sanatione in radice. At postquam in Concilio Vaticano (cfr. *Martin*, Doc. Conc. Vat., 176) Episcopi Germaniae petierunt ut ista clausula tolleretur vel saltem modificaretur, tandem inde ab a. 1885 clausulae antiquae facta est illa additio: « et quatenus haec certioratio *absque gravi periculo* fieri nequeat, renovato consensu *iuxta probatos auctores* ». Qua additione difficultas in praxi videbatur esse soluta (cfr. *Rosset*, n. 3013; *Feije*, n. 763; *Leitner*, n. 481): at solutio Codicis evidenter est multo facilior.

657. In renovatione consensus diverso modo est procedendum, prout agatur de impedimento *publico* vel *occulto*. — *a*) Si impedimentum est *publicum* aut natura sua aut facto, quia saltem est notum duabus personis quae illud in foro externo probare possint, « consensus ab *utraque* parte renovandus est in forma a iure praescripta », videlicet coram parocho et testibus, nisi verificentur casus can. 1098, in quibus imperfectior sollemnitas coram solis testibus sufficit, aut agatur de contrahentibus a lege de sollemnibus matrimonii exemptis ad normam c. 1099 § 2. Cuius *novae* sollemnitatis — sicut etiam *novi* consensus — exactio illa est causa quod ex forma praecedente iam servata, stante impedimento *publico*, publice quidem constaret de matrimonio nulliter celebrato, at non constaret publice, prout est necessarium, de eius convalidatione. Publice autem constat de convalidatione per observatam formam publicam in renovatione consensus; tametsi publica illa forma, ubi aliud non exigat ratio scandali auferendi, etiam occulto modo — v. gr. aliis praeter parochum et testes exclusis — de licentia Ordinarii poni possit.

b) Si impedimentum est *occultum*, i. e. omnibus ignotum exceptis coniugibus et confessario vel uno teste, « satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto » nec opus est ut forma iuridica iterum servetur; nam forma semel servata est sufficiens probatio matrimonialis vinculi inter partes existentis, si eius nullitas mansit occulta, tametsi nullitas occulte et secreto subsanata sit. Quae renovatio debet esse mutua et fieri per actum *externum*, cum etiam praecedens externa consensus interni expressio ob inhabilitatem partium fuerit substantialiter vitiata.

c) Si impedimentum non solum in se est occultum, sed etiam uni dumtaxat parti notum, pro convalidatione « satis est ut *sola pars impedimenti conscia* consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret » (c. 1135). Quare non amplius est necessarium ut alteri parti notificetur impedimentum, nec ut admonitio fiat de matrimonii nullitate: sed renovatio consensus unius partis coniuncta cum consensu alterius partis perseverante, i. e. serio et efficaciter non revocato, satis est ad efficiendum validum matrimonium; nec in hac re attendenda est habitualis dispositio partis impedimenti ignarae, qua parata esset maritale iugum abrumpere, si sciret suum matrimonium esse nullum; illa enim voluntas mere hypothetica, condicione non verificata, non est efficax ad consensum praecedentem vere revocandum.

§ III. De sanatione matrimonii invalidi in radice

I. *Notio, divisio, historia sanationis matrimonii in radice*

658. Notio. Cum matrimonium quoddam, ob *formam* non servatam aut propter *inhabilitatem* personarum invalide contractum, in forma consueta per renovationem consensus vel per ordinariam dispensationem convalidari nequit, confugiendum est ad *extraordinariam* dispensationem sive ad sanationem matrimonii in radice. Quae sanatio matrimonii in radice est dispensatio irritantis legis matrimonialis Ecclesiae, soli Romano Pontifici reservata, qua non solum matrimonium propter impedimentum dirimens iuris ecclesiastici invalide contractum *sine consensus renovatione* ex nunc efficitur validum, sed eidem per fictionem iuris etiam tribuuntur omnes *effectus* possibiles et legitimi matrimonii ex *tunc*, i. e. inde a momento invalidae celebrationis [12].

---

[12] Teste *Rosset*, l. c. n. 2362, Praesul quidam ipsi fassus est se nihil intelligere de tali dispensatione (de sanatione in radice), quam habebat veluti mysterium. Quae Praesulis sententia non erat adeo mira, si quis attendat quod eo tempore a compluribus viris doctis, v. g. Perrone, Giovine, Scherer aliisque saltem vere obscurae dabantur notiones sanationis matrimonii in radice. At si retineatur genuina descriptio supra in textu proposita, in qua veluti in nucleo universa doctrina de sanatione continetur, res est plana et mysterium cessat: quae notio in textu proposita ea ipsa est quae traditur in c. 1138 et continebatur in documentis ecclesiasticis illum canonem praecedentibus.

Nam sanatio matrimonii in radice secundum notionem *genericam* imprimis est *dispensatio* super irritante lege matrimoniali, sive ut verbis utar *Bened. XIV*, Quaest. canon. 174: « *Legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, abrogatio in casu particulari coniuncta cum irritatione effectuum omnium etiam antea ex lege secutorum* ». Cfr. *Rosset*, l. c. n. 2355 sq.; *Gasparri*, II, n. 1433.

At dispensatio etiam a R. Pontifice concedi nequit super irritante lege *divina*, v. g. ligaminis vel impotentiae. Hinc Benedict. XIV in decreto « *Cum super* » 27 sept. 1755, § 7 docet: « *Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quae a Romanis Pontificibus concedi consuevit urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente*, non *a iure divino aut naturali, sed a iure ecclesiastico* ». C. 1139.

Unice igitur dispensatio sive sanatio in radice conceditur super irritante lege *ecclesiastica*, non super impedimento mere *prohibente* sive iuris divini sive iuris ecclesiastici; agitur enim primo loco de restauranda *validitate*, non de honestate matrimonii contracti. Cfr. *Sánchez*, l. VIII, disp. 7, n. 9. Deinde cum dispensatio in radice sit singularis favor, recte a Benedicto XIV dicitur ex communiter contingentibus concedi « *in casu*

659. Divisio. *Perfecta* et *totalis* dicitur sanatio matrimonii in radice, quae utriusque coniugis consensum reddit *efficacem* ad producendum vinculum matrimonii a momento applicatae

---

particulari»; id autem non excludit quod in casibus extraordinariis, ut patet ex notis historicis, etiam per modum statuti vel legis sive in cumulo multis matrimoniis, v. g. alicuius dioecesis vel regni, concedatur. *Differentia* autem singularis inter ordinariam dispensationem et convalidationem matrimonii atque sanationem in radice in hoc consistit, quod dispensatio sanationis matrimonii in radice super lege irritante *per fictionem iuris* retrotrahatur ad tempus ante matrimonii invalidi celebrationem. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1426 sq.; *Rosset*, n. 2357.

Porro lex illa irritans per modum remotae causae sive radicis duplicem produxit effectum, sc. 1) *consensum* matrimonialem *alias naturaliter validum* reddidit *iuridice inefficacem*, unde, vitiata *radice*, *nullitas* matrimonii orta est; 2) *illegitimitatem prolis* secum tulit, stante nullitate matrimonii natae. Quare sanatio in radice debet tollere duplicem illum effectum legis irritantis **quatenus id fieri potest**, i. e. inducat necesse est perfectissimo modo *possibili* tum *valorem* matrimonii contracti tum *legitimationem* prolis. Id Benedictus XIV in *forma negativa* expressit illis verbis: «Coniuncta cum *irritatione effectuum* omnium etiam antea ex lege secutorum». At *quoad rem* ipse nequaquam tribuit sanationi in radice effectus *mere negativos*, ut videtur putare *Scherer*, 510, not. 42, sed etiam *positivos* valoris matrimonii et legitimationis prolis. Nam omissis iis, quae Benedictus XIV alibi aperte docet, *remoto* obice legis irritantis consensus matrimonialis *ex natura rei* saltem momento applicatae sanationis producit vinculum matrimoniale, atque propter iuris fictionem, qua dispensatio legis censetur concessa *ante* celebratas nuptias, *ablatio illegitimitatis* inde ab initio adeo essentialiter in sanatione est positiva *legitimatio*, ut etiamsi ab executore sanationis expressa declaratio fuisset omissa, nihilominus proles suscepta, vi sanationis concessae, esset legitima. Id in ordinaria convalidatione non obtinet, si executor omisisset suo decreto legitimare prolem. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1451 iunct. c. 1051.

Quibus praemissis iam evidenter patet nullo modo per sanationem in radice effici posse, ut matrimonium quoddam invalide contractum, et forte per decem annos in ista nullitate perdurans, ipso momento applicatae dispensationis in radice *vere et obiective*, non tantum *per fictionem iuris*, fiat *ab initio* — ex tunc, non ex nunc — matrimonialis contractus validus et sacramentalis, et ut proles usque ad illud momentum *illegitime et extra* vinculum nata, *in se* et vere inde a prima nuptiarum celebratione *reddatur legitima*. Nam ad praeterita non datur actio, atque facta infecta fieri non possunt. Id enim cum sit metaphysice impossibile, ab ipso Deo fieri non potest. Hinc si nihilominus viri quidam docti infra allegandi, duce Barbosa, argumentis «*iuridicis*» innixi *veram* illam convalidationem matrimonii *ex tunc* voluerunt adstruere, sanationem in radice effecerunt mysterium — i. e. rectius metaphysicam impossibilitatem — quod laudatus Praesul utique intelligere non potuit. Confundunt enim obiectivam rei veritatem cum mera iuris fictione. Cfr. *Gennari*, l. c., 725 sq.; infra hoc cap. nota 41.

Quae si impossibilia sunt, nihil tamen obstat quominus huiusmodi matrimonium *sine ulla consensus renovatione ipso momento* applicatae

dispensationis et *praeterea* concedit omnes illos effectus legitimi matrimonii a tempore primae celebrationis nuptiarum [13]. *Imperfecta* vero et *partialis* sanatio habetur: I. Si in uno coniuge tantum consensus naturalis redditur efficax ad producendum vinculum matrimonii (sanatur), in altero vero coniuge requiritur consensus absolute novus, et praeterea omnes effectus legitimi matrimonii conceduntur. — II. Si ob *mortem* vel amentiam [14]

---

sanationis *ex nunc* vere et proprie convalidetur. Id enim *ex natura rei* fieri potest, ut supra n. 644 iam est demonstratum; porro ex *iure positivo* licet renovatio consensus in consueta convalidatione regulariter exigatur, tamen in sanatione radicis saltem ordinarie non requiritur, ut expresse docet *Benedictus XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 7: «Huiusmodi dispensationes (in radice), *quibus matrimonium redditur validum, et proles ex eo genita legitima denuntiatur, absque ulla renovandi consensus necessitate concedi quidem aliquando*». Cfr. quoque *Gasparri*, II, l. c. n. 1440; *Rosset*, n. 2362. Quare si *Sánchez*, l. VIII, disp. 7, n. 25, pro sua rigida sententia l. II, disp. 25 n. 2, etiam ad sanationem in radice absolute et generaliter postulat renovationem consensus utriusque partis, tenet sententiam plane falsam atque destruit principalem praerogativam sanationis in radice eamque reducit ad singularem *legitimationem prolis*, quae absque renovatione consensus etiam post mortem unius ex coniugibus concedi potest. Cfr. *Braun*, l. c., 21 sq.; *Feije*, n. 766; *Gasparri*, II, n. 1427.

Denique *illegitimitas* prolis ex invalido matrimonio orta, quamvis obiective et in se ob rationes iam allatas tolli non possit, tamen per principem ipsius *effectus iuridici* possunt ita auferri, ut proles antea suscepta saltem in ordine ad favores canonicos proli legitimae aequiparetur. Quae legitimatio, cum per *fictionem iuris* in sanatione radicis matrimonium *censeatur* ab initio valide contractum, consequenter etiam suam obtinet vim ab ipsa matrimonii celebratione. Qua in re nihil habetur impossibile; etenim ablatio illorum effectuum illegitimitatis pendet a principe, atque ut in *lege* cum *vi* quadam *retroactiva* statui potest. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1427.

[13] ASS. I, 190 sq.

[14] *Partialis* illa et *imperfecta* sanatio in radice, quae reducitur ad concessionem effectuum canonicorum, nullam in se habet difficultatem. Non desunt auctores qui putant etiam *in casu supervenientis amentiae unius coniugis* — v. g. si duo coniuges celebrarunt matrimonium civile propter impedimentum clandestinitatis invalidum, post aliquot annos vir incidit in amentiam perpetuam, atque mulier in foro ecclesiastico petit sanationem in radice, i. e. convalidationem matrimonii et legitimationem prolis — posse concedi sanationem in radice, eo quod consensus naturalis perseveret, quippe qui per amentiam non fuerit *revocatus*. Cfr. *D'Annibale*, l. c. P. I, n. 133, not. 11, n. 135, not. 16, P. III, n. 504, not. 22. Cui sententiae adstipulari non possum. Nam per amentiam perpetuam consensus prior non tantum non revocatur, sed vere *deficit* ut in mortuo; at si consensus saltem in uno coniuge est exstinctus, sanatio radicis, i. e. consensus *mutui* non amplius existentis, in ordine ad producendum vinculum fieri plane nequit, sicut maritus mortuus nequit denuo uniri vinculo coniugali cum uxore viva. Quae doctrina comprobatur ex iis,

saltem unius ex coniugibus matrimonii *vinculum* non amplius produci potest, sed *solummodo effectus* legitimi matrimonii conceduntur. — III. Si retrotrahitur dispensatio non *ad initium* matrimonii, sed ad tempus aliquod intermedium (c. 1138 § 2).

660. Historia. A quonam tempore sanationes matrimoniorum in radice fuerint introductae accurate definiri nequit [15]. Profecto in iure Decretalium extraordinarius iste modus dispensationis nondum commemoratur, nisi quis in illa praxi *dissimulandi* matrimonia invalide contracta, quae fuit cum dispensatione coniuncta, prima vestigia sanationis in radice deprehendat [16]. *Riganti,*

---

quae cum Lugo aliisque contra Sánchez (n. 459) disputavi de mandante, qui incidit in amentiam ante nuptias per procuratorem isto tempore non revocatum celebratas. Cfr. *Gasparri*, II, n. 973. Nec valet paritas cum *recipiendo* baptismo, qui non est *contractus*. Denique etiamsi talis sanatio per se concedi posset, nostra aetate, qua in non paucis regionibus propter amentiam permittitur *divortium*, parum videtur esse opportuna, ut per interventionem Ecclesiae pars sana alligetur parti amenti. Certe S. C. Inq. dec. 1889, censuit *non expedire* ut huiusmodi sanatio in radice concedatur. Cfr. ASS. XXIII, 333. Hinc si in *simili* casu aliquid videatur concessum, id de mera legitimatione prolis per rescriptum principis, non de stricta sanatione est intelligendum. Cfr. analogum quendam casum a *Feije*, n. 760 relatum, sed unice a *Gasparri*, II, n. 1446, legitime explicatum.

[15] Si quandoque v. g. a *Perrone*, II, 163, in iure antiquo primum exemplum *generalis* sanationis matrimoniorum invalidorum in *radice* dicitur reperiri in c. 10 Conc. Aurel. III (a. 538), id imprimis nititur saltem non certa canonis interpretatione. Etenim ex sanctione illius canonis, qui mala fide, i. e. cum scientia legum ecclesiasticarum, inventi fuerunt contraxisse matrimonia in gradibus prohibitis, utpote invalide coniuncti, debuerunt *separari;* at qui cum *ignorantia* iuris ecclesiastici id fecisse deprehensi fuerunt, non erant separandi. Qua in re Patres Concilii Aurel. potuerunt adoptare theoriam ab antiquis quibusdam canonibus non alienam atque a non paucis doctoribus saltem in impedimento criminis usque ad nostram aetatem retentam, sc. quod in casu *ignorantiae* iuris (poenae) impedimentum non incurratur. Cfr. *Scherer*, § 116, not. 7, 26, § 134, not. 28. Qua in suppositione matrimonia statim *ab initio* fuerunt *valida*, nec opus fuit ulla sanatione. Quodsi Concilium Aurelianense III, l. c., dedit *sanationem generalem* matrimoniorum antea invalide — licet ignoranter — contractorum sine *ulla renovatione* (cfr. quoque c. 30 Conc. Epaon. a. 517), fuit *dispensatio* pro more antiquo data, quae ad sanationem in radice iam *proxime accessit.* Cfr. quoque *Esmein*, II, 399 sq.; *Leitner*, 486; *Freisen*, 403 sq., 528 sq.

[16] Cap. 6, X, de consang. IV, 14; Innoc. IV Const. « *Sub catholicae* » 6 mart. 1254, n. 22: « *Illos tamen* — i. e. graecos unitos — *qui iam in gradu huiusmodi* — i. e. octavo computationis civilis sive graecae — *contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere* ». Cfr. Collect. Lacens. II, col. 448 iunct. col. 163 sq., unde *nullitas* illorum matrimoniorum apud omnes orientales etiam illo tempore certo asseri non potuit.

in Reg. Canc. Ap. 49, n. 10, 11 et Reg. 50, n. 106, 107, primas sanationes matrimonii in radice tum imperfectas tum perfectas factas esse refert a Bonifacio VIII, c. a. 1301, inter Mariam reginam et Sancium regem Castellae iam *mortuum*, et inter Ildephonsum, regem Lusitaniae, et comitissam Poloniae viventes. Porro principium, cui innititur sanatio matrimonii in radice, a Clemente V in materia beneficiaria est applicatum, et Ioannes Andreae († a. 1348) hanc sententiam de sanatione matrimonii in radice iam tenuit [17]. Ante Benedictum XIV a Gregorio XIII, Clemente XI, Clemente XII, non raro sanationes in radice fuerunt concessae [18]; at praesertim ex fine saeculi decimi octavi tum in casibus particularibus tum pro integra quadam dioecesi vel regione frequentius occurrunt [19]. Quae frequentia cum *Schnitzer*,

---

[17] Cap. unic. de immun. III, 17 in Clem. iunct. Gloss. (Ioann. Andr.) v. Pro infectis; *Esmein*, l. c., 400 sq.; *Gasparri*, II, n. 1428; *Hinschius*, III, 825 sq.

[18] *Benedict. XIV*, Quaest. can. 174, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 21, n. 7.

[19] *Perrone*, II, 167 sq.; Collectan. S. C. de Prop. F. n. 1566 sq. Ex *generalibus decretis* sanationum celeberrima exempla sunt illa, quae concessa fuerunt a Iulio III pro Anglia, a. 1554, cum ageretur de reducendo illo regno ad fidem catholicam; a Pio VII pro Galliae pacificatione, 14 aug. 1801 et 7 febr. 1809; a Pio IX, 17 mart. 1856, ad convalidanda tot matrimonia in Austria antea invalide contracta. Plane singulare exemplum est sanatio per Leonem XIII facta, qua per S. C. Inq., 2 iun. 1892, decrevit matrimonia *haereticorum* etiam ante decr. S. C. pro neg. eccl., 12 ian. 1890, clandestine contracta esse valida. Nemo enim dubitare potest quin illa matrimonia antea contracta ita certissime fuerint invalida, ut in casibus particularibus absque ulla haesitatione potuerint *irrita declarari*. Unica igitur ratio, ob quam *praeterita* quoque matrimonia haereticorum fuerint declarata *valida*, repetenda est ex decreto sanationis Leonis XIII, propter bonum religionis catholicae et fidelium, non in favorem haereticorum, condito. Nam R. Pontifex, licet matrimonia haereticorum *valide* contracta et consummata *solvere* non possit, tamen consensum matrimonialem haereticorum *naturalem*, sed *iuridice inefficacem* sanare valet.

Pariter quicumque recte admittunt declarationem Benedicti XIV, 4 nov. 1741, non fuisse *meram* declarationem, sed declarationem cum statuto sive decreto coniunctam, necessario quoque tenere debent Benedictum XIV saltem *partialem* concessisse sanationem matrim. mixtorum et haereticorum. Nam, omissis aliis rationibus, S. C. C. antea in compluribus casibus huiusmodi matrimonia declaraverat invalida. Quae decisiones absque temeritate erroneae dici non possunt atque ab ipso Benedicto XIV in cit. declar. non reprobantur. Quare illa matrimonia haereticorum inter se et mixta, quae attentis omnibus circumstantiis particularibus in Hollandia ob neglectam formam Tridentinam *invalide* fuerunt contracta, solummodo per decretum Benedicti XIV suum acceperunt valorem.

547, non ita est exaggeranda, ut viris peritis in praxi SS. CC. notissimum est, quasi sanationes in radice nunc fere sint frequentiores quam simplices dispensationes: hoc facile admitti potest de sanatione generali sive ad cautelam sive etiam ex necessitate data, non de dispensatione in casibus particularibus.

II. *De potestate sanandi matrimonia in radice*

661. Potestas propria et ordinaria sanandi matrimonia in radice competit *Romano Pontifici* [20]. Nam unica ratio cur consensus *naturalis* in celebratione matrimonii datus atque postea non revocatus sit *inefficax* ad producendum vinculum matrimoniale, est impedimentum dirimens. Quod impedimentum si iuris tantum sit *ecclesiastici,* absolute et *sine apposita condicione renovationis consensus* ab Ecclesia auferri potest tum *generali* quadam ordinatione tum in casu quodam *particulari.* Quod si factum fuerit, nihil iam obstat quominus naturalis consensus, nullo amplius impedimento obstrictus, suam vim exserat atque *momento applicatae dispensationis* vinculum matrimoniale et sacramentale efficiat. Porro licet Ecclesia efficere non possit, ut matrimonium *ab initio nulliter* contractum, non sit nulliter contractum [21], tamen per *iuris fictionem,* i. e. *per legis, adversus veritatem in re possibili, ex iusta causa dispositionem* statuere

---

Recentius sanationes generales datae sunt pro Germania quoad matrimonia mixta per Const. « *Provida* », pro Hungaria (S. C. de d. Sacr. 23 febr. 1909), et pro universa Ecclesia (S. C. de d. Sacr., 3 iun. 1912).

[20] Quae potestas R. Pontificis *nunc* tanquam certa ab auctoribus communiter defenditur, praeeuntibus praeclarissimis doctoribus antiquis, veluti Ioanne Andreae, Panormitano, Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Benedicto XIV, S. Alphonso aliisque. Cfr. *Rosset,* n. 2362 sq.

Si pauci quidam scriptores antiquiores illam potestatem Romani Pontificis negarunt, imprimis iis usi sunt argumentis — ad praeterita non datur potestas — quae solummodo recte procedunt contra falsam notionem sanationis, supra quoque reiectam. Aliae rationes innituntur confusione inter consensum omnino non existentem (nihilum) et consensum *naturalem* matrimonii vere datum, habitualiter perdurantem et sanabilem, sed iuridice inefficacem. Denique frustra provocatum fuit ad responsum Gregorii XIII, — quo sibi dicitur negasse potestatem sanandi matrimonia in radice — historice non satis probatum et aliunde evidenter refutatum, « *cum constet Gregorium XIII dispensationes concessisse in radice matrimonii* » ut expresse testatur *Benedict. XIV,* Quaest. can. 174. Neque illud reticendum quod isti auctores non videantur *simpliciter* negasse potestatem R. Pontificis sanandi matrimonia in radice, sed solummodo ius *ordinarium* et *directum* in ordine ad effectus *mere civiles.* Cfr. *Molina,* De iust. et iure, III, 1, d. 624, n. 3.

---

[21] Benedict. XIV in decr. « *Cum super* » 27 sept. 1755 § 7, per Breve « *Etsi matrimonialis* » 30 sept. 1755, confirmatum docet: « *Per eam — sanationem in radice — non fit ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii* **nullitatem** *ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt* ». Quae verba Benedicti XIV, insuper ex aliis documentis eiusdem R. Pontificis tum publicis tum privatis atque decretis Sedis Apostolicae corroborata, adeo clare et perspicue tradunt *nullitatem* matrimonii *ab initio* contracti et postea per sanationem convalidandi, ut oleum et operam videamur perdere, si talem doctrinam certissimam argumentis fuse propositis iterum velimus demonstrare. Cfr. *Braun,* l. c., 12 sq.; *Palmieri,* l. c., 299 sq.

Quare evidenter admitti non potest modus ille explicandi sanationem matrimonii in radice a *Perrone,* l. c., 161 sq., et *Muellendorf,* in Act. theol. Oenip. III, 473 sq., propositus, sc. ex *condicionata* quadam legislatione R. Pontificis atque adeo dependente a *praevisione* divina. Qui auctores contenderunt matrimonium *postea* in radice *sanatum* statim *ab initio* fuisse *validum,* eo quod R. Pontifex suas leges irritantes matrimonii dederit ea *condicione,* quod nolit comprehendere illa matrimonia, de quibus Deus praevideat R. Pontificem iisdem suo tempore sanationem in radice esse applicaturum. Hinc verificata condicione casus excepti, statim ab initio huiusmodi matrimonium est validum, et postea R. Pontifex in sanatione dat meram sententiam *declaratoriam,* qua etiam in *foro Ecclesiae* de validitate istius matrimonii ab initio constat.

At ista doctrina: 1) Supponit *factum* indubitanter falsum, sc. matrimonium in radice sanatum iam ab initio non fuisse irritum, *sed validum,* atque perperam *decretum,* quo R. Pontifex per actum iurisdictionis *efficit* convalidationem matrimonii reducit ad sententiam mere *declaratoriam valoris* inde a celebratione nuptiarum perdurantis. 2) Proficiscitur a falsa illa notione sanationis in radice, quod aliquis valor matrimonii ab initio sive denuo productus sive semper existens sit admittendus; hinc cum velint vitare Scyllam impossibilitatis metaphysicae, i. e. actionis ad praeterita, incidunt in Charybdim falsitatis iuridicae; nec quidquam mirum quod is in errorem declinet, qui res impossibiles conciliare studet. 3) *Gratuito* et a *priori* fingunt *factum* condicionatae legislationis R. Pontificis quoad impedimenta dirimentia, de quo in tota latitudine canonum nullum reperitur vestigium. 4) Adstruunt aenigma iuridicum; nam leges irritantes matrimonii absolute et generaliter sunt promulgatae; intentio vero illa condicionata per reservationem mentalem in animo R. Pontificis recondita non est promulgata ideoque nullum producit effectum; leges enim instituuntur, cum promulgantur. Hinc matrimonium quoddam esset invalidum vi legis irritantis generaliter et absolute latae, et simul validum propter occultam quandam intentionem *non efficacem,* utpote non promulgatam. 5) Deinde si adversarii inducunt aliquam *dependentiam* legum ecclesiasticarum a scientia quadam media Dei de futura declaratione R. Pontificis *secutura* vel *non*

potest, ut saltem in foro ecclesiastico omnes *effectus* canonici[22] *ex* illa nullitate matrimonii ab ipso momento celebrationis nuptiarum usque ad applicationem dispensationis secuti habeantur sublati. Quodsi Romano Pontifici per se iam *reservata est* ordinaria dispensatio super impedimentis dirimentibus iure communi constitutis, multo magis id dicendum est de *extraordinaria* dispensatione a condicionibus et effectibus consuetis aliena, i. e. sine renovatione consensus concessa et cum illa vi retroactiva quoad effectus usque ad momentum celebrati matrimonii (c. 1141).

Romano Pontifici iure merito etiam vindicatur potestas sanandi matrimonium in radice, etiamsi *unus* vel *uterque* coniux sit *defunctus*, sed proles maneat superstes. At huiusmodi sanatio tantum refertur ad restitutionem quorundam effectuum iuridicorum, non ipsius *valoris vinculi matrimonialis*[23], et potius est singularis quaedam forma *legitimationis prolis*.

662. Inferiores Praelati potestate sanandi matrimonia invalida in radice omnino carent, nisi speciali indulto a Sede Apostolica ipsis haec facultas sit concessa, ut praesertim nostro saeculo non raro accidit[24].

---

secutura, denuo fingunt *factum*, de quo nullus R. Pontifex hucusque quidquam manifestavit, atque excogitarunt modum quendam condendi leges ecclesiasticas ab *humanis moribus* in societate *visibili* plane alienum. 6) Tandem patroni istius opinionis suam theoriam conciliare non possunt cum praxi Ecclesiae. Nam consensus quidam matrimonialis datus dependenter a condicionibus futuris et contingentibus de praesenti *nondum* producit vinculum matrimonii; si autem recurratur ad praevisionem Dei, qua condicio illa reducatur ad verificatam condicionem de praesenti, debent utique admittere **valorem** matrimonii *ab initio* productum. At Benedictus XIV in cit. decret. « *Cum super* » expresse docet: « *Sed* — per sanationem in radice — *effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii* **nullitatem** *ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu* **producti** *fuerunt* ». Aperte igitur illa theoria *contradicit* praxi Ecclesiae a Benedicto XIV explicatae. Insuper vel in ipsa sanatione in radice quandoque fit, ut Ecclesia exigat absolutam consensus renovationem in utraque parte; at si iam *validum* est matrimonium ab initio celebratum, Ecclesia non exigeret contractus matrimonialis et sacramentalis, iam valide initi, *secundam* et *absolutam* celebrationem. Cfr. *Rosset*, n. 2364; *Braun*, l. c. 3 sq., 21 sq.

[22] Cfr. infra hoc cap. de vi sanationis matrimonii in radice praesertim quoad effectus temporales in foro civili.

[23] Cfr. sanationem matrimonii regis Sancii a Bonifacio VIII factam et in not. hist. h. tit., n. 654, allegatam; S. C. C. in c. Pragensi, 18 sept. 1723; *Giovine*, l. c. 602; *Gasparri*, II, n. 1438.

[24] Cfr. Formul., quae nunc dantur v. gr. a S. C. de P. F., a S. C. de d. Sacr. et a S. Offic. pro matr. mixt. Quibus in facultatibus Episcopi

III. *De condicionibus requisitis ad sanationem matrimonii in radice*

663. I. Ut obtineatur sanatio matrimonii in radice inde a momento celebrationis nuptiarum, requiritur ut impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, *non a iure divino aut naturali*[25], v. g. ex impedimento ligaminis proveniat, sed a iure

---

attendant necesse est limitationes in ipso indulto appositas, sc. quoad impedimenta et forum, forte tantum internum in casibus occultis.

[25] Perfecta sanatio matrimonii in radice involvit dispensationem ab impedimento dirimente, ut matrimonium ex *nunc* convalidari possit; at Ecclesia super impedimento absoluti iuris divini dispensare omnino non potest. Quare si eo momento, quo sanatio matrimonii applicatur, obstat impedimentum iuris divini, v. g. impotentia perpetua *superveniens* post celebratum matrimonium civile, sanatio matrimonii per convalidationem *ex nunc* est prorsus impossibilis. Cui doctrinae non opponitur responsum Pii IX, a. 1848, a *Feije*, n. 769, mysterioso quodam modo relatum et minus clare et accurate explicatum. In isto enim casu, in quo *post* matrimonium clandestinum, invalide contractum, propter operationem chirurgicam *supervenerat* perfecta et perpetua impotentia, nequaquam matrimonium sanatum est *ex nunc* — id enim fuit impossibile — sed unice data est perfecta *legitimatio prolis* intuitu praecedentis matrimonii *clandestini*, cui *tunc* impedimentum *iuris mere ecclesiastici* obstiterat, ut recte suspicatus est *Gasparri*, II, n. 1446, cum *Gennari*, l. c. 726; aliter *Scherer*, 508, not. 43. A fortiori S. C. Inq., 8 mart. 1900, optimo iure respondit: « *In casu exposito sanationem in radice concedi non posse* ». Agebatur enim ab initio de coniunctione *fornicaria*, ex qua duplex proles nata est; deinde vir (acatholicus) ex operatione chirurgica factus est perfecte impotens, sed nihilominus cum sua concubina *postea* celebravit matrimonium *civile invalidum etiam* propter impedimentum clandestinitatis. Quod matrimonium civile ex *nunc* convalidari omnino *non potuit*, ut expresse S. C. Inq., l. c., declaravit; obstabat enim *etiam* impedimentum iuris *naturalis* impotentiae. Verum convalidatio quoque et legitimatio prolis *per fictionem iuris* fuit prorsus excludenda. Nam eo tempore, in quo per matrimonium civile aliquis consensus matrimonialis videbatur existere, cum sc. concubinarii suam fornicariam coniunctionem voluerunt mutare in coniugalem per celebrationem matrimonii civilis, iam adfuit impedimentum perpetuae et absolutae impotentiae. At fictio iuris nequit haberi in re impossibili, et prorsus indecorum est ut Ecclesia etiam mera fictione iuris aliquid statuat contra ius divinum. Cfr. *Leitner*, 165 sq., ubi tamen minus accurate exponit verba supplicationis: « *Fide praestita et cum affectu maritali* ».

Hinc etiam patet error canonicus parochi cuiusdam, qui petierat sanationem in radice matrimonii bona fide contracti, sed propter impedimentum *ligaminis* mariti — ex iudaismo conversi — penitus invalidi. Quare S. C. Inq., 17 ian. 1900, postquam alio modo difficilem casum solvit, sapienter respondit: « *Mens est in hoc casu non dari locum*

ecclesiastico, super quo Ecclesia *potest* et *solet* dispensare saltem ad sanandum matrimonium in radice. Impedimentum, ut dicitur, clandestinitatis — sc. defectus formae — a dispensatione per sanationem in radice non est exclusum[26]; at impedimenta ordinis sacri vel sollemnis professionis religiosae etiam in amplissimis facultatibus comprehendi non solebant[27].

664. II. Consensus *vere matrimonialis*, non mere *fornicarius*, mutuo datus sit oportet ab initio, qui, licet propter impe-

---

dispensationi in radice; nam adhuc viget prius matrimonium in infidelitate contractum, quod non dissolvitur nisi quando post conversionem et interpellationem inutiliter factam, novum ac validum contractum fuerit matrimonium ».

Tandem doctrinae expositae nequit opponi responsum S. Paenitentiariae, 25 apr. 1890, alias in praec. nota 10, h. cap., allegatum. Nam in illo non fuit data *propria* sanatio in radice, sed *impropria* et *relativa.* Convalidatio enim matrimonii solummodo concessa est *a momento*, quo per *mortem* prioris mariti impedimentum ligaminis fuerat sublatum. Neque ulla locum habuit *legitimatio* prolis adulterinae antea in matrimonio civili conceptae per aliquam iuris fictionem usque ad *initium* matrimonii civilis. Expressis enim verbis proli *adulterinae* legitimatio fuit negata, et Ecclesia non admisit matrimonium quoddam *polyandricum*, sc. unum verum cum marito legitimo, alterum per fictionem iuris cum adultero per matrimonium civile cum uxore prioris mariti unito, vi cuius proles nata in adulterio *reputaretur legitima*, atque adulteri *haberentur* legitimi coniuges ab initio.

Qua ratione etiam facile conciliantur sententiae a *Gasparri*, II, n. 1488, et *Gennari*, l. c. 721, propugnatae. Nam *Gasparri*, l. c., si negat matrimonium ab initio nullum propter defectum consensus, v. g. ob simulationem non posse sanari in radice, licet postea consensus suppleatur, id intelligit de sanatione in radice *proprie* dicta inde *ab initio* matrimonii contracti. Qua in opinione habet *Gennari*, l. c., 722, plane consentientem. Quodsi *Gennari*, l. c., putat *post purgatum defectum consensus* sanationem esse possibilem, id intelligendum est de sanatione in radice relativa et *improprie* dicta, *a momento suppleti consensus*, quam *Gasparri* non negat.

26 Qui casus antiquis temporibus fuit rarior, at nostra aetate propter matrimonium civile frequentius sunt sananda in radice matrimonia clandestine et invalide celebrata. Cfr. *Santi-Leitner*, 225.

27 Benedict. XIV in epist. «*Redditae*», 5 dec. 1744, § 40; *Feije*, n. 769; *Giovine*, I, 596 sq. Cfr. quoque decret. S. C. Inq., 8 iul. 1903, de legitimatione prolis adulterinae et *sacrilegae speciali* modo Sedi Apostolicae reservata; Formularium S. Offic., 58, de facultate sanandi in radice pro dioecesi Pineroliensi concessa. At nunc in amplissimis facultatibus S. C. de P. F. non excipitur professio religiosa, sed impedimentum proveniens ex ordine *presbyteratus* — non ab omni ordine sacro — et affinitas in linea recta consummato matrimonio et praeterea *defectus aetatis*, quando sponsi ad aetatem ab antiquo iure praefixam nondum pervenerint.

dimentum dirimens iuris ecclesiastici sit *inefficax*, tamen vere maritalis et *naturalis* esse potest[28]. Nam sanatio matrimonii in radice, ut ipsa vox indicat, fertur in radicem matrimonii, i. e. in consensum matrimonialem, ut ex naturali et illegitimo fiat legitimus et efficax. At quod omnino non existit nequit sanari, neque consensus mere *fornicarius* per dispensationem auctoritatis ecclesiasticae potest reddi efficax ad producendum vinculum *matrimonii*. Quare si in ipsa invalida matrimonii celebratione una tantum pars naturalem consensum in matrimonium praestitit, altera vero pars nullum consensum matrimonialem dedit, consensus prioris partis sanari potest, ab altera vero parte antea consensus omnino novus necessario est praestandus[29].

Ex natura rei verae et seriae voluntatis coniugalis optima erat atque etiam nunc est *praesumptio*, si contrahentes in *bona fide et debita forma* matrimonium celebrarunt: quae duae condiciones, attento c. 1085, non sunt *essentialiter* requisitae. Cfr. supra n. 493.

665. III. Iure praecedente passim requirebatur ut consensus matrimonialis ab initio esset datus sub *specie* et *figura* extrinseca iusti matrimonii: cuius rei optima illa ratio assignabatur, quod externa expressio censetur conformis interno animo (cfr. c. 1086 § 1); sicut ergo *sub externa specie* et *figura* iusti matrimonii est praesumendus internus animus *vere maritalis*, ita *sub externa specie fornicariae coniunctionis* praesumendus est *animus fornicarius;* coniunctio autem etiam secundum internum animum fornicaria non potest ab Ecclesia iuridice haberi ut coniunctio maritalis.

Nunc autem Ecclesia, non adeo insistens praesumptionibus, illam figuram seu speciem iusti matrimonii expresse non exigit ut apparet ex silentio Codicis, et magis insistitur in obiectiva veritate praestiti consensus maritalis, qui dari potest etiam in matrimonio invalide celebrato et in matrimonio civili, quod passim in radice sanatur. (Cfr. cit. c. 1085). Quae mitior disciplina ipsa praxi fuerat praeformata[30].

---

28 Benedict. XIV in cit. epist. «*Redditae*» § 40: «*Ut autem obtineatur huiusmodi dispensatio* (in radice), *quae non sine urgentissima causa dari consuevit, requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali*»; cit. c. Prag. a S. C. C., 18 sept. 1723 decisa; ASS. I, 184, 190; *Feije*, l. c. n. 767; *Giovine*, l. c. 607 sq.; *Rosset*, l. c. n. 2357 sq.

29 *Feije*, n. 733.

30 Profecto si complures scriptores v. g. *Giovine*, l. c., aliique rigo-

666. IV. Ut verum vinculum matrimonii in *momento applicationis* perfectae sanationis in radice oriatur, requiritur, ut a neutro coniuge consensus ab initio datus interim fuerit *vere*

---

rose exigebant: 1) *figuram* matrimonii iusti, et 2) *bonam fidem* in coniugibus, negari non potest quin exigerent argumentum omnino aptum ad ostendendum internum animum maritalem; cui argumento pro suo iure legislator insistere posset ad concedendam sanationem in radice. A quo rigore paulatim Ecclesiam declinasse apparet ex hoc quod secus quamplurimae sanationes in radice, frequenter concessae post contractum matrimonium civile in regionibus et matrimoniis formae ecclesiasticae subiectis, non possent explicari. Nam *ibidem* illa tantum matrimonia sensu stricto habent *figuram* vel speciem matrimonii, quae celebrata fuerunt in *forma ecclesiastica. Feije*, n. 768. In aliis vero regionibus species et figura matrimonii aliunde invalidi habetur, non solum si celebratio coram Ecclesia, sed etiam si coram ministro haeretico vel magistratu civili aut alio modo, consensum matrimonialem iuxta mores regionis manifestante, facta sit. Cfr. S. C. Inq., 16 sept. 1824 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1235, 1463; S. C. Inq., 22 aug. 1906: Anal. eccl. XV, 8.

At iam pridem Ecclesia illi circumstantiae non amplius rigorose insistebat atque imprimis attendebat *substantiam* rei, i. e. consensum naturalem cum affectu *maritali* elicitum et sufficienter manifestatum, ut iam suo tempore docuit *Barbosa* (cf. *Gennari*, l. c. 719), atque ipse *Benedict. XIV*, Quaest. can. 174, non videtur esse contrarius, cum scribit: « *Ad effectum, de quo agitur* (i. e. sanationis) *satis est, quod matrimonium fuerit de facto contractum et quod intercesserit affectus maritalis* ». Quare si Ecclesia nunc saepe sanat matrimonia mere civiliter et invalide contracta, aut in istis matrimoniis *sensu latiore* admittit aliquam figuram matrimonii, aut illam *condicionem figurae*, dummodo salva sit substantia consensus maritalis, non tanto rigore postulat. Nam ut docet Benedictus XIV in cit. decreto « *Cum super* », § 7, R. Pontifex potest etiam *condiciones* — iuris humani, non divini — statuere pro validitate gratiae — sanationis in radice — adimplendas et consequenter easdem etiam valet dimittere. Cfr. *Rosset*, n. 2361. Porro altera quoque condicio a Schmalzg., Giovine aliisque scriptoribus requisita, ut ne *una* quidem pars esset in *mala fide*, i. e. conscia impedimenti, ex disciplina recepta mitiorem acceperat interpretationem. Profecto ex natura rei consensus *maritalis* cum cognitione impedimenti vix conciliari potest (cfr. *Rosset*, n. 2357 sq., 2800 sq.; *Feije*, n. 767 sq.), nisi — ut sine dubio frequenter fit — *vis irritandi non satis attenditur, vel ignoratur, vel non creditur vel non sufficienter perspecta habetur*. Quo in casu excepto coniuges possunt veram habere intentionem celebrandi nuptias (cfr. supra n. 493). Ex altera parte nunc matrimonia mere civiliter vel coram solo ministro acatholico iis in regionibus contracta, in quibus forma Tridentina notorie obligabat, v. g. in Gallia vel in quibusdam partibus Germaniae haud raro in radice sanabatur. Cfr. *Gennari*, l. c., 719; *Putzer*, l. c., 22 sq. Quare absolute et generaliter asseri non potest malam fidem vel unius partis excludere possibilitatem sanationis in radice cit. respons. S. C. Inq., 22 aug. 1906; quam absolutam et generalem exclusionem reicit cit. c. 1085. At fatendum est eas posse existere *circumstantias particulares* matrimonii civilis, ut vix intelligatur quomodo sanatio in radice possit habere locum. Nam ex lege Ecclesiae fideles in celebrando matrimonio civili per se *debent* habere intentionem peragendi caeremoniam *mere* civilem. Qua cum intentione consensus matrimonialis consistere nequit, si v. g. sponsi *non nisi postea* coram parocho verum matrimonium contrahere velint. Quodsi intentiones illae ex omnibus circumstantiis verificarentur, certe efficerent ut *illud* matrimonium civile, deficiente radice consensus maritalis, vere et proprie in *radice* sanari non possit, si per accidens celebratio religiosa matrimonii non sit secuta. Paulo aliter *Gennari*, l. c., 720, not. 1, rem exprimit. Cfr. supra n. 493, 591.

et *efficaciter revocatus* (c. 1139 § 1), sed utrinque saltem habitualiter perseveret[31]. Nam ut matrimonium validum fiat, simul consistere debent et *habilitas* et *consensus nupturientium*. Hinc licet per dispensationem sublata sit inhabilitas personarum, tamen per revocationem consensus, vel ab una parte factam, propter defectum consensus *mutui* matrimonium ex iure naturali convalescere plane nequit. Praeterea si contraria sententia vera esset, necessario perveniremus ad illam falsam conclusionem, quod sacramentum matrimonii valide suscipi posset, etiamsi una pars esset penitus *invita* et *reluctans*. Etenim matrimonium per sanationem in radice convalidatur, i. e. tunc demum vere contrahitur, cum dispensatio applicatur; at isto momento, ut supponitur, haud raro saltem una pars non solum suum revocavit consensum, sed etiam totis viribus novo isti ma-

---

[31] *Rosset*, n. 2360 sq.; *Gasparri*, II, n. 1439 sq.; *Leitner*, 484 sq.; *Gennari*, l. c., 722 sq.; *Avanzini*, in ASS. I, 183 sq.; *Braun*, l. c., 9 sq.; *Feije*, n. 771, 773; *Scherer*, 501 aliique, v. g. *Santi*, *Zitelli*, *D'Annibale*, *Lehmkuhl*, *Laemmer*; aliter pauci quidam scriptores, v. g. *Perrone*, II, 172 sq.; *Muellendorf*, in Act. theolog. Oenip. III, 477 sq. aliique, v. g. *Scheicher*, pro ipsorum opinione secundum quam matrimonium in radice sanandum iam ab initio fuit validum, ita ut tantum interveniat sententia declaratoria. Quae sententia, si vera esset *suppositio* facta, omnino admitti posset. Nam vinculum matrimonii *valide* contracti ex iure divino et naturali nullo dissensu privato unius partis vel consensu utriusque coniugis dissolvi potest. Quare etiamsi unus vel uterque coniux summa vi revocaret consensum maritalem, ponit actum physicum omni efficacia *iuridica* destitutum. At istud *suppositum* adversariorum de *valore* matrimonii sanandi ab initio est *falsissimum*, ut supra etiam demonstratum est (nota 21, h. cap.); corruente igitur fundamento corruat quoque necesse est aedificium superaedificatum. Quare sanatio matrimonii in radice explicanda est in suppositione certissima matrimonii ab initio *invalide* contracti et in ista *nullitate* perdurantis usque ad tempus applicatae dispensationis in radice. Quo in casu res est indubia naturalem consensum maritalem, sed iuridice inefficacem, nondum producto vinculo *posse revocari*; unica enim ratio irrevocabilitatis, sc. vinculum matrimonii indissolubile iam productum non subsistit. Cfr. *Lugo*, De iust. et iure, disp. 22, n. 384 sq.; *Rosset*, n. 2361.

trimonio celebrando resistit. Denique opinio adversaria contradicit constanti doctrinae et praxi Sedis Apostolicae[32], quae sanationem in radice solummodo concedit, si verificatur condicio hisce fere verbis expressa: « *Quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret* ». Quae condicio adeo constanter apposita non nititur iure humano, sed est mere *declaratoria* iuris divini, ut patet argumentis supra ex natura rei petitis.

Etiamsi doctrina de necessitate permanentis nec revocati consensus in utroque coniuge ad *ordinariam* sanationem in radice sit certa et indubitata, tamen quandoque in praxi minus clare constare potest, utrum simplex convalidatio matrimonii an perfecta sanatio matrimonii fuerit concessa[33]; praeterea *de*

[32] Benedict. XIV in cit. decret. « *Cum super* » §§ 7, 8, ubi, non obstante sanatione matrimonii in radice a Sed. Ap. concessa, matrimonium declaratur invalidum, quia tempore *applicatae* dispensationis iam *condicio* concessioni apostolicae apposita de ignorantia impedimenti ex parte *mulieris* non fuerat verificata. Quam condicionem Benedictus XIV, suo tempore, 12 sept. 1750, apposuit, « *ne ipsa* (uxore) *contradicente et obnitente, prout contigisset, si impedimentum scivisset, concessa dispensatio diceretur* ». Quare perperam ad hanc decisionem Benedicti XIV provocatur, quasi ipse in hoc casu sanationem quandam in radice concessisset *post* consensum ab uxore *revocatum*. Cfr. *Rosset*, n. 2163; *Braun*, l. c., 11 sq. Quodsi adversarii in suum favorem allegant sanationem in radice teste Bolgenio a Pio VI concessam, imprimis innituntur documento, de cuius authentia et textu genuino non satis constat; etenim Bolgenius non tanta pollet auctoritate ut eius testimonium solum sufficiat ad omne dubium eliminandum. Praeterea iuxta verba a Bolgenio relata mulier solummodo noluit *renovare* consensum, inde autem non sequitur quod *revocaverit* consensum, ut etiam colligitur ex aliis casus circumstantiis. Nam haud raro etiam nunc datur sanatio in radice, quia in matrimonio mixto pars acatholica coram parocho catholico non vult *renovare* consensum, licet aliunde constet ipsum consensum maritalem sibi sufficientem non revocasse et velle permanere in matrimonio. Similiter mulier illa, mater duorum filiorum, voluit manere in suo matrimonio neque petiit separationem. Cfr. *Gennari*, l. c., 723 cum edit. ASS., *Giovine, Gasparri, Rosset, Braun*.

[33] Quod dubium nunc, cum ex disciplina vigente sanatio in radice expresse in rescripto enuntiari soleat, facilem habet solutionem. Hinc ista expressione omissa iuxta R. I. 30 in Sext. potius standum est pro simplici convalidatione, nisi sanatio in radice ex aliis adminiculis certo colligi possit. Cfr. S. C. C. in c. Florent. 25 sept. 1726, ubi *dilata* fuit decisio etiam ob alias rationes, cum causa post saeculum introduceretur ob lucrum temporale ad exturbandos heredes; *Gasparri*, II, n. 1435, 1440.

facto perdurationis vel revocationis saltem in uno coniuge forte non liquet[34].

667. V. Denique gravis et urgens *causa* requiritur ad concedendam sanationem matrimonii in radice sive publicis sive privatis personis. Cfr. Bened. XIV decret. « *Cum super* » 27 sep-

[34] Generatim *permanentia* consensus maritalis dati est *praesumenda*, donec per manifesta signa constet illum explicite vere revocatum fuisse.

I. Quae revocatio non habetur, si pars *ignara* impedimenti propter lites domesticas prompta esset ad solvendum matrimonium; non enim quaeritur quid ista pars ignara *faceret*, si sciret impedimentum, sed quid *de facto agat*.

II. Porro consensus maritalis non revocatur, si coniux, qui impedimentum ignorat, solummodo petit separationem a *toro* et *cohabitatione*.

III. Si ambo coniuges — cum limitatione supra data — cognoscunt impedimentum — v. g. clandestinitatis matrimonio mere civili opposito — at nihilominus manent in matrimonio, consensus matrimonialis non censetur revocatus, atque sanatio locum habere potest, si saltem una pars coram parocho in forma ecclesiastica detrectet *renovare* consensum.

IV. Quando unus vel uterque coniux postulat declarationem nullitatis sui matrimonii, post obtentas sententias favorabiles ad tramites iuris latas consensus maritalis censetur revocatus, neque postea sanatio in radice concedi potest. Nam coniugum dissensus, qui pendente causa fuit saltem condicionatus — si sententiam favorabilem obtinuero — nunc post sententiam definitivam factus est absolutus. Praeterea coniuges solent sese conformare sententiis in foro externo in suum favorem latis, immo non raro ilico post sententias latas novas praeparant nuptias. Qua cum animi dispositione implicite coniuncta est retractatio prioris consensus. Quae doctrina confirmatur ex decisione S. C. C., 5 dec. 1863, ubi S. C., postquam declaravit constare de nullitate matrimonii in casu, ad alterum mirabile quaesitum advocati: Et quatenus affirmative, an consulendum sit Sanctissimo pro sanatione in radice, respondit: « *Lectum* ». Cfr. cap. 2, X, qui fil. IV, 17.

V. Si unus vel uterque coniux, qui intentat actionem nullitatis, obtineat sententiam petitioni contrariam, postea sanatio matrimonii in radice fieri potest, si deinceps idem matrimonium ex alio impedimento reperiatur invalidum. Nam consensus maritalis in tali hypothesi, ex rationibus inversis supra allatis de dissensu condicionato et animo sese sententiis conformandi, non censetur revocatus.

Cui solutioni auctoritatem conciliat sanatio in radice ad instantiam mariti ob novum impedimentum detectum a Benedicto XIV Litteris Apostolicis, 12 sept. 1750, *condicionate* — si uxor ignoret impedimentum — concessa post duplicem sententiam in favorem vinculi latam. Quare canonista errat qui in causa, 22 apr. 1882, a S. C. C. decisa, asserit Benedictum XIV concessisse sanationem, « *dum alter coniugum matrimonii solutionem sollicitaret* ». Quae sanatio propter non verificatam condicionem non solum actu non fuit concessa, sed teste ipso Benedicto XIV, in cit. Decreto « *Cum super* » § 7, per illam condicionem appositam mulieri non fuit ablata facultas impugnandi validitatem matrimonii ex novo

tembris 1755, § 7. Quae causa si deesset, profecto sanatio a R. Pontifice scienter concessa esset valida, sed illicita; ab Episcopo vero, ex indulto apostolico facultatibus delegatis munito, invalide concederetur.

At quoniam R. Pontifex *non vult* illicite agere, ideo si in supplicatione falsa causa fuit allegata, etiam sanatio pontificia est irrita.

Huiusmodi causae graves et urgentes sunt, si impedimentum uni parti est notum et alteri coniugi sine gravi periculo manifestari non potest; si una pars, v. g. in matrimonio mixto invalide inito, induci non potest ut coram parocho catholico in

---

capite, si forte novi impedimenti notitiam tempore novae dispensationis in radice habuisset.

VI. Tandem si accidat ut una vel utraque pars promoveat actionem nullitatis matrimonii, illa quaestio exiguam habet utilitatem practicam, num tali actione intentata iam lite pendente et ante sententiam definitivam facta sit revocatio consensus. Nam Ecclesia non concedit *absolute* sanationem in radice, ubi proximum est periculum divortii; nimis enim irrationabile est ut duo coniuges per interventionem Ecclesiae indissolubili vinculo colligentur, e quibus saltem unus ad disrumpendum illud vinculum iam promptus est. Praeterea Ecclesia sese non solet exponere periculo violandi ius divinum; at si vellet, lite pendente, sanare matrimonium in radice sese exponeret saltem in non paucis casibus periculo violandi ius divinum; nam consensus, forte iam absolute retractatus, ab Ecclesia sanari non potest. Denique huiusmodi sanatio cum iure et libertate coniugum implorandi declarationem nullitatis atque sibi invitis et reluctantibus non obtrudendi vinculum matrimoniale vix videtur posse conciliari. Quare sapienter Benedictus XIV, in cit. decr. «*Cum super*» tradit se non *absolute* dedisse sanationem in casu, sed condicionate, «*ne ipsa* (uxore) *contradicente et obnitente... dispensatio concessa diceretur*».

Quodsi res mere theoretice consideretur, per se *duplex* casus est possibilis. Nam coniuges, qui petunt declarationem nullitatis, forte de impedimento non habent plenam certitudinem atque tanquam probi fideles sese in antecessum submittunt futuro iudicio Ecclesiae et nequaquam absolutum, sed condicionatum, manifestant dissensum: Si sententia mihi fuerit favorabilis. Quo in casu evidenter *absoluta* revocatio consensus pendente causa et ante definitivam sententiam non habetur. Hinc mirum non est quod Ecclesia non exegerit praeviam consensus *renovationem*, cum Benedictus XIV post duplicem sententiam pro validitate latam, propter novum detectum impedimentum concesserit sanationem in radice. At ex natura rei nihil obstat quominus actor pro nullitate, praesertim si plenissimam habeat certitudinem de impedimento, ita sit animo comparatus, ut absolute et simpliciter, quocumque tandem interveniente impedimento, velit a suo matrimonio recedere. Qua in suppositione consensus absolute revocatus est dicendus et sanatio concessa, quia incideret in consensum non amplius existentem utpote retractatum, non produceret ullum effectum. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1140; *Lehmkuhl*,

forma ecclesiastica renovet consensum; si forte neutra pars de nullitate matrimonii commode moneri potest[35], v. g. si nullitas proveniat ex culpa Ordinarii vel parochi, qui per negligentiam non curarunt dispensationem vel ipsius legitimam executionem[36]. Quo in casu S. Sedes quandoque concedit sanationem in forma gratiosa sine executore vel acceptatione. Cum nostra aetate tanta sit facilitas obtinendi sanationem in radice, non possum subscribere opinioni illorum doctorum, qui si coniuges sint in bona fide, nimis facile promptum habent responsum: Dissimulandum, silendum. Qua ratione certe peccata formalia impediuntur; at coniuges vivunt in concubinatu materiali carentque *sacramento* matrimonii et gratiis sacramentalibus. Quae damna et tantorum bonorum privatio per dissimulationem non reparantur[37].

IV. *De petitione et executione sanationis matrimonii in radice*

668. In petenda dispensatione ad sanandum matrimonium in radice sive ab utroque coniuge sive a tertia persona, v. g. ab

---

Theol. mor. II, n. 892. Quare si *Scherer*, 501, n. 10, simpliciter contendit cum actione nullitatis alicuius coniugis non posse conciliari perdurationem consensus maritalis, proponit assertionem nimis *generalem*. Non enim quaeritur quid quis faceret vel facere posset, sed quid de facto faciat; iam vero ex natura rei duplex manifestatio dissensus pendente causa est possibilis, sc. absoluta et condicionata; ergo sine sufficienti ratione a priori restringitur ad unicam formam absolutam. Hinc si idem auctor reprehendit *Gasparri* ob artem casuisticam hac in re nimis artificialem, doctores huic censurae communiter calculum vix adicient.

VII. Multo planior est solutio, si tertia quaedam persona, v. g. consanguineus *accusat* valorem matrimonii, ipsi vero coniuges totis viribus *sustinent* validitatem matrimonii contracti. Quo in casu evidenter pendente causa revocatio consensus maritalis omnino non habetur; hinc sanatio matrimonii in radice minime est exclusa. Et revera in causa relata in ed. *Richt.* Conc. Trid., 256 sq., n. 95, a Congregatione particulari trium Praelatorum, 7 febr. 1729, resolutum fuit: «*Constare de validitate matrimonii, sed ad cautelam esse consulendum SS.mo pro illius convalidatione in radice*». Quae resolutio a Benedicto XIII, per Breve, 28 apr. 1729, fuit confirmata, a qua S. C. C., licet lis a tertiis personis esset restaurata, 21 iun. 1732, non recessit atque respondit: «*Nihil de aperitione oris et ad mentem*».

[35] Benedict. XIV, in cit. epist. «*Redditae*» § 40, Quaest. can. 174; S. C. C., 22 iun. 1844, apud *Lingen* et *Reuss*, Causae select. S. C. C., 884 sq. resp.: «*Non indigere*» i. e. sanatione in radice; *Rosset*, n. 2359; *Feije*, n. 770, iunct. n. 598, 687; *Scherer*, 508; *Gennari*, l. c., 724.

[36] S. Paenit. 18 ian. 1883; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1567, 1568; *Gasparri*, II, n. 1449.

[37] ASS. XV, 140, not. 1, iunct. *Feije*, n. 770.

Ordinario insciis coniugibus, imprimis ea servanda et exprimenda sunt, quae generatim in *dispensationibus* matrimonialibus praesertim *post contractum* invalidum matrimonium exprimi et servari debent. Praeterea quatuor condiciones huic dispensationi propriae in supplicatione speciali ratione sunt attendendae [38].

669. Sanatio matrimonii in radice ordinarie petitur a S. Paenitentiaria propter impedimenta *occulta*, si renovatio consensus a parte ignara impedimenti vix obtineri potest. Immo utraque parte inscia impedimenti sanatio peti et applicari potest; nam Ecclesia independenter a supplicatione coniugum impedimentum tollere potest, quo sublato consensus coniugum naturalis perseverans suum producit effectum veri vinculi matrimonialis, atque ita insciis coniugibus matrimonia convalescere possunt. Nihilominus fieri potest ut impedimentum natura sua sit publicum aut facile detegi possit. Quo in casu pro foro *externo* a S. C. de d. Sacram. vel a S. C. Inq. datur sanatio matrimonii in radice, v. g. propter impedimentum *clandestinitatis;* atque curandum est ut de tali sanatione authentice in foro externo per documenta constet, altera pars de facta sanatione certioretur, atque scandalum forte datum prudenti quadam divulgatione removeatur. Quibus in rescriptis sanationis exequendis tenor rescripti et clausulae accurate observentur necesse est [39].

V. *De effectibus sanationis matrimonii in radice*

670. Effectus sanationis matrimonii in radice primarius est *abrogatio* in casibus *particularibus* illius ecclesiasticae legis irritantis, quae certorum matrimoniorum valori obstabat; *directi* effectus ex illa abrogatione sequentes sunt imprimis duo, sc. restauratio *valoris* matrimonii et *legitimatio* prolis. Quae restauratio valoris oritur ex naturali consensu *ab initio* matrimonii praestito et habitualiter permanente nec revocato, non vero ex *novo* [40], et eo quidem momento (*ex nunc*), quo *exe-*

[38] *Feije*, n. 772.

[39] *Giovine*, I, 617 sq., II, 270; *Feije*, n. 773; *Rosset*, n. 2365 sq.; *Leitner*, 484 sq.

[40] Quodsi quandoque in rescripto sanationis praevia renovatio consensus in uno vel utroque coniuge ad cautelam exigatur, huic clausulae speciali omnino standum est. Cfr. S. C. Inq., 22 nov. 1889, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1569.

cutioni mandatur *dispensatio* [41] (cfr. 1138 § 2), si a neutra parte ex natura rei vel ex clausula rescripti dispensationis renovatio consensus est necessaria. Quodsi renovatio consensus saltem per unum ex coniugibus est praescripta, matrimonium actu conva-

[41] *Schnitzer*, 547; *Scherer*, 510, aliique, v. g. Barbosa, Giovine, tenuerunt per sanationem in radice matrimonium **fieri validum** *ex tunc;* at plerique scriptores, v. g. *Sánchez*, l. VIII, disp. 7, n. 4; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 17, n. 123; *Gasparri*, II, n. 1426; *Gennari*, l. c., 725 sq., aliique, v. g. D'Annibale, Lehmkuhl, Feije, Braun, Leitner, Palmieri, Sebastianelli, Ballerini, editores ASS., Ferreres, Rosset, merito illam repetunt *ex nunc*. Nam ad praeterita non datur actio, et facta infecta fieri non possunt; id enim vel ipsi Deo omnipotenti est metaphysice impossibile; ergo etiam R. Pontifici talis potestas non est vindicanda. Quare si *Scherer*, l. c., inde arguit quod retroactiva illa vis sanationis sit « postulatum ratiocinationis iuridicae » inefficaci usus est argumento; nam quod est metaphysice impossibile, non potest esse postulatum ratiocinationis iuridicae, nisi quis iuristis tribuat rationem a communi ratione distinctam, ita ut penes ipsos sit possibile quod aliis hominibus metaphysice est impossibile. Nec iuvat dicere convalidatione *ex tunc* non admissa *effectus sanationis* « pendere in aëre », ut putat idem auctor. Nam imprimis effectus restaurationis valoris matrimonii ex nunc certe non pendet in aëre, sed in ordinaria sanatione existit in obiectiva rerum natura. Porro quod coniuges et filii inde ab initio reputentur legitimi, pendet *a iuris fictione* sive actu legislatoris, quo effectus illegitimitatis tolluntur. Qui actus certe praebet sufficiens fundamentum legitimationis, quae idcirco in aëre pendere nullo modo dici potest. Quo argumento adversariorum simul patet fundamentale vitium contrariae sententiae; confundunt enim iuris fictionem cum obiectiva rei veritate. Quodsi denique addas sententiam supra in textu assertam niti auctoritate Benedicti XIV, etiam ut R. Pontificis, ut patet ex Const. « *Etsi* » cum decreto « *Cum super* » atque nunc Romae communiter ut indubitatam esse receptam, contraria sententia prorsus improbabilis et antiquata est habenda. Immo *Molina*, De iust. et iure, III, part. 1, disp. 624, n. 3, de ista opinione etiam a Barbosa retenta scribit: « *Summum Pontificem efficere posse ut matrimonium, quod ab initio fuit nullum propter impedimentum canonicum, reddatur a principio validum dispensando in tali impedimento illudque auferendo, sane non dubito id esse* **plus quam falsum** ». Quare perperam Scherer, l. c., imponit Gasparri « *contradictoriam demonstrationem* ». Qui auctor potius optime meritus est, quod sententiam a se propugnatam tanquam *fundamentum* et cardinem huius disputationis statim ab initio solide probarit. Terminologia quoque « fictionis iuris », communi usu consecrata, optimo consilio retinetur; rem enim ipsam bene significat. Deinde *fictio* confundenda non est cum *iuris* fictione. Quare si *ex nunc* sponsi recipiunt *sacramentum* matrimonii — ad quod debita ratione sese praeparent necesse est — nihil in re *sacramentaria fingitur;* si autem *ex tunc* reputantur coniuges et filii legitimi, *fictio iuris* sese extendit ad effectus **mere externos et canonicos**, neque ulla *fictio* fit in sacramento revera *ex tunc* recepto; cum enim contractum validum non fecerunt ita nec sacramentum receperunt.

lescit post fulminatam dispensationem, eo momento in quo renovatio consensus per illam partem praestatur. Praeterea quia *per fictionem iuris* dispensatio censetur praecedere matrimonium, post executionem dispensationis matrimonium *reputatur* tanquam validum inde a momento primae celebrationis matrimonii, sive ut dicitur « *ex tunc* » [42], et consequenter *coniuges* ipsi etiam *ex tunc* quoad effectus censentur *legitimi*.

671. Alter effectus principalis sanationis in radice est *legitimatio* prolis *ex tunc* sive inde a prima celebratione matrimonii progenitae. Quodsi unus ex effectibus locum habere non possit, eo quod proles non existat, aut unus vel uterque coniux iam mortuus sit, saltem alter ex effectibus vim suam obtinebit, v. g. proles reputabitur ita legitima, ac si parentes inde a primis nuptiis *legitimi coniuges* fuissent. Quae legitimatio prolis per sanationem matrimonii in radice *plenissima* est quoad omnes effectus spirituales sive ecclesiasticos, v. g. quoad ordines sacros vel beneficia ecclesiastica, uti constat ex indubitata et communi doctorum sententia; at praeterea legitimatio prolis etiam *ex alio titulo* haberi potest, sc. si matrimonium in radice sanatum fuerit *putativum* [43].

Decet quoque ut princeps civilis in saeculari foro sanationem in radice etiam quoad effectus *civiles* inde a prima celebratione matrimonii admittat; at *stricta obligatio* admittendi prolem illam per se *illegitimam* ad omnes illos effectus *civiles* non videtur concludenter probata [44].

---

[42] *Palmieri*, l. c. 229 sq.; ASS. I, 190; *Giovine*, I, 603; *Perrone*, II, 172 sq.

[43] Cfr. cit. caus. Pragens.; *Bened. XIV*, Quaest. can. 174; *Braun*, l. c, 3, (de Cardinalatu).

[44] Qua in quaestione dubium non est quin sanatio in radice, a R. Pontifice concessa, suam exserat vim etiam in foro civili quoad effectus mere temporales, v. g. hereditarias successiones, primogenituras, maioratus, si id *iure* quoque *civili receptum* sit. At nostra aetate legislatores civiles in suo foro non amplius solent recognoscere canonicam sanationem in radice quoad effectus temporales, sed unice attendunt sanctiones iuris civilis.

Quare antiqua controversia inter doctores catholicos agitata, num R. Pontifex iure *proprio* et nativo sanationem in radice ita concedere possit, ut illa etiam extra Statum pontificium *ubique terrarum necessario* in ipso quoque foro civili quoad effectus temporales sit admittenda, exiguam videtur habere utilitatem practicam. Quodsi quis attendat, quae etiam ultimo tempore dicta fuerunt in Prax. Datar. Apost. n. 178: « *Iure canonico, unde quamvis indirecte et per consequentiam, iure etiam civili* (?) *praedicta legitimatio* (per sanationem in radice) *suis gaudet effectibus* (?) et quae tradita fuerunt a *Gennari*, l. c., 724 sq., forte brevem quandam disquisitionem theoreticam non dicet plane inutilem.

§ IV. De ratihabitione matrimonii illicite contracti

672. Matrimonium non obstante impedimento *prohibente* Ecclesiae a fidelibus celebratum procul dubio *illicitum* quidem existit, sed *validum* est habendum. Quae illicita matrimonii ce-

---

Praeeunte *Sánchez*, l. VIII, disp. 7, n. 4, plerique doctores affirmativum dederunt responsum, v. g. *Schmalzgr.*, l. IV, t. 17, n. 117 sq., 119 sq.: *Riganti*, in Reg. 50 Canc. Ap. n. 112 sq.; *Rosset*, n. 3516, aliique, v. g. Giovine, De Angelis, Santi, Gennari. Cfr. quoque *Bened. XIV*, Quaest. can. 174. At cum in *nova* editione Veneta cit. operis Sánchez censores reipublicae allegatum illum n. 4 disp. 7 arbitrarie expunxissent, omnium *illarum editionum* tomus III, cum detracto n. 4, — non genuinus liber Sánchez de matrimonio, ut non pauci putarunt, — 4 febr. 1627, in Indicem librorum prohibitorum relatus est, ex quo a Leone XIII in nova Indicis revisione sapienter fuit deletus. Cfr. *Hurter*, Nomenclator, I, 235.

At alii antiquiores et recentiores scriptores sententiam negantem amplexi sunt, v. g. *Gasparri*, II, n. 1432; *Palmieri*, l. c. 301 sq.; *Kutschker*, Eher. V, 434; *Scherer*, 511, cum aliis a *Sánchez*, l. c. n. 3, et *Schmalzgr.*, l. c. n. 118, allegatis, v. g. Molina, Navarro, Pérez, Coninck, Antonio de Butrio. Sententia affirmans quandoque illa ratione firmata fuit, quod per sanationem in radice matrimonium convalidetur *ex tunc*, at ista ratio nititur supposito falso et in praecedentibus iam refutato. Quodsi alii exinde arguunt, quod Ecclesia *per fictionem iuris* matrimonium *habet validum*, id sane verissimum est; at inde quoque sequitur Ecclesiam *aperte* declarare tale matrimonium ante applicatam sanationem semper *in se* fuisse invalidum et prolem antea natam vere illegitimam; ideo potestas civilis non *praecedit*, sed *sequitur* iudicium Ecclesiae, si talem prolem dicit illegitimam. Quare sine dubio potestas civilis debet agnoscere prolem vere legitimam, quae *post* dispensationem vel convalidationem *ex nunc* factam, stante iam vero *vinculo* coniugali nata est. *Riganti*, l. c. n. 116. At inde non sequitur potestatem civilem obligari ad legitimitatem prolis admittendam, quae *vere* et *obiective ante* sanationem ex ipso iudicio Ecclesiae illegitimos habuit natales; perperam enim patroni sententiae affirmantis *vere valido* matrimonio *eundem* effectum tribuunt atque matrimonio tantum per *fictionem iuris* ecclesiastici valido, nec satis distinguunt matrimonium cum dispensatione praevia rite *contrahendum* a matrimonio *nulliter*, immo non raro *mala fide* contracto, i. e. a vero et obiectivo concubinatu. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 123, n. 3.

Denique doctores catholici communiter docent R. Pontificem non posse extra suum principatum civilem *directa* concessione legitimare prolem in ordine ad effectus civiles, nisi forte per accidens in casu quodam *extraordinario* bonum religionis id exigat; nam per se legitimatio prolis ad effectus temporales est de competentia fori civilis, non ecclesiastici. Cfr. cap. 13, X, qui fil. IV, 17; *Schmalzgr.*, l. IV, t. 17, n. 110 sq. At si R. Pontifici vindicatur ius proprium et nativum ubique

lebratio antiquo post Tridentinum iure frequentius ea ratione locum habebat, quod in regionibus formae ecclesiasticae non subiectis cum violatione antiquissimae legis ecclesiasticae sine

---

legitimandi *ex tunc* quoad effectus mere civiles prolem *ante* sanationem illegitime natam, ipsi tribuitur potestas *directe* legitimandi prolem quoad effectus civiles extra suum principatum civilem; nam ex matrimonio *in se invalido* illa legitimatio *ex tunc* usque ad *nunc* applicatae sanationis nec habetur nec haberi potest; ergo unice proveniret ex *directa* Ecclesiae concessione, quae regulariter admitti nequit. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 112, 113, 114. Porro si R. Pontifex per sanationem in radice iure proprio et nativo potest legitimare prolem in se illegitimam quoad effectus mere civiles, nulla apparet ratio quare idem ius ipsi non competat quoad convalidationem per *subsequens matrimonium*. Inde sequeretur potestatem civilem *necessario* adstringi, ut huiusmodi filios illegitimos ad hereditates, primogenituras, maioratus, feuda pleno iure admittat. Id autem certe falsum est. Nam v. g., teste P. Hunter, iure civili Angliae inde ab antiquissimo tempore iam *ante reformationem* recepto, porro iure communi Statuum foederatorum Americae septentrionalis (cfr. *Putzer*, l. c., 138), denique iure speciali principum Germaniae (cfr. *Gerber*, Syst. d. d. Privatr. §§ 242, 250, 268, 274), matrimonium subsequens illum effectum legitimationis quoad effectus civiles non producit. At Ecclesia huiusmodi ius numquam reprobavit, v. g. in damnatione certorum articulorum speculi saxonici; immo Sixtus V ex speciali illo iure principum sumit argumentum, quod in Cardinalibus tanto rigore exigat *veros legitimos* natales. Quae argumentatio fuisset exigui valoris, si Sixtus V provocasset ad ius ab Ecclesia reprobatum. Cfr. cod. civ. Galliae art. 333, Italiae art. 283; *Riganti*, l. c. n. 120 sq., iunct. *Schmalzgr.*, l. c. n. 114 sq.; *Rosset*, n. 3495, 3498 sq., 3503, 3513 sq. Tandem coronidis loco sententia negans confirmatur auctoritate Cardinalis *Pereira*, qui in cit. caus. Pragensi, 18 sept. 1723, gratiae concedendae fuit contrarius, et nullos videtur habuisse scrupulos, quod potestas civilis fictiones illas iuris ecclesiastici in sanatione quoad effectus *temporales* in suo foro *non debeat* regulariter admittere, nisi forte constet R. Pontificem in casu extraordinario usum esse sua potestate *indirecta* propter *bonum religionis*.

Nam hisce fere verbis parum notis arguit: « Credo utique quod adhuc concessa gratia nullam ex ea quoad intentum caperet orator utilitatem. Nam si ex lege municipali sui regni non possunt succedere in bonis paternis legitimati per subsequens matrimonium parentum, eodem modo impediti remanent ad eandem successionem legitimati virtute dispensationis in radice matrimonii. Nam praedictum statutum Bohemiae requirit pro substantia *realem et veram legitimitatem in nativitate filii* ad hoc ut admittatur ad successionem parentis, et ideo non admittitur ad huiusmodi successionem, qui legitimatus fuit virtute subsecuti matrimonii inter parentes, quia iste talis non vere nec realiter, sed fictitie et per quandam ideatam retroactionem matrimonii reputandus venit tanquam si legitimus nasceretur... Atqui hoc idem accidit in legitimato ex vi dispensationis in radice matrimonii: siquidem *iste talis vere et realiter tempore nativitatis suae non fuit legitimus*, quia tunc temporis

interventione Ecclesiae et absque ullis ritibus sacris matrimonium celebraretur, aut matrimonia mixta sine *dispensatione* legitimae auctoritatis ecclesiasticae et non raro neglectis *cautionibus* iure divino requisitis coram ministro acatholico contraherentur: quae ultima causa in iure Codicis vix locum habere potest.

673. Quamvis *renovatio consensus* a coniugibus valide coniunctis non esset exigenda, tamen in priore casu, si coniuges Ecclesiae satisfacere, paenitentiae signa exhibere et scandalum removere vellent, ad ritus sacros et benedictionem Ecclesiae secundum iudicium Episcopi admitti poterant [45]. In altero vero casu S. C. Inq. 9 (12) mart. 1881, censuit: *Oportere ut a praefatis coniugibus* (matrimonii mixti) *Ecclesiae, cuius sanctissima lex violata est, satisfiat, eidemque cautiones de periculo salutis aeternae a se et a sua prole amovendo in foro etiam externo praestentur, atque hoc fine recursum ad Episcopum postulari* ». Cfr. quoque cap. 9, X, qui fil. IV, 17; *Rosset*, n. 3437 sq. Haec suo modo applicationem habent, cum sub iure Codicis matrimonium valide sed *illicite* sit celebratum ob impedimentum impediens, praesertim publicum.

674. Scholion. Quemadmodum principes civiles in ordine ad *contrahenda* matrimonia civilia solent concedere dispensationes a suis legibus matrimonium irritantibus et prohibentibus, ita etiam ad convalidanda matrimonia invalide contracta non denegant dispensationes. Quibus in dispensationibus per aliquam antiqui et novi iuris canonici imitationem, quandoque eam sequuntur normam, ut relaxatio impedimenti solummodo concedatur cum expressa condicione [46] *novae celebrationis* matri-

---

nullum inter parentes eius subsistebat matrimonium, ut supponitur, *et Papa facere non potest quod natus non fuisset illegitimus*... et solum per quandam *fictionem* reputari debet praedictus filius, tanquam si legitimus nasceretur ex vi cuiusdam fictitiae et ideatae retroactionis, quae trahit tempus concessionis dispensationis in radice ad tempus initi matrimonii nulliter et de facto celebrati, *ut tenet communis doctorum sententia*... Ergo eodem modo, quo legitimato per subsequens matrimonium obstat lex seu statutum Bohemiae, debet etiam similiter obstare legitimato ex vi dispensationis in radice ». Hactenus Cardinalis Pereira, cuius argumentationi conexio logica vix poterit negari. In cit. vero caus. Pragensi sanatio in radice tandem magis ad cautelam quam ob necessitatem fuit concessa; nam istud matrimonium statim ab initio probabiliter erat validum, certe autem *putativum*.

[45] S. C. Inq., 31 aug. 1881; ASS. XVI, 235; *Lehmkuhl*, Theolog. mor. II, n. 696, 714.

[46] Cod. civ. Austr. § 88, iunct. *Scherer*, 512 sq.

monii, aut interdum post ablatum impedimentum ipso facto et sine nova nuptiarum celebratione matrimonium sanatum esse statuunt [47], etiam ad instar alicuius sanationis in radice [48].

CAPUT II

De secundis nuptiis

675. Fontes [1]: C. XXXI, q. 1; C. XXXIV, q. 1, 2. — Cpl. I, lib. IV, tit. 22, d. s. n.; cpl. II, lib. IV, tit. 15, d. s. n.; cpl. III, lib. IV, tit. 16, d. s. n. — Decretal. Gregor. IX, lib. IV, tit. 21, d. s. n. — Professio fidei ab Innoc. III, a. 1210, Waldens. praescripta apud *Denzinger*, Enchir. n. 370. — Decret. S. C. Inq., 31 aug. 1881, in ASS. XIV, 513. — Innoc. IV, Const. « *Sub catholicae* », 6 mart. 1256, in Collect. Lac. II, col. 446 sq.; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 maii 1742, § 8 et Const. « *Eo quamvis* » 4 maii 1745 §§ 28, 29; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 171 sq.; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), p. 142. — S. C. Inq., 5 iun. 1889; Instr. S. C. de Prop. F. 8 sept. 1869 et 22 nov. 1790, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1378, 1518.

Scriptores: Commentat. iur. Decretal. h. t. — *Devoti*, § 151; *Aichner*, § 201. — *Roland.*, l. c. 155 sq.; *Bernard. Pap.*, l. c. 193 sq. — *Sánchez*, lib. VII, disp. 80 sq., [2]; *Gasparri*, II, n. 1272 sq.; *Schnitzer*, 639 sq.; *Leitner*, 637 sq.; *Rosset*, n. 526 sq.; *Papp.-Szilágyi*, Enchir., 417 sq.; *Card. Hergenroether*, Photius, III, 665, 671, 684; *Schulte*, §§ 50, 27. — *Moy*, 112 sq., 388 sq.; *Freisen*, 656 sq., 665 sq., et in Arch. f. k. K. LII, 179 sq. — *Zhishman*, 401 sq., 677 sq. — *Chelodi*, n. 170; *Cappello*, II, n. 859 sq.; *De Smet*, n. 300 sq.; *Vlaming*, II, n. 806 sq.

Praenotiones

676. Definitio et divisio. Nuptiae secundae hoc cap. Codicis eae dicuntur, quae soluto vinculo praecedentis matrimonii denuo celebrantur, etiamsi tertiae vel ulteriores existant. Quare est quaestio de polygamia vel polyandria *successiva* et pro nu-

[47] Lex matr. Hungar. a. 1894, art. 45.

[48] Cod. civ. Germ. art. 198, (leg. introd.), iunct. §§ 1324, 1325 et *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad §§ 1324 sq.

[1] Cod. V, 9, de secundis nuptiis; cod. civ. Ital. art. 89, 124, Hisp. art. 45, Gall. art. 228, 295, 297, Austr. §§ 120, 121; *Arndts-Serafini*, §§ 417, 418; *Schulte*, Eher., 564 sq.; *Friedberg-Ruffini*, § 161.

[2] Cfr. ex theologis: *Petr. Lomb.*, l. c. lib., II, dist. 42, i. f.; *S. Thom.*, Comm. in cit. dist. 42, q. 3; *S. R. Bellarmin.*, cap. 9; *Palmieri*, 97 sq.; *Pesch*, n. 835 sq.

mero praesertim successivarum uxorum distinguitur bigamia, trigamia, polygamia.

677. Notae historicae. Antiqui romani et graeci cum secundas nuptias praesertim viduarum minus honorabiles existimarent, viduas, « *quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae* » honorarunt. Quare apud romanos Lex Iul. et Pap. Popp. favorem popularem nacta non est, et iam antequam imperatores christiani magis caelibatui faverent, in imperio romano fuerat sublata [3].

Ecclesia catholica, licet statum virginitatis et viduitatis, secundum doctrinam Christi Domini praesertim a S. Paulo promulgatam, matrimonio secundisque nuptiis praeferret, tamen inde a primis saeculis secundas nuptias et licitas et validas semper habuit. Cuius doctrinae et praxis antiquissimus testis ex medio saeculo secundo est Pastor Herm. [4], a qua traditione in Ecclesia Orientali minime alieni sunt Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Epiphanius, S. Chrysostomus [5]. Immo Concil. Nicaenum, can. 8, haereticum rigorem montanistarum et novatianorum condemnavit, atque adeo in Ecclesia africana introducta fuit praxis, ut a promovendo ad episcopatum ante consecrationem inter alia quaereretur: « *Si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet* » [6]. Cfr. c. 9, (S. Chrysost. († a. 407), c. 10, 11, (S. Hieronym. † a. 420), C. XXXI, q. 1.

In Ecclesia Orientali inde ab initio saeculi quarti sponsi ad secundas nuptias convolantes maiori rigori fuerunt subiecti. Quae severior disciplina in Oriente altiores egit radices, postquam S. Basilius M. in epistolis canonicis praxim iam receptam magna sua auctoritate confirmavit. Hinc factum est ut etiam in Ecclesia Occidentali sanctiones S. Basilii in libris paenitentialibus

[3] Coniuges, qui vinculo matrimonii per mortem extincto ita manent caritate coniuncti, ut pars superstes a novis nuptiis etiam ob virtutis amorem abstineat, profecto sunt laude dignissimi. At, re accuratius inspecta, antiqui populi non propter sublimia illa principia a secundis nuptiis recesserunt. Nam apud ipsos hebraeos soli sacerdoti, intuitu *dignitatis sacerdotalis*, matrimonium cum communi quadam vidua, non cum vidua sacerdotis fuit interdictum. Alii populi in suis consuetudinibus potius innitebantur plane perversis principiis atque superstitiosis opinionibus de altera vita. Cfr. *Freisen*, 665; *Schnitzer*, 639 sq.; *Leitner*, 637; *Zhishman*, 401, 409.

[4] Hermas, Mandat. IV, cap. 4.

[5] *Zhishman*, 402 sq., canonista Ecclesiae Orientali non unitae addictus, doctrinam Patrum graecorum bene exponit.

[6] Statuta Eccles. antiqua, ed. *Ballerini*, in op. S. Leon. III, 654.

allegarentur[7]. Fatendum vero videtur maiorem illam severitatem Ecclesiae Orientalis magis apparentem quam veram fuisse, si quis attendat per summum abusum ibidem fuisse toleratas nuptias secundas, postquam primi matrimonii *vinculum* pro laxis sanctionibus iuris Romani contra leges divinas et canonicas illegitime fuit *dissolutum*[8]. Hinc nequaquam tanti faciendum est, si Ecclesia Orientalis, innixa interpretationi canonum S. Basilii, paulatim eo progressa est ut tertias et praesertim quartas nuptias haberet nullas et irritas[9]. Huiusmodi enim obstaculum canonicum non fuit efficax quoddam remedium contra abusum graecorum non perfecte sustinendi indissolubilitatem matrimonii. At RR. Pontifices postquam cum invicta constantia indissolubilitatem *vinculi* matrimonialis saeculo nono contra Lotharium, regem francorum, strenue vindicarunt, mox ineunte saeculo decimo in celeberrima causa Leonis VI, imperatoris Constantinopolitani, quoad secundas et ulteriores nuptias damnato rigore graecorum mitiorem praxim Ecclesiae Occidentalis de secundis nuptiis denuo ratam habuerunt[10].

In Ecclesia Occidentali quamvis in libris paenitentialibus reperiantur paenitentiae polygamis statutae[11], tamen tempore *Gratiani*[12] et *Rolandi*, l. c., 155, et *Bernardi Papiensis*, l. c., 194, illarum usus non amplius vigebat.

At quemadmodum Ecclesia Orientalis ex iure suo antiquo secundis et praesertim ulterioribus nuptiis sollemnem denegavit « *coronationem* »[13], ita Ecclesia Occidentalis iisdem matrimoniis sollemnem « *benedictionem* » non est impertita[14]. Qua in re in diversis regionibus consuetudo introducta est secundis nuptiis concedendi benedictionem, si *mulier* nemini unquam nupserat. Quae consuetudo, iam a *Bernardo Papiensi*, l. c., 194, Glossa in

---

[7] Cfr. c. 4 Concil. Toletan. (a. 400), de tertio matrimonio subdiaconi, « *quod nec dicendum aut audiendum est* », et duobus annis paenitentiae et detrusione ad statum laicalem fuit luendum; *Freisen*, 666 sq.; ubi p. 669, cit. c. 80, S. Basil. non recte interpretatur.

[8] *Zhishman*, 409 sq., ubi perversam dat interpretationem can. 8 Conc. Carthag. XI, (a. 407).

[9] *Zhishman*, 435 sq.; *Freisen*, 669.

[10] *Hefele*, IV, 587; *Card. Hergenr.*, Kircheng. I, 587 sq., 688 sq.; *Zhishman*, 435 sq.; *Iungmann*, Dissertat. in hist. eccles. IV, 135 sq.

[11] *Schnitzer*, 487, 726; *Freisen*, 670, 671.

[12] Dict. Grat. post. c. 7, 10, C. XXXI, q. 1, Decretal. p. 194.

[13] *Zhishman*, 412 sq.

[14] S. Nicol. in resp. ad cons. bulgar. (a. 866), n. 3; *Freisen*, 672 sq.

cap. 3, X, h. t. v. Iterari a *Durantis*, Meldensi Episcopo (a. 1296), commemorata, ubi viget, iuxta Rituale Romanum tit. VII, c. 1, n. 18, servanda est.

Quodsi Ecclesia catholica excessivum rigorem graecorum reiecit, *libertatem* secundarum nuptiarum etiam contra limitationes ab incompetente potestate civili statutas pro suo iure defendit. Est sane aliqua *indecentia*, si coniux superstes nimis citato cursu post dissolutionem matrimonii ad secunda vota migrat, et praesertim ex parte viduae est periculum turbationis sanguinis.

Quare iam complura iura antiqua coniugi superstiti, et praesertim *viduae, intra tempus luctus* matrimonium novum interdixerunt[15]. Maximum rigorem hac in re secutae sunt leges romanae, quibus viduae iniunctum est ut per integrum annum defunctum maritum lugeret atque per idem tempus abstineret a novis nuptiis sub *poena infamiae* incurrenda[16].

Quae leges romanae sane ubique non fuerunt receptae, ut patet ex Concilio Parisiensi (a. 829), c. 44, et iure longobardorum (cfr. *Paucapalea*, Summa, 116), quo viduae *triginta diebus* post mortem mariti novae nuptiae permittuntur. Cum saeculo undecimo refloresceret studium iuris Romani, et leges romanae magis magisque in foro civili diversarum regionum reciperentur, etiam sanctiones illae poenales iuris Romani de secundis nuptiis a viris doctis allegabantur. At Ecclesia huiusmodi theorias in suo foro practice non recepit, et Alexander III, (a. 1159-1181), cap. 4, X, h. t., Innocentius III, (a. 1201), cap. 5, X, h. t., viduam ante finitum annum luctus ad secunda vota transeuntem non incurrere legalem infamiam declararunt. Cuius statuti canonici et ipsi RR. Pontifices Alexander III et Innocentius III, l. c., atque veteres scriptores[17] rectas assignarunt rationes. Aliter *Freisen*, 664, hac de re disserit.

---

[15] *Zhishman*, 676 sq.; *Freisen*, 656 sq.

[16] L. 11, § 1 sq. D. de his, qui not. inf. III, 2; L. 1, cum seq. auth.; L. 2, Cod. de sec. nupt. V, 9; *Arndts-Serafini*, §§ 417, 418; *Walter*, Gesch. d. r. R. n. 532 et Deutsche Rechtsg. n. 487.

[17] Cfr. *Goffred.*, l. c. h. t. n. 4, 5. Quoad effectus secundarum nuptiarum in bona *temporalia* ipse Innoc. IV, l. c. in cap. 5, X, h. t., distinguens inter meram *poenam* et *provisionem* in favorem filiorum, omnem difficultatem iam pridem solvit.

§ I. De valore et liceitate secundarum nuptiarum

678. Nuptiae secundae et ulteriores iure divino et ecclesiastico validae et honestae sunt [18], modo vinculum prioris matrimonii non tantum putative, sed vere et certo sit solutum, neque aliud obstet canonicum impedimentum, v. g. clericis maiorum ordinum Ecclesiae *Orientalis*.

Nam nuptiae secundae ex natura rei neque primario neque secundario fini matrimonii obstant neque ullo divino iure positivo reprobantur, immo ex disciplina vigente etiam in Ecclesia Orientali unita generaliter non prohibentur vel irritantur. Attamen concedendum est huiusmodi nuptias ex mente Ecclesiae esse per se minus honorabiles quam primas [19], statumque viduitatis ut bonum perfectius esse magis commendabilem [20]. Porro secundae et ulteriores nuptiae minus perfecte repraesentant coniugii christiani typum, i. e. unionem Christi cum Ecclesia, quae fuit ratio cur Ecclesia latina bigamos arceret a statu clericali (cfr. l. 3, t. 21 de bigam. non ordinand.), dum Ecclesia Orientalis potius eandem irregularitatem repeteret ex suspicione intemperantiae. Quam irregularitatem ex bigamia etiam Codex c. 984, 4° retinuit.

679. Condiciones requisitae. Ad nuptias secundas et ulteriores valide liciteque celebrandas requiritur ut vinculum prioris matrimonii vere, non tantum putative, sit solutum, et ut de vinculi solutione, v. g. per mortem alterius coniugis, moralis veraque habeatur certitudo, quae omne dubium prudens excludat [21].

---

[18] S. Paul. I Corinth. VII, 8, 39 et I Timoth. V, 14, 15; c. 8 Concil. Nicaen. (a. 323), cfr. *Hefele*, I, 408 sq.; prof. fid. Waldens. et Michael. Palaeol. apud *Denzinger*, l. c. n. 370, 388; Innocent. IV et Benedict. XIV cit. Const. in fontib.; Eugen. IV in decret. pro iacobitis; Synod. Sciarf. (a. 1888) et Concil. prov. Alba-Iul. (a. 1872) l. c.; *Palmieri*, l. c.; *Papp-Szilágyi*, l. c.

[19] De *paenitentiis* bigamis vel trigamis iuxta antiquos canones impositis cfr. c. 3, 7 Conc. Neocaesar. (a. 314-325) = c. 8, C. XXXI, q. 1; c. 19, Concil. Ancyr. (a. 314 = c. 24, C. XXVII, q. 1; c. 1 Concil. Laodic. (343-381); *S. Basil.* († a. 379), epist. can. I ad Amphil. can. 4, epist. can. II ad Amphil. c. 41, 50, 80; *Freisen*, 667; Synod. Sciarf. (a. 1888) l. c.; *Schnitzer*, 339, 535, 624. De denegata *benedictione* secundarum nuptiarum cfr. cap. 1, 3, X, h. t.; *Freisen*, 672 sq. De *irregularitate* ex bigamia iure Decret. orta cfr. lib. I, tit. 21 de bigamis non ordin.

[20] Conc. Trid., l. c. can. 10; S. Paul. I Corinth. VII, 8.

[21] Cfr. supra ubi actum est de impedimento ligaminis.

At iure canonico minime cautum est ut uxor non nisi elapsis decem mensibus vel integro anno luctus post mortem prioris mariti secundas nuptias celebrare possit [22]. Quare poena *infamiae* aliaque detrimenta, quatenus rationem *verarum poenarum* habuerunt [23], a iure Romano viduis ob violationem anni luctus et praeproperam novarum nuptiarum celebrationem inflicta, per sacros canones pro utroque foro sunt reiecta. Quae praescriptio iuris canonici recentioribus quoque legibus civilibus matrimonium christianum intra certum tempus prohibentibus vel irritantibus est omnino applicanda. Nam potestati civili nulla est auctoritas ipsam matrimonii christiani celebrationem suis legibus irritantibus vel prohibentibus vel poenalibus ordinandi. Quare si ob scandalum vel suspicionem criminis, rixas, inimicitias, lites de successione, periculum turbationis sanguinis, praepropera celebratio matrimonii secundi sit merito interdicenda, id *vetito ecclesiastico*, v. g. Episcopi, est efficiendum. Nam Ecclesia *lege* quadam *generali* non praescripsit *certum tempus*, in quo abstinendum esset, saltem a viduis, a secundis nuptiis; at decet laudabiles mores et consuetudines servare [24].

§ II. De benedictione secundarum nuptiarum

680. C. 1143 absolute prohibet ne mulieri, cui semel benedictio *sollemnis* data est, in subsequentibus nuptiis iterum detur. Qua in prohibitione non est comprehensa benedictio non sollemnis, quae habetur in Rituali Romano et in nuptiis inter catholicos non est omittenda, sive agatur de primis sive de ulterioribus nuptiis.

---

[22] Cfr. cap. 4, 5, X, h. t., cfr. *Friedberg*, ed. corp. iur. can. in notis ad cap. 3, 4, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 51 sq., 60 sq.; S. C. de Prop. Fid. 22 nov. 1799 respondit: « *Nullum tempus praefigendum* », i. e. viduis volentibus transire ad secundas nuptias.

[23] Leges civiles, quae veram *poenam* non continent, sed tantum consulunt maiori *securitati* iurium tertiarum personarum, v. g. prolis ex prioribus nuptiis susceptae, nec iure antiquo neque novo Ecclesiae ulla ratione reprobantur. Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 46 sq., 57 sq., 72 sq.; *Rossel*, n. 536 sq.; *Scherer*, 357 sq. Ecclesia quoque ratas habet legitimas condiciones ultimis voluntatibus appositas, v. g. de transitu viduae ad secundas nuptias. Cfr. S. C. C., 13 sept. 1884 in ASS. XVII, 478 sq. Non pauca, quae Sánchez, Schmalzgr. aliique veteres scriptores ad tramites legum romanarum disputarunt, nunc resolvenda sunt secundum *leges civiles vigentes*.

[24] Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 172.

Cuius prohibitionis restrictae per canonem 1143 ad casum mulieris iam sollemniter benedictae illa videtur esse ratio, quod benedictio sollemnis directe et praeprimis dirigitur ad uxorem et ex generali principio benedictiones non sunt iterandae[25].

Ex eodem canone infertur quod *mulier*, quae in *primis* nuptiis *non* accepit benedictionem sollemnem, in secundis nuptiis sollemniter intra Missam benedici potest[26]. Immo si *vir*, qui in celebratione *primi* matrimonii iam acceperat benedictionem sollemnem, ducat secundam uxorem, quae *nemini unquam nupserat*, huiusmodi nuptiae sollemniter benedicendae sunt[27].

Similis disciplina viget in Ecclesia Orientali; v. g. Syn. Sciarf. (a. 1888), p. 172 statuit: *Sancta Ecclesia praescripsit viduorum matrimonia non debere ritu primarum nuptiarum benedici; quodque pro huiusmodi matrimoniis ipsa constituit ritum particularem, qui in nostris libris dicitur ritus paenitentiae; quod denique viduorum matrimonium sine sollemnitate vel epulis peragi debet* ».

« *Non recitetur supra viduos oratio benedictionis matrimonii, sed oratio paenitentiae, quae habetur in Rituali nostro. Si tamen ex duobus coniugibus alter non sit viduus, recitatur super eis ordo orationis coronae ordinarius, corona vero solus non coniugatus cingitur, prout in Rituali explicatur* ».

In celebrandis nuptiis *iubilaeis* 25, 50 annorum (argenteis, aureis) Ecclesia ex iure particulari complurium dioecesium concedit coniugibus *catholicis* et *honestis* specialem quandam benedictionem[28].

---

[25] Cfr. cap. 1, 3, X, h. t.; Rit. Rom., De sacram. matr.; *Rosset*, n. 2856. Collect. Brug. I, 97, XIX, 401 sq. Quae benedictio, cum respiciat *personas*, non *nuptias*, in secundo matrimonio non est repetenda, si primum matrimonium cum benedictione, sed invalide, fuerit contractum. Cfr. *Rosset*, n. 2860 sq.

[26] Id iam fuerat constitutum a S. C. Inq. 1 febr. 1871, 31 aug. 1881, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1559 sq., cui solum quoad partem concordat editio a. 1913 Ritualis Romani. Cfr. nov. edit. Ritualis R. a. 1926, l. c. n. 18.

[27] In cit. edit. Ritualis Romani additur clausula limitans « ubi ea viget consuetudo ». Cui clausulae, cum agatur de editione nondum accommodata ad Codicem, non videtur esse standum, sed potius praescripto Codicis conformi memorato S. Offic. decreto. Idem obtinet in edit. a. 1926.

[28] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1 de ref. matr. (de laudabilibus consuetudinibus in celebratione matrimonii retinendis); Instruct. Eystett., 426 sq.; *Schneider*, Manuale sacerd., 429; *Leitner*, 638. Quibus in nuptiis iubilaeis benedicendis *non novus* dari potest *consensus*, sed Deo fit *gra-*

681. Scholion. Codices civiles generatim statuunt normam, quod nemo ad *secundas* nuptias transire possit, nisi primum matrimonium fuerit *solutum* vel *invalidum declaratum*[29]; at cum non raro admittant *solutionem* vinculi vel *nullitatem* matrimonii, ubi Ecclesia sustinet vinculum atque valorem prioris contractus matrimonialis, per secundas nuptias perperam celebratas saepe oritur conflictus inter forum ecclesiasticum et civile, inter ius divinum et arbitrium hominum[30].

Minorem habet difficultatem, si leges civiles *viduis* vel uxoribus separatis propter nullitatem prioris matrimonii certum quoddam *tempus expectandi*[31] praescribunt, antequam secundas nuptias licite celebrare possint. Nam non raro ex ipsa natura rei, ut vitetur sanguinis (partus) turbatio, vel expectetur partus viduae ex priore matrimonio gravidae, aliqua dilatio secundarum nuptiarum videtur requiri. Laudabiles quoque consuetudines, quibus praesertim viduis commendatur, ut ex decentia et reverentia erga prioris coniugis memoriam per aliquod tempus a secundis nuptiis abstineant, non sunt leviter negligendae. Denique viduae ex ipsis legibus civilibus, cum tempus expectandi non praescribatur ad instar *anni luctus* necessario complendi, ordinarie statim possunt celebrare secundas nuptias, postquam intra legitimum tempus ediderunt partum, vel quandoque v. g. in Germania et Austria obtinuerunt *dispensationem*[32].

---

tiarum actio, et renovatur *propositum* permanendi fideliter usque ad mortem in connubii societate. Missa quoque pro sponso et sponsa non est permissa, sed alia celebratur de die vel de B. V. M., si per rubricas licet. Sub finem addi potest cantus Ambrosianus.

[29] Cod. civ. German. § 1309, Ital. art. 86, Gall. art. 147. Hispan. art. 83, 51.

[30] Cod. civ. Gall. art. 227; *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzg. d. d. R. ad cit. § 1309; *Hollweck*, l. c., 183 sq.; *Allègre*, I, 164 sq.

[31] Cod. civ. Gall. art. 228, German. § 1313, Hispan. art. 45, Ital. art. 89, 107 (decem menses), Austr. §§ 120, 121 (sex menses); *Allègre*, l. c. ad cit. art. 228; *Lehmkuhl*, l. c. ad cit. § 1313; *Hollweck*, l. c., 107, 1110 sq.; *Scherer*, 362 sq.

[32] L. 11, § 2 D. de his, qui not. infam. III, 2; cod. civ. Hispan. art. 45, German. § 1313, Ital. art. 89, ubi iuxta art. 123 etiam illa additur exceptio, si matrimonium primum propter *impotentiam viri* fuisset declaratum invalidum.

PARS SEPTIMA

DE IUDICIIS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS

CAPUT I

De iudicio canonico in causis matrimonialibus

682. Fontes [1]: C. XXXIII, q. 2; C. XXXV, q. 6 « *Nunc quaeritur, quibus accusantibus vel testif. consanguineor. coniunctio dirimenda sit* »; C. XXXII, q. 6. — Cpl. I, lib. IV, tit. 19, q. m. a. p. vel. t.; cpl. II, lib. IV tit. 12, q. m. acc. vel. t. p.; cpl. III, lib. IV tit. 13, q. m. a. p. vel contrario testificari; cpl. IV, tit. 4, q. m. a. p. — Decretal. Gregor. IX, l. IV, t. 18, qui matr. acc. v. contra illum. test. — Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 20, de ref. — Bened. XIV Const. « *Dei miseratione* » 3 nov. 1741 iunct. decretis S. C. Inq., 5 iun. 1889, 16 febr. 1894, 27 mart. 1901; Instr. S. C. C., 22 aug. 1840; Instr. S. C. Inq. ad Ep. orient., 20 iun. 1883 et Instr. S. C. de Prop. F. eiusd. ann. ad Ep. Amer. sept. super iud. in caus. matr.; Pius X, Const. « *Sapienti consilio* » 29 iun. 1908. Lex propria S. Rom. Rotae, 29 iun. 1908. Ordo servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae, 29 iun., 29 sept. 1908. Regulae servandae in iudiciis apud S. Romanae Rotae tribunal, 4 aug. 1910. Instr. Card. Rauscher §§ 95 sq. « *de processu matrimoniali* ». — Declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid., 277 sq. et in ASS., v. g. in indic. general. v. Matrimon. Cfr. demum Instr. serv. a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum edit. d. 15 aug. 1936; Norm. observ. in processibus super matrim. rato et non consummato ad praecavendam dolosam personarum substitutionem edit. d. 27 mart. 1929; Instr. de competentia iudicis in causis matrimonialibus ratione quasi-domicilii d. 23 dec. 1929 et Decr. S. Offic. d. 12 iun. 1942 de quibusdam cautelis adhibendis in causis matr. impotentiae et inconsummat. — Causae particulares et exempla in Arch. f. k. K. XI, 220 sq., 337 sq., XII, 260 sq., XVIII, 134 sq. referuntur; praesertim vero consulendae Decisiones S. R. Rotae.

Scriptores: Commentator. iur. Decret. in h. t. — *Aichner*, §§ 198 sq.;

---

[1] Novell. 117, *Zhishman*, 784; cod. civ. Austr. §§ 97 sq., Hisp. art. 101 sq., cod. civil. Gall. art. 234 sq.; cod. proc. civil. Gall. art. 875 sq.; cod. civil. Ital. art. 79, 81, 149 sq.; *Hunter*, English law for Moralists, 176 sq.; *Schulte*, 596 sq.; *Hollweck*, l. c., 183 sq.

Scherer, 525 sq.; *Leitner*, 568 sq.; *Schnitzer*, 555 sq.; *Gasparri*, II, n. 1452 sq.; *Rosset*, n. 3709 sq. — *S. Raymund.*, Summa, tit. 21, 23; *Roland.*, l. c., 229; *Bernard. Pap.*, l. c., 305 sq.; 183 sq.; *Tancred.*, l. c., 70 sq.; *Durantis*, Specul. iud. l. IV, part. 3, tit. qui matr. — *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 9; *Mansella*, De imp. m. dir. ac de process. iudicial. in causis matrimonial., 170 sq.; *Van de Burgt*, 462 sq.; *Feije*, n. 584 sq.; *Schulte*, § 55 et praesertim in tract. singulari. Ehepr.; *Bouix*, De iudic. ecclesiast. II, 420 sq.; *Oberkamp*, in Arch. f. k. K. XVIII, 294 sq., ubi in schemate legis ferendae procedura in causis matrimonial. secund. et tert. instant. exhibetur; *Vering*, in Arch. f. k. K. XIII, 33 sq., 117 sq. proponit pract. exempl. causae in trib. instantiis agitatae; *Périès*, Code de procéd. can. dans les caus. matrim.; *Bassibey*, Procédure matrimoniale; *Lega*, De iudiciis eccles. IV, 459 sq.; *Freisen*, 840 sq.; *Esmein*, I, 449 sq., II, 324 sq.; *B. Ojetti*, De Romana Curia commentarium in Constitutionem Apostolicam « Sapienti consilio », Romae 1915; *F. Heiner*, Der kirchliche Zivilprozess. — *Chelodi*, n. 171 sq.; *De Smet*, n. 702 sq.; *Cappello*, II, n. 866 sq.; *Vlaming*, II, n. 784 sq.

Praenotiones

683. Conexio materiae. Processus matrimonialis cum sit species litigiosi processus canonici, per se supponit disquisitionem *generalem* de processu canonico. Quare propria sedes materiae processus matrimonialis est titulus quidam specialis in fine libri IV, de iudiciis ecclesiasticis seu de processibus. Et de facto legislator in memorati libri IV parte I, post propositum generale ius de universo processu contentioso, in altera illius partis sectione duplicem adicit titulum: alterum de iudicio criminali, alterum de processu in causis matrimonialibus servando: ubi speciales regulae in hoc processu servandae proponuntur. Quoniam autem in praecedentibus multa de processu matrimoniali iam fuerunt praeoccupata, hoc loco sufficit, ut processus canonicus in causis matrimonialibus pro sua singulari indole sub *proprio* titulo nanciscatur saltem *brevem* quandam explicationem, qua compleatur universa doctrina de matrimonio.

684. Definitio. Ordo iudiciarius in causis matrimonialibus est complexus canonum, quibus *constitutio* tribunalium et *processus* in causis matrimonialibus pro foro ecclesiastico determinatur. Cfr. *Schulte*, Ehepr. § 1.

685. Divisio. Ordo iudiciarius, qui in causis matrimonialibus servari potest, dividitur: Ratione *materiae*: in ordinem iudiciarium de causis *sponsalium*, de *vinculo* matrimonii, de *consortio* vitae coniugalis, de *effectibus* mere *civilibus*.

Porro cum actio in causa matrimoniali possit institui aut ad *contrahendum* matrimonium aut ad *dissolvendum* matrimonium

contractum, ideo distinguuntur: 1) processus matrimoniales: ad *consummanda* matrimonia rite contracta, ad *redintegrandum* vitae coniugalis consortium; 2) processus matrimoniales ad *dissolvenda* vel *irrita* declaranda *sponsalia*, ad *dissolutionem* vinculi *matrimonii rati*, vel ad *nullitatis declarationem matrimonii consummati*, ad *separationem matrimonii* quoad *torum* et *cohabitationem*.

686. Notae historicae. Primi christiani, cum non nisi de sententia Episcopi matrimonia sua contraherent, multo minus inconsultis Superioribus ecclesiasticis matrimonia contracta dissolvere potuerunt [2]. Ipse quoque imperator Iustinianus, Novell. 117, divortium ex consensu abrogavit. Quo factum est ut interventio *iudicis* etiam secundum leges romanas ad divortium requireretur. Hinc postea schismatici canonistae Ecclesiae orientalis provocantes ad can. 48 Apostol. et ad can. 9 S. Basilii constanter tenuerunt divortium per interventionem *iudicis* esse faciendum, secus incurri poenas adulterii [3]. Quodsi ex primis saeculis particulares causae matrimoniales non cognoscuntur, in quibus coram *iudice ecclesiastico* de nullitate matrimonii propter impedimentum dirimens disceptatum est, silentium illud non est argumentum peremptorium [4].

Minor illa frequentia casuum saltem ex parte videtur sufficienter explicari ex eo quod primis saeculis non nisi pauca exstiterint impedimenta dirimentia. Quare cum cresceret numerus impedimentorum dirimentium ex saeculo octavo et nono, etiam controversiae de nullitate matrimoniorum in foro ecclesiastico frequentiores sunt [5]. Gratianus quoque in causis matrimonialibus separationis omnino necessariam habet cognitionem causae per Ecclesiam [6]; at in casu adulterii nimis rigorose quoad ius accusandi, soli marito proprium, sequitur leges romanas [7]. Quare Glossa et Bernard. Pap. et Tancredus ab ipsius placitis recedentes utrique coniugi aequale ius accusandi proprium esse me-

[2] I Corinth. V, 1 sq., VI, 1 sq.; *S. Ignat. Martyr* in ep. ad *Polycarp.*, cap. 5; *Fahrner*, l. c., 24 sq.

[3] *Zhishman*, 784 sq.

[4] Cfr. c. 25 Conc. Ancyr. (a. 314), in quo evidenter causa particularis deciditur; c. 2 Conc. Venetic. (a. 465); c. 25 Concil. Agath. (a. 506) = c. 1, C. XXXIII, q. 2.

[5] Cfr. celeberrimam causam matrimonialem Lotharii II, regis Lotharing. (a. 855-869), iunct. Arch. f. k. K. XLV, 468 sq.; c. 11 Conc. Aurel. II, (a. 533); c. 36 Conc. Roman. (a. 826); *Hefele*, IV, 34; *Scherer*, 99 sq.

[6] Cfr. c. 1, 3, 4, cum dict. Grat. C. XXXIII, q. 2.

[7] Cfr. dictum Grat. post. c. 10, C. XXXII, q. 1.

rito sustinent [8]. Denique iam Bernardus Papiensis et Tancredus [9] docent ad iudicem quoque ecclesiasticum spectare iudicium de causa accessoria effectuum temporalium, quae sit veluti sequela causae matrimonii. Inferiores Praelati, a quibus non raro tempore medii aevi impedita fuit iurisdictio Episcoporum super causis matrimonialibus [10], a Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 20, de ref., omni potestate in his causis spoliati sunt.

Processus in causis matrimonialibus ab ordinario processu in aliis causis litigiosis non differebat. At postquam in praxi, ut ipse fatetur Innocentius III, (1198), cap. 1, X, ut lite non cont. II, 6, « *ordo iudiciarius*... (i. e. sollemnis) *in causis matrimonialibus non usquequaque* » observatus est, tandem Clemens V, (a. 1311), permisit [11] ut processus summarius etiam in causis matrimonialibus applicari potuerit. Quam concessionem Clementis V ad solas causas nullitatis matrimonii esse restrictam neque extendi ad causas sponsalium et separationis tori et cohabitationis, Glossa, cum non paucis scriptoribus non videtur sufficienter probasse [12]. Post Clementinas etiam in Concilio Constantiensi de reformato processu matrimoniali actum est. Cfr. *Hefele*, VII, 338, 356, ed. 1. Et revera ex schemate reformationis Martini V, aliqua ab ipso Concilio Tridentino l. c. et Sess. XXV, cap. 10, de ref. sunt recepta.

Celeberrima vero post Concil. Trident. facta est reformatio processus matrimonialis per Benedicti XIV Const. « *Dei miseratione* ». At quamvis concedendum sit post Bened. XIV in causis vinculi matrimonialis accurate servari debuisse novas sollemnitates in cit. Const. praescriptas, tamen exinde non sequitur in omnibus processum *sollemnem* in causis nullitatis matrimonii fuisse praescriptum, ut sustinuit *Bouix*, nec alienus esse videtur *Santi*. Post Benedictum XIV, maxime commemoranda est responsio S. C. C. in caus. Monac., 23 ianuar. 1875, qua difficultas non levis in processu ordinario circa causas separationis tori et cohabitationis fuit sublata [13]. Item rigor Const. « *Dei miseratione* » quoad necessitatem *duplicis* conformis sententiae per decretum S. C. Inq. haud parum fuerat emollitus [14], quemadmodum

[8] Glossa ad cit. dict. v. Accusationem; *Bernard. Pap.*, l. c., 184 sq.; *Tancred.*, l. c., 87.

[9] *Freisen*, 840 sq.

[10] *Schulte*, Eher. § 55, not. 2, 5; Arch. f. k. K. LXIII, 3 sq.

[11] Cap. 2, de iud. II, 1 in Clement.

[12] Act. theolog. Oenip. XIII, 699; *Feije*, n. 593.

[13] *Santi*, lib. II, tit. 6, n. 8; Arch. f. k. K. XXXIV, 141 sq.

[14] Decret. S. C. Inq. 5 iun. 1889.

per responsum Episcopo Wratislaviensi datum multiplicitas formalitatum ad probandum *obitum* alterius coniugis, iure particulari requisitarum, nequaquam pro regionibus iuri communi subiectis est adoptata[15].

§ I. Forum competens in causis matrimonialibus

687. Ecclesiae competentia. Ex c. 1960 « *Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant* ». Quae exclusiva competentia Ecclesiae est vindicanda etiam in causis de coniugio fidelis cum infideli[16]. Pro primis adest ratio sacramenti, pro aliis ratio rei sacrae fidelis et independentia Ecclesiae cum indirecta subordinatione Status ad ipsam. Matrimonia vero infidelium subtracta sunt iurisdictioni Ecclesiae, donec una saltem pars baptismum receperit, salva competentia ipsius Ecclesiae in declarando iure naturali, cui *vero* iuri naturali etiam infideles subduntur[17].

Sub nomine *causarum matrimonialium*, quae exclusivae competentiae Ecclesiae sunt reservatae, veniunt causae circa valorem, liceitatem, effectus essentiales matrimonii atque circa praeparationem matrimonii per contractum sponsalitium; item causae de separatione coniugum et a fortiori de solutione vinculi, v. gr. in casu matrimonii rati aut privilegii fidei; causae de iuribus coniugalibus, de prolis legitimitate et aliae similes[18]. Circa alia vero, quae accidentaliter matrimonio accedunt et in se temporalia sunt, — velut quaestio de dote, de successione hereditaria, de nuptiali donatione, de alimentis — iudex laicus propriam habet competentiam secundum iustas leges civiles

[15] S. C. C., 14 dec. 1889; *Rosset*, n. 3792.

[16] Cfr. supra n. 45 sq., 53. Praeterea propter *conexionem causarum* in hisce matrimoniis mixtis contractis vel contrahendis facile fieri potest, ut iudicium quoque sit ferendum de alio matrimonio antea in infidelitate celebrato, immo forte per divortium separato. Quibus in causis pariter ratione *partis fidelis* solus competens est iudex ecclesiasticus; nam ad ipsum spectat iudicare de *status libertate* eiusdem fidelis. Quod iudicium dari nequit, nisi praevie constet de valore vel nullitate alicuius matrimonii in infidelitate contracti vel separati. Quae causae, si propter rei difficultatem in prima instantia non statim ad Sedem Apostolicam deferantur, ex paritate iuxta decreta S. C. Inq., 30 iun. 1892 et 23 iun. 1903, quibus consonat c. 1964, coram Episcopo *domicilii partis catholicae* videntur esse definiendae.

[17] Cfr. supra n. 52, 53.

[18] Cfr. *Benedictum XIV*, De Syn. dioec. l. IX, cap. 9, n. 3, 4; *Rosset*, n. 725; supra h. tom. V, n. 53, 59.

exercendam[19], quamvis etiam iudex ecclesiasticus, si hae causae non principaliter aguntur sed incidenter proponantur in causa ad iudicium Ecclesiae spectante, eas *potest* cognoscere et sua sententia dirimere (c. 1961); poterit tamen etiam in hoc casu illas ad civiles magistratus remittere, quod plerumque erit magis expediens. *Crimina* vero cum matrimonio conexa, v. gr. adulterium, abortus etc. plerumque censentur *mixti fori* ad normam c. 2198 punienda (cfr. cc. 2350, 2353, 2356, 2357). Pariter mixti fori est actio de damnis, ob non impletam promissionem sponsalitiam[20].

Processus autem stricte iuridicus requiritur in causis nullitatis matrimonii — salvis exceptionibus c. 1990 factis — et in causis dissolutionis vinculi coniugalis in ordine ad permittendas novas nuptias; in ceteris non requiritur processus stricte iuridicus in foro ecclesiastico.

688. Ordo competentiae. Gradus iurisdictionis seu instantiae, perinde ac in aliis causis, sunt tres; attenta tamen speciali conditione harum causarum, quae ex c. 1989 nunquam transeunt in rem iudicatam, semper retractari possunt, modo nova et gravia argumenta proferantur[21*].

689. *Prima instantia* habetur apud *Ordinarium loci*, salvis causis S. Sedi reservatis. Est autem iudex competens Ordinarius illius loci, ubi matrimonium celebratum est (*forum contractus*)[22] vel ubi pars conventa habet domicilium aut quasi-domicilium (*forum domicilii*)[23*]. Quodsi una tantum pars sit catholica, huius

[19] Supra, n. 74. Cfr. de tolerantia nonnunquam habita, ut ipsae causae divortii semi-pleni in foro laico pertractentur, S. Offic., 19 dec. 1860; 25 iun. 1885.

[20] Commissio Cod. 2-3 iun. 1918, in AAS., X, 345.

[21*] Causae de nullitate matrimoniorum pertractandae sunt iuxta Instructionem a S. C. de d. Sacr. editam d. 15 aug. 1936. Ut in decreto introductorio dicitur, in articulis huius Instructionis « iudices praecipuos canones de processibus agentes accurate et apte dispositos reperient necnon brevem facilemque eorundem explanationem ex iurisprudentia praesertim erutam atque ex Normis S. R. Rotae, quo plenius ipsis iidem Codicis canones, quibus derogatum non est, sint perspecti eosque expeditius singulis aptare possint matrimonialibus causis ».

[22] Forum contractus in causa matrimoniali iure praecedente non erat extra controversiam; cfr. *Wernz*, Ius Decret. IV, n. 736, not. 42.

[23*] Iudex competens titulo quasi-domicilii antequam libellum admittat introductionis causae nullitatis matrimonii plura debet inquirere et perpendere; cfr. Instr. S. C. de d. Sacr. d. 23 dec. 1929. Demum omnibus perpensis quae deducta sunt et acceptis vinculi defensoris animadversionibus et attente consideratis Ordinarii domicilii et contractus informationibus, maxime si hi iudicent causam apud se esse tractandam,

dumtaxat Ordinarius est competens ex titulo domicilii, sive ipsa sit actrix sive rea [24]. In concursu competentiae integrum est actori unum ex Ordinariis competentibus eligere [25]. At sicut ex generali principio (c. 1568) iudex competens, qui reum citatione praevenit, alium competentem excludit, ita postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad domicilium coniugum facta mutationem respectu iudicis competentis non operatur [26].

Etiam uxor a viro malitiose deserta causam agere debet coram Ordinario domicilii vel quasi-domicilii viri, non coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii [27*]: actrix vero catholica, a viro non legitime separata, quae tamen habet proprium quasi-domicilium, virum acatholicum convenire potest sive coram Ordinario domicilii viri — quod domicilium retinet uxor non legitime separata — sive coram Ordinario proprii quasi-domicilii.

690. *Causae reservatae S. Sedi,* quae iam in *prima instantia* apud ipsam sunt agendae, sunt: 1°) causae supremorum principum, i. e. eorum qui supremum tenent populorum principatum, horumque filiorum et filiarum ac eorum quibus ius est proxime succedendi in principatum (c. 1557 § 1, n. 1, quas causas illa S. Congregatio aut Tribunal vel specialis Commissio cognoscit, cui eas toties quoties R. Pontifex delegaverit (c. 1962). In qua reservatione tum causae momentum attenditur, tum iudicis independentiae consulitur.

---

decretum debet edere iudex quo causam sibi attribuat vel iudici domicilii aut contractus. Defensor vinculi qui decreto lato haud acquiescens petit causam nullitatis deferri iudici domicilii aut contractus debet suas rationes proponere Officiali. Si hic omnibus perpensis persistat in suo decreto, quaestio incidentalis deferenda erit per recursum defensoris vinculi ad S. Congr. de d. Sacr. pro definitione.

[24] Inde in casu mixtae religionis derogatur generali principio « actor sequitur forum rei ».

[25] C. 1559 § 3.

[26] C. 1725, n. 2, iunct. Instr. S. C. de P. F., a. 1883.

[27*] Comm. Cod. 31 aug. 1922, AAS. XIV, 529. Uxor a viro perpetuo aut ad tempus indefinite separata legitime, i. e. per sententiam iudicialem competentis tribunalis ecclesiastici vel etiam civilis a S. Sede vi Concordati recognitam, aut per Ordinarii decretum, non sequitur domicilium viri, ideoque conveniri debet vel coram Ordinario loci in quo nuptiae initae sunt, vel coram Ordinario sui domicilii vel quasi-domicilii (art. 6 § 2). Uxor a viro legitime non separata, quae proprium quasi-domicilium habeat, conveniri potest etiam coram Ordinario domicilii viri, non autem quasi-domicilii eiusdem viri nisi in casu quo hic domicilio careat (art. 7).

2°) Causae pro dispensatione super matrimonio *rato* et non consummato, quae introducuntur per modum supplicis libelli, quo petitur matrimonii solutio R. Pontifici reservata, et consequenter ipsi est reservatus processus ordinatus ad probandum factum inconsummationis et existentiae causarum sufficientium. S. C. de d. Sacr., [28*] cuius opera hac in re utitur R. Pontifex (c. 1962) solet instructionem processus committere Ordinario, qui supplicem libellum oratoris commendavit, i. e. Ordinario loci celebrationis matrimonii vel domicilii aut quasi-domicilii oratoris, nonnunquam etiam Ordinario simplicis commorationis [29]. A quo Ordinario acta omnia processus, nulla prolata sententia, sed cum proprio voto et defensoris vinculi ad S. C. de d. Sacr. sunt transmittenda.

3°) Causae quaecumque ad *privilegium Paulinum* et ad impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis referentes; de his enim cognoscit S. Offic. (c. 1962 iunct. c. 247 § 3). Quae reservatio quoad processum et sententiam de nullitate ob impedimentum disparitatis cultus videtur esse intelligenda de casibus in quibus occurrat dubium iuris aut dubium facti circa baptismum, per quod dubium de baptismo iam causa fit conexa cum privilegio Paulino; nam in c. 1962, ubi fit enumeratio taxativa causarum, in quibus est exclusa competentia Ordinariorum, disparitas cultus non commemoratur. Cfr. Decisiones S. R. Rotae III, 258, ubi habetur causa sine ulla delegatione, commissione aut licentia decisa a Curia Parisiensi et in gradu appellationis a S. R. Rota [30*]. Idem suadet c. 1990.

4°) Causae, quas una vel utraque pars pro suo iure iam

[28*] Si alterutra pars pertineat ad Ecclesiam Orientalem, competens est S. C. pro Ecclesia Orientali. Quoties vero agatur de matrimonio, in quo saltem una pars sit acatholica, competens est S. C. S. Officii; cfr. supra n. 625, not. 41.

[29] Cfr. Regul. servand. in processibus super rato S. C. de d. Sacr. 7 maii 1923, n. 2, (c. 1963), n. 8. In iisdem Regulis, n. 4, commissio specialis non requiritur ad instruendum processum super rato, si in iudicio de matrimonii nullitate *incidat* dubium probabile de non secuta consummatione et alterutra vel utraque pars — etiam incepta iam sive prima sive altera instantia — postulet ut causa tractetur in ordine ad dispensationem super rato.

[30*] Authentice declaratum est causas matrimoniales inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, *quocumque modo ad S. Sedem delatas,* ad exclusivam competentiam S. Officii pertinere; cfr. decr. S. Officii d. 27 ian. 1928. Huiusmodi vero causae poterunt cognosci a tribunalibus dioecesanis in prima et in altera instantia (art. 12).

in prima instantia detulit ad iudicium R. Pontificis, vel ipse ad se avocavit [31*] (cc. 1557 § 3; 1569 § 1; 1597).

691. *Secunda instantia* est penes Metropolitam, ad quem deferenda est per appellationem causa iam in prima instantia acta in curia Ordinarii suffraganei, nisi quis malit statim ad Sedem Apostolicam appellare, praetermissa intermedia instantia Metropolitae.

A sententiis latis a tribunali archiepiscopali in *prima instantia* appellatio est interponenda ad illum Ordinarium loci, qui ab ipso Metropolita semel pro semper, probante Sede Apostolica, fuerit designatus ad normam c. 1594 § 2; si autem prima instantia habita sit in curia Archiepiscopi suffraganeis carentis aut in curia Ordinarii loci qui S. Sedi sit immediate subiectus, appellatio fieri debet ad Metropolitam eadem ratione ad normam c. 285 electum pro interventu ad Concilium provinciale (c. 1594 § 3) [32].

[31*] Ordinarii locorum debent quotannis, inde ab anno 1933 initium sumentes, mense ianuario anni insequentis inter alia referre ad S. Congreg. de d. Sacr. *a*) nomina Officialis, iudicum, s. vinculi defensoris, actuarii atque advocatorum Tribunali suae cuique Curiae addictorum pro causarum matrimonialium tractatione et definitione; *b*) numerum causarum matrimonialium quae vel introductae vel adhuc pendent vel iam fuerunt definitae tum in prima tum in secunda instantia, significando pro unaquaque exitum nullitati vel favorabilem vel adversum, et si eventus petitioni actoris adriserit faustus, etiam caput e pluribus forte adductis propter quod fuit sententia prolata; *c*) numerum supplicum libellorum eiusce generis causarum, qui utpote habiti solido fundamento destituti inde a limine sunt reiecti.

Praefatae relationes in examen assumentur apud S. Congr. a quodam peculiari RR. PP. Consultorum coetu specialiter ad hoc instituendo, qui praeterea idonea remedia pro casuum necessitate excogitabit et suggeret, haud praetermissa, quatenus opportunitas expostulet, inspectione per Visitatores apostolicos; cfr. Litt. ad Ex.mos Arch., Episc. atque locorum Ordinarios de relatione causarum matrim. quotannis S. C. de d. Sacr. mittenda d. 1 iulii 1932.

In causis vero nullitatis matrimonii apud tribunalia agitatis non se immiscet S. C. de d. Sacr. nec directe, cum non competat ei ulla generalis vel praeeminens iurisdictio, nec indirecte, moderando v. gr. partes promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, cum non sint ii S. C. de d. Sacr. delegati. Solummodo in casu denuntiationis nullitatis matrimonii, de qua in c. 1971 § 2, poterit cognoscere S. Congr., re adhuc integra, de recursu adversus Ordinarii iudicium; Comm. Cod. de speciali comm. S. P., 8 iul. 1940; cfr. Wernz-Vidal, II, 492 not. 14*.

[32] Pro America Latina, Const. «*Trans Oceanum*», 18 april. 1897, concessum fuerat, ut a sententia lata a Metropolitano esset appellandum ad Ordinarium viciniorem. Quod privilegium putamus in hac parte reduci nunc ad ius commune c. 1594 § 2. De facto iam, probante Sancta

692. *Tertia instantia* pro quolibet processu, secluso speciali indulto, habetur in tribunalibus S. Sedis, ubi pro causis stricte contentiosis quae per appellationem ad S. Sedem in qualibet instantia deferuntur est constituta S. R. Rota, quae, cum sit tribunal appellationis, in prima instantia non nisi ex pontificio rescripto ius dicit. Salva manet competentia S. Offic. et S. C. pro orientalibus.

693. Modus evitandi iudicium. In votis Ecclesiae est et magnopere boni publici interest, ut matrimonia semel contracta constent et non dissocientur, praesertim ubi ex dissociatione scandala aut alia mala praevideantur, maxime vero ubi proles adest, quae ita ponitur in tristi condicione atque variis periculis exponitur.

Quare ubi non agatur de vitio irreparabili, iudex, tametsi nequeat repellere instantiam quae cum sufficienti fundamento proponitur, debet *ex officio* curare, antequam processum incohet ut coniuges reconcilientur et convalidationem matrimonii, quod nullitatis accusant, potius eligant, vel supplendo consensum deficientem, vel dispensationem super impedimento dispensabili petendo, vel per novam celebrationem in forma legitima, si haec omissa fuerit (c. 1965) [33].

§ II. De constitutione tribunalis

694. I. Omnes causae matrimoniales in quibus quaestio est *de vinculo* cognoscendae et decidendae sunt *a tribunali colle-*

Sede, Archiepiscopus Platensis (de Charcas) designavit Ordinarium Cochabambensem; et Archiepiscopus Portus Principis Ordinarium Capitis Haitiani. Cfr. AAS. XIII, 100; Conc. Plenar. Americae Latin. II, 608 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. n. 199, not. 3. Per se quidem non satis apparet cur etiam in hac parte privilegium non deberet subsistere, cum Codex, ut patet ex c. 4, illi non deroget. Quod dictum est de America Latina valet de Insulis Philippinis, ad quas Const. «*Trans Oceanum*» extensa fuit per indult., 1 ian. 1910. * Cfr. tamen *Cappello*, II, n. 869, qui putat privilegia concessa Americae Latinae per Const. «*Trans Oceanum*» Leonis XIII, 18 apr. 1897, hodie abolita censenda esse. Manet facultas de qua in Litt. Apost. d. 30 apr. 1929; in n. 12 habetur sc. haec facultas: «Denique largimur ut in causis tam criminalibus quam ceteris quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, quae in rem iudicatam iam non transierint, fieri possit appellatio in tertia instantia ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem provinciae, viciniorem ei a quo primo fuit lata sententia, integra tamen facultate ad Apostolicam Sedem, ad iuris tramitem, recurrendi»; AAS. XXI, 557.

[33] Per *transactionem* sensu stricto acceptam nulla causa *nullitatis*

giali trium iudicum, i. e. ab officiali qui tribunali praeest et processum dirigit et a duobus iudicibus synodalibus[34*]. Sententia a tribunali collegiali fertur ad maiorem suffragiorum partem (cc. 1576, § 1, 1°, 1577).

In aliis causis matrimonialibus, v. gr. quando agitur de coniugum separatione aut de probanda libertate, sufficit *unus* iudex. *Unus* etiam exigitur iudex instructor in peragenda inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato (c. 1966).

II. Praeterea in quolibet processu intersit *notarius*, qui actuarii officio fungatur, et quidquid ad causam pertinet accurate et in continenti in acta referat, nec valida habentur acta quae actuarii manu non fuerint exarata vel saltem ab eo subscripta (c. 1585).

III. Tandem ad tribunal legitime constituendum debet adesse *defensor vinculi*, quo non citato omnia acta irrita sunt, nisi forte licet non citatus revera adstiterit (cc. 1586, 1587).

Qui defensor vinculi est omnino necessarius pro tribunali constituendo in causis *nullitatis* aut *dispensationis super rato*

---

vel *separationis* matrimonii definiri potest; nam dispositio de vinculo matrimonii et vitae consortio libero arbitrio coniugum non est relicta (cfr. c. 1927 iunct. *Schmalzgr.*, IV, 19, n. 163 sq.; *Santi*, eod. tit. n. 57).

Renuntiatio vero sive *liti* sive *causae* in sponsalibus in ordine ad obtinendam iustam compensationem ex damno illato omnino est permissa. Pariter in causa *separationis* a toro et cohabitatione coniux *innocens* tum ante actionem intentatam tum quolibet momento processus matrimonialis iam incohati iuri suo cedere atque per renuntiationem causae, legitime factam, pariter litem vitare vel finire potest. At nulla renuntiatione coniugum vitari vel finiri potest causa *nullitatis*, immo pacta coniugum de non appellando omnino sunt illicita. Cfr. Bened. XIV Const. « *Nimiam licentiam* » 18 maii 1743.

Per *arbitros* electos causae matrimoniales, in quibus de validitate vel nullitate matrimonii aut de *separatione* a toro et cohabitatione disceptatur, nullo modo cognosci et definiri possunt (cfr. c. 1930 iunct. cap. 9, X, de in integr. restit. I, 41; cap. 12, X, de excess. Praelat. V, 31; Instr. Card. Rauscher § 200). Controversiae vero de indemnitate praestanda ob non servatam fidem sponsalitiam cum damno alterius partis, sicut transactionem admittunt, etiam compromissum et arbitrium non respuunt.

[34*] Ut declaravit Comm. Cod. d. 28 iulii 1932, Officialis cum potestate ordinaria iudicandi et absque ulla causarum reservatione ad normam canonis 1573 §§ 1, 2 electus, constituere potest tribunal collegiale vocando per turnum iudices synodales iuxta c. 1574 nominatos, nisi aliter in singulis casibus Episcopus statuerit. Vi ergo sui muneris gaudet Officialis hac potestate, qua privari non potest nisi intercedente expresso mandato proprii Ordinarii.

(c. 1967; in aliis autem causis eius praesentia non est praescripta de iure communi, at v. gr. in causa de separatione a toro et cohabitatione aut in inquisitione ad probandum *statum liberum* in casu incertae mortis coniugis adhiberi *potest* et expedit atque nonnunquam ex iure particulari adhiberi debet[35].

695. Munus iudicis. Iudex in quolibet processu, in tribunali vero collegiali qui tribunali praeest, est moderator actorum, etiam ubi a sententia abstinere debet velut in processu super rato. Ipsius[36] est tribunal convocare, partes et testes citare, terminos dilationis concedere, edere decreta et ordinationes pro recta actorum compilatione, partes et testes interrogare atque eorum responsa actuario dictare, demum sententiam iuxta acta et probata proferre, nisi a sententia pronuntianda sit exclusus velut in processu super rato. In hoc casu omnia acta una cum voto scripto Episcopi et defensoris vinculi transmittat ad Sedem Apostolicam (c. 1985).

695*. Munus et iura promotoris iustitiae. Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis iure proprio seu vi muneris sui agit (Comm. Cod. 17 iul. 1933 ad IV); in aliis casibus in quibus praevia denuntiatio requiritur, si bonum publicum revera postulat ut instituatur accusatio matrimonii, procedit etiam ratione officii atque iure proprio (*Cappello*, II, n. 881). Qua accusator vero matrimonii, utpote verus actor, gaudet omnibus iuribus et officiis quae competunt parti in causa.

Ubi agitur de denuntiatione nullitatis a coniuge vel coniugibus facta, quia alteruter vel ambo: *a*) positivo voluntatis actu excluserunt matrimonium ipsum aut omne ius ad coniugalem actum aut essentialem aliquam matrimonii proprietatem; vel *b*) condicionem apposuere contra matrimonii substantiam, promotor iustitiae matrimonium ne accuset, sed coniugem vel coniuges pro viribus moneat ut suae conscientiae consulant, et

---

[35] Cfr. Instr. C. Rauscher § 247. Generatim loquendo etiam in illis negotiis non stricte iudicialibus, quae administrativo modo aguntur, laudabiliter observatur in pluribus Curiis, ut si negotia sint alicuius momenti, audiatur promotor iustitiae, ut suas scripto proferat animadversiones. Quod munus, ubi agitur de negotio matrimoniali nihil vetat, quominus deferatur defensori vinculi permanenter in dioecesi constituto.

[36] Cfr. Instr. S. C. S. Offic., 20 iun. 1883, ad Episcopos orientales; Instr. S. C. de Prop. F., a. 1883, in Collect. II, n. 1587, 1588. Regulae servandae in processu super rato S. C. de d. Sacr., 7 maii 1923, n. 13 sq., 20 sq.

si fieri possit causam impedimenti auferant, e. gr. per novum consensum rite praestandum.

Si tamen matrimonii adserta nullitas publica evaserit et scandalum revera adsit, denuntians autem resipiscentiae signa, Ordinarii iudicio, revera dederit, itemque denuntiata nullitatis causa argumentis nitatur, sive in facto sive in iure, ita certis et validis ut probabilis omnino sit ipsius matrimonii nullitas, tunc promotori iustitiae ius et officium est denuntiatum matrimonium rite accusandi (art. 38).

Si vero matrimonii nullitas a coniuge vel coniugibus denuntiatur, qui causa culpabilis fuerint sive impedimenti sive nullitatis matrimonii, exceptis casibus de quibus in art. 38, promotor iustitiae accusationem ne instituat, nisi haec tria concurrant;

a) de impedimento agatur quod publicum evaserit quodque argumentis nitatur sive in facto sive in iure ita certis et validis ut de eiusdem impedimenti exsistentia et vi serio dubitari non possit;

b) bonum publicum, scandali nempe amotio, Ordinarii iudicio id revera postulet;

c) fieri nequeat ut cessato impedimento, matrimonium rite ineatur (art. 39).

Itaque, ut promotor iustitiae possit accusare matrimonium denunciatum a coniugibus culpabilibus, debet semper adesse ratio boni publici, quae postulet remotionem scandali, et praeterea argumenta allata debent in primo casu efficere probabilem nullitatem matrimonii, in altero vero excludere serium dubium circa exsistentiam et vim impedimenti. Promotoris iustitiae est iudicare pro sua conscientia de vi argumentorum quae pro nullitate matrimonii adducuntur. Ideo licet ei ab accusatione recedere, si postea sibi constiterit factam accusationem sustineri non posse vel in iure vel in facto (art. 41 § 4). Coniugibus vero culpabilibus nullum ius competeret prosequendi causam a promotore iustitiae ante decisionem iudicialem derelictam. Multo minus eis competeret ius appellandi vel recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam, si promotor iustitiae pro sua conscientia iudicaverit rem in nova instantia non esse urgendam.

Sic declaravit authentice Comm. Cod. d. 3 maii 1945. Poterunt tamen coniuges culpabiles extra-iudicialiter confugere ad Ordinarium rationes exponendi causa quae aptae sint ut promotor iustitiae inducatur ad appellationem loco eorum interponendam; cfr. Periodica, XXXIV, 285.

696*. Munus et iura defensoris vinculi. Ad defensorem vinculi spectat munus vel defendendi validitatem matrimonii impugnati vel patefaciendi necessitatem aut saltem convenientiam relinquendi intactum vinculum verum, cum dissolutio expetatur matrimonii *rati*, quod tamen asseritur nondum fuisse consummatum. Probe autem noscat cooperationem ad finem communem expostulare quidem ab eo ut exponat et illustret quidquid adduci potest in favorem vinculi coniugalis, minime vero ut se opponat petitioni actoris modo absoluto, sed solum congruenter ad finem processus matrimonialis, qui non potest esse alius ac veritatem obiectivam detegere.

Ideo defensor vinculi, brevi quadam actorum inspectione levibusque animadversionibus minime contentus, casum propositum undequaque rimari debet, ut eam rei expositionem iudicibus praebere possit quae re vera sit illis adiumento ad iudicialem operam rite perficiendam. Sed ex alia parte nequit rationabiliter exigi ab eo ut quocumque in casu instituat vinculi defensionem artificiis innixam potius quam solidis rationibus; hac enim agendi ratione confusio semper, lux vero nova quaestioni controversae nunquam afferri solet. Itaque defensori vinculi denegari non potest ius declarandi post diligens attentumque examen rei se nihil habere obiciendum contra actoris vel assertum vel petitionem [37*]. Est enim defensor vinculi vel *exis-*

[37*] Fortasse cuipiam occurrat adesse aliquam contradictionem inter ius defensoris vinculi declarandi se nihil habere obiciendum contra argumenta allata ab actore in favorem nullitatis matrimonii et officium ei iniunctum c. 1986 provocandi semper ad superius tribunal a prima sententia quae nullitatem matrimonii declaraverit; minus enim conforme rationi videtur appellationem interponere contra sententiam quam quis actu officiali ut legitimam indirecte admiserit. Dicendum est tamen in hoc casu defensorem vinculi simpliciter deferre causam ad superius tribunal ut ea revideatur a novis iudicibus; tantum est enim momentum rei disceptatae ut adhiberi debeant ad plenam securitatem obtinendam omnia media quae prudentia humana suppeditare potest. Novum autem examen rei a novis peritis peractum in negotiis gravioribus sanae prudentiae est prorsus conforme. Ex alia parte petitio novi examinis rei non praesupponit necessario dissensum cum sententia iam prolata, sed simplex desiderium exprimit ulterioris confirmationis proprii iudicii ad conscientiae tranquillitatem. Ideo aequum videtur ut ipse defensor vinculi, etsi nihil obiciendum habeat contra sententiam prolatam, petitionem novi examinis in quocumque casu faciat.

Secundum c. 1971 § 1, 2° promotor iustitiae habilis est ad accusandum matrimonium in impedimentis natura sua publicis; ius autem suum exercebit quoties id postulet bonum publicum, i. e. scandali amotio. Iam quis posset obicere haberi in hoc casu duos officiales publicos contraria vi muneris in eodem negotio intendentes. Sed si res attentius conside-

tentis vel *praesumpti*, et non defensor alicuius rei de cuius inexistentia iam certo constet; id enim absurdum esset et legislator nequit imponere onera absurda officialibus publicis. Eius igitur erit in medium proferre quidquid positive obstat vel declarationi nullitatis vel solutioni vinculi in casu matrimonii validi nondum consummati; sufficiet ei ostendere infirmitatem argumentorum quae ab actoribus adducantur, cum ex c. 1014 matrimonium gaudeat favore iuris et consequenter debeat iuridice tanquam subsistens relinqui donec contrarium certo probetur. Sed eius actio ibi sistat necesse est, ubi iam morali certitudine constat vel de non existentia vinculi vel de possibilitate et convenientia solutionis veri vinculi in casu matrimonii solummodo rati per dispensationem a S. Pontifice concedendam. Defensori vinculi multa iura competunt, sc.:

1°) examini partium, testium et peritorum *adesse;* exhibere iudici *interrogatoria* clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda et partibus aut testibus proponenda; *novas interrogationes*, ab examine emergentes, iudici suggerere;

2°) articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit *contradicere;* documenta a partibus exhibita *recognoscere;*

3°) animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii *scribere* et *allegare*, eaque omnia *deducere*, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit (c. 1968).

Inde ipsi ius est:

a) semper et quolibet iudicii momento acta processus, etsi nondum publicati, inspicere; novos terminos ad scripta perficienda *flagitare*, prudenti iudicis arbitrio prorogandos;

b) de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit;

c) petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiciantur, processu etiam absoluto et publicato, novasque animadversiones edere;

d) exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, perficiantur, nisi tribunal *unanimi suffragio* dissentiat (c. 1969) [38].

---

retur, apparebit statim utrumque, diverso sane sub aspectu, eundem omnino scopum persequi. Quaerunt sc. obiectivam veritatem, ut iudex plena rei cognitione sententiam iustam ferre possit. Huic autem fini quisque suo modo cooperatur, cum unus illustret quae favent, alter vero quae adversantur existentiae vinculi. Cfr. Periodica, XXXIV, 92.

[38] Si unicus sit iudex — ut in causa super rato — atque ipse con-

Cum defensor vinculi post alteram sententiam pro nullitate matrimonii recurrat ad tertiam instantiam, vinculi defensor huius instantiae interpositam appellationem pro sua conscientia prosequi vel deserere potest (art. 221).

§ III. De processu matrimoniali

697. In genere causae matrimoniales eodem ordine quo reliquae causae contentiosae pertractandae sunt: quare canones libri IV sunt observandi pro istarum causarum natura, nisi peculiaria quaedam sint constituta; quae specialia praesertim hic veniunt commemoranda. Causa quaedam matrimonialis, ut in *prima* instantia a iudice ecclesiastico cognosci et definiri valeat, imprimis debet esse legitime deducta in iudicium. Id vero fieri potest per *actionem privatam* eorum, qui ius agendi in his causis habent, aut per actionem *publicam* a promotore *iustitiae* propositam aut propter *denuntiationem* in forma legitima factam (cfr. cap. 7, X, de cognat. spir. IV, 11) vel propter publicam diffamationem iudex ecclesiasticus *ex officio* (cfr. cap. 3, X, de divort. IV, 29; S. C. C. in c. Caesaraug. 10 mart. 1770) ad cognitionem et definitionem causae procedit [39].

698. Quodsi ratio habeatur triplicis speciei causarum matrimonialium:

I. Actio in causa *sponsalium*, nunc solum concessa ad damni reparationem, solummodo institui potest ab *uno ex duobus sponsis*, neque unquam *ex officio* procedit iudex ecclesiasticus, neque *promotor iustitiae* causam sponsalium suscipit, neque *tertiae* personae, etiamsi parentes vel consanguinei sponsorum sint, ad agendum legitimantur, nisi ab uno ex sponsis *speciale* habeant mandatum [40].

II. Causa de valore matrimonii ex dictis agi debet apud tribunal collegiale, a quo nulla causa suscipi potest nisi prae-

---

tradicat vinculi defensori requirenti ut alia acta peragantur, hic ad Ordinarium recurrere potest. Cit. Decr. « Catholica doctrina » S. C. de d. Sacr. de Regulis servandis in processu, n. 29.

De munere *actuarii* et *apparitoris* ac de modis citationes faciendi conferantur quae generatim sunt statuta pro quolibet processu cc. 1585, 1591 sq., 1711 sq.

[39] Instr. cit. S. C. de Prop. F. n. 3 sq. et Instr. S. C. Inq. n. sq.; Instr. Card. Rauscher §§ 127 sq.; *Scherer*, 526 sq.; *Rosset*, n. 3710 sq., 3735 sq.

[40] Cfr. cap. 4 de proc. I, 38; cap. 3 de iud. II, 1, in Sexto; iunct.

cesserit regularis accusatio vel iure facta petitio. Accusatio obtinet, cum una pars valorem matrimonii impetit contra alteram partem valorem sustinentem vel actui alterius partis non consentientem nec cooperantem; in iure facta petitio, quando utraque pars petit declarationem nullitatis. Actus ille, sive per modum accusationis sive per modum petitionis declarationis nullitatis, debet poni a persona quae iure agendi in tali causa gaudet. Vi Codicis hoc ius tantum competit coniugibus aut promotori iustitiae: reliqui omnes etiam consanguinei et affines propinquiores et vel ipsi coniugum parentes solum possunt matrimonii nullitatem *denuntiare* Ordinario, cuius erit causam examinare et ulterius ex officio procedere aut ad matrimonii convalidationem aut ad eius dissociationem [41].

Quare illa distinctio iure praecedente passim tradita in ordine ad accusandum matrimonii valorem inter impedimenta *iuris publici* et *iuris privati* retenta quidem fuit in Codice, sed cum illo insigni discrimine quod in prioribus ius accusandi nunc reservatur promotori iustitiae, fideles solum *denuntiatione* cooperantur ad illam causam boni publici, quod multoties exiget ut matrimonium ut nullum denuntiatum a tertia persona, non ab ipsis coniugibus, potius instauretur per convalidationem quam dissocietur per iudicialem declarationem nullitatis. Facta illa impedimentorum distinctione:

a) Ius *exclusivum* accusandi matrimonii valorem competit *coniugibus* aut uni ipsorum, si nullitas matrimonii oriatur ex impedimento *erroris, vis et metus*, ex *defectu condicionis appositae*, ex consensu simulato seu ficto, ex impedimento occultae *impotentiae* [42*]. Si unus ex coniugibus causa fuit erroris, metus vel

can. 1655 sq.; *Schulte*, § 32; *Gross*, Beweistheorie im c. R. I., 130 sq.; *Rossel*, n. 3732 sq.; *Bassibey*, 116 sq.

[41] Iure praecedente in pluribus impedimentis, v. gr. consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis, proximiores propinqui et praesertim parentes admittebantur ad agendum (cfr. cap. 3, X, h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 12, 17; *Bassibey*, 125 sq.); immo in impedimentis *iuris publici* quivis catholicus admittebatur, modo proclamationibus factis impedimentum absque legitima causa non reticuisset. Cfr. cap. 1, 6, X, h. t.; Instr. S. C. de Prop. F. n. 3; Instr. C. Rauscher, § 115; S. C. C. in caus. Florent., 6 iul. 1889; *Feije*, n. 584; *Schmalzgr.*, h. t. n. 12, 17; *Bassibey* 125 sq.

[42*] Comm. Codicis declaravit d. 12 martii 1929 sub nomine impedimenti venire in c. 1971 § 1, 1° etiam impedimenta improprie dicta de quibus in cc. 1081 -1103; quoties igitur coniux causa culpabilis fuerit sive impedimenti sive nullitatis, inhabilis fit ad accusandum suum matrimonium; hoc modo omnes coniuges quibus culpabilis nullitas matrimonii ascribenda est, amissionem eiusdem iuris sustinebunt. Coniux vero

non impletae condicionis ab accusatione repellitur, ne ex sua fraude commodum reportet [43] (c. 1971 § 1).

b) In impedimentis *natura sua* publicis ius accusandi seu petendi declarationem nullitatis cumulative pertinet ad coniuges et ad promotorem iustitiae.

Iuri accusandi valorem matrimonii illud proprium est ut, *quamdiu* nullitas matrimonii perdurat, nullo lapsu temporis vel

qui metum aut coactionem passus est vel causam impedimenti honestam et licitam apposuerit, non fit inhabilis ad accusandum matrimonium (Comm. Cod. d. 17 iul. 1933). Cum vero agatur de amissione iuris magni momenti, rursus quaesitum est quae culpa requiratur ad contrahendam hanc inhabilitatem. Comm. Cod. declaravit d. 27 iul. 1942 solum coniugem, qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa fuit et *directa* et *dolosa*, fieri inhabilem ad accusandum matrimonium. Requiritur ergo ut culpa moralis et quidem gravis committatur in ponendo actu ex quo per se nullitas matrimonii sequatur. Itaque amplissima decernitur extensio quoad causas impedimenti vel nullitatis matrimonii, quoad auctores vero harum causarum prudenter et aeque limitationes imponuntur. Inhabilitas coniugis culpabilis ad accusandum matrimonium non fert secum incapacitatem standi in iudicio; qua de re sententia forte lata in causa introducta a coniuge culpabili non laborat vitio insanabilis nullitatis (Comm. Cod. 4 ian. 1946).

Coniuges qui sint inhabiles ad accusandum matrimonium, poterunt tamen vi c. 1971 § 2 denuntiare nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae (Comm. Cod. d. 17 febr. 1930). Quoties coniuges, inhabiles ad accusandum matrimonium, hoc iure denuntiandi uti velint, tenentur adire Ordinarium vel promotorem iustitiae tribunalis competentis ad videndum de causa nullitatis sui matrimonii ad normam c. 1964, ut declaravit Comm. Cod. d. 6 dec. 1943. Denunciatio enim illuc per se tendit, sc. ut auctoritas ecclesiastica de re certior facta edicat, omnibus rite perpensis, utrum bonum publicum postulet necne instituere ex officio actionem iudicialem contra validitatem matrimonii; hinc est quod recta ratio exigere videatur ut ibi denunciatio fiat ubi promotor iustitiae, re cognita, possit ilico accusationem matrimonii denunciati instituere. Si ob limitationes c. 1971 § 1, 1° impositas periclitaretur in casu particulari salus animarum, suprema norma legum ecclesiasticarum, adest remedium recursus ad S. Pontificem qui per dispensationem huiusmodi necessitati particulari providere poterit.

Acatholici sive baptizati sive non baptizati vel apostatae a fide nequeunt agere in causis matrimonialibus partes actoris apud tribunalia ecclesiastica, i. e. nec apud S. R. Rotam nec apud tribunalia dioecesana; si vero speciales occurrant rationes ad admittendos acatholicos ut actores, in singulis casibus recurrendum est ad S. Officium (S. Offic. d. 27 ian. 1928; 22 mart. 1939; 15 ian. 1940). Cum nullitas matrimonii fuerit denunciata a coniuge acatholico, promotor iustitiae nequit matrimonium accusare ante praehabitam facultatem a S. Officio, nisi bonum publicum, iudicio Ordinarii, aliud postulet (S. Offic. 22 mart. 1939).

[43] Si in raro aliquo casu impotentia esset *notoria*, etiam a promotore iustitiae matrimonium posset accusari aut a privato fideli denuntiari.

praescriptione extinguatur; causae enim de vinculo matrimoniali nunquam vere transeunt in rem iudicatam [44], neque solo lapsu temporis aut *praescriptione* impedimenta tolli aut matrimonia convalescere solent. Pro convalidatione matrimonii adest certe praesumptio, si inter coniuges adfuit diuturna cohabitatio, quae tamen nihil efficit si ad convalidationem fuit necessaria dispensatio impedimenti aut observatio legitimae formae [45].

Mortuo uno vel utroque coniuge, matrimonium, quod dum in vivis essent impugnatum non fuit, validum praesumitur *praesumptione iuris et de iure,* nec iam contra eius valorem admittitur probatio directa praesertim ad effectus patrimoniales, sed solum indirecte, v. g. dum probatur legitima proles ex alio coniugio suscepta (c. 1972).

III. *Soli coniugi innocenti* ius competit agendi, ut matrimonium quoad *torum* vel *cohabitationem separetur.* Nam coniugis innocentis vel laesi est iniuriam sibi illatam aut condonare aut actione persequi, neque *tertiae personae* ulla ratione concessum est, ut pro uno ex coniugibus sine mandato speciali separationem postulet. Hinc in iure soli coniuges tanquam actores ad dissolvendum vitae coniugalis consortium commemorantur [46]. Pariter

[44] CC. 1701, 1902, iunct. cap. 7, X, de sent. et re iudic. II, 27; Benedict. XIV, Const. « *Dei miseratione* » § 11; S. C. C. in c. Calat., 12 dec. 1885, 16 iun., 16 sept. 1888; *Schmalzgr.,* h. t. n. 26; *Bassibey,* 127 sq.; *Gasparri,* II, n. 1484.

Cum ius canonicum praescriptionem non admittat in causis vinculi matrimonii, nihil obstabat quominus etiam *actio* contra matrimonii valorem diceretur perimi, si quis tantum *post mortem* coniugum ad impugnandam *legitimitatem prolis* matrimonium accusasset. Quae causae cum plerumque ob *lucrum temporale* institui soleant, accusatores saltem regulariter a limine repellendi erant, praesertim matrimonio publice in facie Ecclesiae celebrato et viventibus coniugibus nunquam in dubium vocato. Cfr. cap. 11, X, qui fil. IV, 17; S. C. C., 27 sept. 1842, l. c. et 22 iun. 1884 apud *Lingen* et *Reuss,* Causae selectae, 884 sq.; *Schmalzgr.,* h. t. n. 27; *Feije,* n. 584; *Schulte,* l. c. § 6, p. 22; *Gasparri,* II, n. 1482; *Bassibey,* 126. At ex *natura rei* accusatio matrimonii etiam post mortem non erat exclusa (cfr. Gregor. VII apud *Jaffè,* Reg. n. 3540), immo in casibus extraordinariis erat permissum, ut in foro ecclesiastico introduceretur aut saltem continuaretur, v. g. si cederet in *favorem legitimitatis prolis,* aut ordinaretur ad praeiudicium tollendum de nullitate alterius matrimonii. Cfr. S. C. C., 16 dec. 1893 in ASS. XXVI, 407 sq.; *Scherer,* 528, 530; *Bassibey,* 128 sq. Quae doctrina substantialiter cohaeret cum praescripto c. 1972, cui standum est.

[45] Severioribus sententiis veterum canonistarum de amisso iure accusandi, nunc non amplius est insistendum. Cfr. v. gr. Instr. C. Rauscher, §§ 116, 136, 120.

[46] Cfr. cap. 4, 5, X, de divort. IV, 39; *Schmalzgr.,* h. t. n. 13. *Bassibey,* 18.

soli coniuges ius habent petendi dispensationem seu solutionem matrimonii rati et non consummati (c. 1973).

699. Actus processuales. Admisso libello accusationis vel petitionis in iure, actus processuales a citatione usque ad sententiam ponendi sunt observatis regulis, quae de ipsis sunt constitutae in canonibus libri IV Codicis, ubi quae sunt communia cuilibet processui praescribuntur ideoque etiam in processu matrimoniali sunt observanda, nisi in ipsis fiat exceptio [47].

700. Probationes. Media probationis in processu matrimoniali sunt generatim illa quae inserviunt ad probanda cetera facta, v. gr. confessio partium, testes, instrumenta, peritorum depositiones, in quibus adhibendis generatim servandae sunt eaedem regulae ac in aliis causis; at, attenta speciali natura causarum matrimonialium, non omnia eundem habent valorem.

I. *Confessio* legitime facta in causis separationis a toro et cohabitatione plenam habet vim probandi, sicuti in aliis causis civilibus, nisi forte in causa separationis habeatur collusio partium. Confessio vero etiam iurata, quam coniuges in ipsa disquisitione iudiciali faciunt, aut ante illam quidem fecerunt, sed post matrimonii, quod accusant, celebrationem, quatenus contra

[47] In causis nullitatis matrimonii, ubi praesertim uterque coniux nullitatis declarationem postulat, proprie dicta *contestatio litis* non habetur in eius ordinaria forma, sed suppletur per iudiciarium separatum examen utriusque coniugis. Instr. S. Offic., a. 1883, § 18. Cfr. Instr. cit. S. C. de Prop. F., n. 3 sq. Propter pericula animae et corporis iudex ecclesiasticus in causis nullitatis vel separationis matrimonii non raro statim ab initio litis per decretum quoddam provisorium permittet separationem coniugum quoad torum et cohabitationem, non obstantibus cap. 8, X, de divort. IV, 19; cap. 13, X, rest. spol. II, 13. Cfr. Instr. Card. Rauscher, § 236; *Schulte,* l. c. § 40; *Gasparri,* II, n. 1487 sq.; *Bassibey,* 173 sq.

Quoniam S. R. Rota etiam est tribunal collegiale, quod ad apices iuris processum instruere debet, utiliter pro actibus processualibus ponendis consuli possunt Regulae pro usu ipsius Tribunalis exaratae et approbatae. Cfr. AAS. II, 784, sq. In processibus autem super *rato* matrimonio dispensando, nunc accurate servandae sunt Regulae publicatae per Decr. « Catholica doctrina » S. C. de d. Sacr. d. 7 maii 1923; cfr. etiam supra, n. 625, not. 41.

* Ex mente S. Congregationis efficiunt unum quid cum his regulis normae observandae in processibus super matrimonio rato et non consummato ad praecavendam dolosam personarum substitutionem, publici iuris factae d. 27 mart. 1929. Opportunis cautelis providetur ne locum habeat haec dolosa personarum substitutio sive quoad partes sive quoad testes aut peritos; insuper statuitur quid fieri debeat si dolosa personae substitutio accidat et detegatur sive processu adhuc durante, sive illo clauso sed nondum Romam transmisso, sive processu iam Romam transmisso.

valorem matrimonii pugnat, omni vi probandi caret, cum obstet bonum publicum[48].

At confessio, quam coniuges deposuerunt, antequam matrimonium accusatum contraxerant, in nullitate matrimonii probandi haud excluditur. Denique confessio, quae pro matrimonii valore militat, vim probandi in iis casibus habet, in quibus coniugibus ius accusandi matrimonium privative reservatur. Alias praesumptionem tantum generat.

II. In *testibus* admittendis vel respuendis etiam a tribunali matrimoniali generales normae iuris canonici sunt observandae; sed pro singulari natura causarum matrimonialium praesertim de valore vinculi coniugalis, testes quoque admittuntur, qui in aliis causis essent minus idonei atque suspecti. Hinc consanguinei et affines, qui melius ceteris impedimenta quaedam scire possunt, testificari non prohibentur, sive pro valore sive pro nullitate matrimonii deponunt, nisi ob speciales rationes sint suspecti[49]. Neque excluduntur testes, alias suspecti et inhabiles, si eas depositiones facere capaces sint, quibus forte via ad ulteriores dilucidationes aperiatur[50].

III. *Iusiurandum* a coniugibus praestitum aeque ac eorundem confessio probationem de *impedimenti* existentia suppeditare aut supplere nequit. Cui normae, in Instr. Card. Rauscher § 169 recte stabilitae, non obstat, si ad probandam circumstantiam, a qua *ius accusandi* matrimonium dependet, iusiurandum coniugis a tribunali matrimoniali admittatur. Itemque, si impedimenti natura prohibeat ne *ex officio* procedatur, iusiurandum coniugis *valorem* matrimonii asserentis, ut probatio pro matrimonio militans admitti potest. Cfr. Instr. Card. Rauscher §§ 170, 171, 175.

701. *Speciales probationes* in causis matrimonialibus, quando agitur de probanda impotentia vel inconsummatione, sunt *testimonium septimae manus et inspectio corporalis.*

I. *Testimonium septimae manus* (cc. 1975, 1976) est argumentum quod addit robur depositionibus coniugum, in quantum per tale testimonium ipsi redduntur credibiles, dum in sua iurata depositione asserunt utriusque vel alterutrius partis im-

[48] Cfr. c. 1751 iunct. *Schulte,* l. c. §§ 41 sq., 45 sq.; *Mansella,* 186 sq.; *Gross,* l. c., 132 sq.; *Bassibey,* 117 sq.; *Leitner,* 572 sq.

[49] C. 1974 iunct. c. 1757, § 3. Cfr. quoque cit. Regulas S. C. de d. Sacr. pro causis super rato, n. 58 sq.

[50] Cfr. c. 1758 iunct. Instr. Card. Rauscher §§ 157, 218, 223; *Feije,* n. 685; *Schmalzgr.,* h. t. n. 22 sq.; *Mansella,* 188 sq.; *Schulte,* l. c. § 51; *Rosset,* n. 3744 sq.; *Bassibey,* 257 sq.

potentiam aut sui matrimonii inconsummationem. Quoad substantiam vero consistit in hoc quod septem testes pro unoquoque coniuge a respectiva parte inducti, qui sint sanguine aut affinitate propinqui illi coniugi a quo inducuntur, aut saltem vicini bonae famae vel de re bene edocti, iurati deponant de ipsorum coniugum probitate et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam — impotentia, inconsummatio vel alia facta et adiuncta cum illis duabus rebus conexa —. Per tale testimonium de *probitate* et praesertim de *veracitate* coniugum, horum assertio — in proprium commodum facta et ideo de se suspecta, facta tamen de re occulta et per se solis coniugibus plane nota — aliqua ratione liberatur a suspicione et robur accipit, cum praesertim res occultae circa relationes matrimoniales inter coniuges ab ipsis non soleant communicari nisi paucis personis, praesertim consanguineis et affinibus, aut alias ratione vicinitatis vel peculiaris amicitiae aut familiaritatis sibi coniunctis.

Quae attestatio de se vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (c. 1975 § 2). Idcirco eorum testimonium non excludit citationem aliorum testium, qui non sint de credibilitate, atque illi ipsi testes septimae manus interrogandi quoque sunt de factis et circumstantiis cum facto principali coniunctis, praesertim vero de particularibus assertionibus ipsorum coniugum[51].

Hoc auxilium probationis in forum canonicum transiit ex institutis populorum germanicorum[52].

II. *Inspectio corporalis* pariter est probatio specialis, quae locum habet in causis de nullitate ob impotentiam et de non consummatione matrimonii. In utraque causa illa probatio potest esse decisiva, et pro diversitate casus potest requiri viri vel mulieris vel utriusque inspectio per peritos[53].

Periti, praeter qualitates in omni processu requisitas, oportet ut a iudice designentur audito vinculi defensore inter eos, qui non iam privatim inspexerint partes circa factum de quo vertitur controversia; sint praeterea honesta fama praediti atque etiam in ipso foro civili ut idonei probati. Quodsi sibi suspecti videantur, partibus ius est electos a iudice recusare. Qui

[51] Cfr. *Bassibey,* 267 sq., necnon speciales animadversiones quae circa testes septimae manus ponuntur in citatis Regulis S. C. de d. Sacr. n. 58 sq.

[52] Cfr. *Pertile,* Storia del diritto italiano. IV, P. I, § 225.

[53] Cfr. *Bassibey,* Procédure matrim., n. 391 sq.; Decret. S. C. de d. Sacr. (7 maii 1923) de regulis serv. in processu super rato, n. 84 sq.

ante causam partes privatim examinarunt, possunt ut testes sive a partibus induci sive ex officio citari.

Pro examine viri adhibentur duo medici; pro mulieris examine duae obstetrices, nisi ipsa malit a medicis inspici, aut id Ordinarius duxerit necessarium, v. gr. ob peculiarem difficultatem casus aut quia obstetrices satis expertae praesto non sint[54*]; cui mulieris examini adstare praeterea debet honesta matrona, ex officio a iudice designanda, quae de modo in examine adhibito et de servatis honestatis regulis testimonium dare possit (c. 1979 § 3).

Examen a peritis est peragendum secundum instructionem a iudice dandam[55], et saltem quando agitur de muliere obstetrices vel medici seorsum singuli illud exequi debent et deinde singulas relationes scriptas conficere intra terminum a iudice praefiniendum tradendas; relationes vero obstetricum potest iudex examini periti medici subicere, si id necessarium aut opportunum duxerit (c. 1980).

Demum post examinatas a iudice et vinculi defensore relationes a peritis traditas, ipsi periti, obstetrices et matrona, seorsum singuli a iudice sunt interrogandi secundum articulos a vinculi defensore antea apte concinnatos[56*], quibus illi, praestito iuramento, respondere debent (c. 1981).

Singularis casus ubi etiam suffragium peritorum est exquirendum c. 1982 recensetur ille, in quo quaestio vertitur de amentia unius coniugis, quae forte non nisi post matrimonium manifestata est, sed verisimiliter iam ipso momento celebrationis matrimonii occulte existebat.

702. Conclusio in causa et sententia. Processus probatorius

[54*] Si vero mulier aut inspectionem ipsam aut virorum operam recuset, abstinendum est ab urgenda inspectione vel ab exigendo virorum interventu; satis tunc erit illam monere de iuridicis suae recusationis consectariis, seu de graviore difficultate vel etiam de probabili impossibilitate assequendi sui propositi probationem.

[55] Codex c. 1979 §§ 2, 3 silet de balneo aquae purae et tepentis, in quo secundum Instr. S. C. C., a. 1840, in causis inconsummationis inspicienda mulier prius per tres horae quadrantes debebat permanere, ad vitandum ne posset simulare integritatem. De facto ultimo tempore illi condicioni apud S. C. rigorose non insistebatur. At S. C. de d. Sacr. in citatis Regulis, n. 92, adhuc balneum commemorat, sed cum illa moderatione « nisi periti censeant in casu balneum esse inutile aut nocivum ». Cfr. *Bassibey*, l. c. n. 436 sq.

[56*] Peracta per mulieres inspectione, earum orale examen fiat ab ipso Tribunali, semper tamen adstante medico in his rebus vere perito ac honestate claro, qui suas animadversiones et opportunas interrogatio-

absolvitur *actorum publicatione* et *conclusione in causa* (cc. 1858, 1860). Illud est peculiare in processu matrimoniali, quod, etiam publicato processu et facta conclusione in causa, adhuc *novi* testes *novaque* documenta admitti possint vel iam excussi testes iterum audiri, nisi adsit fraus et collusio, quam tum iudex tum imprimis vinculi defensor cavere debet (c. 1983). Cuius peculiaris iuris ratio est quod causae de valore matrimonii nunquam transeunt in rem iudicatam, et renuntiatio a partibus facta pro conclusione in causa non debet praeiudicium afferre bono publico, ad quod pertinet ut omnia media, quae sese offerant ad evincendam veritatem obiectivam valoris aut nullitatis matrimonii, adhibeantur. Conclusio autem in causa iuridice fit per iudicis decretum, quo is id ipsum decernit, postquam partes et defensor declarant se nihil aliud habere deducendum (cfr. c. 1860 § 2). Quae processus publicatio et conclusio in causa non habetur in causis inconsummationis matrimonii, eo quod a tribunali conficiente processum sententia non est proferenda, sed processus conclusus ad S. Congregationem est transmittendus[57] una cum voto scripto Ordinarii et defensoris vinculi (c. 1985).

Ad eandem rationem boni publici et ad vitandum periculum fraudis et collusionis pertinet quod in processu nullitatis, et aequivalenter idem obtinet in processu inconsummationis[58], vinculi defensor ius habeat ut postremo loco audiatur, idque obtinet tum cum agitur de edendo decreto conclusionis in causa, tum postea in defensionibus et allegationibus, quae ad normam c. 1862 deinde permittuntur in discussione causae, nec antea tribunal potest procedere ad definitivam sententiam, nisi prius vinculi defensor declaraverit nihil sibi deducendum vel inquirendum esse; quae defensoris vinculi declaratio praesumitur, si ante praefinitum a iudice diem pro sententia ferenda de facto nihil deduxerit (c. 1984).

Demum auditis defensionibus et allegationibus, atque vinculi defensore expresse vel implicite declarante se nihil habere allegandum aut petendum, die definito conveniunt iudices ad

---

nes proponere potest. Excussio mulieris, quae pars est in causa, paratis ad normam iuris interrogationibus eidem proponendis, semper quidem fiat coram Tribunali, *sed a medico* qui sit religione, moribus, aetate gravis, ab ipso Ordinario deligendus, omni exceptione maior.

[57] Loco conclusionis in causa cum suis propriis effectibus iuridicis habetur in processu de rato *conclusio processus*, de qua servandae sunt normae traditae in citatis « Regulae servandae », n. 96 sq.

[58] Cfr. citat. « Regulae servandae » n. 96 sq.

discutiendum meritum causae et proferendam iuxta plura suffragia sententiam. A qua proferenda abstinere debet iudex, cui commissa est inquisitio *de inconsummatione* [59].

703. Appellatio. Sicut in aliis causis, ita in causa de matrimonii nullitate solum *duplex sententia* conformis definitivam vim habet, cum hoc tamen discrimine quod in aliis causis pars contra quam lata est sententia potest sed non tenetur appellare, at in causis matrimonialibus obligatio appellandi ita imponitur defensori vinculi, ut non detur iuridica libertas a vinculo matrimoniali nisi saltem secunda vice apud tribunal superius fuerit causa examinata et per sententiam, praecedentis confirmatoriam, fuerit decisa matrimonii nullitas.

Si ergo prima sententia fuerit pro nullitate, defensor vinculi tenetur appellare — sive pars victa appellet sive non — et ad hanc obligationem implendam, si negligens fuerit, a iudice est compellendus (c. 1986). Quodsi prima sententia fuerit pro valore, non pertinet ad officium defensoris vinculi appellare, sed pars, quae in processu fuit victa, iure suo intra legitimum tempus uti potest [60*].

Post alteram sententiam in appellatorio latam: *a*) si utraque — prima et secunda — est *pro nullitate*, remittitur conscientiae illius qui in secunda instantia obiit munus defensoris vinculi an appellare velit; quodsi non appellaverit, elapsis decem diebus a sententiae denuntiatione coniugibus libera fit facultas ad novas nuptias transeundi (c. 1987); *b*) si utraque sententia fuit *pro valore*, adhuc licet partibus in tertia instantia ad S. Sedem recurrere; *c*) si una sententia fuit pro nullitate altera pro valore, tum partes tum defensor vinculi possunt ad tertiam instantiam appellare, immo defensor vinculi appellare tenetur, si secunda sententia fuit pro nullitate; *d*) demum si *duae* sententiae fuerint pro nullitate et *una* pro valore, defensor vinculi, ut obtineat declarationem validitatis denuo appellare potest, sed generatim non tenetur [61].

Manet praeterea quod sententiae in causa matrimoniali circa valorem matrimonii in rem iudicatam non transeunt, ideoque quaecumque fuerint decisiones datae, quodcumque tempus praeterlapsum fuerit semper causa poterit retractari, si *nova* argumenta vel documenta in prioribus decisionibus non examinata proponi possint. Tam separatio falsa seu obiectiva nullitate non innixa, quam perseverantia in unione quae obiective esset fornicaria fovent peccatum, ad quod certo modo avertendum, novis repertis argumentis, non denegatur actio, quae proprie in his causis nunquam est definitive perempta, nisi per mortem sensu supra explicato. * Talia argumenta vel documenta non requiritur ut sint gravissima multoque minus decretoria, hoc est quae peremptorie exigant contrariam decisionem, eorumque pondus pro causae revisione a tribunali tertiae instantiae aestimandum est, audito vinculi defensore (art. 217 § 3). Causa matrimonialis ab uno tribunali iudicata ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari numquam potest, etiamsi praesto sint nova argumenta vel documenta, sed de ea videre potest iterum *tantummodo* tribunal superioris instantiae, praevia appellatione (Comm. Cod. 16 iun. 1931). Praefata dispositio ita est intelligenda, ut locum habeat si agatur revera de *eadem causa*, hoc est propter idem matrimonium et ob idem nullitatis caput (art. 218 § 2).

[59] De publicatione, conclusione et sententia cfr. *Bassibey*, n. 475 sq.; 521 sq.

[60*] Coniugi inhabili ad accusandum matrimonium non competit ius appellandi vel recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam (Comm. Cod. d. 3 maii 1945; cfr. Periodica, XXXIV, 280).

[61] Cfr. Benedict. XIV Const. « *Dei miseratione* » § 11, Const. « *Nimiam licentiam* » § 7; *Bassibey*, n. 536 sq., 560 sq., *Oberkamp*, in Arch. f. k. K. XVIII, 294 sq. de processu canonico in tribun. matrimonialibus secundae et tertiae instantiae.

§ IV. De casibus exceptis

704. I. Gravitas causae matrimonialis ex natura rei, saltem in communibus circumstantiis, postulat ut non decidatur nisi instituto processu stricte dicto, quo et certitudo iuridica habeatur factorum et iuris quaestio circa principia, facto certo applicanda, in clara luce ponatur. At cum ex alia parte requiratur duplex sententia pro nullitate, a qua adhuc fas est appellare, ex tali procedura haud pauca incommoda et dilationes proveniunt, quae videntur superfluae, quando in determinatis quibusdam casibus *nullitas* matrimonii est *evidens*, innixa facto non obscuro sed obvio et notorio, in quo nulla adest circumstantia quae iuris quaestionem obscuram aut implexam reddat.

II. Antiquo quidem iure (v. gr. in Const. « *Dei miseratione* ») nulla aderat exceptio etiam pro casibus omnino claris, sed duplex processus et sententia rigorose exigebatur [62]. Successit

[62] Cfr. caus. Sonoren. in S. C. C., 26 aug. 1848, cum voto Secretarii in Thesaur. Resol. CVIII,; *Nouv. Rev. Théol.* XX, 615 sq., 622, 628; *Gasparri*, II, n. 1471; *Feije*, n. 591.

vero decretum S. Offic. 3 iunii 1889 (ASS. XXVI, 639) quo Ordinariis permittebatur ut verificatis certis condicionibus, matrimonia declararent nulla, quin necessaria esset secunda sententia. Quod decretum interpretatum fuit de mera liberatione a secundo processu et sententia, non de liberatione a forma processus iuridici, saltem in prima instantia instruendi[63]. Casus illo decreto excepti erant: disparitas cultus, ligamen, consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis et clandestinitas.

III. Iure Codicis in casibus *taxative* determinatis conceditur ut possit procedi ad edendam declarationem nullitatis modo peculiari qui a sollemnitatibus rigorosi processus iudicialis est absolutus[64*]. Casus in Codice enumerati sunt: si matrimonium

---

[63] Quamvis in decreto S. Offic. dicebatur « praetermitti posse sollemnitates in Const. Apost. *Dei miseratione* requisitas », nihilominus attendebatur quod illa Constitutio tota erat in ordinando instituto *appellationis* in illis causis atque ita sensu restricto intellexerat ipsum S. Offic., cfr. S. Offic. responsa, 16 febr. 1894, 27 martii 1901, 16 iunii 1894, in ASS. XXVII, 141, 142 sq., XXXIII, 756.

[64*] Partes debent citari ut in quocumque iudicio ante declarationem nullitatis matrimonii; insuper iis non excussis difficile habebitur certitudo requisita ex c. 1990 ad hunc peculiarem modum procedendi adhibendum. Certitudo vero de dispensatione non concessa poterit hauriri tum ex certo et authentico documento tum ex alio legitimo modo (Comm. Cod. d. 16 iun. 1931). Casus excepti *taxative* enumerantur, ut patet ex tenore ipso canonis et ex modo loquendi adhibito in decretis S. Officii d. 5 iun. 1889 et d. 27 martii 1901, quae citantur veluti fontes huius canonis. Impedimenta enumerata sunt natura sua publica, de quibus documentum servari solet in archivis ecclesiasticis; sane non includitur impedimentum aetatis, fortasse quia in regionibus, in quibus periculum adest ne matrimonia invalide celebrentur ob huiusmodi impedimenti exsistentiam, haud facile inveniantur documenta certa et authentica de die nativitatis.

Processus instituendus iuxta hunc canonem est ordinis iudicialis, cum retineantur elementa, quae ex una parte non inveniuntur in actibus ordinis administrativi, et ex alia sufficere videntur ad characterem iudicialem huic actui imprimendum. Ordinarius, *iudicem agens*, dicitur in art. 227 § 1, potest iuxta suum prudens iudicium matrimonii nullitatem *sententia* declarare, rationibus breviter adductis in *iure* et in *facto*. Peculiaritas ergo processus instituti ad normam cc. 1990-1992 tota est in eo quod procedatur non ad ordinarium sed ad *extraordinarium tramitem iuris*.

Ex dictis sequitur Ordinarii nomine non venire hoc loco Vicarium generalem, nec mandatum speciale, ipsi forte datum in universum ab Episcopo, sc. pro omnibus rebus ad quas requiratur ex iure, posse extendi ad casum exceptum c. 1990; illud enim mandatum intelligi debet de solis actibus ordinis administrativi. Quoties Officialis videat in casu

impugnatur ob impedimentum *disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis* aut *cognationis spiritualis*. Oportet ut in his casibus ex *authentico et certo* documento constet de existentia impedimenti, simulque eadem certitudine constet matrimonium esse celebratum quin ab illo impedimento data sit dispensatio[65]: illis duabus condicionibus verificatis, sine necessitate ordinarii processus iudicialis, satis est ut Ordinarius, citatis partibus et audito vinculi defensore, meram edat declarationem nullitatis: qua edita, si defensor vinculi nihil opposuerit, coniuges obtinent liberationem a vinculo cum libertate ad novas nuptias transeundi. Quodsi defensor vinculi utramque condicionem certo esse verificatam non videat, quia v. gr. censet impedimentum quod praetenditur obstasse matrimonio esse dubium aut probabiliter iudicat impetratam esse illius dispensationem, tenetur provocare ad tribunal secundae instantiae, ad quam transmittenda erunt acta, addita monitione agi de casu excepto. Iudex autem secundae instantiae cum suo defensore vinculi accurate examinatis ac perpensis actis ad se transmissis, definitiva declaratione decernit an vere agatur de casu excepto et tunc confirmabit primam declarationem, vel potius agatur de casu ordinario et tunc remittet causam ad tribunal primae instantiae ut instituatur regularis processus (c. 1992).

705. Scholion. In citato decr. S. Offic., a. 1889, inter casus exceptos recensebatur *clandestinitas* seu defectus formae, qui defectus in c. 1990 non commemoratur. Cum ex modo, quo in dicto canone fit enumeratio exceptionum, appareat illam enumerationem esse taxativam, dicendum est casum nullitatis provenientis ex defectu formae per principium generale non esse recensendum inter casus exceptos, nec licere insistere in decr. S. Offic., cum omissio clandestinitatis *consulto* fuerit facta. Profecto etiam sub iure decreti S. Offic. causae de nullitate ob defectum formae, sicut erant frequentiores ob necessitatem tunc existentem adhibendi pro teste qualificato parochum *proprium*,

---

sibi delato adimpleri condiciones praescriptas in c. 1990, rem Ordinario deferat (art. 226). Processus enim debet institui ab ipso Ordinario et non nisi absente vel impedito illo ab Officiali de mandato speciali Ordinarii (art. 228). Nomine vero iudicis secundae instantiae, de quo in cc. 1991-1992, veniunt et Episcopus et Officialis (Comm. Cod. d. 6 dec. 1942).

[65] Per se patet in impedimento ligaminis non esse quaestionem de dispensatione sed de morte alterius coniugis.

ita generatim loquendo erant causae multum implexae, quae de plano decidi non poterant, ut apparet ex plurimis causis cum plurium gravissimorum doctorum interventu agitatis et non nisi post plures instantias decisis. Quare practice praeter casum formae substantialis, *penitus neglectae* in matrimonio illi formae obnoxio, pauci alii erant casus in quibus locum haberet decretum S. Offic.

Iam vero etiam sub iure Codicis, ex responso Commissionis Codicis (16 octobr. 1919), in casu formae penitus neglectae, v. gr. in matrimonio mere civili, quod verum matrimonium non est neque de se speciem aut figuram matrimonii habet, verus processus non requiritur, immo nequidem requiritur forma iuridica cuiusdam processus peculiaris, sed sufficit illa investigatio seu inquisitio quae praevie ad matrimonium fit de statu libero nupturientium, in qua si occurrit ille casus de plano resolvi potest ab Ordinario vel a parocho, consulto Ordinario[66]; cfr. art. 231 et AAS., XI, 479.

Casui penitus neglectae formae non aequiparatur casus formae adhibitae sed substantialiter vitiatae. Fatendum quidem est in pluribus casibus vitium formae posse esse notorium et evidens, v. gr. si sub iure Codicis parochus sine delegatione assistat in alieno territorio, vel simplex sacerdos assistat sine ulla prorsus delegatione.

At his casibus iam videtur satis provisum per generales normas processus iudicialis: nam ex c. 1747, *facta notoria* non indigent probatione, ideoque longior et difficilior pars processus iudicialis iam ita manet fere suppressa. Quodsi c. 1749 iniungitur iudici ne admittat probationes — idemque valet de exceptionibus — « quae ad moras iudicio nectendas postulari videantur », multo magis incumbit iudici ex officio, ut in causa evidente et notoria quam citissime rem expediat, ad vitandum partium detrimentum in hac materia, non disiunctum a detrimento boni publici et a periculo fovendi peccatum.

Utrum autem in tali casu saltem defensor vinculi liber sit ab obligatione provocandi ad secundam instantiam, ad normam decr. S. Offic. putamus cum solida probabilitate teneri posse de-

---

[66] Casus propositi Commissionis resolutioni erant hi: *a*) si *duo catholici* matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium vel novum matrimonium civiliter initum convalidare; *b*) idem casus de matrimonio mixto catholici cum acatholico; *c*) idem casus de duobus apostatis a fide, ideoque formae celebrationis obnoxiis.

fensorem vinculi ab illa obligatione excusari et, defensore vinculi ab appellatione abstinente, Ordinarium primae instantiae posse declarare partes liberas ad novum matrimonium contrahendum vel forte convalidandum[67].

CAPUT II

De divortio civili

706. Notio. Nomine divortii civilis intelligitur hic ille actus, quo magistratus civilis coniuges, validi matrimonii vinculo coniunctos, per suam sententiam vel decretum declarat liberos ab illo vinculo cum legali facultate ad novum matrimonium — cui lex civilis non obstet — contrahendum[1].

I. Principes civiles qui sibi vindicarunt ius indiscriminatim[2] condendi *leges* de matrimoniis suorum subditorum etiam christianorum, consequenter suam iurisdictionem extenderunt ad exercenda *iudicia* in iisdem causis matrimonialibus.

II. Qua in re Ecclesia non movet difficultatem, si potestas civilis suis tribunalibus solummodo committit causas matrimoniales hominum non baptizatorum, dummodo salvum maneat *ius divinum*. Nam cum competentia principum civilium ad ferendas *leges* de matrimoniis hominum non baptizatorum merito sustineatur, exinde recte deducitur etiam legitima potestas *iudiciaria* eorundem principum, si limitetur ad causas sponsalium, nul-

---

[67] Cfr. *Vlaming*, II, n. 804, et *Cappello*, II, n. 894, qui non audent negare casum comprehendi sub exceptione c. 1990, immo *Vlaming* etiam inclinat ad comprehendendum illum sub cit. responso Commissionis Codicis de casu, in quo forma penitus fuit neglecta. Quare a fortiori videtur admittendum quod saltem non urgeat obligatio appellandi, cum c. 1990 non tam abrogaverit quam ampliaverit decretum S. Offic.

[1] Praeter doctores Theol. moral, cfr. *Lehr*, Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans les principaux pays civilisés; *Damos*, Les origines du divorce en France; *Baudier*, La loi du divorce et la conscience chrétienne; *Melata*, De iure matrimonii civilis; *Fahrner*, Geschichte der Ehescheidung im kanonischen Recht; *Villien*, in Dictionn. d. Theolog. v. Divorce; *De Smet*, n. 371 sq.; *Cappello*, II, n. 833 sq.

[2] Codices civiles inter *catholicos* et *acatholicos* distinguere non solent. Cfr. *Hollweck*, D. Civileher., 34 sq. At ex cod. civ. Hisp. art. 103, tribunalia civilia tantum iudicant de nullitate matrimonii *civilis* (acatholicorum), non *canonici* (catholicorum), de quo ex art. 80 sententia nullitatis vel separationis competit foro *ecclesiastico*.

litatis matrimonii, separationis a toro et cohabitatione, neque extendatur ad *solutionem* vinculi matrimonialis ex iure divino potestati *civili* non permissam. Immo complures scriptores, licet potestati civili negaverint ius condendi *leges irritantes* de matrimoniis infidelium, tamen eodem rigore non videntur exclusisse competentiam *tribunalium civilium* ad diudicandas matrimoniales causas. Id valet praesertim de iis auctoribus, qui cum *Perrone* principibus civilibus tribuerunt saltem praerogativam condendi leges prohibitivas et poenales. At alii quoque non tam facile illam potestatem iudiciariam in dubium vocabunt, cum gravissimae causae, praesertim *vinculi* matrimonii, *privato* arbitrio non possint relinqui, sed *publicae* auctoritatis exigant interventionem. Quae interventio unice per potestatem civilem praestari potest, cum Ecclesia in homines non baptizatos careat iurisdictione [3].

III. At legislatores civiles ulterius progressi sunt et tribunalibus fori saecularis praeter causas matrimoniales infidelium et de effectibus *mere civilibus* matrimonii *christiani*, de quibus nulla est controversia, etiam tribuerunt causas matrimoniales *fidelium* soli Ecclesiae reservatas atque adeo exorbitantem potestatem *dissolvendi* matrimonia *valide* contracta sive *rata* sive *consummata*. Quibus in iudiciis consueto ordine iudiciario processus civilis [4] expeditis, tribunalia saecularia, si solummodo competentia *formaliter* spectetur, usurpant iurisdictionem sibi nullo modo concessam, sed insuper quoad *materiam* frequenter excedunt limites potestatis suae; ferunt enim sententias iuri divino et canonico prorsus contrarias. Nam non raro decernitur *separatio* a toro et cohabitatione propter causas a iure canonico non probatas, vel coniuges fideles constringuntur ad vitae matrimonialis consortium restaurandum, quibus communio tori ex iure divino est interdicta. Porro eadem tribunalia civilia saepe *declarant valida* matrimonia, quae in foro *ecclesiastico* habentur *invalida* et vicissim, denique *solvunt* per sententias *divortii* matrimonia iure divino et canonico prorsus *indissolubilia* [5].

---

[3] Supra n. 59 sq.; *Gasparri*, II, n. 1455.

[4] *Hollweck*, l. c., 183 sq., 190 sq.; *Rosset*, n. 4063 sq.; *Scherer*, 570 sq.; *Milas*, l. c., 431 sq., ubi causas matrimoniales schismaticorum in Austria foro saeculari reservatas esse docet; at *Zhishman*, 784 sq., etiam ex iure Ecclesiae Orientalis non unitae vindicat causas matrimoniales tribunalibus ecclesiasticis.

[5] *Allègre* l. c., I, 164 sq.; *Hollweck*, l. c., 16 sq., 183 sq.; *Bucceroni*, Supplem. Bibl. Ferraris v. Divortium, n. 12.

707. Origo divortii civilis. Divortium civile prout nunc locum habet in pluribus nationibus originem ducit ex revolutione gallica [6], ubi violenter est introductum per legem, 20 sept. 1792, simul cum matrimonio civili et tanquam huius consequentia, hoc ipso quod lex non agnoscebat matrimonium nisi ut contractum mere civilem, ad instar aliorum contractuum civilium solubilem. Tanta autem fuit latitudo legis de divortio, ut non solum esset concessum ex plurimis causis in lege determinatis, sed etiam ex mutuo consensu atque adeo ex alterutrius voluntate, pro quo satis erat allegare incompatibilitatem animi vel characteris. Porro alia separatio non admittebatur, nisi quae fieret per divortium. Inde, post reactionem factam contra divortium ab a. 1795, transiit divortium in codicem Napoleonicum, ubi divortium, potius quam ut consequentia ex matrimonio civili inductum, exhibetur ut medium consulendi libertati cultuum et ut remedium ad peiora mala vitanda. Iuxta divortium, in gratiam catholicorum, admissa deinde est separatio corporum in primitivo tenore legis non contenta. Ceterum ex art. 310 facile separatio corporum poterat mutari in divortium. Cum post restitutam monarchiam divortium fuisset abrogatum, denuo a. 1884 fuit legaliter recognitum, licet modo magis moderato, praesertim post legem a. 1886 quamvis aliunde simul cum abusu divortii in dies crescente iurisprudentia moderationem in nova lege introductam reddiderit maxima ex parte vanam.

Ex Gallia facile transiit in alias regiones, tum in eas quae codicem Napoleonicum adoptaverant, velut in Belgium, tum in alias quae suos novos codices ad imitationem codicis Napoleonici elaborarunt aut saltem in hac parte illum imitati sunt. Ita in novo codice civili a. 1900 fuit admissum in Germania; in Anglia post legem a. 1857 et leges posteriores a. 1868, 1898 etc.; in Austria, exceptis catholicis, per leges a. 1820, 1870, 1874; in Luxemburgo et Hollandia ad normam codicis gallici; in Helvetia per legem confoederationis a. 1874; in Dania, Norvegia et Suecia, in Russia, Graecia, Montenegro, Rumania secundum regulas ecclesiae graecae-orthodoxae; in Polonia pro dissidentibus, non pro catholicis; in Americae meridionalis pluribus Stat. velut Costa Rica, Ecuador, Guatemala, Haiti, S. Salvador; in Americae sep-

---

[6] De errore protestantium a Conc. Tridentino damnato ac de lucta Ecclesiae contra ius Romanum, contra ius populorum germanicorum et contra graecos schismaticos et contra facta particularia medio aevo durante, cfr. supra n. 622 cum notis, iunct. Dictionnaire Apologét. v. Divorce.

tentrionalis Stat. Foederat., ubi divortium est malum sociale veluti pestis in dies ingravescens [7].

708. Quadruplex praecipue est hodie legislatio civilis circa divortium.

a) Plures sunt nationes in quibus non admittitur divortium plenum cum legali libertate ad novas nuptias, solaque admittitur separatio corporum. Tales sunt Hispania, Italia, Monaco, pluresque nationes Americae meridionalis, velut Argentina, Brasilia, Chile, Peruvia, Uruguay.

b) Plures adsunt legislationes in quibus solum extat divortium, separatio vero corporum non admittitur, nisi forte per aliquod tempus, transformanda dein in divortium: ita existit in Rumania, Servia, Dania, Norvegia et Suecia atque in pluribus ex Statibus Foederatis Americae septentrionalis.

c) Aliae legislationes permittunt tum divortium tum separationem corporum. Ita in Gallia et Belgio, in Helvetia, Germania, Anglia ac nonnullis Statibus Americae septentrionalis.

d) Tandem non desunt nationes, in quibus diversa est legislatio pro diversitate religionis, quam cives profitentur, v. gr. in Austria ubi catholicis, etiam in matrimonio mixto, non conceditur divortium sed sola corporum separatio; in Russia non lege civili sed respectiva lege religiosa matrimonii celebratio et dissolutio regebatur, ideoque pro catholicis erat exclusum divortium, dum orthodoxis et israelitis secundum eorum legem religiosam, satis large interpretatam, erat permissum.

In tanta diversitate legum civilium in hac materia etiam occurrit necessitas providendi variis conflictibus quae ex illa diversitate oriebantur et in hunc finem Hagae inita est conventio internationalis circa divortium et separationem a toro et mensa (Convention pour régler les conflits de lois et de juridiction en matière de divorce et de séparation de corps, 12 iun. 1902), ubi haec praecipue statuebantur: 1°) actionem ad divortium vel separationem non esse admittendam, nisi *tum* in natione originis *tum* in natione commorationis relativum institutum iuridicum sit agnitum; 2°) causae, licet sint diversae, debent in utraque legislatione sufficientes haberi; 3°) quilibet Status potest exigere ut processus suorum subditorum fiat iuxta legem patriam [8].

---

[7] Cfr. *Melata*, De iure matrimoniali civili; *Lehr*, Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans les principaux pays civilisés, *Laurent*, La répudiation et le divorce; *De Smet*, n. 373 sq.; *Wilkius*, The history of divorce; *Lemaire*, Le mariage civil.

[8] Cfr. *Speiser*, in Arch. f. k. K. LXXXVI, 476 sq. Illi conventioni

709. Erronea et perversa fundamenta divortii civilis. Erronea et perversa fundamenta, quibus defenditur matrimonium civile, etiam ad propugnandum divortium civile fuerunt allegata. Quare lex de civili divortio, in se ipsa considerata et quatenus complectitur etiam matrimonia fidelium, continet sacrilegam usurpationem potestatis in matrimonium, in quod iure divino soli Ecclesiae est concessa iurisdictio; quae usurpatio non solum inique fit per legem, qua verum divortium cum legali abruptione vinculi conceditur, sed etiam per legem qua condiciones et modi separationis simplicis quoad cohabitationem praescribuntur. Quodsi lex civilis de divortio restringeretur, id quod non fit, ad solos subditos non baptizatos, talis lex qua intenditur rumpi vinculum validi matrimonii et concedi libertas ad novum matrimonium evidenter est contra ius naturale et divinum indissolubilitatis matrimonii. Nec etiam ex falso principio, quod matrimonium sit contractus mere civilis, inferri posset potestas legislatoris civilis ad concedendam et regulandam talis contractus dissolutionem, si matrimonium ex sua natura postulat perennitatem et indissolubilitatem vinculi, quam *specialem naturam* contractus etiam illa potestas, cui legitime subiciatur, revereri debet nec potest pervertere ac transmutare in contractum dissolubilem. Ceterum nullus legislator civilis eo processit, ut admitteret absolutam libertatem coniugum solvendi pro suo arbitrio ex mutuo consensu matrimonium, sicut solvi possunt alii contractus.

Nec facile est admittendum quod legislator civilis intenderit intactum relinquere vinculum matrimoniale et solum attingere formalitatem civilem, si matrimonium civile, quod divortio disrumpitur, non est coram lege mera nupturientium declaratio pro status civilis determinatione, sed habetur ut verus contractus coniugalis, virum et mulierem reddens ad invicem coniuges cum omnibus iuribus et obligationibus statui coniugali propriis.

Porro pessimae consequentiae ex divortio civili tot dimanant, ut ex solis consectariis efficax argumentum peti potest ad demonstrandam matrimonio ex iure naturali indissolubilitatem tanquam proprietatem competere: quae pessima consectaria vel ab ipsis legislatoribus civilibus, magis a religione alienis, debuerunt admitti. Porro quam gravis pernicies immineat vel ipsi bono

---

adhaeserunt: Belgium, Gallia, Germania, Helvetia, Hollandia, Italia, Lusitania, Luxemburgum, Rumania et Suecia. Cfr. *De Smet*, n. 831. Cfr. Litt. Encycl. « *Casti connubii* », n. 88.

publico et temporali societatis civilis ex permisso legali divortio, satis apparet ex crescente in dies numero divortiorum, si v. gr. in Gallia uno anno (1911) habita sunt divortia 13.058 et inde in annos singulos creverunt cum diminutione matrimoniorum et natalitatis, vel si in Statibus Foederatis Americae sept. ab anno 1867 ad 1886 habita sunt divortia 328.716 (*De Becker*, De matr., 400) et inde ab eo tempore pariter in proportione vere horrenda creverunt, et a. 1922 habitum fuit unum divortium pro septem matrimoniis.

710. Cooperatio magistratus civilis in causis divortii. Hac in re principalis difficultas est num *iudex civilis* licite possit fungi officio suo in causis matrimonialibus fidelium, soli Ecclesiae reservatis, et praesertim in ferenda sententia *divortii* iuri divino aperte contrarii. Cum quaestione de iudice conexa est quaestio de parte petente divortium et de advocato tali parti patrocinante.[9]

711. Profecto iudex catholicus fori saecularis, si cum *pertinacia asserat* causas matrimoniales *non spectare* ad iudices ecclesiasticos, est haereticus atque incurrit censuras contra haereticos constitutas; at si solummodo *de facto* illas causas definiendas *suscipiat*, formalis haereticus nondum est neque innodatur haereticorum censuris. Nam ordo *credendorum* (« *Si quis dixerit* ») non est confundendus cum ordine *agendorum* (« *Si quis fecerit* »); secus tandem omnes peccatores graviter violantes praecepta decalogi essent haeretici excommunicati. Talis vero iudex, nisi excusetur ignorantia et bona fide, certa sua *usurpatione* iurisdictionis *peccat* et saltem concurrentibus quibusdam circumstantiis est suspectus de haeresi[10].

Porro Ecclesia, sive *expresse* sive *tacite*, *tolerat* ut iudices catholici, quin officio suo cedere teneantur, in foro saeculari cau-

---

[9] Notat *Gasparri*, II, n. 1536, in Gallia ante a. 1886 a iudice non proprie datam esse sententiam divortii; sed declaratum esse locum dari sententiae divortii, i. e. a iudice declarari existentiam causae legalis divortii, sententiam vero divortii pronuntiatam esse a syndico, ideoque in responsis S. Sedis iudex et syndicus pari iure tractantur. Quod ius mutatum fuit a. 1886, a quo tempore syndico seu officiali Status civilis iam nihil incumbebat nisi sententiam a iudice pronuntiatam inscribere in regesto civili. Valde autem creditu difficilis est illa assertio, sc. quod illa singularitas procedurae gallicae latuerit plures Ordinarios et S. Sedi non fuerit exposita.

[10] *Gasparri*, II, n. 1458. Quare *Rosset*, n. 4067, et *Schnitzer*, l. c., 78, nimis rigidam tenent opinionem, si indiscriminatim et generaliter docent iudices laicos incurrere excommunicationem Tridentinam, si *cognoscant* illas causas matrimoniales.

sas matrimoniales fidelium suscipiant, dummodo *fidem catholicam* hac de re palam profiteantur *et* tum circa valorem et nullitatem coniugii tum circa separationem corporum nullam proferant sententiam divino aut ecclesiastico iuri repugnantem, et in casibus dubiis et difficilioribus sese iudicio proprii Ordinarii dirigant vel ad S. Paenitentiariam recurrant[11].

Quare *iudex civilis* non prohibetur a ferenda *sententia separationis* a toro et cohabitatione, si aliunde iudicio Episcopi iam constat de iusta causa, v. g. de adulterio[12], vel de *nullitate* matrimonii, si validum matrimonium religiosum *nunquam exstitit*, v. g. matrimonium civile Romae celebratum, vel pariter ex iudicio Ecclesiae invalide fuit contractum neque unquam convalidatum, v. g. propter impotentiam; nec insuper prohibetur a pleni *divortii* sententia ferenda, si matrimonium ratum professione religiosa vel dispensatione R. Pontificis, atque matrimonium in infidelitate consummatum vi privilegii Paulini fuerit solutum[13]. Deinde iudex civilis licite fert sententiam *contra* divor-

---

[11] S. C. Inq., 22 maii, 19 dec. 1860 (pro Anglia); S. C. Inq., 3 apr. 1878, (pro Helvetia) in Arch. f. k. K. XLI, 178; S. C. Inq., 25 iun. 1885 (pro Gallia) iunct. aliis resp. S. C. Inq., S. Paenitent. apud *Rosset*, n. 4067 sq. Quae responsa S. C. Inq. quamvis universalia non sint, tamen etiam in aliis regionibus ex tacita tolerantia Sedis Apostolicae videntur esse norma tuta in praxi, donec expressis et specialibus declarationibus provisum sit.

[12] S. C. Inq., 22 maii, 19 dec. 1860, 3 apr. 1877, 25 iun. 1885; *Gasparri*, II, n. 1457 sq. iunct. *Bucceroni*, l. c.; *Rosset*, n. 4074 sq. Nam cum *fideles coniuges* eorumque *advocati* in istis casibus *licite* possint *petere* semi-plenum divortium a iudice civili, ut *canonica* separatio effectus consequatur in foro saeculari, etiam iudex civilis licite fert sententiam a se expetitam.

[13] S. C. Inq., 25 iun. 1885. Quibus in casibus pariter *coniuges* eorumque *advocati* licite possunt petere declarationem nullitatis vel divortii *ex titulo iuris civilis*, ut suam consequantur libertatem, iure divino et canonico iam admissam, ab omnibus obstaculis iuris civilis. Immo eae possunt esse circumstantiae, ut coniuges ad avertenda pericula animae *teneantur* postulare plenum divortium in foro saeculari, v. g. si ipsorum religiosum matrimonium propter impedimentum indispensabile convalidari nequit; secus enim facile fieri potest, ut una pars ab altero coniuge perverso cogatur in foro civili ad retinendam vitae coniugalis communionem. Inde denuo consequitur iudicem quoque saecularem et multo magis advocatum in istis actionibus, *coniugibus permissis*, licite fungi officio suo ad ferendam sententiam iuri divino et canonico (materialiter) non repugnantem. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1538; *Rosset*, n. 4076 sq.; *Schnitzer*, 73 sq. Causae *sponsalium* cum in foro saeculari aut omnino excludantur aut limitentur ad actiones de resarciendis damnis, theoreticam et practicam difficultatem non creant. Cfr. *Lehmkuhl*, D. b. Gesetzb. d. d. R. ad § 1297.

tium semi-plenum, si causae canonicae non subsint, vel contra divortium plenum, si matrimonium religiosum certo sit validum neque ullo modo solutum. Nam eo in casu potius sequitur iudicium Ecclesiae et brachio saeculari corroborat contra frivolos *actores* et *advocatos*, quibus *reus* sive per se sive per advocatum etiam in tribunali incompetenti suam defensionem opponere potest.

712. Specialis difficultas unice restat num *iudex laicus* possit licite ferre sententiam *pro divortio semi-pleno*, si causae canonicae desint, vel *pro divortio pleno*, si matrimonium iure divino et canonico sit omnino validum. Cum divortium semi-plenum quandoque in foro civili excludatur aut facillime commutari possit in *divortium plenum*, praesertim de hoc quaestio est practici momenti *in iudice* [14]. Qua de re est duplex opinio inter doctores catholicos. Alii defendunt opinionem mitiorem, quae *iudici* permittit pronuntiare plenum divortium civile contra matrimonium religiosum, dummodo iustae et graves causae concurrant [15].

---

[14] *Reus* sane sua iura in huiusmodi processu sive per se sive per procuratorem vel advocatum licite *defendere* potest. Cfr. S. C. Inq., 22 maii 1860, ad 1. *Actor* vero, qui petit divortium plenum cum *intentione* transeundi ad novas nuptias adulterinas, evidenter promovet causam *intrinsece malam;* immo ab actione *divortii pleni* etiam prohibetur, licet non intendat novas nuptias, sed solummodo temporale lucrum emergens vel damnum cessans. Cfr. S. Paenit., 5 ian. 1887, 14 ian. 1891 et 7 ian. 1892. Hinc *procuratores* vel *advocati*, qui regulariter *voluntarie*, non coacte suum officium exercent, istis actoribus patrocinium praestare nequeunt. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1538, 1555, 1556; *Leitner*, 633; *Hollweck*, l. c., 84; *Schnitzer*, 76, 83; *Lehmkuhl*, l. c. ad § 1575 cod. civil. German.

[15] V. g. *Lehmkuhl*, Theolog., mor., II, n. 701; *Leitner*, 634 sq. (saltem in Germania) cum Ballerini, Piat, Grandclaude, Berardi, Zeininger, De Smet, n. 393 sq. aliisque.

Quae opinio non raro iis argumentis confirmata est, quibus vera probabilitas vix concedi potest. Nam iudex nequaquam ut vir doctus proponit in ordine theoretico et speculativo vel historico sensum alicuius legis intrinsece malae, v. g. decreti persecutionis Diocletiani, sed practice et cum auctoritate partes obligante applicat legem in casibus particularibus. Porro *si iudex applicat legem divortii pleni, prout de facto nunc* saltem frequenter *lata* est, non tantum *materialiter*, sed *formaliter* cooperatur ad actionem intrinsece malam; nam propria ipsius actio qua cooperatur, i. e. ipsius sententia est intrinsece mala; immo ratione illius sententiae intrinsece malae ipse non solum est causa cooperans, sed causa efficiens et principalis rei intrinsece malae; etenim pro sua potestate usurpata contra ius divinum attentat solvere vinculum indissolubile matrimonii. Cfr. S. C. Inq., 6 iul. 1817 ad Praefect. mission. Martinicae etc.; *Bucceroni*, l. c. n. 6 sq.; *Rosset*, n. 4094.

Alii doctores severiores talem sententiam iudicialem de divortio civili habent *intrinsece malam*, quae idcirco a *iudice* nun-

---

Neque quidquam iuvat, si iudex motivis suae sententiae inserat clau-
sulas attenuantes; etenim natura perversa sententiae ab istis clausulis
non pendet neque per illas immutatur, quia actus malus *de facto* positus,
per verba contradictoria adiecta, non fit actus licitus. Denique si non
raro exinde arguitur, quod iudex tantum destruat *effectus civiles* vel
disrumpat *vinculum civile*, tota ista argumentatio nititur imprimis *falso*
facto, i. e. falsa interpretatione quamplurimarum illarum legum civilium
de divortio pleno. Qua in re etiam codex civilis Germaniae, propter le-
vissimas quasdam *verborum* immutationes, per se et quoad *rem* non
admittit benigniorem interpretationem, ut recte tenent *Hollweck*, l. c.,
12 sq.; *Schnitzer*, 72 sq. cum *Bendix* aliisque contra *Lehmkuhl*, l. c.,
415 sq. Deinde reticendum non est vel solam illam destructionem *effec-*
tuum civilium posse continere gravissimam iniuriam, v. g. si coniuges
filiique legitimi propter sententiam divortii ad instantiam *tertiae* per-
sonae latam habeantur *illegitimi*. Cfr. *Hollweck*, l. c., 199 not. 3 de exor-
bitante dispositione cod. civ. Germaniae.

Denique sunt patroni benignioris opinionis qui provocant ad pari-
tatem cum matrimonio civili, cui magistratus quoque catholici licite as-
sistere possunt. Cui argumento non raro respondetur per *negationem*
paritatis, atque matrimonio civili datur *interpretatio* simplicis caere-
moniae civilis. Cfr. *Bucceroni*, l. c. n. 13. Quae responsio solummodo
ex parte liquet. Nam si magistratus assistit matrimonio civili tanquam
« *nudae caeremoniae civili* » non cooperatur ad rem intrinsece malam,
etiamsi praevideat coniuges postea matrimonia in forma ecclesiastica
valide non esse celebraturos. Cfr. S. Paenitent., 15 dec. 1865; *Leitner*,
633. At si magistratus assistit matrimonio civili, cui obstat impedimen-
tum ligaminis ob praevium divortium illegitimum, inter magistratum
assistentem tali matrimonio et iudicem decernentem divortium illegi-
timum videtur esse perfecta paritas, eo tantum discrimine, quod prior
contra ius divinum duos coniuges videatur *unire*, alter *solvere*. Quod
discrimen non impedire videtur *perfectam paritatem* in oppositione cum
iure divino. Quare mirum non est quod S. Paenitentiaria, 27 maii 1887,
in casu particulari Italiae centralis responderit: « *Quaecumque tandem*
sint casus circumstantiae, syndicus non potest assistere, etiamsi exinde
deberet suum officium dimittere ». Nihilominus non desunt auctores qui
putant tali responso quaestionem de assistentia *generaliter*, etiam in
gravissimis difficultatibus, nondum esse diremptam. Cfr. *Gennari*, Con-
sult. I, 200 sq.; supra n. 591.

Porro interpretatio illa matrimonii civilis tanquam « *nudae caeri-*
moniae civilis » certe correspondet praecepto Ecclesiae de *intentione*
qua fideles et magistratus formalitates matrimonii civilis debeant explere.
Cfr. S. Paenitent., 15 decembris 1865; Secret. S. C. C. cit. supra, n. 591,
not. 32. At ista interpretatio non dat eum sensum, quem lex saecularis
de matrimonio civili ex se et iuxta intentionem legislatoris civilis habet,
qui potius introduxerunt matrimonium civile tanquam *verum* et *unicum*
contractum matrimonialem, cui pro more protestantium actus religiosus
solummodo accedit ad instar alicuius benedictionis vel approbationis ec-
clesiasticae. Cfr. *Hollweck*, l. c., 19 sq. Immo ipsa quoque Ecclesia sup-

quam licite pronuntiari possit [16]. Cuius sententiae ratio fundamentalis est illa, quod lex divortii *positive permittens* divortium plenum non obstante vinculo matrimonii est lex intrinsece mala, utpote iuri naturali et divino aperte contraria; at iudex sua sententia de divortio pleno practice applicat legem intrinsece malam; hinc ponit actum intrinsece malum [17]. Cui argumento, ad

---

ponit in quamplurimis casibus vel ipsos fideles de facto in celebrando matrimonio civili habere *verum consensum maritalem*, non intentionem perficiendi nudam caeremoniam civilem; secus enim intelligi plane nequit quomodo Ecclesia matrimonia civilia, celebrata in territorio a iure Tridentino exempto, haberet *valida* (cfr. S. C. Inq., 6 sept. 1876), vel toties sanet in radice matrimonia tantum civiliter contracta et formae ecclesiasticae, ad valorem requisitae, obnoxia. Quodsi « *ex sensu Ecclesiae, ex communi fidelium usu et opinione, ex natura actus, prout licite fieri potest* », ut loquitur Secretarius S. C. C., l. c., matrimonium civile in *celebratione* accepit interpretationem *nudae caeremoniae civilis*, quam ex se certe non habet, eadem interpretatio in aliis quaestionibus a limine non videtur esse repellenda.

[16] *Bucceroni*, l. c. Suppl. v. Divortium; *Rosset*, n. 4085 sq. cum Baudier, Zigliara, Marc, Liberatore; *Gasparri*, II, n. 1554, saltem *inclinat* in rigidam opinionem, quam theoretice etiam amplectuntur *Hollweck*, l. c., 84 sq.; *Schnitzer*, 82 sq., licet *in praxi* suadeant iudices et advocatos in *bona fide* esse relinquendos; *Scherer*, 112, not. 68, videtur anceps haerere atque controversiam relinquere theologiae morali, sed, 568, not. 83, docet « *consequentiam* » stare pro rigida opinione; nihilominus opinatur vi responsi S. Paenitent., 4 sept. (?) 1890 (i. e. 4 iun.) (cfr. Arch. f. k. K. LXVII, 177 sq.) iudicibus ex principiis iuris (?) prohibitionem non amplius obstare (?), *in praxi* vero iudicem unicuique parti litiganti relinquere periculum processus cum suis sequelis. Quae solutiones « *practicae* » ultimo loco allegatae habent illud incommodum, quod saepe practicae non sint et claro quodam principio theoretico non innitantur; etenim non raro iudices sua iam habent *dubia* nec responso quodam « *evasivo* » sunt contenti nec pro *suis* actibus possunt relinquere periculum conscientiae *aliorum*.

[17] Quae ratio interna in *suppositione facta legis positive permittentis divortium plenum* est omnino peremptoria. At numquid *suppositio* facta semper et ubique verificatur? Certe ex *natura* rei nihil obstat quominus ex gravissimis causis detur aliqua lex negative permittens divortium, qua divortio illicite facto solummodo conceditur immunitas a poenis. Qua ratione *Suarez*, De leg. l. IX, cap. 4, n. 9 recte docet: « *Lex de libello repudii* (apud hebraeos) si *permissiva tantum erat, non erat mala; nam licet* facere *malum culpa sit*, permittere *malum praesertim in Deo non est malum, neque etiam est iniustum, quia, si id permisit, non fecit sine causa iusta, ut Christus etiam declaravit* ». Quodsi haec theoria de lege tantum permissiva, non concessiva, divortii pleni applicatur (cfr. *Suarez*, l. c. n. 10), profecto argumentum de intrinseca malitia sententiae iudicialis non amplius sustineri potest; nam lex per iudicem applicanda non est intrinsece mala. Pariter altera ratio vim suam amittit, si inde

quod reliquae rationes internae revocari possunt, accedit auctoritas complurium decisionum S. C. Inq., v. g. 5 ian. 1887, 4 iun. 1890, 14 ian. 1891, 7 ian. 1892 [18].

At ipse *Bucceroni*, acerrimus et acutus vindex opinionis rigidioris, in suo opere: Casus conscientiae, II, 100 fatetur: « *Itemque quot responsa non prodierunt ab ipso S. Officio et a S. Paenitentiaria de illiceitate sententiae divortii a iudice laico proferendae? Attamen positive declaratum etiam fuit eas decisiones*

---

arguitur quod *actor petat* a iudice rem intrinsece malam. Nam licet actor prava sua intentione velit habere rem intrinsece malam, i. e. divortium iuri naturali contrarium cum iure transeundi ad secundas nuptias, tamen iudex sua sententia *id non concedit*, sed ad tramites legis mere permissivae indulget tantum *immunitatem a poenis*.

Quae doctrina de lege permissiva, ut patet ex *Suarez*, l. c. cap. 6, n. 11 (cfr. quoque supra n. 696, not. 11) a multis scriptoribus usque ad nostram aetatem applicatur ad libellum repudii Veteris Testamenti. Doctores quoque non defuerunt (cfr. *Sánchez*, l. X, disp. 1, n. 12), qui putarent vel ipsas leges romanas, ab imperatoribus christianis de pleno divortio contra ius divinum latas, habendas esse leges mere permissivas.

Denique Martinus V, Paulus V, Greg. XIII, Greg. XV, ut principes civiles *Status pontificii* per Camerarium in quibusdam hebraeis tolerarunt aut *polygamiam* aut aliquod divortium. Cfr. *Rossel*, n. 521 sq., ubi recte istam tolerantiam explicat de concessione immunitatis a poenis et molestiis; at *Fahrner*, l. c., 277 not. 2, iisdem permissionibus nimium pondus tribuit.

Hinc in casu universa quaestio tandem huc reducitur, num non obstante prava intentione legislatorum in positiva permissione divortii pleni, lex divortii per iurisprudentiam in praxi eam possit paulatim accipere interpretationem, ut sententia iudicis de divortio habeatur mera tolerantia sive *immunitatis a poenis*. Certe in Gallia per iurisprudentiam effectum est ut, non obstante codice Napoleonis I, matrimonia a sacerdotibus catholicis attentata usque ad annum 1888 haberentur invalida. In Germania quoque catholici ipso antiquo codice civili Borussiae, II, 1, §§ 733 sq., atque novo quoque codice civili imperii, § 1588, aliquo modo videntur moneri de obligatione conscientiae suae, si sententia divortii velint abuti ad novas nuptias.

Idcirco ex Germania aliquod quaesitum Sedi Apostolicae nondum videtur esse propositum, quia iudices catholici passim videntur aestimare se suis sententiis divortii explere formalitatem quandam civilem et concedere meram immunitatem a poenis in foro saeculari. Cfr. Arch. f. k. K., LVII, 193 sq.; *Scherer*, 571; *Lehmkuhl*, l. c. ad § 1564; *Leitner*, 634 sq.

[18] Quae responsa sane rigidiori sententiae aperte favent. Cfr. *Rosset*, n. 4091. At resp. S. C. Inq., 26 iul. 1887 et S. Paenitent., 23 sept. 1887 ad Ep. Lucion., et 4 iun. 1890 ad 1, a patronis benignioris opinionis haud sine fundamento invocantur; nam praesertim ex responso Episcopo Lucionensi dato videtur sequi saltem in *certis circumstantiis* sententiam divortii a iudice laico licite ferri posse. Cfr. *Gasparri*, II, n. 1551, 1553.

non continere decretum generale pro omni regione. Conferatur Enchiridion morale, ed. 3, *p.* 149 ».

Cuius verissimae assertionis alia ratio intrinseca reddi non potest praeter illam, quam scite etiam urget *Lehmkuhl,* D. b. Gesetzb., 419, ad § 1564, sc. *circumstantias* non semper et ubique esse easdem [19]. Quare cum ipsa Ecclesia *generalem* decisionem nondum dederit in favorem opinionis rigidae, etiam doctoribus privatis ab *absoluta* et *generali* ipsius propugnatione videtur esse abstinendum. Quod principium potiore iure est retinendum a patronis benignioris opinionis, in cuius favorem certe *nullum decretum generale* allegari potest. Praeterea in dubium vocari nequit quin sententiae divortii a iudicibus saecularibus ferantur, quae intrinsecam contineant malitiam [20]. Hinc Ecclesia *generaliter* declarare nequit sententias divortii pleni in foro saeculari latas esse licitas. Tandem ne dicamus S. C. Inq. et S. Paenit. in tot responsis aëra verberasse, certe eae debent quandoque existere circumstantiae, quibus iudicibus saecularibus *non licet* ferre sententiam divortii pleni [21].

Quare iudex catholicus, cui causa matrimonialis fidelium in foro saeculari definienda est, imprimis consulat conscientiae suae quoad *formalem* suam *competentiam,* ne videatur usurpare iurisdictionem alienam. Multo magis autem attendat necesse est, quid in sua regione de *obiecto* sive *materia* in causis divortii pleni sive expresse sive tacite ab auctoritate ecclesiastica, saltem in

[19] V. g. quandoque propria est *curia divortiis,* velut in Anglia vel Canada, ad quam gubernia saepe tantum iudices acatholicos deputare solent. Hinc si catholicus iudex sponte in talem curiam specialem divortii adsciseretur, esset in eadem damnatione atque advocatus, qui *libere* illicitam causam divortii susciperet. Facile ergo intelligitur cur Patres Concil. prov. Quebec. IV (a. 1868) in Canada tanto rigore prohibuerint:

«*In tali curia divortii actoris partes agere vel iudicis vel notarii seu cancellarii, formaliter vel alio quocumque modo concurrere; non tamen intendimus damnare eos, qui coacti testimonium ferent de ipso facto adulterii*». At in aliis regionibus, v. g. in Germania, Gallia, Helvetia, *ordinaria* tribunalia *civilia* definiunt causas matrimoniales; omnes igitur catholici ibidem a magistratibus in foro civili per se essent exclusi.

[20] Cfr. *Rosset,* 4094, ubi affert decisionem curiae Aurelian., 25 mart. 1892, quae evidenter sua *sententia* voluit solvere vinculum matrimonii magis quam quod ipsa morte fieri potest!

[21] *Bucceroni,* l. c. n. 12; *Rosset,* n. 4091. At minus insistendum esse puto declarationi datae pro Belgio, quae per Nuntium Apostolicum, 14 sept. 1886, nomine Sanct. Suae et S. C. Inq. refertur communicata; etenim de eius vi et ambitu et auctoritate non satis constat. Cfr. *Gasparri,* II, n. 1546; *Bucceroni,* l. c.; *De Smet,* n. 398.

casibus particularibus, sit toleratum. Nequaquam igitur hac in re iudices et iuristae catholici proprium suum ingenium arbitrarie sequi possunt, sed a theologis et canonistis sunt edocendi, immo suorum Ordinariorum et, quatenus opus est, Sedis Apostolicae implorabunt declarationes.

Praeclaram applicationem principiorum de hac quaestione exhibet Conc. prov. Mechliniense IV, a. 1920, n. 81.

Laus Deo.

O. A. M. D. G.

APPENDIX ET INDICES

APPENDIX

Litterae Encyclicae "Arcanum" Leonis XIII

INDEX SYSTEMATICUS *

Litterae Encyclicae "Casti Connubii" Pii XI

INDEX SYSTEMATICUS

---

* Opportunum duximus hic referre saltem indicem duorum documentorum maximi momenti, quae SS. PP. Leo XIII et Pius XI de matrimonio christiano publici iuris fecerunt. Indices desumuntur e fasciculo edito a P. Hürth in Collect. « Textus et Documenta » P. Universitatis Gregorianae, Series theologica, n. 25. Numeri referunt paginas Act. S. Sedis, XII, Act. Apost. Sedis, XXII.

INDEX CANONUM

INDEX INTERPRETATIONUM AUTHENTICARUM

Can.	Responsum			Pag.
1013 § 1	1 apr.	1944	Declar. S. Offic.	32
1017 » 3	2-3 iun.	1918		127
1020 » 1	2-3 iun.	1918		153
1020 » 2	2-3 iun.	1918		145
1037	25 iun.	1932		556
1044-45	12 nov.	1922		535
1045 § 1	1 mart.	1921		535
1045 » 1,81	27 iul.	1942		537
1045 » 3	28 dec.	1927		555
1060	30 iul.	1934		197
1061 § 1	14 iun.	1932	Declar. S. Offic.	206
1061 » 1	16 ian.	1942	Declar. S. Offic.	205
1070 § 1	29 apr.	1940		328
1071	10 maii	1941	Declar. S. Offic.	338
1078	12 mart.	1929		488
1095 § 1	20 maii	1923		674
1095 » 1	10 mart.	1928		679
1095 » 2	28 dec.	1927		680
1095 » 1	31 ian.	1942		675
1096 » 1	20 maii	1923		681
1096 » 1, 199 § 1	25 ian.	1943		682
1098	10 nov.	1925		692
1098	10 mart.	1928		697
1098	25 iul.	1931		697
1098	3 maii	1945		698
1099 § 1	29 apr.	1940		700
1099 » 2	20 iul.	1929		702
1099 » 2	17 febr.	1930		702
1102 » 1, 1095 § 1	10 mart.	1928		679, 714
1116	6 dec.	1930		777
1131 § 1	25 iun.	1932		848
1962	8 iul.	1940		898
1964	14 iul.	1922		896
1971 § 1	27 ian.	1928	Declar. S. Offic.	907
1971 » »	22 mart.	1939	Declar. S. Offic.	907
1971 » »	15 ian.	1940	Declar. S. Offic.	907
1971 » »	12 mart.	1929		906
1971 » »	17 iul.	1933		907
1971 » »	27 iul.	1942		907
1971 » »	4 ian.	1946		907
1971 » 2	17 febr.	1930		907
1971 » »	17 iul.	1933		901
1971 » »	6 dec.	1943		907
1989	16 iun.	1931		915
1990	16 oct.	1919		918
1990	16 iun.	1931		916
1990	6 dec.	1943		916
1991	6 dec.	1943		917

INDEX ALPHABETICUS

(Indicantur numeri marginales)